BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIV
D
35
NAPOLI

PHILOSOPHIAE WOLFIANAE CONTRACTAE

TOMVS II.

PSYCHOLOGIAS, EMPIRICAM

ATQVE

RATIONALEM,

NEC NON

THEOLOGIAM NATVRALEM

COMPLECTENS.

IN

LVCEM EDITVS

A

IOANNE FRIDERICO STIEBRITZ,

PHILOS. IN ACAD. HALENSI PROF. ORDIN.

HALAE MAGDEBVRGICAE

PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.

MDCCXLV.

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIOM

VIRO,

DOMINO

DOMINO

CAROLO STEPHANO JORDANO,

POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI

A CONSILIIS SANCTIORIBVS,

ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS

PRAESIDI VICARIO,

ACADEMIARVM RELIQVARVM,

QVAE IN TERRIS PORVSSICIS FLORENT,

VT ET

RERVM GALLICARVM CVRATORI

ETC.

HVNC

PHILOSOPHIAE WOLFIANAE CONTRACTAE

TOMVM SECVNDVM

EA,

QVA PAR EST,

ANIMI OBSERVANTIA

OFFERT

AVCTOR.

VIR ILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME,

Ubius ſub initium hærebam, an ego, VIR ILLVSTRIS, vix ac ne vix quidem nomine notus, auderem ILLVSTRI TVO NOMINI præſentem librum inſcribere. Videbar enim paullo inhumanior eſſe, ſi grauiſſimorum negotiorum, auctoritate regia expe-

expediendorum, catenam interrumperem. Sumſi tamen animum, apud me perpendens ſingularem TVVM fauorem, quo non ſolum omnis generis ſcientias, quas IPSE vaſta, qua polles, mente complexus es, verum etiam earum cultores proſequeris. Atque inde eſt, quod muſæ TE iam dudum tanquam ſuum Mæcenatem & Promotorem ſuſpexerint & in oculis tulerint. Accedebat, quod POTENTISSIMVS PORVSSORVM REX, DOMINVS NOSTER LONGE CLEMENTISSIMVS, iis inprimis, qui in academiis regiis docendi munere funguntur, peculiare plane ac proprium ius, quam gratioſiſſime, conceſſerit, TE com-

pellandi, ſe in TVAM notitiam perducendi, TVVM fauorem quærendi, TEque auſpice ad altiora pergendi, quando TIBI, VIR ILLVSTRIS, fauſtiſſimo in ſtudia omine, academiarum Poruſſicarum curam demandavit. Optime enim perſpexit **REX SAPIENTISSIMVS**, quam bene cum litteris earumque cultoribus ageretur, ſi illi demum viri iis proſpicerent, qui ipſi in iis toti ſunt. Quæ cum ita ſe habeant, VIR EXCELLENTISSIME, utor nunc iure meo; offero, rationem acti hucusque laboris academici redditurus, & me meaque ſtudia TVAE protectioni commendaturus, *Philoſophiæ Wolfianæ contractæ Tomum ſecundum*, **EXCELLENTISSI-**

TISSIMO TVO NOMINI omni cum animi submissione inscriptum, sperans, immo plane confisus, fore, vt ea, qua soles, beneuolentia, ausum meum bonam in partem sis interpretaturus. Equidem quod TVIS oculis, VIR EXCELLENTISSIME, subiicitur scriptum non me, sed ILLVSTREM FRIDERICIANÆ CANCELLARIVM, CHRISTIANVM WOLFIVM, Philosophum nostri ævi facile principem, auctorem habet; nihil feci, nisi quod fusius dicta contraxerim, & compendiosius exhibuerim: Sed eam ipsam ob caussam eo magis placiturum credo, quia Viri, de illis disciplinis, quas complectitur, immortaliter meriti, cogitata exhibet. Respice igitur

gratiose

gratiose conatum meum, inque numerum cultorum TVORVM indulgenter me recipe. Deum vero immortalem precor, TE quam diutissime superesse iubeat, Regis in delitium, Reipublicæ columen, orbis litterati decus atque ornamentum, academiarum Porussicarum præsidium ac meum palladium. Ita vouet

VIR ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME,
ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TVI

devotissimus cliens
IOANNES FRIDERICVS STIEBRITZ.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
IOANNES FRIDERICVS STIEBRITZ.

Sic per Dei gratiam prodit, quem nundinis vernalibus huius anni promiſeram, PHILOSOPHIAE WOLFIANAE CONTRACTAE *tomus ſecundus*, *pſychologiam empiricam*, *rationalem* ac *Theologiam naturalem* complectens. Ita verſatus eſt *Illuſtris* huius Philoſophiæ *conditor* in hisce diſciplinis, vt haud definire poſſim, vtrum magis perſpicuitatem, vbiuis obuiam; an ſoliditatem, *Philoſopho* propriam; an materia-

b rum

rum vbertatem, qua lectores ſuos delectat, admirari debeam. Id ſane certum exploratumque habeo, hæc de palma obtinenda mirifice atque amice inter ſe decertare. Vnde porro id conſequitur, nihil magis optandum eſſe, quam vt omnes ſingulique ipſa *Wolfiana* omni cum ardore legerent relegerentque. Mihi plane nullum reſtat dubium, quin, ſi veritatis ſint cupidi, præiudicatis vero opinionibus non in anteceſſum occupati, animum voluptate repletum, grauisſimis doctrinis imbutum, de veritatibus compluribus conuictum, atque ad Deum colendum proniorem ſint reportaturi. Cum vero non datum ſit quibusuis hanc Corinthum adire: contractiore hoc labore eorum vſibus inſeruire conatus ſum, quemadmodum in præfatione, primo tomo præmiſſa, me copioſius memini expoſuiſſe. Plura erant, quæ me ad ſuſcipiendum hunc laborem mouerunt, quorum

in

in præſenti mentionem de nouo non facio; cum facile ex loco citato repeti queant. Simul etiam ex dictis intelligitur, qua methodo vſus ſim, & qua ratione ad finem, quem mihi præfixeram, contenderim. Cum heic nullam deprehenderem propoſitionem demonſtratam, quæ ſaluo ſyſtemate abeſſe poterat, a qua in ſequentibus aliæ non penderent: neque vllam omittere debui. Quo factum, vt numerus paragraphorum mei laboris numero *Illuſtris Auctoris* vbiuis reſpondeat: quod ſecus ſe habuit in *Logica* atque in *diſcurſu præliminari*. Quia nemini obſcurum eſſe poteſt, qui diſcurſum præliminarem ea, qua par eſt, animi attentione perlegit, partes philoſophicas, hoc tomo ſecundo comprehenſas, a principiis in priori ſtabilitis deriuari; facile eſt ad colligendum, WOLFIVM quoque ſuas demonſtrationes ex iis compoſuiſſe. Cum itaque *contractiores* has partes dare voluerim;

nemo mihi vitio vertet, quod propositiones illas, quæ eiusmodi demonstrationes ingrediebantur, siue ex Logica, siue ex Ontologia, siue ex Cosmologia petitas, non totidem verbis transcripserim, sed paragraphorum allegatione fuerim contentus. Hinc etiam mirum non esse debet, quod, quando demonstratio alicuius theorematis in longum excreuit, ingentem aliquando citatorum numerum offendat. Nihil hic magis a lectore postulo, iure autem postulare posse mihi videor, quam vt, in demonstrationibus nondum versatus, librum a capite ad calcem legat, cunctaque debita ratione ponderet. Quo facto, anterioribus rite perpensis, paragraphos citatos reuoluens omnia plana habebit atque aperta, demonstrationemque nullo negotio concinnare poterit. Sin vero casu quodam & sinenexu in aliquod theorema inuolans vellet citatos paragraphos consulere: fateor, irritum fore

cona-

conatum, ipsumque demonstrationem non inuestigaturum. Sed tunc culpa non in me, verum in eiusmodi lectorem redundabit, qui veritates, nexu perpetuo traditas, sine nexu cum aliis, intelligere ac de iis conuictus esse gestit. Fuerunt olim non pauci, immo adhuc sunt, qui graues querelas aduersus *Philosophum* effuderunt, asserentes se in scriptis ipsius sæpissime quidem citatorum numerum reperire; euolutis vero paragraphis, nihil deprehendere, quod animo sciendi ac certitudinis cupido faceret satis. In caussa sane fuit, quod eodem modo legerint, quem proxime tetigi, mihique inimicissimum atque maxime infestum fore sentio. Conferri merentur, quæ *Illustris* WOLFIVS eam in rem scripsit *Logicæ*, germanico idiomate conscriptæ, *cap. 13. §. 6.* sub finem. Quodsi vero aliquis, methodo demonstratiua ac principiis innutritum iam habuerit animum: is, si vel maxime in hoc vel illud

theorema extra nexum incideret, adſpectis citationibus, ſtatim in mentem reuocabit, quam olim ſibi repræſentauit, cum in nexu apud *auctorem* ipſum legeret, demonſtrationem. Sic vero locum habet ille mei laboris vſus, quem nuper commemoraui, in repetitione poſitus. Ceterum nunc ego ad finem perduxi *philoſophiam Viri Excellentiſſimi theoreticam*, in quantum ea luci publicæ expoſita eſt; reſtant enim, vti notum, opera phyſicam omnem exhibentia. Id vero definire in præſenti non poſſum, quandonam pars prima philoſophiæ practicæ in conſpectum orbis litterati ſit proditura: quia eam continere volo philoſophiam practicam vniuerſalem, & integrum Ius naturæ & gentium; in quo vero exaſciando *Philoſophus* adhuc deſudat. Interea temporis, Deo volente, operam dabo, vt fautorum quorundam voluntati ſatisfaciam, qui *Lexicon* aliquod *Philoſophicum*, ex ſola philoſophia Wolfiana concinnatum, a me aliquoties deſiderarunt. Exhibebo in eo præcipuos philoſophiæ Wolfianæ

ſianæ terminos, ſecundum ordinem alphabeticum ſibi inuicem ſuccedentes; adiiciam eorundem definitiones; proponam propoſitiones ab iis pendentes; enarrabo demonſtrationes, quibus nituntur; afferam obiectiones, quibus viri docti eas oppugnarunt; reſponſiones commemorabo, quæ ad obiectiones dantur, nec ſilentio præteribo libros, qui in vtramque partem editi ſunt. Hiſtoricum agam; non iudicem atque arbitrum, ne noua bella, prioribus vix vtcumque finitis, oriantur. Breuitati, quoad fieri poterit, ſtudebo; non tamen patiar perſpicuitati aliquid decedere. Sed vt ad *Wolſium* redeam, quem in *iure naturali* verſari ſuperius monui; parat *Vir Summus* immortale opus, fruſtra hucusque quæſitum ac deſideratum, omni iuri maxime inſeruiturum, vitæque accommodatiſſimum. Tranſibit deinceps ad *philoſophiam moralem*, pluribus partibus abſoluendam, ex qua non vulgares fructus in Theologiam omnem, præſertim reuelatam, redundabunt; ſi quidem naturæ atque gratiæ diſcri-

diſcrimina, aliaque maximi momenti capita, ab aliis vel non ſufficienter, vel plane non explicata & demonſtrata, largiſſima manu proferentur. Faxit ſummum, quod in cœlis veneror, Numen, vt tum huic, tum aliis dudum promisſis laboribus, coronidem imponere *Vir Illuſtris* queat. Faxit Deus, vt, ſexagenario maior, viribus animi & corporis, quas hucusque expertus eſt, quam diutiſſime perfruatur! Hac enim ratione habebit genus humanum, de quo gaudeat; Germania, de quo ſibi gratuletur; exteri habebunt, quem æmulentur; ſcientiæ habebunt ſui promotorem & ſtatorem; Philoſophia habebit ſui vindicem; Academia denique ſidus habebit & fulcrum. Vale, *Lector Beneuole*, Tuaque vota pro ſalute *Philoſophi* cum meis coniunge! Scripſi d. 1. Sept. MDCCXLIV.

PSYCHO-

PSYCHOLOGIA
EMPIRICA,
METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATA,

QUA EA, QUÆ

DE ANIMA HUMANA
INDUBIA EXPERIENTIÆ FIDE
CONSTANT, CONTINENTUR

ET

AD SOLIDAM UNIVERSÆ
PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ
AC THEOLOGIÆ NATURALIS TRACTATIONEM
VIA STERNITUR.



PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ PROLEGOMENA.

§. 1.

P*Sychologia empirica* est scientia stabiliendi principia per experientiam, unde ratio redditur eorum, quæ in anima humana fiunt (*Disc. prælim.* §. 104 sq.). Psychologiæ empiricæ definitio.

§. 2.

Quæ ad Psychologiam empiricam spectant attentione ad ea facta, quæ nobis consciis in anima nostra fiunt, innotescunt (§. 1. *Psych.* 634. *Log.*). Quomodo hæc doctrina innotescat.

Hinc primo liquet, quomodo ad cognitionem eorum perveniatur, quæ in Psychologia empirica docentur: id quod inventoribus prodest. Secundo autem ex eo intelligitur, quomodo ea, quæ in Psychologia empirica traduntur, & rite intelligi, & ad examen revocari possint: id quod eos juvat, qui certam rerum psychologicarum notitiam sibi comparare student.

§. 3.

Dogmata Psychologiæ empiricæ inventurus pollere debet habitu ea, quæ experimur, ad definitiones accuratas & ad propo- Habitus ad Psychologicas notiones inve-

niendas requisitus. *sitiones determinatas revocandi* (§. 1. *Psych.* 635. *Log.* 104. 109. 114. *Disc. prælim.*): qualem habitum possibilem esse constat (§. 678. *Log.*).

§. 4.

Usus Psychologiæ empiricæ in rationali.

Psychologia empirica principia suppeditat rationali (§. 51. 25. *Disc. præl.* § 1. *Psychol.*).

§. 5.

Usus alter.

Psychologia empirica inservit examinandis & confirmandis iis, quæ de anima humana a priori eruuntur (§. 2.). Quodsi enim cum iisdem eadem sunt vel consentiunt, ea veritati consentanea esse dubitari nequit: sin vero eidem repugnant, ea a veritate abhorrere palam est (§. 538. *Log.*).

Psychologia rationalis tradit ea, quæ a priori de anima innotescunt (§. 51. *Disc. prælim.*). Quamobrem patet, Psychologiam rationalem promovere incrementum empiricæ, etsi ex ea principia mutuetur: cum fœnore enim reddit, quod ab ea mutuatum fuerat. Equidem non impossibile videtur, ut ea absque Psychologiæ rationalis auxilio a posteriori ex observationibus deriventur; enimvero id commode fieri non posse ipso facto docemur. Deficit attentio ad observationes, sine qua advertere non datur, quæ in anima fiunt. Veritates a priori deductæ nos commonefaciunt eorum, quæ observari debent, & alias cogitationem nostram effugiunt. Eædem modum insinuant, sine quo eorum, quæ in nobis contingunt, conscii esse non possumus.

§. 6.

Usus Psychologiæ empiricæ in jure naturali.

Psychologia empirica principia tradit juri naturali (§. 61. *Disc. præl.*). Constat vero ex Horis subsecivis A. 1729. Trim. Brum. n. II §. 6. 15. ac Philosophia practica universali, atque ex ipso Juris naturalis systemate, rationem actionum, cur bonæ atque malæ sint, a natura humana desumi, consequenter etiam ab iis, quæ menti humanæ insunt. Jam vid. §. 2. *Psych.* 866. *Ont.*

Obtinet id inprimis in officiis hominis erga animam suam.

§. 7.

§. 7.

Psychologia empirica inservit Theologiæ naturali eique principia tradit (§. 50. *Disc. præl.*). Ostendemus in Theologia naturali, nos ad notiones attributorum divinorum pervenire, quatenus notiones eorum, quæ menti humanæ insunt ab imperfectionibus seu limitationibus liberamus. Jam lege §. 2. Usus ejusdem in Theologia naturali.

§. 8.

Psychologia empirica philosophiæ practicæ principia tradit (§. 85. *Disc. præl.*). Usus in philosophia practica.

Quæcunque de praxi virtutum colendarum & vitiorum fugiendorum dici possunt, ad appetitum determinandum redeunt: in appetitus autem determinationem omnes omnino perceptiones influunt. Quamobrem quæ in Psychologia de appetitus determinatione stabiliuntur principia, ea in Ethica ad casus speciales transferuntur. Aliam longe faciem induit omnis morum philosophia, ubi luce Psychologiæ collustratur, tumque demum judicium certum fieri potest, quousque virtutes in potestate sint & quænam nos ab earum cultura arceant. Immo quæ de philosophia morali evicimus, ad ipsam quoque Theologiam moralem applicari possunt ac debent.

§. 9.

Psychologia empirica principia tradit Logicæ (§. 82. *Disc. præl.*). Usus in Logica.

Nimirum si rationem a priori reddere velis regularum logicarum, ad ea recurrendum, quæ de facultate cognoscendi in Psychologia traduntur.

§. 10.

Studium Psychologiæ empiricæ animum sciendi cupidum multa voluptate perfundit & voluptatis capacem reddit, quæ alias in ipsum non caderet (§. 2.). Cum animus sciendi cupidus ex cognitione acquisita voluptatem percipiat; ex sui inprimis cognitione certa voluptatem percipere debet, consequenter cum animæ cognitio ex Psychologia empirica acquisita certa sit (§. 538. *Log.*), ex studio psychologico voluptatem percipere debet. Voluptas studii psychologici.

Qui porro novit ea, quæ menti humanæ insunt (§. 1.), multo rectius de perfectione mentis judicare valet quam alter, qui eadem ignorat. Quare cum ex sensu perfectionis percipiatur voluptas eaque sit tanto major, quanto profundius perfectionem rimeris: per studium psychologicum animus hominis capax redditur voluptatis, quæ alias in eum minime caderet.

Vide ex Horis subsecivis A. 1729. Trimestr. Æst. n. I. & Trim. Autumn. n. I. & A. 1730. Trim. Brum. n. I. & Trim. Vern. n. I.

FINIS PROLEGOMENORUM.

PSYCHO-

PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ

PARS I.

DE ANIMA HUMANA IN GENERE ET FACULTATE COGNOSCENDI IN SPECIE.

SECTIO I.

DE ANIMA IN GENERE.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA ANIMÆ HUMANÆ.

§. 11.

Fundamentum cognitionis existentiæ animæ.

NOs esse nostri rerumque aliarum extra nos constitutarum conscios quovis momento experimur (*§. 634. Log.*).

§. 12.

§. 12.

Certitudo illius fundamenti.

Nos esse nostri conscios ipsa dubitatione confirmatur. Non enim negare potes, te dubitare, cum ipsemet hoc affirmes (§. 28. *Ontol.* & §. 202. *Log.*). Unde vero nosti te dubitare, nisi ex eo, quod dubitationis tuæ tibi conscius sis.

§. 13.

Principium cognoscendi existentiam sui.

Qui sui aliarumque rerum actu conscius est, ille etiam actu est sive existit. Quodsi hoc negas; ponendum est, posse ens quoddam sui aliarumque rerum actu conscium esse, etiamsi ipsum actu non sit. Ergo eidem actu quædam inerunt, antequam existit.

§. 14.

Quomodo nobis innotescat nos existere.

Nos existimus (§. 11. 13.).

§. 15.

Gradus certitudinis cognitionis existentiæ nostræ.

Cognitio existentiæ nostræ ipsa dubitatione confirmatur, seu, *ex eo, quod dubitamus, utrum existamus, nec ne, colligitur, nos existere* (§. 12.). Idem patet ex §. 11.

Hinc patet gradus certitudinis, qui cognitioni existentiæ nostræ convenit. Tantus nimirum est, ut eo majorem concipere non liceat. Quid enim certius existimari debet eo, quod ipsa dubitatione confirmatur, seu, quod hinc esse colligis, quod dubites, num sit.

§. 16.

Quidnam eadem evidentia cognoscatur, qua existentiam nostram cognoscimus.

Si quid per syllogismos infertur, quorum præmissæ sunt propositiones indemonstrabiles, vel judicia intuitiva experientiis claris superstructa; id eadem evidentia cognoscitur, qua nos existere cognoscimus. Existentiæ enim nostræ cognitio nititur hoc syllogismo (§. 14.).

Quodcunque ens sui ipsius aliarumque rerum extra se sibi actu conscium est, illud existit.

Atqui *Nos nostri aliarumque rerum extra nos actu nobis conscii sumus.*

Ergo *Nos existimus.*

In hoc syllogismo propositio major est principium rationis, in quo notio confusa subjecti atque prædicati ita indivulso nexu cohæret,

hæret, ut producta notione subjecti in eodem quoque compareat notio prædicati, adeoque propositio indemonstrabilis (§. 260. *Log.*). Quare cum præterea theoretica sit (§. 263. *Log.*); ex axiomatum numero est (§. 264. *Log.*). In minore syllogismi nobis tribuimus prædicatum, quod in notione nostri comprehensum intuemur, adeoque minor propositio judicium intuitivum est (§. 50. *Log.*). Nititur autem idem experientia (§. 11.) tam clara, ut dubitando confirmetur (§. 12.). Eadem igitur evidentia cognoscitur, qua nos existere cognoscimus, si quid per syllogismos infertur, quorum præmissæ sunt propositiones indemonstrabiles, vel judicia intuitiva experientiis claris superstructa.

§. 17.

Quicquid demonstratur, id eadem evidentia cognoscitur, qua nos existere cognoscimus (§. 533. 211. 267. 264. 522 sqq. Log. 16. Psych.). Gradus certitudinis in iis, quæ demonstrantur.

§. 18.

Veritates geometricæ eadem evidentia cognoscuntur, qua existentia nostra nobis innotescit (§. 522 sqq Log. 17. Psych.). Evidentia veritatum geometricarum qualis sit.

§. 19.

Ideo *non mirum, quod nemo istis assensum denegare possit, qui vim demonstrationum percipit (§. 18.).* Ratio assensus quem prompte veritatibus geometricis præbemus.

§. 20.

Ens istud, quod in nobis sibi sui & aliarum rerum extra nos conscium est, *Anima* dicitur. Vocatur etiam subinde *Anima humana*, item *Mens* vel *Mens humana*. Animæ definitio.

§. 21.

Anima humana existit (§. 14. 20.). Animæ existentia.

§. 22.

Animæ existentiam ante cognoscimus, quam corporis. Etenim animæ nostræ existentiam ex eo cognoscimus, quod nobis nostri rerumque aliarum extra nos conscii simus (§. 20 *Psychol.* & §. 344. *Log.*). Enimvero si de existentia reali corporum du- Cujusnam rei existentia primum agnoscatur.

bitamus, hujus dubitationis nobis conſcii ſumus, conſequenter nobis noſtri conſcii ſumus, quatenus dubitamus (§. 14.).

Reſpexit huc *Carteſius* Meditat. 2. de prima philoſophia, dum adſtruere conatur mentem humanam eſſe notiorem corpore.

CAPUT II.

DE MODO COGNOSCENDI ANIMAM.

§. 23.

Cogitatio quid ſit.

C*ogitare* dicimur, quando nobis conſcii ſumus eorum, quæ in nobis contingunt, & quæ nobis tanquam extra nos repræſentantur. *Cogitatio* igitur eſt actus animæ, quo ſibi ſui rerumque aliarum extra ſe conſcia eſt.

Definitio hæc nominalis ab uſu loquendi minime recedit: id quod per exempla eunti patet. Enimvero quando nobis nihili conſcii ſumus, veluti in ſomnio, tum nos non cogitare pronunciamus.

§. 24.

Perceptionis definitio.

Mens *percipere* dicitur, quando ſibi objectum aliquod repræſentat: ut adeo *Perceptio* ſit actus mentis, quo objectum quodcunque ſibi repræſentat.

§. 25.

Apperceptio quid ſit.

Menti tribuitur *Apperceptio*, quatenus perceptionis ſuæ ſibi conſcia eſt.

Apperceptionis nomine utitur *Leibnitius:* coincidit autem cum conſcientia, quem terminum in præſenti negotio *Carteſius* adhibet.

§. 26.

Quænam in cogitatione a ſe invicem diſtinguenda.

Omnis cogitatio & perceptionem (§. 24.), & *apperceptionem involvit* (§. 25.). Add. §. 23.

§. 27.

Quænam menti ob ea, quæ in ipſa

Quæ ex iis, quæ menti ineſſe obſervamus, legitimo ratiocinio colliguntur & quæ porro ex his inferuntur; eadem quoque menti

menti conveniunt. Idem valet de omni ente alio. Ea enim de mente humana demonstrantur (§. 522. & seqq. *Log.*). Quare cum vera sit propositio, quæ demonstrari potest (§. 515. *Log.*), consequenter prædicatum subjecto suo conveniat propter ea, ex quibus idem colligitur (§. 476. *Log.*); menti quoque convenire debet, quod colligitur ex iis, quæ menti inesse observamus & quod porro ex his infertur legitimo ratiocinio, quod ex illis colligitur. observamus, tribuenda.

Idem valere de omni ente ex ipsa demonstratione apparet, quæ talis omnino est, ut ad omne ens promiscue applicari possit.

§. 28.

Ad cognitionem mentis pervenitur, si ad cogitationes nostras attendimus eidemque porro tribuimus, quæ legitimo ratiocinio ex iis colliguntur. Quoniam enim cogitationes perceptiones & apperceptiones involvunt (§. 26.); dum cogitamus, aliquid vel ad nos spectans, vel a nobis diversum repræsentamus (§. 24.), ejusque repræsentationis nobis conscii sumus (§. 25.). Quare si ad cogitationes nostras attendimus, hoc ipso nobis innotescit, non tantum quomodo objectum repræsentetur, sed etiam qualis tunc in anima mutatio accidat. Atque ita ad animæ cognitionem pervenitur. Modus perveniendi ad cognitionem mentis.

Quoniam porro menti tribuenda veniunt, quæ ex aliis, eidem inexistentibus legitimo ratiocinio colliguntur (§. 27.), atque ea menti convenire certum est, quæ in ea observamus (§. 488. *Log.*); ea quoque menti convenire debent, quæ ex iis legitimo ratiocinio colliguntur, quæ in mente observantur. Atque ita denuo ad animæ cognitionem pervenitur.



SECTIO II.

DE

FACULTATIS COGNOSCENDI PARTE INFERIORI.

CAPUT I.

DE DIFFERENTIA PERCEPTIONUM FORMALI.

§. 29.

Facultas animæ quid dicatur.

Quemadmodum potentia activa in genere *Facultas* dici solet (§. 716. *Ontol.*); ita etiam potentiæ activæ animæ *Facultates* ipsius appellantur.

§. 30.

Fundamentum perceptionum clararum & obscurarum.

Si quid percipimus, aut id ab aliis perceptibilibus satis distinguimus, aut idem a nobis fieri minime posse deprehendimus. Vid. §. 76. *Log.*

§. 31.

Perceptio clara quænam.

Si quod percipimus agnoscere, vel a perceptibilibus ceteris distinguere valemus, *perceptio*, quam habemus, *clara* est.

§. 32.

Perceptio obscura quænam.

Si quod percipimus non agnoscere, vel a ceteris perceptibilibus non distinguere valemus, *perceptio*, quam habemus, *obscura* est.

§. 33.

Rei obscure perceptæ nun insint clare percepta.

Rei obscure perceptæ inesse possunt, quæ clare percipiuntur. Neque enim repugnat rei quædam inesse, quæ clare percipiuntur, & præterea inesse alia, quæ prorsus non percipiuntur, veluti cum vel defectu luminis, vel ob parvitatem suam, vel ob nimiam

nimiam distantiam oculis sese subducunt. Enimvero si quædam rei inexistentia clare percipiuntur, nobis ejusdem conscii sumus, hoc est, conscii nobis sumus nos videre objectum aliquod, cui insunt ea, quæ clare percipimus. Quoniam vero præterea insunt alia, quæ prorsus percipi nequeunt, alia vero clare percipi possunt: rem agnoscere minime valemus, nec eam a ceteris perceptibilibus distinguere novimus, quemadmodum in clare perceptis obtinet. Res igitur ipsa obscure percipitur (§. 32.).

Idem patet a posteriori. Ponamus, nive dudum colliquata, alicubi adhuc in campo partem quandam terræ nive tectam esse. Quodsi eam e longinquo in luce præsertim crepusculari videas, colorem album satis clare percipis, nec minus figuram & magnitudinem percipis, qualis e longinquo apparet: non tamen ea clare percipis, per quæ nivem ab aliis objectis albis distinguis. Insunt itaque rei obscure perceptæ, quæ clare percipiuntur. Et vi eorum, quæ clare percipiuntur, rem istam agnoscere potes, quod eadem adhuc sit, quando post aliquod temporis intervallum rediens eam in loco isto adhuc positam ex eadem distantia contueris.

§. 34.

Si mens sibi conscia est, se objectum aliquod obscure percipere; perceptionem suam obscuram clare percipit. Etenim agnoscit perceptionem suam esse obscuram eamque a clara distinguit (§. 31.). **Perceptio clara perceptionis obscuræ.**

§. 35.

Claritas perceptionum est id, quod *Lumen animæ* appellare solemus. Et hinc anima dicitur *illuminari*, quatenus acquirit facultatem res clare percipiendi, ut sibi conscia sit ejus, quod percipit, atque ea, quæ percipit, probe a se invicem distinguat. **Lumen animæ.**

Non hic sumimus terminos in sensu theologico, sed philosophico. Transferuntur autem termini a rebus materialibus ad animam propter similitudinem. Quemadmodum enim in mundo materiali lumen efficit, ut res materiales videamus; ita claritati perceptionum tribuendum, ut earum nobis conscii simus, atque perceptionem unam ab altera distin-

guere valeamus. Et quemadmodum oculus absque lumine nihil videre potest; ita etiam mens absque claritate perceptionum non conscia sibi esse potest ejus, quod percipitur.

§. 36.

Tenebræ in anima.

Ex adverso obscuritas atque defectus perceptionum est id, quod *Tenebrarum* nomine in anima venit.

Quemadmodum enim in mundo materiali tenebræ sunt defectus luminis, seu ejusdem privatio; ita etiam in anima tenebræ esse debent defectus claritatis perceptionum. Sed perceptiones, quæ claræ non sunt, obscuræ sunt (§. 31. 32.). Ergo tenebrarum nomine in anima appellari debet obscuritas perceptionum, vel earum defectus.

§. 37.

Fundamentum perceptionum distinctarum & confusarum.

Si rem clare percipimus aut ea, quæ eidem insunt, a se invicem distinguere & alteri sigillatim enunciare valemus, aut id in potestate nostra minime positum deprehendimus.

§. 38.

Perceptio distincta quænam sit.

Si in re percepta plura sigillatim enunciabilia distinguimus, *Perceptio* clara dicitur *distincta.*

§. 39.

Perceptio confusa quid sit.

Si in re clare percepta plura separatim enunciabilia non distinguimus, *Perceptio* dicitur *confusa.* Est scilicet perceptio confusa clara quidem, sed non distincta.

Exempli loco sunt flavedo auri, viriditas foliorum, & in genere colores omnes. Pertinent huc etiam sapores & odores, in quibus nihil distinguimus, quod sit separatim enunciabile. Perceptionem confusam negative definire licet, quia jam positive definivimus distinctam, cui opponitur.

§. 40.

Perceptionis partialis & compositæ differentia.

Perceptio partialis est, quæ in perceptione rei alterius contenta. Ast *composita* dicitur, quæ ex pluribus partialibus constat.

E. gr. Dum arborem percipimus, truncum, ramos, surculos, folia, gemmas percipimus. Arboris igitur perceptio composita est, perceptiones

ceptiones trunci, ramorum, ſurculorum, foliorum, gemmarum partiales ſunt. Similiter perceptiones flavedinis ac gravitatis auri ſunt partiales; ipſa vero auri perceptio compoſita eſt. Ex his exemplis liquet, perceptiones partiales eſſe non modo perceptiones partium, ex quibus componitur res percepta; verum etiam determinationum, quæ eam ingrediuntur, ſeu qualitatum & quantitatis ipſius. Quoniam vero determinationes intrinſecæ omnes ſimul uti unum ſpectantur cum re percepta; res percepta per modum totius & determinationes intrinſecæ ad eam ſpectantes inſtar partium conſiderantur (§. 341. *Ontol.*).

§. 41.

Origo claritatis in perceptionibus.

Si perceptiones partiales fuerint claræ, compoſita diſtincta eſt. Tunc enim plura ſigillatim enunciabilia in re percepta a ſe invicem diſtinguimus (§. 31. 40.). Jam conf. §. 38.

§. 42.

Gradus diſtinctæ perceptionis.

Qui plura ſigillatim enunciabilia in eodem perceptibili clare percipit; is magis diſtincte idem percipit altero, qui pauciora in eodem clare percipit (§. 40 ſq.). Conſequenter quo plures perceptiones particulares claræ fuerint, eo magis diſtincta eſſe debet compoſita.

Per hoc principium æſtimatur gradus diſtinctæ perceptionis, qui in eodem ſubjecto diverſo tempore, & in diverſis ſubjectis eodem tempore diverſus deprehenditur.

§. 43.

Perceptio totalis.

Perceptionem totalem appello eam, quæ complectitur eas omnes, quas dato aliquo momento ſimul habemus. Quamobrem cum perceptionem totalem ut unum quid conſideremus, perceptiones rerum, ex quibus conſtant, ejus reſpectu tanquam partiales conſiderantur, ac ideo a nobis quoque partiales dicentur (§. 40.).

E. gr. Si in campo integrum exercitum contueor, uno obtutu præter eum ſimul campum, ſylvam e longinquo ſpectatam, cœli ac terræ confinia & objecta alia complector. Immo eodem momento, abſentia quoque objecta mihi repræſento, veluti templum, in quo ſæpe vidi militum præfectum. Subeunt quoque mentem meam cogitationes

nes variæ pro diverſitate objectorum mihi repræſentatorum. Omnes iſtæ perceptiones ſimul abſolvunt perceptionem totalem, quæ cum pro una habeatur ratione temporis, quo omnes eam ingredientes conjunguntur, aut vi ſimultaneitatis & continuitatis eam ingredientium, perceptiones ſingulorum objectorum una exhibitorum partiales appellantur.

§. 44.

Perceptio totalis quando diſtincta.

Si perceptiones partiales, quæ totalem ingrediuntur, claræ ſint; perceptio totalis diſtincta eſt (§. 31. 43. 38.).

Adeſt hic quid fictitii, quatenus nempe ſimul percepta conſideramus inſtar entis unius & res ſingulas, quæ una percipiuntur, tanquam partes unum totum conſtituentes, ſeu tanquam determinationes enti iſti intrinſecas: ſed hanc fictionem fert uſus loquendi (*not.* §. 43.).

§. 45.

Status perceptionum diſtinctarum animæ.

Si perceptiones totales diſtinctæ ſunt, anima eſt in ſtatu perceptionum diſtinctarum. Etenim quotidie in nobis experimur, perceptionem totalem unam in anima continuo ſubſtitui alteri, aut partiales, quæ eidem inſunt, alias abire, alias ſuperaccedere, ita ut perceptio totalis non maneat eadem (§. 181. *Ontol.*). Perceptiones adeo totales continuo mutantur (§. 290. *Ontol.*), adeoque ſtatum ejus conſtituunt (§. 705. *Ontol.*).

§. 46.

Perceptio totalis quando ſit obſcura.

Si perceptiones partiales, quæ totalem ingrediuntur, fuerint obſcuræ; perceptio totalis obſcura eſt (§. 43. 32.).

§. 47.

Status perceptionum obſcurarum.

Si perceptiones partiales obſcuræ ſunt, anima eſt in ſtatu perceptionum obſcurarum. Eodem, quo ſupra (§. 45.), modo id oſtenditur.

§. 48.

Idea quid ſit.

Repræſentatio rei dicitur *Idea*, quatenus rem quandam refert, ſeu quatenus objective conſideratur.

Si objectum aliquod in mente repræſentatur, diſtingui debet actus mentis, quo fit repræſentatio; repræſentatio ipſa, quatenus objectum quoddam menti exhibet; & denique actus, quo mens repræſentationis iſtius,

istius, consequenter rei, qualis repræsentatur, conscia sibi est. Actus prior, quo fit repræsentatio, est perceptio (§. 24.); actus posterior, quo mens sibi conscia est repræsentationis, vocatur apperceptio (§. 25.); ipsa vero repræsentatio materialiter sumta aut in relatione ad objectum, quod repræsentatur, dicitur idea.

§. 49.

Repræsentatio rerum in universali seu generum & specierum *Notio* a nobis appellabitur. Notio quid sit.

§. 50.

Notionum differentia eadem est, quæ perceptionum: sunt nimirum & *notiones* vel *claræ*, vel *obscuræ*; claræ vel *distinctæ*, vel *confusæ*. Vid. *Log.* §. 76 sqq. Notionum differentiæ.

§. 51.

Rem cognoscere idem est ac ejus notionem, vel ideam sibi acquirere. Cognoscere quid sit.

§. 52.

Cognitio est actio animæ, qua notionem vel ideam rei sibi acquirit. Cognitio quid sit.

Animam nobis concipimus tanquam causam efficientem idearum atque notionum, quæ virtute sua ideas producit & inde porro notiones format. Hic igitur distinguimus ideam a notione, actionem animæ, qua ideam & notionem producit atque format, ab utraque, productionem ideæ a notionis formatione. Idea est rei singularis imago (§. 48.), quæ entis in universali imaginem seu notionem in se continet (§. 49.). Actio, qua idea producitur, est perceptio (§. 24.), cui apperceptio superaccedit (§. 25.). Actiones, quibus notiones rerum præsertim distinctæ formantur, complures sunt, de quibus postea agemus operationes intellectus explicaturi: hoc enim nomine appellantur. Perceptio & operationes intellectus simul communi nomine cognitio dicuntur.

§. 53.

Quatenus cognitio in mente possibilis est, hoc est, quatenus fieri potest, ut rem cognoscamus, menti facultatem cognoscendi tribuimus (§. 29.): ut adeo *Facultas cognoscendi* ea sit, qua ideas ac notiones rerum nobis acquirimus. Facultas cognoscendi quid sit.

§. 54.

Facultatis cognoscendi pars inferior.

Facultatis cognoscendi pars inferior dicitur, qua ideas & notiones obscuras atque confusas nobis comparamus.

§. 55.

Facultatis cognoscendi pars superior.

Facultatis cognoscendi pars superior est, qua ideas & notiones distinctas acquirimus.

Nemo offendatur partis appellatione, inde inferens nos menti humanæ contra ejus simplicitatem tribuere partes, ac inde materialismum exsculpere conetur. Pars enim facultatis cognoscendi inferior & superior terminus philosophicus est, cui nulla inest veritas. Ex terminorum adeo simplicium notionibus non derivanda est notio eidem respondens; sed dispiciendum, utrum ea, quæ eidem tribuitur, in anima contineatur, nec ne.

CAPUT II.

DE SENSU.

§. 56.

Principium cognoscendi corpus suum.

Observamus aliquod corpus & in eo mutationes, quibus contingentibus, corpora istarum mutationum causas percipimus. Immo quæ sunt in mundo adspectabili, non aliter percipimus, nisi quatenus mutationes quasdam corpori huic inducunt. Etenim si corpora lumen in oculum, quæ corporis istius pars est, immittunt & mutationem quandam corpori inducunt, in Physica distincte explicandam; illorum nobis tanquam extra nos nobis conscii sumus, adeoque ea percipimus (§. 24.). Similiter si corpus aliquod corpus istud tangit, contactus hujus nobis conscii sumus, eumque adeo percipimus. Quodsi impediatur, ne istæ mutationes in hoc corpore contingant, v. gr. si oculos claudimus, vel corpus a contactu arcemus; omnis quoque statim cessat perceptio.

§. 57.

Dependentia perceptionum a corpore.

Quoniam per mutationes, quæ in corpore isto accidunt, intelli-

intelligimus, cur res materiales in mundo adſpectabili percipiamus, & cur tales potius percipiamus, quam aliter; ratio perceptionum rerum materialium in mutationibus, quæ in corpore iſto contingunt, continetur (§. 56. *Ontol.*), adeoque *perceptiones rerum materialium in mundo adſpectabili a mutationibus in corpore* iſto *contingentibus dependent* (§. 851. *Ontol.*).

§. 58.

Corpus iſtud dicimus *noſtrum*, a quo dependent perceptiones rerum materialium in mundo adſpectabili, quas habemus. **Corporis noſtri notio.**

§. 59.

Corpora in mundo adſpectabili *nobis præſentia* dicuntur, quæ mutationem corpori noſtro inducere valent, niſi ſcilicet ullum ſuperaccedat obſtaculum accidentale. **Corporum præſentia.**

§. 60.

Corpora ergo *iſta nobis præſentia ſunt*, *quæ eum ad corpus noſtrum habent ſitum, ut percipi a nobis poſſint, niſi accidentale aliquod obſtaculum adſit* (§. 59. 56. 58.). **Corporum præſentia a ſitu quomodo pendeat.**

Si tempore nocturno in hypocauſto noſtris oculis directe opponatur aliquod objectum, candela accenſa, idem videmus, adeoque nobis præſens eſt (§. 59.). Quodſi candela extinguatur, accidentale quoddam impedimentum ſuperaccedit, ne videri amplius poſſit. Non tamen ideo præſens eſſe deſinit, ſufficit enim objectum eum ad oculum retinere ſitum, ut videri poſſit, niſi ex accidente ceſſet viſionis actus, veluti in caſu noſtro ob defectum luminis.

§. 61.

Corpus aliquod dicitur *præſens aliquo in loco*, ſi intra terminos conſiſtit, quibus locum iſtum definimus. **Præſentia corporis in dato loco.**

E. gr. Hypocauſtum terminatur parietibus: quamobrem quicquid intra horum ambitum continetur, in hypocauſto præſens eſt. Non confundenda eſt præſentia in dato aliquo loco cum ea, quæ corpori alicui tribuitur reſpectu noſtri. Præſentia terminus relativus eſt, qui objecti unius exiſtentis ad coëxiſtens aliud relationem involvit. Ideo objectum in eodem loco conſtitutum diverſo reſpectu & præſens dici

 poteſt,

poteſt, & abſens. Ita campana, cujus ſonum percipio, præſens mihi eſt; non autem præſens eſt in eo loco, ubi ego ſum, niſi quando turrim conſcendens ibidem commoror, ubi campana ſuſpenſa conſpicitur. Viſus cum ſit ſenſus potior, & cum tactus objectum ſupponat propinquiſſimum; in præſentia corporum dijudicanda vulgo viſus magis atque tactus, quam aliorum ſenſuum habetur ratio.

§. 62.

Præſentia corporis noſtri.

Corpus noſtrum (§. 58.) nobis ſemper præſens eſt. Enimvero continuo experimur, ipſum hoc corpus a nobis percipi: partes enim ipſius tangere licet propriis manibus & videre propriis oculis partim viſione directa, partim reflexa, ſeu mediante ſpeculo. Quare cum partes corporis noſtri iſtiusmodi mutationes in ipſo corpore noſtro producere valeant, ut easdem percipiamus, idque nullo non tempore accidat; corpus noſtrum nobis continuo præſens eſt (§. 59.).

§. 63.

Abſens quid ſit a nobis.

Abſens dicitur, quod præſens non eſt. *Corpora* igitur *abſentia a nobis ſunt, quæ iſtiusmodi mutationem corpori noſtro inducere minime valent, a qua perceptio aliqua pendet (§. 59.)*, aut *quæ talem ad corpus noſtrum ſitum habent, ut a nobis percipi non poſſint, etiamſi accidentale obſtaculum nullum adſit (§. 60.).*

§. 64.

Abſentia in dato loco.

In dato loco abſens eſt, ſi intra terminos iſtos non conſiſtit, quibus locum iſtum definimus (§. 61. 63.).

§. 65.

Senſatio quid ſit.

Perceptiones, quarum ratio continetur in mutationibus, in organis corporis noſtri qua talibus contingentibus, dicuntur *Senſationes.* Definiri etiam poſſet *Senſatio*, quod ſit perceptio per mutationem, quæ fit in organo aliquo corporis noſtri qua tali, intelligibili modo explicabilis.

§. 66.

Organi ſenſorii deſcriptio.

Organum ſenſorium appellatur organum ſeu pars organica

ea corporis, in cujus mutationibus continentur rationes perceptionum rerum materialium in mundo adspectabili.

Ita organum sensorium est oculus: ex mutationibus enim, quæ eidem ab objectis externis inducuntur, per organicam ipsius structuram possibiles, intelligitur, cur jam hoc potius videamus objectum, quam aliud, & cur tale hoc appareat objectum.

§. 67.

Facultas sentiendi, sive *Sensus* est facultas percipiendi objecta externa mutationem organis sensoriis qua talibus inducentia, convenienter mutationi in organo factæ. Sensus definitio.

Facile perspiciunt attentiores, cur addamus restrictionem. Possunt accidere organo sensorio a causis extrinsecis mutationes, quæ a structura organica minime pendent, veluti si oculo vulnus infligitur, vel si idem contunditur. Neque enim vulnus vel contusio est mutatio, quæ oculo vi structuræ suæ organicæ, seu quatenus est organon ad videndum aptum, accidit. Ceterum hic sensum concipimus, quatenus in anima est, quemadmodum & sensationem (§. 65.).

§. 68.

Quoniam quinque dantur in corpore humano organa, quorum qua talium mutationibus suæ in anima perceptiones respondent, quemadmodum unusquisque in se experitur, *sensus* quoque *quinque numerantur*, scilicet *visus*, *auditus*, *olfactus*, *gustus*, *tactus*. Sensuum numerus.

Scilicet aut corpora alia nostrum immediate contingunt, aut mediate. Si immediatus est contactus, tactui locus est. Quodsi corpus immediate nostrum tangere nequit, aut in ipsum agit, mediante lumine, aut mediante sono, aut mediantibus effluviis, aut mediantibus quibusdam corpusculis, quæ ejusdem massæ permixta sunt. In primo casu visui, in secundo auditui, in tertio odoratui, in quarto gustui locus est.

§. 69.

Facultas videndi, sive *Visus* est facultas percipiendi objecta, convenienter mutationi vi luminis in oculo factæ. Visus quid sit.

§. 70.

Auditus quid sit.

Facultas audiendi, sive *Auditus* est facultas percipiendi sonum, convenienter mutationi per eundem in aure factæ.

§. 71.

Odoratus quid sit.

Facultas olfaciendi, sive *Olfactus* est facultas percipiendi odores rerum, convenienter mutationi, vi effluviorum a corporibus odoriferis exhalatorum in naribus factæ.

§. 72.

Gustus quid sit.

Facultas gustandi, sive *Gustus* est facultas percipiendi sapores, convenienter mutationi, quam objecta sapida dentibus comminuta in lingua producunt.

§. 73.

Tactus quid sit.

Facultas tangendi, sive *Tactus* est facultas percipiendi qualitates & quantitatem corporum, convenienter mutationi, quam per contactum corporis nostri in eodem producunt.

Istiusmodi qualitates sunt asperitas, lævitas, durities, mollities, gravitas.

§. 74.

Sensatio quænam fortior.

Sensatio una *fortior* dicitur altera, quæ majorem claritatis gradum habet, seu cujus nobis magis conscii sumus quam alterius. Idem intellige de perceptione quacunque.

E. gr. Major est claritas in perceptione luminis solaris, quam lunaris, eademque in priori casu sensatio fortior, quam in posteriori.

§. 75.

Sensatio quænam debilior.

Sensatio una *debilior* est altera, quæ minorem claritatis gradum habet, seu cujus nobis minus conscii sumus quam alterius. Idem intelligitur de perceptione quacunque.

§. 76.

Obscuratio sensationis unius per alteram.

Sensatio fortior obscurat debiliorem, ita ut subinde debiliorem prorsus non appercipiamus. Lumen Solis atque Lunæ quando simul percipimus, Luna instar tenuis cujusdam nubeculæ pallet (§. 74 sq.). Similiter lumen stellarum noctu satis clare percipitur,

pitur, ast interdiu lumine solari vel luce diurna oculos occupante adeo obscure percipitur, ut ejus nobis prorsus non simus conscii, consequenter omnis cesset apperceptio (§. 25.). Idem obtinet in sensationibus aliis.

Magnum principium experientiæ est propositio præsens, quam ideo ad majorem universalitatis gradum evehemus. Usus in moralibus amplissimus est. In arte quoque inveniendi non postremum sibi locum vindicat. In Physicis patebit ratio a priori, quatenus sensationes per mutationes in organis sensoriis sunt explicabiles.

§. 77.

Objectum sensibile, vel etiam *Sensibile* simpliciter dicitur, quod sensu percipi potest, seu, quod in organo sensorio aliquo efficere potest mutationem, per quam eidem in mente respondens perceptio explicari potest (§. 67.). Unde porro liquet, quid in specie dicatur *visibile*, *audibile*, *odorabile*, *gustabile*, *tactile*. Sensibilis definitio.

§. 78.

Anima in sensationibus suis nihil immutare potest, nec unam alteri pro arbitrio substituere valet, dum objectum sensibile in organum sensorium agit (§. 65. Psychol. 118. 189. 290. Ontol.). Forma perceptionum ab arbitrio animæ independens.

Idem etiam patet a posteriori.

Ceterum propositio hæc suum habet in praxi morali usum. Etenim cum actiones nostras secundum rationem dirigere jubeamur, obstacula nobis objiciunt sensus. Quamobrem impedimenta ista remoturi probe nosse debemus, quantum sensationes ab arbitrio nostro pendeant, & quousque anima nullam prorsus in easdem potestatem habeat. In præsente igitur propositione docemus, quod forma sensationum sit ab arbitrio animæ prorsus independens, nec eidem competat potestas in ea quidpiam immutandi.

§. 79.

Si objectum sensibile in organum sensorium rite constitutum agit; necessario sentimus, seu in animæ potestate positum non est, utrum velit sentire, nec ne. Id patet unicuivis ad obviam quovis momento experientiam attendenti. Coëxistentiæ mutationum in organo & sensationum necessitas.

Idem

Idem tamen a priori quoque oſtenditur ex §. 65. *Pſychol.* & 298. *Ont.*

Qualis ſit iſta coëxiſtentiæ mutationum in organo ſenſorio & perceptionum in anima neceſſitas, an abſoluta, an hypothetica, in præſenti definiri minime poteſt. Quæſtio altioris indaginis eſt, utpote a commercio inter mentem & corpus intercedente tota pendens. Parum autem refert reſpectu libertatis animæ, utrum abſoluta ſit, an hypothetica: id quod ex inferioribus patebit, ubi in notionem libertatis inquiſiverimus. Abſonum igitur eſt ex neceſſitate coëxiſtentiæ mutationum in organo & perceptionum in mente exſculpere fatalem neceſſitatem libertati interitum minaturam, cum libertas ſalva ſit, ſi vel maxime neceſſitas illa ſit abſoluta.

§. 80.

Modus primus impediendi ſenſationem.

Si organum ſenſorium ab objecto avertimus, ſenſatio impeditur (§. 65. *Pſychol.* 70. 726. *Ont.*).

A poſteriori obvia experientia idem innoteſcit.

§. 81.

Modus alter impediendi ſenſationem.

Si actio objecti ſenſibilis in organum ſenſorium quocunque modo impeditur; in anima quoque ſenſatio impeditur (*§. 56. 886. 898. 726. Ont. 65. Pſych. 70. Ont.*).

A poſteriori idem adeo obvium eſt, ut notio propoſitioni præſenti reſpondens inter communes referri mereatur. E. c. Si oculos claudimus; aures & nares obturemus.

§. 82.

Modus debilitandi ſenſationem.

Si ſenſationem ea, quam habemus, fortiorem in nobis excitamus; hanc ægre, immo prorſus non appercipimus (§. 76.).

Principium hoc maximi momenti eſt in mente a ſenſu abducenda, qui eidem periculoſus. Confirmatur a poſteriori.

§. 83.

Regulæ perceptionum & ſenſationum quænam dicantur.

Regulæ perceptionum dicuntur, quas anima obſervat in percipiendo, ſeu juxta quas perceptiones ipſius explicari poſſunt. Unde in ſpecie *Regulæ ſenſationum* ſunt, juxta quas ſenſationes in anima explicari poſſunt.

Exem-

Exempla regularum sensationum sunt propositiones proxime praecedentes (§. 78. & seqq.).

§. 84.

Leges perceptionum sunt principia generalia regularum perceptionum. Et hinc in specie *Lex sensationum* dicitur principium generale regularum sensationum. **Leges perceptionum & sensationum.**

Denominatio fit ad imitationem regularum & legum motus (§. 302. 303. *Cosm.*). Nostrum vero inprimis est in Psychologia empirica stabilire leges & regulas inde pendentes generales perceptionum ac cogitationum, quod iis utamur in moralibus ad regimen actionum liberarum rite instituendum. Quemadmodum enim in philosophia naturali absque regulis motus explicari nequit, quomodo corpora pro arbitrio nostro movere valeamus; ita quoque in philosophia practica absque regulis perceptionum doceri non potest, quomodo actiones nostras liberas pro arbitratu nostro dirigamus.

§. 85.

Lex sensationum haec est propositio: Si in organo aliquo sensorio ab objecto aliquo sensibili quaedam producitur mutatio; in mente eidem coëxistit sensatio per illam intelligibili modo explicabilis, seu rationem sufficientem, cur sit & cur talis sit, in illa agnoscens. Veritas propositionis abunde patet ex antecedentibus. **Lex sensationum.**

§. 86.

Si mutatio in eodem organo sensorio eadem est; sensatio quoque in anima eadem esse debet (*§. 85. Psych. 189. Ont.*). **Identitatis perceptionis ratio.**

Usum amplissimum hujus principii loquitur Optica, cum per immediatam consequentiam inde fluant principia visionis generalia phaenomenis visus demonstrandis inservientia, veluti quod duo objecta videantur ejusdem magnitudinis, si imagines in oculo eandem magnitudinem habent, consequenter si sub eodem angulo videntur. Non minus autem ad alias quoque sensationes applicari potest.

§. 87.

Quodsi ergo *contingat a diversis objectis sensibilibus eandem* **Diversa quando sensui ea-**

dem apparere debeant. *dem in eodem organo sensorio produci mutationem; eadem apparere debent* (§. 86. 65. 24.).

Hoc principium continet rationem generalem, cur sensus subinde diversa repræsentet tanquam eadem, adeoque fallat, seu apparere quid faciat, quod non est. In omni Optica plurima occurrunt exempla, quæ sub hac lege continentur: est enim fons plurium deceptionum opticarum.

§. 88.

Diversitatis sensationis ratio. *Si mutatio in organo sensorio eodem diversa est, sensatio quoque in anima diversa est* (§. 65. *Psychol.* 56. 181. 183. *Ont.*).

Hoc confirmatur experientia. Etenim si beneficio speculorum vel vitrorum politorum efficiamus, ut alia objecti in oculo delineetur imago, quam delineari solet, ubi nudo oculo idem contuemur; objectum quoque aliter videri manifestum est.

§. 89.

Idem quando appareat diversum. *Quodsi* ergo *contingat, idem objectum diversam efficere mutationem in eodem organo; diversum quoque apparere debet* (§. 88. 65. 24.).

Hoc principium continet rationem generalem, cur sensus subinde idem repræsentet tanquam diversum, adeoque fallat, seu apparere quid faciat, quod non est. In Optica plurima occurrunt exempla specialia, cum propositio præsens sit fons alter deceptionum opticarum. Sensus enim fallit, tum quatenus diversa tanquam eadem, tum quatenus eadem tanquam diversa repræsentat.

§. 90.

Ideæ mutationibus organorum sensoriorum respondentes. *Unicuique mutationi in organo possibili sensatio quædam & idea peculiaris in anima respondet* (§. 85. 86. 87. 88. 89. 65. 24. 48.).

CAPUT

CAPUT III.

DE IMAGINATIONE.

§. 91.

Objectorum sensibilium absentium ideas mens reproducere valet, seu, quod perinde est, *Si qua sensu percipit anima, eorum perceptiones reproducere potest, objectis licet absentibus.* Obvia experientia idem confirmatur, cum nullum sit momentum, quo juxta ea, quæ sensu percipimus, non simul absentia nobis repræsentemus. **Reproductio idearum objectorum sensibilium.**

§. 92.

Facultas producendi perceptiones rerum sensibilium absentium *Facultas imaginandi* seu *Imaginatio* appellatur. Quoniam itaque anima rerum absentium ideas reproducere valet (§. 91.); *Animæ competit facultas imaginandi, sive Imaginatio.* **Imaginationis definitio.**

§. 93.

Ideam ab imaginatione productam *Phantasma* dicimus. **Phantasmatis definitio.**

§. 94.

Si quid sensu distincte percipimus, id facilius & clarius nobis imaginamur, quam quod confuse percipimus: immo si quid imaginamur, id minus clare imaginamur, quam si idem sensu percipitur. **Quænam facilius imaginemur.**

Utrum quid facile, an difficile imaginemur, id nobis innotescit, quatenus nobis conscii sumus conatus, quem ad imaginandum aliquid adhibemus. In exemplo phantasmatis solaris apparet, quod figura & magnitudo veluti vocata statim se sistat; ast ubi lumen imaginari conamur, conatum successu frustraneo repetitum appercipimus, ut adeo hinc impotentiæ positivam notionem consequamur.

§. 95.

Quaenam ideae sensuales dicantur.

Ideas sensuales appello, quæ vi sensationis in anima existunt, seu, quæ in anima actu insunt, quod jam ista in organo sensorio mutatio accidit. Dici etiam potest, quod sint eæ, quæ a sensu in anima producuntur.

E. gr. Dum solem intuemur, idea solis, vi cujus nobis ejusdem sumus conscii, a visu pendet, atque ideo in nobis existit, quia radii a sole in oculum illapsi organo visus mutationem quandam inducunt; dicitur itaque idea ista sensualis.

§. 96.

Differentia phantasmatum & idearum sensualium.

Phantasmata minus clara sunt ideis sensualibus. Si quid enim sensu confuse percipitur, id claritati minime obstat (§. 39.), exemplo luminis atque colorum: si vero idem imaginamur, id minus clare imaginamur, quam si idem sensu percipitur (§. 94.). Quare cum objectis sensibilibus semper insint confuse percipienda, veluti visibilibus colores; si quod objectum sensibile imaginamur, minus claritatis adesse debet, quam si idem sensu percipimus. Jam vide §. 95. 93.

Exemplo est idea sensualis solis & phantasma ejusdem, quas duas perceptiones gradu claritatis a se invicem differre nemo non in seipso experitur.

§. 97.

Modus distinguendi phantasmata ab ideis sensualibus.

Quoniam phantasmata & ideæ sensuales gradu claritatis a se invicem differunt (§. 96.), per eandem a se invicem distingui possunt, consequenter *Si phantasmata & ideæ sensuales in anima coexistunt, illa ab his distinguimus.*

§. 98.

Actuum imaginationis & sensationum debiliorum æquipollentia.

Actus imaginationis æquipollent sensationibus debilioribus (§. 75. 96.).

Confirmatur idem experientia. Etenim si nocturnis tenebris ingruentibus equitem ex intervallo videmus; ideæ sensuales non majorem, immo sæpius minorem claritatis gradum habent, quam si eundem imaginamur.

§. 99.

§. 99.

Sensationes obscurant actus imaginationis, ita ut hos subinde prorsus non appercipiamus (§. 98. 76.). Obscuratio imaginationis per sensus.

§. 100.

Sensationes debiliores clariores fiunt, absentibus fortioribus. Obvia idem confirmatur experientia. Si luna nocturno tempore fulget, objecta ejus lumine collustrata resplendent, & ipsum lumen Lunæ multo clarius percipitur, quam interdiu, dum instar nubeculæ pallet (§. 74 sq.). Sensationes debiliores quando fiant clariores.

Nimirum cessat jam obscurationis causa (§. 76.), adeoque debilior non obscuratur. Retinet igitur suam, quam habet, claritatem.

§. 101.

Si actus imaginationis soli sunt, clariores sunt, quam sensationibus coëxistentes (§. 98. 100.). Actus imaginationis quando clariores.

In somnio cessant sensationes & soli actus imaginationis in anima dantur. Tum vero posteriores utique clariores sunt, quam dum vigilamus, cum phantasmata pro ideis sensualibus habeamus, existimantes nos vigilare, cum dormimus, & in rei veritatate contingere, quod tantummodo apparet.

§. 102.

E. *Actus imaginationis clariores sunt in tenebris & quando oculos claudimus, aliisque objectis absentibus, quæ cetera organa sensoria feriunt* (§. 101.). Casus speciales.

§. 103.

Visibilia objecta, itemque verba facilius & clarius imaginamur, quam sonos inarticulatos, odores, sapores & qualitates tactiles, seu, quæ tactu solo percipiuntur. In objectis enim visibilibus multa insunt, quæ distincte percipimus, veluti figuræ & magnitudines, situs atque motus. In verbis singulas syllabas a se invicem distinguimus tanquam sigillatim enunciabiles, adeoque eadem distincte percipimus (§. 38.). Enimvero in sonis inarticultatis, odoribus, saporibus & qualitatibus tactilibus, seu iis, quæ solo tactu percipiuntur, plura sigillatim enunciabilia distinguere non licet, adeoque eadem tantummodo confuse per- Quænam sensibilia ceteris clarius imaginemur.

cipimus (§. 39.). Enimvero si quid sensu distincte percipimus, id facilius & clarius nobis imaginamur, quam quod confuse percipimus (§. 94.). Ergo.

Veritas propositionis præsentis obvia admodum experientia confirmatur, ut eam nemo in dubium vocare possit, quoniam experimentum statim in se capere potest, quamprimum dubitatio animum invadit.

§. 104.

Quænam actu imaginemur.

Si quæ simul percepimus & unius perceptio denuo producatur, sive sensuum, sive imaginationis vi; imaginatio producit & perceptionem alterius, seu, quod perinde est, *perceptio præterita integra recurrit, cujus præsens continet partem.* Patet id a posteriori, si in quocunque casu singulari comparemus ideam sensualem præsentem cum phantasmate, quod actu imaginationis præsens sistitur.

Propositio præsens maximæ utilitatis est in serie perceptionum explicanda: id quod non modo in moralibus, verum etiam in Logica & Psychologia indispensabilis necessitatis est.

§. 105.

Idem porro expenditur.

Si quod nunc percipitur specie vel genere idem est cum eo, quod alias una cum aliis perceptum fuerat, imaginatio etiam horum perceptionem producere debet (§. 233 sq. 195. Ont. 104. Psych.).

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus enim nos in convivio simul vidisse hospites & vitra vino plena. Quodsi domi die sequente oculos in vitra convertis, quibus vinum infundi solet; extemplo tibi occurrit phantasma hospitum ac vitrorum vino plenorum rerumque ceterarum in convivio præsentium. Vitra vero, quæ domi conspicis, specie saltem eadem sunt cum vitris, quæ videras in convivio. Ergo.

§. 106.

Phantasmatis cum sensatione nexus.

Sine prævia sensatione nullum in anima phantasma oriri potest (§. 85. Psych. 70. Ont.).

Nullum quoque allegare licet exemplum phantasmatis absque prævia sensatione in anima exorti, modo attentione atque acumine sufficiente utaris.

§. 701.

§. 107.

Si imaginatio reproducere debet perceptiones aliarum rerum antea simul perceptarum cum ea, quam nunc percipimus; res istæ vel sæpius, vel diu simul percipiantur necesse est (§. 70. Ont. 104 sq. Psych.). Quænam perceptiones ab imaginatione producantur.

Idem patet a posteriori.

§. 108.

Quoniam res percipiuntur tum sensu, tum imaginatione (§. 67. 92.), *facilitas reproducendi perceptiones rerum antea perceptarum cum iis, quæ nunc percipiuntur, acquiritur, sive res sæpius ac diu sensu, sive imaginatione simul percipiantur.* Modus acquirendi facilitatem reproducendi perceptiones.

§. 109.

Si res plures simul percipiuntur, & mentis acies in unam earum intenditur; imaginatio reproducit perceptionem rerum cum hac antea simul perceptarum. Tunc enim hujus tibi magis conscius es, quam ceterarum, & in ea quid distinguis, quod tibi tanquam in ea repræsentas. Quare cum aliqua adesse debeat ratio, cur imaginationi potius occurrat perceptio rerum cum hac, quam alia in perceptione præsente contenta simul perceptarum (§. 70. *Ontol.*), talis vero quidem adsit in eo casu, quo imaginatio producit perceptionem rerum antea simul cum ea perceptarum, in quam mentis aciem intendis, nulla vero adsit in altero casu, quo produceret perceptionem rerum antea simul cum una ceterarum conjunctarum, in quam mentis aciem minime intendis; si res plures simul percipiuntur & mentis acies in unam earum intenditur, imaginatio reproducit perceptionem rerum cum hac antea simul perceptarum. Quomodo perceptiones producendæ a præsente pendeant.

Idem etiam a posteriori confirmatur.

§. 110.

Si mentis aciem continuo in id intendis, quod phantasma cum perceptione, ex qua nascitur, commune habet; successio phantasmatum in eodem genere vel eadem specie entium continuatur (§. 104. 93. 48. Psych. 195. 233 sq. Ont.): si vero in phantasmate ad alia eandem dirigis, successio phantasmatum in alio genere, vel alia specie entium continuatur (§. 109.). Phantasmatum successio qualis.

Idem etiam a posteriori ostenditur.

Casus

Casus posterior frequentior est priori, & prior quidem magis pendet ab arbitrio nostro, si existere debet.

§. 111.

Phantasmata actionum præteritarum unde nascantur, & quænam ex iis nascantur alia.

Si vi imaginationis producitur phantasma alicujus loci, ex eo porro enascitur phantasma actionum a nobis, vel aliis in isto loco perpetratarum, & ex his porro phantasma aliarum rerum olim post ipsas perceptarum (§. 104.).

Idem probatur a posteriori.

§. 112.

Phantasma ex actione præmeditata veniens.

Si in mentem venit phantasma actionis præmeditatæ; ex eo oritur phantasma loci, in quo eam præmeditatus es, una cum rebus ibi præsentibus, quando de eadem meditatus, vel etiam ibidem alias sæpe visis (§. 104. 108.).

§. 113.

Nexus perceptionum causæ.

Si res plures sæpius vel diu simul percipiantur, perceptiones earum inter se connectuntur. Etenim sic anima facilitatem acquirit ex perceptione unius reproducendi perceptionem alterius (§. 108.). Quoniam vero ex perceptione una intelligitur, cur reproducatur altera; in perceptione una continetur ratio alterius, nimirum ex eo, quod sæpius vel diu simul perceptæ fuerint, cur anima perceptionem alteram reproducat, & in eo, quod commune habent duæ perceptiones, cur hanc reproducat, ratio continetur (§. 56. *Ontol.*). Perceptiones igitur earum rerum inter se connectuntur (§. 10. *Cosmol.*).

§. 114.

Nexus perceptionum a nexu rerum, quæ percipiuntur, independens.

Quoniam perceptiones rerum, quarum una ex altera producenda est, ideo connectuntur, quod res sæpius, vel diu simul fuerint perceptæ (§. 108. 113.); non vero ex eo intelligitur, cur res perceptæ vel simul existant, vel se invicem sequantur, consequenter in re una non continetur ratio coëxistentiæ, vel successionis alterius (§. 56. *Ontol.*); *res ideo inter se non connectuntur, quia perceptiones earum in anima connectuntur (§. 10. Cosmol.).*

E. gr. Si hominem quendam aliquamdiu in templo vidisti; perceptio hominis cum perceptione templi connectitur. Enimvero ex perce-

perceptione hominis non intelligis, cur ſit etiam templum; neque etiam ex perceptione templi intelligis, cur ſit etiam homo. Templum igitur & homo in exiſtentia ſua a ſe invicem minime pendent. Nullus adeo intercedit nexus inter templum & hominem, qui in id intravit, utut inter perceptiones templi ac hominis nexus intercedat.

§. 115.

Regulæ imaginandi, *vel imaginationis*, item *Phantaſmatum* dicuntur, per quas phantaſmata explicari poſſunt, ſeu, quas anima in imaginando obſervat, aut, quod perinde eſt, juxta quas phantasmata oriuntur. Regulæ imaginationis quænam dicantur.

Regularum phantaſmatum ſeu imaginandi exempla habes in præcedentibus (§. 105. & ſeqq.).

§. 116.

Lex imaginationis, ſive *Phantaſmatum* dicitur principium generale regularum phantaſmatum. Vid. §. 84. Lex imaginationis quænam dicatur.

§. 117.

Lex imaginationis ſive Phantaſmatum hæc eſt propoſitio: Si qua ſemel percepimus & unius perceptio denuo producatur; imaginatio producit & perceptionem alterius (§. 104 ſqq. 116.). Lex imaginationis.

§. 118.

Sæpius ſenſationes omnes & phantaſmata omnia ſimul prorſus ceſſare videntur, ut nihil prorſus appercipiamus. Abſentia ſenſationum & phantaſmatum.

§. 119.

Si ſenſationes omnes claræ ceſſant, nec ullius, quod præſens eſt, nobis conſcii ſumus, *dormire* dicimur. Et ſtatus iſte mentis, quo omnes ſenſationes claræ prorſus ceſſant, ſeu, quo nihil eorum, quæ præſentia nobis ſunt, nobis conſcii ſumus, *Somnus* appellatur. Dicitur autem *Somnus profundior*, quando cum ſenſationibus claris una phantasmata clara ceſſant, ita ut nihil prorſus appercipiamus. Et quando redeunt ſenſationes claræ, *evigilare* dicimur. Dormire & evigilare quando dicamur.

§. 120.

Interdum res abſentes clare percipimus, perceptionibus Quando ſomniemus.

aliis per tractum aliquem temporis aliis succedentibus, donec vel evigilemus, vel profundiori somno immergamur.

§. 121.

Somniare quando dicamur.

Si per tractum aliquem temporis nonnisi res absentes percipientes, nullius præsentis nobis conscii sumus, seu, quando res in somno appercipimus, *Somniare* dicimur. Et status iste mentis, quo nonnisi res absentes clare percipimus, seu earum nobis conscii sumus, *Somnium* appellatur.

Somnium hic accipitur subjective, quatenus modificationem quandam animæ denotat: sumi vero etiam solet objective, quatenus est rerum sibi mutuo succedentium repræsentatio. Sed nos significatui priori strictius inhærebimus.

§. 122.

Somnium imaginationis opus.

Dum somniamus, res, quas percipimus, imaginamur. (*§. 121. 92.*).

Principium hoc fœcundissimum est: fungitur enim vice notionis directricis, quando de somniis meditandum.

§. 123.

Somnii ratio.

Omne somnium initium capit a sensatione (§. 122. 93. 106.) & per phantasmatum successionem continuatur (§. 122. 93.).

Posterius nemo in dubium vocat. Quando enim evigilamus, nihil ejus præsens fuisse, quod per somnium nobis repræsentavimus, abunde convincimur. Sensationem vero aliquam somnio initium præbere non cuilibet manifestum est. Quamvis autem a priori satis evidenter pateat, a posteriori tamen ut confirmetur consultum est. Etsi enim difficile sit sensationem istam, quæ somnio ortum largitur, a phantasmatis distinguere ob rationem non unam; non tamen prorsus impossibile est, modo initii somnii recorderis & ad statum corporis tui respicias. Subinde accidit, ut sensatio debilior, quæ somnio inchoando sufficit, durante somnio fiat fortior, ut idem finiat, veluti si tormina ventris dormiens percipere incipis, tumque somnii rationem perpendens facile initii causam animadvertis. Dantur casus alii, in quibus idem eadem facilitate contingit, veluti cum a siti somnium ortum trahit, quam eodem finito evigilans adhuc percipis.

§. 124.

§. 124.

Si interea temporis, dum somniamus, novam quandam sensationem non appercipimus, vel in eam mentis aciem non dirigimus; successio phantasmatum in eadem serie continuatur (§. 123. 104. 109. 113). Quodsi vero sensationem quandam interea appercipimus & in eam mentis aciem dirigimus; somnium in diversis phantasmatum seriebus continuatur (§. 109). Somniorum diversitas.

Propositio præsens est principium generale, per quod somnia explicari possunt, modo non ignores, quæ in applicanda ea præsupponuntur. Non immerito itaque lex somniorum dici poterat, quemadmodum legem sensationum appellamus, per quam sensationes sunt explicabiles, & legem phantasmatum, per quam phantasmata explicanda veniunt.

§. 125.

Somnium simplex dicemus, quod in eadem serie phantasmatum continuatur. *Somnium* vero *compositum* appellabimus, quod in diversis seriebus phansmatum continuatur. Somnii simplicis & compositi differentia.

§. 126.

Sensationes, a quibus somnium initium sumit & quæ phantasmatis in eodem interdum interponuntur, debiles sunt. Etenim sensationes, a quibus somnium initium capit (§. 123.) & quæ phantasmatis in eodem subinde interponuntur (§. 124.), a phantasmatis non distinguuntur, ita ut vulgo ignoretur, quod adsint. Quare cum alias phantasmata ab ideis sensualibus gradu claritatis distinguantur, quo a se invicem differunt (§. 97.); in præsenti casu gradu claritatis differre minime debent, adeoque actioni imaginationis æquipollent. Enimvero actibus imaginationis non æquipollent nisi sensationes debiles (§. 98.). Sensationes somnium ingredientes quales.

§. 127.

In somnio res absentes nobis videntur præsentes (§. 123 sq. 126. 75. 97. 93. 95. 92. 65. 48.). Cur in somnio præsentia nobis videantur, quæ non sunt.

§. 128.

In somnio mutationes, quas phantasmata referunt, contingunt absque ratione sufficiente (§. 493. not. Ont.). Idem patet ex §. 122. 117. *Psych.* & §. 56. *Ont.* Somnium quale sit.

§. 129.

Diversitas somniorum ab eadem sensatione ortorum.

Si in duabus personis somnium initium capit ab eadem sensatione debili, somnia tamen diversa sunt. Etenim somnium in utraque persona per phantasmatum successionem continuatur (§. 123.), consequenter phantasma primum ideo succedit in locum sensationis debilis, vel eidem superaccedit, quod res, quam ipsum repræsentat, simul fuerit percepta cum re altera, quam exhibet sensatio debilis. Enimvero quoniam res illæ simul perceptæ non sunt prorsus eædem in utroque subjecto, id quod obvia experientia manifestum est; nec phantasmata, quæ easdem referunt, prorsus eadem esse possunt. Quare cum idem valeat de phantasmatis, quæ prioribus succedunt; phantasmata prioribus succedentia multo magis diversa esse debent.

Ponamus in duabus personis dormientibus fragorem tormenti explosi excitare sensationem debilem. Ponamus in utraque eam adhuc superesse perceptioni claritatem, ut fragorem tormenti agnoscat. Ponamus tertio unam personam fragorem tormenti sæpius percepisse, dum in festivitatibus solennibus cives ac milites in foro catervatim congregati bombardas exploderent. Recurret igitur phantasma fori cum militibus & civibus ibidem cum bombardis congregatis. Quodsi jam in locum quendam fori particularem mentis aciem dirigis, ubi poma aliosque fructus arborum vendi frequentissime vidisti: civium cum bambardis ibidem constitutorum in locum succedunt mulieres poma vendentes & currus pomis onusti una cum plebis multitudine, qualem adesse vidisti, cum poma venderentur. In poma, qualia in horto aliquo, ad urbem procul dissitam sito comedisti, respiciens te mox in horto illo deambulantem conspicis cum persona, cum qua in eodem deambulasti sæpius. Et quia cum eadem persona sæpius una fuisti in templo, te in templo congregata multitudine sedentem conspicis. Quoniam vero ibidem ingentem vidisti multitudinem, quoties tubarum & tympanorum strepitus personuit; in frequentiam hominum mentis aciem dirigens hic quoque in mentem venit phantasma, quod te præsentem sistit in templo monachorum disputantium, quorum solennitatem augent tubarum & tympanorum sonitus. Enimvero ponamus jam personam alteram fragorem tormenti percepisse in adventu solenni Principis alicujus: mox imaginatio eidem suggeret multitudinem confluentem, qualem

qualem cum sæpius viderit maleficis ad supplicium ductis, recurret ipsi latronis phantasma, qui cruce prælata duobus Ecclesiæ ministris comitibus in curiam ducitur ibidem a scabinis condemnandus. In crucem intuens se videt in cœmeterio constitutum, in quo cruce prælata funus ducitur. In eadem cruce attentionem defigens videt se in templo, in quo imago Salvatoris cruci affixi erecta conspicitur. Ad suggestum respicienti recurrit phantasma templi, in quo aliquando verba e suggestu ad populum fecit, seque ad eundem ejusdem finis gratia contendentem percipit & ita porro. Vides itaque somnia, quæ ex eadem sensatione initium capiunt, esse prorsus diversa pro diversitate subjectorum. Immo si vel centum ponas personas, ex eadem tamen sensatione in singulis diversa ortum trahent somnia. Neque enim in una perceptiones rerum simultaneæ eodem modo sese habuerunt, quemadmodum in altera, neque in una eædem inter se connexæ sunt, quæ connectuntur in altera.

§. 130.

Diversorum phantasmatum ex eadem sensatione continuatio.

Quoniam etiam in vigilantibus ex sensationibus oriuntur phantasmata, & ex his porro alia (§. 104. & seqq.); eodem prorsus, quo ante (§. 129.), modo ostenditur, *si in diversis subjectis ex eadem sensatione continuantur phantasmata, seriem phantasmatum in uno non fore eandem, quæ est in altera.*

§. 131.

Diversitas phantasmatum ex eadem sensatione diverso tempore propagatorum.

In eodem subjecto diverso tempore ex eadem sensatione series phantasmatum diversæ ortum trahunt, sive vigilet, sive dormiat, si vel interea temporis facilitatem alterius phantasmatis vi illius sensationis reproducendi sibi contraxit, vel uno tempore aliud in sensatione respicit, quam altero. Etenim si interea temporis, quo phantasma aliquod ex perceptione quadam oriri solebat, facilitatem contraxisti phantasma aliud vi ejusdem sensationis producendi (§. 108.); ubi sensatio ista in posterum præsens fuerit, ex eadem posterius hoc phantasma oriri debere patet. Enimvero cum ex hoc phantasmate prodire debeant phantasmata rerum antea simul cum aliqua earum perceptarum, quas ipsum nobis tanquam præsentes exhibet (§. 104.), diversa autem phantasmata non easdem res exhibeant; ideo porro in hoc altero casu non eadem ex phantasmate primo oriri possunt

phantaſmata, quæ in priori oriuntur. Quare cum idem dicendum ſit de phantasmatis ulterioribus, evidens eſt, ſeriem phantaſmatum fore diverſam, ubi anima contraxit facilitatem phantaſma aliud ex ſenſatione data producendi, quam alias ex eadem oriri ſolebat.

Similiter ſi uno tempore in aliud, quod ſenſatio data repræſentat, mentis aciem dirigis, quam altero, vi imaginationis quoque uno tempore aliud producitur phantaſma, quam altero (§. 109.). Unde porro ut ante oſtenditur, ſeriem phantaſmatum uno tempore ex data ſenſatione ortum trahentium eſſe diverſam a ſerie phantasmatum alio tempore ex eadem hac ſenſatione propagatorum.

Quoniam utraque ratiocinatio ſubſiſtit, ſive te vigilantem ſupponas (§. 117.), ſive ſomnies (§. 122.); utrumque tam in ſomniis, quam quando vigilas, evenire debet.

§. 132.

Debilitatæ ſenſationis effectus.

Si diverſo tempore ſenſatio debilis, a qua ſomnium oritur, diverſæ fuerit debilitatis, quamvis alias eadem; eandem tamen rem tibi percipere non videris. Etenim ſi ſenſatio fuerit debilis, minorem claritatis gradum habet, quam alias habere ſolet, ubi debilitata minime fuerit (§. 75.), conſequenter pro diverſo debilitatis gradu diverſus quoque eſt claritatis gradus. Quare cum vi claritatis res perceptæ agnoſcantur (§. 31.), deficiente magis magisque claritate minus quoque agnoſcuntur & ab aliis perceptibilibus diſtinguuntur, conſequenter cum aliis confundis, quæ per debilitatam perceptionem repræſentantur. Quare cum perceptionis tibi conſcius ſis, quatenus clara eſt, eandem rem tibi percipere in quolibet debilitatis gradu non videris.

Propoſitionem præſentem experientia confirmare licet, ſi probe notes, quomodo ſenſus fallat, ſi in luce crepera contueris aliquod objectum, vel etiam idem e longinquo viſum obſcurius evadit.

§. 133.

Diverſitas phantaſmatum a diverſa

Quoniam imaginatio non producit niſi perceptionem rei antea ſimul perceptæ cum ea, quæ nunc percipitur (§. 104.); ſen-

ſenſatio autem, a qua phantaſma ortum trahit, pro diverſitate debilitatis non eandem rem exhibet (§. 132.); *phantaſma* quoque *diverſo tempore ex eadem ſenſatione debili diverſum oriri debet, ſi debilitas variat.* Unde porro oſtenditur, quemadmodum ſupra (§. 129.) *ex eadem ſenſatione debili diverſa ſomnia ortum trahere debere pro diverſo debilitatis gradu.* debilitate ſenſationis pendens.

§. 134.

Si phantaſmatum claritas ſucceſſive debilitetur, ſomnium tandem per ſomnum profundum extinguitur. Si continuo claritas debilitatur, nobis continuo minus ejusdem conſcii ſumus, quod repræſentant (§. 35.). Quamobrem cum claritas tandem omnis evaneſcere debeat, ita ut nihil prorſus appercipiamus, ſeu nihili prorſus nobis conſcii ſimus (§. 25.), ſomno profundo opprimimur (§. 119. add. §. 93. 121.). Quando ſomnium per ſomnum extinguatur.

§. 135.

Si evigilamus, ſomnium extinguitur (§. 119. 67. 60. 121.). Finis ſomniorum in evigilantibus.

§. 136.

Si actum imaginandi clare percipimus, ſed phantaſmata non multum claritatis habent, aut, ſi mavis, obſcura fuerint, quid ſomniemus, non agnoſcimus (§. 32. 93. 31. 121.). Somnia obſcura quando ſint.

Dari iſtiusmodi ſtatum animæ experientia obvia loquitur, nec quisquam illorum ignorat, quibus ſomnia ſunt frequentia.

§. 137.

Somnia igitur perinde ac perceptiones ſingulæ diſtinguenda veniunt in clara & obſcura. *Clarum* ſcilicet *ſomnium* eſt, quando agnoſcimus, quid ſomniemus: *obſcurum* vero *ſomnium* eſt, quando, quid ſomniemus, non ſatis agnoſcimus, etſi actus percipiendi nobis conſcii ſimus. Somniorum obſcurorum & clarorum differentia.

CAPUT

CAPUT IV.

DE

FACULTATE FINGENDI.

§. 138.

Phantasmatum divisio.

P*Artem entis compositi unam absque altera, subjectum item absque modo, non tamen absque attributo, imaginari possumus.* Quoniam in se non repugnat partem entis compositi unam absque ceteris sensu percipi; quæ autem sensu percipimus, ea etiam imaginari valemus (§. 91. 92.); partem etiam compositi unam absque altera imaginari possumus.

Quoniam modi inesse & non inesse possunt (§. 150. *Ont.*); ideo non repugnat, ut subjectum modo instructum, eodemque etiam destitutum sensu percipias. Quamobrem cum imaginari valeamus, quæ sensu percipimus (§. 91. 92.); subjectum quoque absque modo imaginari licet.

Denique quia attributa enti constanter insunt (§. 150. *Ont.*) ab eodem quippe inseparabilia (§. 304. *Ont.*); impossibile est, ut sine attributo sensibili unquam sensu percipias subjectum. Quamobrem cum imaginatio reproducat sensu perceptibilia (§. 91.); non minus impossibile est, subjectum aliquod imaginari absque attributo perceptibili.

Idem confirmatur a posteriori. Ternarius numerus angulorum est attributum trianguli. Quodsi triangulum imagineris, impossibile est ut idem absque tribus angulis tibi repræsentes.

§. 139.

Phantasmatum divisio quid dicatur.

Divisio phantasmatum est separatio perceptionum partialium a composita.

Ita phantasmata dividimus, dum perceptionem trunci a perceptione composita arboris separamus; dum florem cœruleum absque colore cœruleo imaginamur.

§. 140.

§. 140.

Phantasmata dividere valemus (§. 139. 38.). Ejus realitas evicta.

§. 141.

Perceptiones partiales diversorum entium compositorum pro arbitrio combinare valemus, subjecto quoque imaginatio tribuere potest modos in eo sensu nondum a nobis perceptos, perceptos tamen antea in aliis subjectis, modo eidem non repugnent, ut prodeat phantasma entis sensu antea nondum percepti. Perceptiones enim partiales diversorum entium compositorum repræsentant partes entium compositorum diversorum (§. 40.). Quare cum partem unam absque altera imaginari possumus (§. 138.), ut autem quædam simul imaginemur sufficiat ea simul sensu percepta fuisse (§. 104).; nil sane obstat, quominus partes diversorum entium compositorum simul imaginemur. Et quoniam in perceptione cujuslibet entis compositi idea nexus partium & continuitatis, indeque resultantis unitatis continetur, id quod unicuilibet ad eam, quæ ipsi primum obvia est, attendenti palam fit, consequenter idea nexus partium, continuitatis & unitatis recurrere nobis debet, quoties ens quoddam compositum imaginari conamur (§. 109.); quando partes diversorum entium compositorum tanquam in uno coëxistentes subjecto imaginari intendimus, ideæ nexus partium & continuitatis simul recurrere debent. His igitur ad ideas partium accedentibus, prodit idea composita (§. 40.), adeoque phantasma (§. 93.) entis compositi antea sensu nunquam percepti. Potentia perceptiones combinandi.

Idem confirmatur a posteriori. Trunco corporis humani imaginatio jungit caput cervinum, pedes equinos, geminata brachia humana cum manibus: id quod unusquisque, dum hæc legit, in semetipso experitur (§. 531. *Ont.*).

Quodsi modus aliquis, minimum genere idem, enti alicui non repugnat; possibile utique est, enti inexistere modum istiusmodi, minimum genere talem, v. gr. ens præditum esse colore aliquo (§. 85. *Ontol.*), consequenter ens istiusmodi modo instructum existere valet (§. 133. *Ontol.*). Quoniam igitur subjectum ipsum antea sensu percepimus, nec minus mo-

dum in altero subjecto ab eo diverso deprehendimus *per hypothes.* consequenter inexistentiæ istiusmodi in aliquo subjecto ideam habemus; dum subjecto imaginatio modum istiusmodi tribuere conatur, idea quoque inexistentiæ recurrit (§. 109.): qua ideis subjecti & modi sociata prodit phantasma subjecti modo quodam instructi, qualem antea in ipso sensu nondum percepisti.

Idem confirmatur a posteriori. Lilia ista, quæ natura candida producit, nunquam nisi candida vidimus. Hoc tamen non obstante imaginatio iisdem colorem luteum, cœruleum, viridem, rubrum, nigrum & alium quemcunque tribuere valet.

§. 142.

Phantasmatum compositio quid dicatur.

Compositio phantasmatum est combinatio perceptionum partialium ad constituendam unam compositam.

§. 143.

Realitas istius compositionis adstructa.

Phantasmata componere valemus (§. 141 sq.).

§. 144.

Facultas fingendi quid sit.

Facultas phantasmatum divisione ac compositione producendi phantasma rei sensu nunquam perceptæ dicitur *Facultas fingendi.*

Phantasmatum divisio ac compositio sunt operationes imaginationis (§. 139. 142.). Quare cum facultas fingendi non supponat nisi possibilitatem phantasmata dividendi & componendi; ejus exercitium operationibus imaginationis totum absolvitur, consequenter facultas fingendi ipsa facultate imaginandi continetur & quandam ejus veluti partem constituit.

§. 145.

Quod animæ competat.

Anima habet facultatem fingendi (§. 140. 143. 29. 139. 142. 144.). Idem patet ex §. 141. 139. 142. 144. atque a posteriori.

§. 146.

Entia ficta quando imaginatio producat.

Si ea componimus, quæ sibi mutuo repugnant, vel naturæ vi in eodem subjecto conjungi nequeunt, phantasma ens fictum re- præ-

præsentat. Vide §. 83. 132. *Ont.* 307. *Log.* 140. *Ont.* de compositione eorum, quæ sibi mutuo repugnant; & §. 507. 48. *Cosm.* 881. *Ont.* 97. *Cosm.* 307. *Log.* 140. *Ont.* de compositione eorum, quæ naturæ vi in eodem subjecto conjungi nequeunt.

Difficile subinde est demonstratu, utrum ea, quæ imaginatio conjungit, sibi mutuo repugnent, nec ne. Trunco humano jungimus caput cervinum, pedesque equinos: ecquis vero demonstret, vel in se repugnare, ut truncus humanus continuus sit capiti cervino & pedibus equinis, vel tale quid minimum vi naturæ existere non posse, etsi in se non impossibile per miraculum ut existat minime repugnet? Multus sane requireretur apparatus, antequam demonstrationem absolvere liceret, utut per se incautis manifestum videatur, ens istiusmodi naturæ viribus existere non posse, quod idem nec existere unquam viderimus, nec alibi existere, aut extitisse acceperimus. Accidit ex hac ratione, ut in numerum entium fictorum referamus, quicquid imaginatio antea nobis non visum producit, etsi nondum inquisiverimus, utrum vel absolute, vel in ordine ad præsentem seriem rerum contradictionem involvat.

§. 147.

Si imaginatio phantasma quoddam producit, quod repræsentat in numerum entium referendum non est, antequam demonstratum fuerit, id contradictionem non involvere (§. 79. 132. 134. *Ont.*), *nec in mundo hoc adspectabili existere posse sumendum, antequam evictum fuerit, causam ejus in serie rerum præsente contineri* (§. 97. 55. *Cosm.* 134. *Ont.*). Adde §. 146. *Psychol.*

Confusio entis ficti cum reali quomodo evitanda.

E. gr. Vidimus aves, vidimus pisces, Imaginationi nihil obstat, quo minus alas apponat pisci & sic producat phantasma piscis volantis. Enimvero piscis volans in numerum entium vel simpliciter, vel ad hunc mundum adspectabilem pertinentium referri nequit, antequam ostenderis, non repugnare ut piscis habeat alas, vel naturæ vi pisces volantes produci posse. Jam cum ex relatione illorum constet, qui per maria navigarunt, dari pisces volantes: phantasma piscis volantis si in genere consideretur, ens fictum equidem non refert: quatenus tamen ei, quem refert, pisci eas apponit alas, quas phantasma exprimit, in numerum entium verorum ideo nondum referri potest piscis ille volans, quem tibi imaginaris. Videmus itaque, quam parum sit fidendum

dum imaginationi, & quam caute sit procedendum, ne nobis ab eadem imponi patiamur.

§. 148.

Ars phantasmatum repræsentatrix.

Si imaginatio per arbitrariam compositionem phantasma quoddam producit; ars objectum eidem simile producere valet. Tunc enim imaginatio perceptiones partiales ad constituendam unam compositam combinat pro arbitrio (§. 142.). Quare cum perceptiones istæ partiales repræsentent res corporeas antea sensu perceptas (§. 91.); minime repugnat materiæ istiusmodi induci figuras, quales eædem habeant (§. 88. *Ontol.*). Quoniam præterea partes ita figuratæ continuum exhibeat in phantasmate *per hypoth.* nec impossibile est, ut partes ita figuratæ sibi mutuo fiant continuæ. Nihil igitur obstat, quo minus materiæ figuræ inducantur istiusmodi in superficie continua, consequenter ars objectum phantasmati simile producere valet (§. 195. *Ontol.*).

Idem etiam confirmatur a posteriori.

Nimirum quæ imaginatio in objecto clare repræsentat, ea non repugnant materiæ, sed eidem inesse possunt. Quamobrem nil obstat, quo minus arte materiæ talia inducantur. Enimvero si deinde tacite superaddit, quæ vi naturæ existere nequeunt, non dantur causæ naturales, quæ ex materia existente ens istiusmodi producere valent. Atque ita ens illud, quod phantasma repræsentat, ex classe rerum naturalium exulat. Ita si caput cervinum jungimus corpori humano, minime repugnat, ut utraque figura eidem ligno, vel lapidi inducatur, vel diversis lignis aut lapidis frustis inductæ figuræ eo modo jungantur, quo continuitatem mentiantur, cum sola superficies externa, qua terminatur materia, & color eidem illitus in sensum & imaginationem incurrat. Enimvero si tacite superaddimus, caput cervinum structuram habere debere internam, qualem in natura rerum habet, & similiter trunco corporis humani eam tribuimus structuram internam, quam nostrum habet; illæ structuræ internæ naturæ vi coëxistere nequeunt in eodem subjecto. Quodsi ex anatomia cervi & corporis humani structura interna satis perspecta foret omnisque ratio in utraque pateret; ostendi forsan poterat, cur repugnet trunco corporis humani adhærere caput cervinum: aut, si concedamus, non simpliciter repugnare,

repugnare, ut corpus humanum vivum instructum sit capite cervino; nullas tamen dari in natura rerum causas istiusmodi entis productrices monstrari poterat, siquidem causarum naturalium series nobis sufficienter foret perspecta. Cavendum igitur, ne phantasmati judicando tacite superaddamus, quæ in eodem non continentur, quatenus idem simpliciter apprehendimus. Ita imaginatio repræsentare potest in phantasmate motum capitis cervini trunco humano cohærentis: neque hoc repugnat simpliciter, cum idem quoque reipsa afficere liceat, si caput cervinum arte effictum imponatur trunco corporis hominis viventis, ut caput ejus intra ipsum abscondatur. Enimvero si tacite superaddimus, motum fieri a principio capiti cervino interno eodem modo, quo in natura rerum cervum caput suum movere observamus; subreptionis quodam vitio phantasmati ingerimus, quod in eodem non continetur.

§. 149.

Quoniam partes ædificii diversæ pro arbitrio a nobis fieri possunt; *imaginatio ex iis, quæ in pluribus ædificiis diversis vidit, ideam novi ædificii componere valet. Idem* eodem modo *fit in aliis operibus artis.* Ars inveniendi architectorum aliorumque artificum.

Nititur hoc principio ars inveniendi architectorum communis, qua & utuntur artifices alii. Obtinet idem in arte pictoria, sculptoria & re hortensi, aut, si mavis, architectura hortensi.

§. 150.

Si architectus ex iis, quæ in pluribus ædificiis diversis vidit, ideam ædificii componit vi principii rationis sufficientis; ædificium juxta eam extructum est regulis architecturæ conforme. Et in genere *si artifex ex iis, quæ in pluribus diversis corporibus artificialibus ad artem suam spectantibus vidit, ideam corporis cujusdam artificialis ejusdem artis vi principii rationis sufficientis componit; corpus istud regulis artis conforme (§. 70. Ont. 5. 2. Arch. civ. 475. 503. 524. 477. Ont.).* Quando ars communis inveniendi artificum non fallat.

Idem eodem prorsus modo ostenditur de corpore quocunque alio artificiali ad quamcunque artem spectante: neque enim alia re opus est, quam ut pro ædificio substituatur corpus artificiale in genere, & pro regulis architecturæ substituantur in

 genere

genere regulæ artis in demonstratione anteriore (§. 509. 503. *Ontol.*).

Patet adeo usum imaginationis rectificari per connubium imaginationis cum ratione, ut adeo ars communis inveniendi, quæ vulgo seducit, ut opus artis defectu laboret, fiat proba opusque producat perfectum, non secus ac si sine imaginationis subsidio fuisset inventum.

§. 151.

Significatus hieroglyphicus quinam sit.

Significatum hieroglyphicum appello, quo res quædam ad denotandam aliam transfertur.

Ita significatus hieroglyphicus est trianguli, si eodem ad denotandum Deum trinunum utamur. *Hieroglyphice* dicta fuit veteribus ars significandi aliquid per sculptas rerum animaliumque figuras: quibus adeo utebantur loco literarum. Imaginationi multus locus est in constituendo significatu hieroglyphico, non tamen soli; sed accedere quoque debet ratio, quæ illam in componendis phantasmatis dirigit. Quamobrem hic locus est, quo modum constituendi significatum hieroglyphicum distinctius explicare debemus.

§. 152.

Figuræ hieroglyphicæ quomodo inveniantur.

Si phantasma quoddam ita componitur, ut per similitudinem partium constitutivarum cum determinationibus rei cuidam intrinsecis hæ ex istis colligi possint; phantasma significatum hieroglyphicum habet ac vi principii rationis sufficientis componitur. Tunc enim singulæ partes, ex quibus phantasma componitur, sunt signa determinationum in re ista contentarum (§. 952. *Ontol.*) & phantasma integrum est signum rei ipsius (§. *cit.*). Res igitur, quam phantasma repræsentat (§. 48. 93.), ad denotandam rem aliam transfertur, consequenter phantasma significatum hieroglyphicum habet (§. 151.).

Enimvero quoniam partes hæ similitudinem quandam habent cum determinationibus rei cuidam intrinsecis, *per hypothes.* ex similitudine ista intelligitur, cur hæ potius partes, quam aliæ in compositione phantasmatis admittantur, & cur eædem simul jungantur. Similitudo igitur ista continet rationem sufficientem compositionis (§. 56. *Ontol.*), consequenter phan-

phantasma vi principii rationis sufficientis componitur (§. 71. *Ontol.*).

Habemus hic principium genuinum idemque fœcundissimum constituendi significatus hieroglyphicos. *Comenius*, cum in orbe picto animam pingere non posset, ad artem hieroglyphicam confugiens phantasma condidit, cui significatum hieroglyphicum indidit. Animam enim repræsentat per puncta in istiusmodi figuram disposita, qualem exhibet umbra corporis humani in planum ad horizontem perpendiculare & corpori atque lumini directe oppositum projecta. Puncta enim vi definitionis Geometrarum indivisibilia sunt, etsi talia pingi non possint, adeoque simplicitatem animæ denotant, vi cujus omni prorsus parte caret. Fgura corporis humani, per quam puncta ista disponuntur, cum per ipsa ista puncta absque ullo linearum ductu constituatur, denotat substantialitatem animæ, vi cujus absque corpore subsistere potest. Quatenus tamen puncta ista per figuram corporis disponuntur atque ita disposita eandem figuram necessario exprimunt; animæ cum corpore unio a voluntate ipsius independens denotatur. Denique cum puncta ista per totam corporis humani figuram dispergantur; hoc ipso indigitatur animam esse totam in toto corpore & totam in qualibet ejus parte, juxta doctrinam Scholasticorum tunc temporis in scholis receptam. Ceterum notatu dignum, antiquissimis temporibus non modo dogmata, sed & historica per figuras hieroglyphicas tradita fuisse, ne quivis promiscue ad hæc arcana cognoscenda admitteretur. Istud de Ægyptiis notissimum est; hoc vero de Sinensibus commemorat *Philippus Couplet*, Soc. Jesu, Sinensis Missionis in urbem Procurator, in præfatione ad Tabulam Chronologicam Monarchiæ Sinicæ Parisiis 1686. editam f. 11.

§. 153.

Si non modo partes singulæ, ex quibus phantasma componitur, denotent diversas determinationes rei intrinsecas, verum etiam singula, quæ in istis partibus distingui possunt, denotent ea, quæ in determinationibus rei discernuntur; phantasma totum significativum est & in genere hieroglyphicorum perfectum (§. 151. Psych. 503. Ontol.). Perfectio hieroglyphicorum.

Phantasma *Comenii* de anima (§. 152. *not*) totum significativum est &, quatenus significatum hieroglyphicum habet, perfectum est.

§. 154.

§. 154.

Gradus perfectionis in figuris hieroglyphicis.

Si duo fuerint phantasmata eundem significatum hieroglyphicum habentia & singula in se considerata fuerint perfecta; id quidem perfectius est altero, quod ampliorem habet significatum seu per quod plura significantur. Etenim quoad significatum hierologlyphicum a se invicem differre nequeunt, nisi quatenus unum plura significat in subjecto, ad quod denotandum phantasmata illa destinantur (§. 151.), quam alterum. Jam conf. §. 520. *Ontol.*

§. 155.

Definitionis hieroglyphicæ repræsentatio.

Si phantasma hieroglyphicum repræsentet singulas notas, quæ definitionem rei alicujus ingrediuntur; loco definitionis servit (§. 150. Log.). Perinde vero est, sive notæ istæ verbis tanquam signis (*not. §. 958. Ontol.*), sive signis aliis, quales sunt res in hieroglyphicis (§. 151.), indigitentur. E.

Phantasma *Comenianum* de anima, quod supra (*not.* §. 152.) explicavimus, definitionis loco inservire poterat. Etenim anima definiri potest per substantiam simplicem corpori humano independenter a voluntate sua ita unitam, ut sit una in toto & tota in qualibet ejus parte.

§. 156.

Propositionum repræsentatio hieroglyphica.

Si phantasma hieroglyphicum repræsentet subjectum confuse perceptum sive absolute, sive sub certis determinationibus accidentalibus una cum prædicatis eidem vel absolute, vel sub iisdem determinationibus competentibus; propositionis in casu priori categoricæ, in posteriori hypotheticæ loco servit (§. 151. Psych. 197. 491 sq. Log.).

Exempli loco est phantasma, quo justitiam nobis repræsentamus instar virginis velatis oculis libram manu una, gladium altera tenentis. Etenim hic virgo repræsentat justitiam confuse saltem perceptam. Libra indicat, quod suum tribuat cuique. Gladius significat, quod pœnis afficiat delinquentes. Velati denique oculi indigitant, quod non habeat respectum personarum, vel generalius, quod nullis rationibus extrinsecis se permoveri patiatur. Libra ergo, gladius & velati oculi denotant tria prædicata justitiæ tribuenda. Est adeo phantasma hieroglyphicum loco trium propositionum, quæ idem habent subjectum, vel

vel loco propositionis, cui triplex est prædicatum (§. 311. *Log.*). Propositio nimirum copulativa est (§. 312. *Log.*) eaque hujus tenoris: Justitia jus suum tribuit cuique, pœnis debitis afficit delinquentes, nec ullis rationibus extrinsecis se permoveri patitur ad quicquam faciendum. Quodsi velati oculi trahantur ad constantem ac perpetuam voluntatem, quæ rationibus intrinsecis tota nititur, ab extrinsecis prorsus independens, & libra referatur ad modum, quo jus suum tribuit privatis, gladius vero ad modum, quo idem tribuit publico seu Reip. quam hic instar personæ considerare licet, prout in Trim. Vern. A. 1729. n. II. §. 7. observavimus; phantasma istud hieroglyphicum *Ulpiani* quoque definitionem repræsentare potest, quod sit constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.

§. 157.

Figurae hieroglyphicae definitio.

Figuras hieroglyphicas appello, quas phantasmata significatum hieroglyphicum habentia repræsentant.

Phantasma hieroglyphicum, de quo in antecedentibus locuti sumus, est idea, quæ imaginem quandam repræsentat, cui significatus hieroglyphicus tribuitur. Ita si anima repræsentatur per puncta ita disposita in plano, ut eadem perimetro circumscribantur, qua umbra corporis humani in planum projecta comprehenditur (*not.* §. 152.); phantasma hieroglyphicum est, quatenus in mente existit idea; figura autem hieroglyphica, quatenus imago delineatur, per quam puncta isto pacto disponuntur. Phantasma in mente existit; imago eidem similis, quæ figura hic appellatur, extra eandem, sive picta, sive sculpta, sive æri incisa seu arte quacunque expressa fuerit.

§. 158.

Usus figurarum hieroglyphicarum in disciplinis.

Disciplinae per figuras hieroglyphicas tradi possunt (§. 1182. *Log.* 155 sq. *Psych.*).

Facile apparet, tradi debere propositiones absque demonstratione: prolixum enim nimis foret, etsi non prorsus impossibile, demonstrationem quoque, utpote ex meris propositionibus ac definitionibus contextam (§. 522. & seqq. *Log.*), sub involucro hieroglyphico exhibere. Etsi autem non omnino consultum sit veritates generi humano utiles hieroglyphico velamine tegi; usum tamen adhuc habere possunt, ut veritates arduæ atque utiles hoc subsidio memoriæ tenacius

insigantur ac felicius in eandem revocentur. Unde figuræ hieroglyphicæ in moralibus plurimum utilitatis afferunt: id quod suo loco abunde patebit. Alchymistæ modum docendi & scribendi hieroglyphicum retinuere ex eadem ratione: id quod vel ex unius *Basilii Valentini* scriptis colligitur. *Caspar Neumannus*, literis hebraicis significatum hieroglyphicum tribuit, per quem aliquid ab essentiali trahit.

§. 159.

Vis significandi figurarum hieroglyphicarum.

Figuræ hieroglyphicæ signa artificialia sunt (§. 158. 153. *Psych.* 952. *Ont.* 151. *Psych.* 958. *Ont.*).

§. 160.

Figurarum hieroglyphicarum differentia.

Figuræ hieroglyphicæ vel primitivæ sunt, vel derivativæ (§. 159. *Psych.* 964. *Ont.*).

§. 161.

In quo ea consistit.

Figuræ hieroglyphicæ primitivæ sunt, quæ ab aliis se prioribus ortum non trahunt; derivativæ autem sunt, quæ ab aliis oriuntur (§. 159 sq. *Psych.* 964. *Ont.*).

§. 162.

Notarum resolubilium & irresolubilium diversitas.

Notas irresolubiles hic appello eas, quæ a cognoscente in alias simpliciores non amplius resolvuntur, sive quod in se tales sint, sive quod cognoscens eas amplius resolvere non possit, aut nolit. Ex adverso *Notas resolubiles* dico, quæ a cognoscente ulterius resolvi possunt, aut debent.

Ita flavedo auri est nota in se resolubilis, quoniam ex mixtione oritur, adeoque causas suas habet; immo in genere quoque coloris flavi notio suas habet notas, per quas differt ab aliis coloribus. Nos tamen hactenus nec notionem flavedinis auri, nec coloris flavi in genere ulterius resolvere valemus. In Ontologia notiones totius, partis, æqualitatis, majoris, minoris in suas notas resolvimus, quæ eas ingrediuntur, ut adeo ipso facto ostenderimus eas esse resolubiles. Hoc tamen non obstante *Euclides* in Elementis notionibus istis utitur tanquam notis irresolubilibus, cum eas distincte non explicet.

§. 163.

Figurarum hieroglyphi-

Notæ irresolubiles, quæ notiones rerum distinctas ingrediuntur,

diuntur, repræsentandæ sunt per figuras primitivas (§. 162. 151. 157. 161.).

carum primitivarum usus.

§. 164.

Notionum distinctarum hieroglyphica repræsentatio.

Notiones distinctæ repræsentandæ sunt per figuras hieroglyphicas derivativas (§. 87. Log. 151. 157. 161. Psych.).

§. 165.

Definitionum & propositionum in disciplinis hieroglyphica repræsentatio.

In disciplinis definitiones (§. 149. 91. 87. Log.) & propositiones (§. 491 sq. 196 sq. 87. Log.) per figuras hieroglyphicas derivativas repræsentandæ sunt (§. 164).

§. 166.

Notarum resolubilium repræsentatio hieroglyphica.

Notæ resolubiles, quæ notionem rei distinctam ingrediuntur, in disciplinis repræsentandæ sunt per figuras hieroglyphicas derivativas (§. 162. Psych. 87. Log. 164. Psych.).

§. 167.

Notionum adæquatarum hieroglyphica repræsentatio.

Notiones adæquatæ repræsentandæ sunt per figuras hieroglyphicas derivativas (§. 94. 87. Log. 162. 166. 161. Psych.).

§. 168.

Figuræ hieroglyphicæ vicariæ quænam dicantur.

Figuras hieroglyphicas vicarias appello figuras hieroglyphicas primitivas, quæ in locum derivativarum in compositione derivativarum aliarum assumuntur.

Respondent figuræ istæ vicariæ terminis philosophicis & mathematicis jam ante explicatis, quos in definitionibus ac propositionibus assumimus loco eorum, quæ in ipsorum definitionibus continentur.

§. 169.

Vicariarum figurarum usus.

Si figura hieroglyphica ex aliis derivativis & hæ vicissim ex aliis derivativis sint componendæ; ad evitandam confusionem a vicariis ordiendum. Si figura hieroglyphica ex aliis derivativis & hæ vicissim ex aliis derivativis sint componendæ ac ita porro; figurarum primitivarum, quæ ultimas derivativas ingrediuntur, tantus resultare potest numerus, qui figuram compositam contemplantes confundit, vel etiam ut figuræ primitivæ singulæ exhiberi non amplius possint. Necesse igitur est, ut evitandæ confusionis gratia a figuris primitivis abstineamus, quæ in derivativam compositam introduci debebant. Quoniam tamen

notæ resolubiles, quibus istæ figuræ derivativæ ex primitivis constantes conveniunt, per derivativas sunt exprimendæ (§. 166.); exceptio quidem ab hac regula (§. 510. *Ontol.*), sed ita tamen fieri debet, ut salva maneat perfectio figuræ compositæ (§. 514. *Ontol.*). Enimvero si in locum derivativarum, quæ vel ex primitivis, vel ex aliis minus compositis constant, assumas primitivas derivativis æquipollentes, quas figuram compositam contemplatus pro arbitrio sibi invicem substituere potest; figura composita non pauciora indigitat, si primitivis utaris, quam si derivativis locum concedas, adeoque perfectio figuræ hieroglyphicæ non mutatur (§. 154.); in figuram autem compositam evitandæ confusionis gratia vicariæ introducuntur (§. 168.). E.

Patet vicarias figuras hieroglyphicas referri posse ad derivativas vel immediate ex primitivis, vel mediate ex vicariis aliis minus compositis: ut adeo figurarum vicariarum nascantur gradus diversi, quos jam accuratius persequi non vacat.

§. 170.

Figmentum quid sit & quomodo producatur.

Phantasma, quod ens fictum repræsentat, dicitur *Figmentum*. Quare cum phantasma ens fictum repræsentet, si ea componimus, quæ sibi mutuo repugnant, vel naturæ vi in eodem subjecto conjungi nequeunt (§. 146.); *Figmentum producitur, si ea componimus, quæ sibi mutuo repugnant, vel naturæ vi in eodem subjecto conjungi nequeunt.*

Exemplum adeo figmenti prabet homo cum capite cervino & pedibus equinis.

§. 171.

Quo respectu figmentum possit esse ens verum.

Si quod figmento respondet figura hieroglyphica fuerit; quatenus significativum est veri cujusdam entis speciem constituit. Si enim quod figmento respondet fuerit figura hieroglyphica, significatum hieroglyphicum habet (§. 157), adeoque ens istud fictum (§. 170.) ad denotandam rem aliam, seu ens verum transfertur (§. 151.). Ast cum in figuris primitivis significatus non pendeat a significatu figurarum aliarum simpliciorum (§. 161.), adeoque tanquam signi artificialis (§. 159.) arbitrarius

trarius fit (§. 958. *Ontol.*); nihil ſane obſtat ex parte figuræ, quo minus ipſi ejusmodi ſignificatus ſimul tribuatur, atque adeo ſignificatus totus a contradictione liber (§. 48. *Ontol.*). Quatenus vero per figuras iſtas denotantur ea, quæ enti cuidam vero ſimul inſunt *per demonſtr.* ſignificatus quoque ex parte rei ſignificatæ a contradictione liber (§. 48. *Ontol.*) & per ea, quæ enti inſunt, datur ratio, cur hæc ſimul ineſſe debeant (§. 56. *Ontol.*). Figmento igitur reſpondens figura hieroglyphica, quatenus ex aliis primitivis componitur, non continet niſi talia, quæ per principium contradictionis & rationis ſufficientis (§. 29. 71. *Ontol.*) determinatur (§. 113. *Ontol.*). Quodſi figuræ ſimpliciores, ex quibus figura hieroglyphica figmento reſpondens componitur, fuerint derivativæ; ſignificatus earum a ſignificatu aliarum ex quibus componuntur, pendet (§. 161.), adeoque partim ex iis, quæ rei ſignificandæ inſunt, partim ex ipſis figuris combinandis intelligitur, cur hæ potius, quam aliæ compoſitionem figuræ hieroglyphicæ, quæ figmento reſpondet, ingredi debeant, conſequenter tam in figuris compoſitionem ingredientibus, quam in re ſignificata continetur ratio, cur hæ potius, quam aliæ eſſe debeant figuræ hieroglyphicæ partes (§. 56. *Ontol.*). Et quatenus non denotant niſi ea, quæ enti cuidam vero inſunt, *per demonſtrata;* ſignificatus nullam contradictionem involvit (§. 47. *Ontol.*). Patet igitur denuo figuræ hieroglyphicæ non ineſſe, niſi quæ per principium contradictionis & rationis ſufficientis determinantur. Enimvero datur in ente veritas, quatenus ea, quæ inſunt, per principium contradictionis & rationis ſufficientis determinantur (§. 498. *Ontol.*). Quare etiam in figuris hieroglyphicis veritas ineſt, conſequenter figuræ hieroglyphicæ, quatenus ſignificativæ ſunt, veri cujusdam entis ſpeciem conſtituunt (§. 496. *Ontol.*).

Diſtinguenda eſt veritas, quæ rei ſignificatæ ineſt, a veritate, quæ figuræ hieroglyphicæ ineſt, quatenus ſignificativa. Ego valde ſuſpicor, idolorum figuras fuiſſe primum hieroglyphicas & ſignificaſſe attributa Nummi tribuenda; ſed ſignificatum hieroglyphicum ſucceſſu temporis obliteratum fuiſſe, ut, quamdiu is ignoretur, mire-

miremur, quomodo homines tam absurdos sibi fingere potuerint Deos.

§. 172.

Imaginatio arbitrio nostro sese subducens.

Si quod figmentum producere conamur; sæpius prodit figmentum ab eo, quod intenderamus, diversum. Vel in genere: *Si quid imaginari intendimus, sæpius phantasma prodit diversum ab eo, quod intenderamus.* Ponamus e. gr. te imaginari velle equitem seu virum equo insidentem: præsto tibi erit phantasma exhibens fœminam equo insidentem, vel prorsus phantasma cameli, cui onus impositum est, cui porro insidet fœmina quædam. Etenim si videns fœminam alio, quam maribus solenne est, more equo insidentem in actum equitandi attentionem tuam direxisti & in eo eandem diu defixam detinuisti; imaginatio acquisivit facilitatem ex actu equitationis reproducendi ideam fœminæ equo insidentis (§. 108.). Quodsi jam phantasma equitis producturus in equitationem inprimis attentionem dirigis; loco equitis tibi occurret fœmina equo insidens. Immo dum in eadem defigis attentionem, quamprimum phantasma nascitur, ut equi vix ac ne vix quidem tibi conscius fueris, ad hunc cogitationem tuam promoturus camelum loco equi vides, ex eadem prorsus ratione.

Quoniam figmenta sunt phantasmata (§. 170.), adeoque ideæ ab imaginatione productæ (§. 93.); accidit autem ut imaginari quid intendenti prodeat phantasma diversum ab eo, quod intenderat, *per demonstrata:* fieri etiam debet, ut, dum figmentum quoddam producere conaris, prodeat sæpius diversum ab eo, quod intenderas.

Apparet hinc, imaginationem non ita subesse arbitrio nostro, quin eidem sese nobis vel invitis subducat.

CAPUT

CAPUT V.

DE MEMORIA, OBLIVIONE ET REMINISCENTIA.

§. 173.

Ideam reproductam recognoscere dicimur, quando nobis conscii sumus, nos eam jam antea habuisse. Idearum recognitio quid sit.

§. 174.

Si idea reproducta in alia perceptionum serie continetur, quam ante percepta continebatur & utriusque seriei nobis conscii sumus; illam recognoscimus. Ponamus te vidisse Mevium in templo, nunc vero denuo videre in ædibus Titii. Dico te recognoscere Mevium, hoc est, tibi conscium esse, quod eum jam ante videris, quod nunc eum sensu percipis una cum ædibus Titii, imaginatio vero phantasma ejus producit una cum phantasmate templi & actuum mentis super Mevio in templo reflectentis. Ita nimirum idea Mevii, quæ sensu reproducitur, in alia perceptionum serie continetur, quam antea continebatur, & in hac differentia recognitionis ratio consistit. Etenim dum Mevium vides altera vice & imaginatio reproducit ideam ejusdem; anima utriusque sibi conscia idearum identitatem agnoscit. Enimvero quoniam nunc Mevium vides in ædibus Titii, imaginatio vero eum sistit in templo, atque conscium te reddit actuum mentis, quos videns in templo Mevium in te expertus fuisti; hoc ipso conscius tibi es, te Mevium jam antea vidisse, adeoque eum recognoscis (§. 173.). Recognoscis autem ex eo, quod idea Mevii nunc in alia perceptionum serie continetur, quam ante, cum eum primum videres. Quando id fiat.

Propositio præsens propemodum ad notiones communes referri poterat.

§. 175.

§. 175.

Memoria quid sit.

Facultatem ideas reproductas (consequenter & res per eas repræsentatas) recognoscendi *Memoriam* dicimus. Quoniam itaque ideas reproductas recognoscere valemus (§. 173.); *memoriam habemus.*

§. 176.

Reproductio idearum cur non pertineat ad memoriam.

Facultas ideas, quas antea habuimus, reproducendi, non pertinet ad memoriam (§. 104. 92.).

Et fieri sane potest, ut idea aliqua in nobis reproducatur, non tamen recognoscatur: quo in casu nemo effectum istum memoriæ tribuerit. Ponamus te quid legisse in libro quodam, & alio tempore vi imaginationis ideam istam in mente tua reproduci, sed ita ut tibi non sis conscius ea, quæ jam mentem tuam subeunt, te jam in libro isto legisse. Memoriæ non tribues hunc effectum, quamdiu conscientia ejus rei abest. Unde colligitur, quod notio memoriæ, nec ab usu loquendi communi abhorreat.

§. 177.

Notio imaginaria memoriæ, sed minus exacta.

Notio memoriæ, quod sit receptaculum idearum, in quo conduntur & unde rerum usu exigente denuo promuntur, imaginaria est eademque minus exacta. Quoniam enim ideas, quas habuimus, reproducere (§. 104.) & reproductas recognoscere valemus (§. 174.); id quandam similitudinem habet cum rebus, quas in receptaculo quodam recondimus, & usu exigente iterum inde depromimus. Nimirum ideæ, quas habemus, ante non habueramus, respondent rebus, quas recondimus, & earum reproductio actui, quo eas depromimus, quando iisdem opus habemus. Fingimus igitur ob hanc similitudinem, quod non est, scilicet receptaculum quoddam, in quo ideæ acquisitæ conduntur & ex quo iterum depromi possunt, quando iisdem opus habemus, ut facultatem animæ, quæ in oculos non incurrit, veluti quidpiam iisdem præsens per imaginem sistere valeamus. Quare hæc notio memoriæ, imaginaria est (§. 110. *Ont.*). Quod vero etiam minus exacta sit, constat ex §. 175. 176. *Psych.* 150. *Log.*

§. 178.

§. 178.

Memoriæ mandare dicimur illud, cujus ideam reproducendi facilitatem nobis comparamus. Memoriæ mandari quid dicatur.

Supponit phrasis notionem memoriæ imaginariam: quam etsi non probemus (§. 177.); multo minus autem admittamus, si quis ea uti velit ad memoriam veluti a priori per causas suas explicandum, cum sic in notionem deceptricem degeneret (§. 37. *Log.*), consultum tamen est communes loquendi formulas ad significatum naturæ mentis humanæ conformem reduci, ut iisdem citra veritatis dispendium uti liceat.

§. 179.

Quoniam itaque facilitas reproducendi ideas acquiritur, si res sæpius ac diu sensu, sive imaginatione simul percipiantur (§. 108.); *memoriæ mandamus ea, quæ sæpius vel diu simul percipiuntur, sive id fiat sensuum, sive imaginationis ope (§. 178.).* Quomodo id fiat.

§. 180.

Memoria retinere dicimur id, cujus ideam reproducendi & reproductam recognoscendi facilitatem conservamus. Memoria quid retineri dicatur.

§. 181.

Memoria igitur *retinemus ea, quorum ideam sæpius in nobis reproducimus, sive id fiat sensuum, sive imaginationis ope* (§. 108. 174.). Quomodo id fiat.

§. 182.

Alii diuturniore objecti contemplatione, vel pluribus actibus iteratis facilitatem ideas reproducendi & reproductas recognoscendi sibi comparant; alii minus diuturna contemplatione & paucioribus actibus iteratis ad id opus habent. Experientia obvia idem loquitur, ad quam hic provocare sufficit (§. 636. *Log.*). Differentia memoriæ in diversis subjectis.

Continetur in his ratio, cur in memoria gradus admittamus, & unum altero memoria præstare affirmemus, etsi ea non sit unica.

§. 183.

Alia differentia.

Alii plures ideas reproductas recognoscere valent, alii pauciores.

In his quoque continetur ratio, cur in memoria gradus admittantur & uni majorem, alteri minorem memoriam tribuamus.

§. 184.

Ulterior differentia.

Alii frequentius iterata idearum reproductione memoria retinent, quod eidem demandarunt; alii minus frequenter iterata idearum reproductione memoriæ semel infixa retinent.

En rationem ulteriorem graduum memoriæ in diversis subjectis diversorum.

§. 185.

Alia memoriæ differentia.

Alii ideam memoriæ demandatam reproducere & recognoscere valent, etsi multo tempore eandem non reproduxerint: alii eam non amplius reproducere; nec reproductam recognoscere valent, si aliquo tempore eandem non reproduxerint.

Gradus hinc memoriæ tribuuntur ob diversitatem temporis, quo eadem idea a duobus subjectis memoriæ demandata fuit: sed in comparatione subinde quoque habenda ratio modi, quo quid memoriæ infixum fuit.

§. 186.

Cito quinam memoriæ quid mandet.

Cito memoriæ quid mandare dicitur, qui minus diuturna contemplatione objecti paucioribusque actibus iteratis id facit, quatenus actus pauciores ceteris paribus minus temporis spatium exigunt. Unde ex adverso colligitur, quinam *tardius memoriæ quid demandare* dicendus sit.

§. 187.

Facile quinam memoriæ quid mandet.

Absque multo labore seu *facile quid memoriæ mandare* dicitur, qui paucioribus iteratis actibus id facit, vel etiam minus diuturna objecti contemplatione, quatenus ea pauciores operationes mentis continet. Unde ex adverso colligitur, quinam *difficulter quid memoriæ mandare* dicendus sit.

§. 188.

§. 188.

Diu memoria quid retinere dicitur, qui ideam ejus reproducere & reproductam adhuc recognoscere valet, etiamsi longo tempore eandem non reproduxerit. Diu memoria quinam quid retineat.

§. 189.

Bonam memoriam habere dicitur, qui cito & facile quid eidem mandat, diuque retinet. Bona memoria quænam.

§. 190.

Bonitas memoriæ diversos admittit gradus, tum quatenus quid memoriæ cito, tum quatenus facile mandatur, tum quatenus diu retinetur (§. 189.). Hæc memoriæ bonitas est qualitas (§. 122. 112. 545. 452. *Ont.*), qualitas illa animæ in diversis subjectis differt (§. 186. 188. 178. 182. 184 sq. *Psych.*), consequenter cum id, quo qualitates eædem salva identitate differre possunt in diversis subjectis, sit gradus (§. 746. *Ontol.*); bonitas memoriæ gradus admittit, tum quatenus quid memoriæ cito, tum quatenus facile mandatur, tum denique quatenus diu retinetur. Gradus bonitatis memoriæ.

§. 191.

Gradus bonitatis memoriæ æstimantur ex tempore impendendo, ut quid memoriæ mandetur; ex numero actuum, quibus ideæ reproductæ memoriæ demandantur; ex numero denique actuum, quibus infixæ retinentur (§. 190. 186. 187. 188.). Mensura graduum bonitatis memoriæ.

Etsi ope propositionis præsentis gradus bonitatis memoriæ inter se distingui possint in diversis subjectis; in applicatione tamen circumspectione opus est, ne fallamur. Seponimus enim impedimenta, quæ sese offerre solent atque mentem ab attentione avocant, quam ad res memoriæ mandandas afferre debet. Hac certe absente & tarde, & difficulter memoriæ mandatur, quod alias cito ac facile mandari poterat. Unde accidit, quædam ab eodem subjecto tarde ac difficulter memoriæ mandari, cum alia cito atque facile eidem infigantur, prout scilicet vel voluptatem, vel tædium quis percipit ex iis, quæ memoria retineri debent. Sed hæc ex inferius dicendis partim de attentione, partim de voluptate ac tædio patebunt.

§. 192.

Magna memoria quænam dicatur.

Magnam memoriam habere dicitur, qui multarum rerum ideas reproducere & reproductas recognoscere, longam quoque rerum seriem memoria retinere valet.

Ita memoriam magnam eis tribuimus, qui integra loca, ne syllaba quidem immutata, ex Autoribus recitare valent. Magnam quoque memoriam tribuimus, qui multarum rerum notitiam ita animo comprehensam tenent, ut data occasione ideas in se reproducere & reproductas recognoscere valeant.

§. 193.

Gradus memoriæ & imaginationis.

Memoria & imaginatio admittunt gradus, quatenus rerum multarum ideas reproducere & reproductas recognoscere valemus (§. 92. 175. *Psych.* 122. 112. 545. 152. *Ont.* 183. *Psych.* 746. *Ont.*).

Gradus memoriæ ipsius distinguendi sunt a gradibus bonitatis ipsius. Quemadmodum enim in istis memoriæ magnitudo consistit (§. 192.); ita hi bonitatis magnitudinem constituunt (§. 190.).

§. 194.

Magnitudo memoriæ unde æstimetur.

Magnitudo memoriæ æstimatur ex numero rerum, quarum ideas reproducere & reproductas recognoscere valemus, tum diverso tempore sigillatim perceptarum, tum eodem tempore in continua serie simul perceptarum (§. 192 *Psych.* 340. *Ont.*).

Duplicem magnitudinis memoriæ mensuram offert propositio præsens, scilicet numerum rerum sigillatim antea perceptarum, & numerum rerum in continua serie eodem tempore perceptarum.

§. 195.

Exercitium quid dicatur.

Actuum specie vel genere eorundem iteratio dicitur *Exercitium:* quod adeo *gradus admittit pro numero actuum partim eodem, partim diverso tempore repetitorum.*

§. 196.

Exercitia, quibus quid memoriæ mandatur & retinetur.

Quoniam actibus eodem tempore, vel etiam diverso iteratis memoriæ mandamus, quod retinere volumus (§. 176.); *ut quid memoriæ mandetur & eadem retineatur, exercitio opus est* (§. 195.).

§. 197.

§. 197.

Exercitio obtinetur, ut imaginatio ideas plures simul reproducat & per longius temporis spatium immutatas conservet. Illustre exemplum nobis præbet *Joannes Wallisius*, qui Algebræ C. 103. f. 449. Vol. II. Oper. narrat, se nocte mera peregisse operationes arithmeticas in numeris multo majoribus, quam quis speret clara luce fieri posse. Adde f. 550. Ipse autem ingenue fatetur, f. 449. quod eam vim imaginationis atque memoriæ exercitio fuerit consecutus. Ad domesticam quoque provocare possum experientiam. Etenim initio studii mathematici ac inprimis algebraici in lecto decumbens meris tenebris problemata algebraica solvi & calculo ad finem perducto formulas geometrice construxi sola imaginationis ac memoriæ vi, cumque interdiu solutionem ac constructionem repeterem, me nihil a vero aberrasse deprehendi. Satis autem superque recordor, me nonnisi prævio exercitio id obtinuisse. Modus extendendi imaginationem & memoriam.

§. 198.

Imaginatio dicitur extendi, si plures ideas simul producere & per longum temporis spatium productas conservare apta redditur. Et *Memoria* extendi dicitur, quatenus ideas istas continuo recognoscit. *Imaginationem & memoriam exercitio extendere valemus* (§. 197. 173.). Extensio imaginationis & memoriæ quid sit.

Extensio imaginationis & memoriæ adeo firmiter cohærent, ut hæc una cum illa obtineatur.

§. 199.

Si quis imaginationem & memoriam extendere velit; a gradu minori extensionis continuo progrediendum ad majorem. Probat idem exemplum *Wallisii* & quilibet experimentum in semetipso capere potest. Si enim exercitia per singulos dies continuentur, & singulis diebus insensibiliter difficiliora instituantur; nulla est ratio, cur his imaginatio & memoria sufficere non debeat, cum anterioribus seu proxime præcedenti sufficerent. Per insensibilia autem incrementa cum differentia quantumvis magna successu temporis inter exercitia prima & ultima enascatur; Initium & progressus extensionis memoriæ.

tur; imaginatio quoque & memoria continuo magis magisque extenditur.

§. 200.

Distincta perceptio cur juvet memoriam.

Quæ distincte percipiuntur, memoriæ facilius mandantur diutiusque ea retinentur (§. 38. 108 sq. 178.), quam quæ confuse percipiuntur (§. 39.).

Propositionem præsentem experientia adhuc confirmare lubet. Ponamus te legere historiam quandam præsertim prolixiorem multisque circumstantiis perplexis involutam. Quodsi lectionem ita instituas, ut textum autoris distincte resolvas, singula facta, singulas circumstantias a se invicem separans ac ordinem, quo se invicem excipiunt, perpendens; te quæ legisti exactissime enarrare posse intelliges, cum idem a te fieri nondum posse animadvertas, etsi eodem tempore consumto textum autoris aliquoties relegeris. In casu priori historiam distincte percipis (§. 38.); in posteriori confuse (§. 39.). Quoniam historiam in casu primo accurate enarrare vales; in posteriori non item; ideam ejus reproducendi & reproductam recognoscendi facultatem in casu priori tibi comparasti, quam in casu altero nondum acquisivisti, adeoque in priori memoriæ eandem mandasti (§. 178.), eandemque eadem retinuisti (§. 180.), cum in priori eandem memoriæ nondum mandaveris, nedum retinueris. Idem vero lectioni impendisti tempus, adeoque æque diuturna fuit objecti contemplatio. Quamobrem in casu priori facilius memoriæ historiam mandasti & retinuisti, quam in altero. Idem experiri licet in demonstrationibus præsertim prolixis, quæ distincte resolutæ & sensui ac imaginationi objectæ multo facilius memoriæ mandantur diutiusque eadem retinentur, quam ubi in confuse percepta acquiescis. Immo idem experiri licet in lectione librorum quorumcunque.

Maximæ utilitatis est propositio præsens, cum ostendat modum multa memoriæ facile mandandi ac firmiter eadem retinendi. Et huic sane consentanea est praxis omnis, qua memoria juvatur, qualiacunque tandem sint artificia, quibus eidem succurritur. Inter illa artificia occurrit dogmatum in tabulas relatio, in quibus uno quasi conspectu exhibentur, quæ de eodem subjecto tenenda sunt, ac præterea in clas-

ses

ses quasdam generales revocantur numerisque distinguuntur, ut & distincte percipi possint, si singula sigillatim perlustrantur & quo ordine se invicem excipiant perpenditur, & confuse quoque percipiantur, si uno obtutu totam tabulam comprehendis. Ita enim obtinetur, ut & integram tabulam solius imaginationis ac memoriæ vi tibi repræsentare ac eadem singulas in eadem classes designare, & in singulis describere valeas, quæ iisdem conveniunt. Quodsi distincta perceptione juves imaginationem atque memoriam, ut tabulam, quam constructam perlustrasti, tanquam præsentem tibi repræsentare & singula in eadem collocanda tanquam in iisdem descripta exhibere valeas; eo ipso imaginatio & memoria haud parum extenditur (§. 198.). Quamobrem etsi disciplinis conveniat methodus scientifica; non tamen ideo contemnendæ sunt tabulæ mnemonicæ, quæ doctrinis, quibus imbutus est animus & quarum evidentiam ex demonstrationibus, sicuti claritatem ex definitionum legitima concatenatione per subordinationem decentem facta (§. 112. *Disc. prælim.*) hausit, facile retinendis inserviunt. De tabulis istis mnemonicis plura diximus in Horis subsecivis A. 1730. Trim. æstiv. num. III.

§. 201.

Si ideas rerum vel verborum reproducendas ad objecta quædam visibilia referimus, veluti si verba in iis descripta imaginamur; conspectu objectorum ideæ in nobis reproducuntur & recognoscuntur (§. 79. 104. 174.). Artificiosa idearum reproductio & recognitio.

Propositio præsens est fundamentum artificiorum, quibus ad juvandam imaginationem & memoriam utimur (§. 117.).

§. 202.

Artificium memoriæ dicimus actionem, qua quid aptum efficitur ad idearum reproductionem & recognitionem juvandam, quod per se eandem juvare non poterat. Artificium memoriæ.

Ita si nobis imaginemur, verba quædam parieti adscripta; hoc ipso efficimus, ut conspecto pariete verborum istorum idea in nobis reproducatur & producta recognoscatur (§. 201.): consistit igitur in hac actione, qua parietem aptum efficimus ad ideam verborum reproducendam & eorum recognitionem juvandam, artificium memoriæ. Scilicet memoriæ artificium est, quod diu vel sæpius verba ista veluti parieti inscripta

inscripta nobis imaginemur, & parietem intuamur, quando verborum illorum meminisse voluerimus.

§. 203.

Artificiorum istorum usus.

Quoniam per artificium memoriæ aptum quid redditur ad idearum reproductionem & recognitionem juvandam, quod per se ad eandem nil quicquam conferre poterat (§. 202.); imaginationis vero est ideas reproducere (§. 104.), memoriæ reproductas recognoscere (§. 175.); *per artificia memoriæ imaginatio & memoria arbitrio nostro subjicitur.*

§. 204.

Artis mnemonicæ definitio.

Ars mnemonica seu *Ars memoriæ* dicitur ars memoriam extendendi artificiisque juvandi. *Mnemonicorum* nomine veniunt præcepta illius artis.

§. 205.

Memoriæ naturalis & acquisitæ atque artificialis differentia.

Memoria naturalis dicitur, quæ homini absque ulla exercitatione prævia & ullis artificiis inest. *Acquisita* appellatur, quæ prævia exercitatione & artificiorum ope comparatur. Ejus adeo species est *artificiosa*, quæ nonnisi artificiorum ope in nobis datur.

§. 206.

Memoria acquisita quomodo obtineatur.

Memoria acquisita ac in specie artificiosa arte mnemonica obtinetur (§. 205. 204. 198.).

§. 207.

Memoria quando labatur, nosque fallat.

Memoria dicitur *labi*, si ideam reproductam habemus pro eadem, quam ante nos habuisse conscii nobis sumus, etsi immutata fuerit, seu corrupta. Memoria in hoc casu etiam *nos fallere* dicitur, quatenus in causa est, ut diversa habeamus pro iisdem.

E. gr. Vidimus Sempronium veste viridi indutum. Recurrit nobis idea Sempronii vi imaginationis producta, sed quæ cum veste rubra indutum sistit. Quodsi nobis persuadeamus nos vidisse Sempronium veste rubra indutum, memoria labi nosque fallere dicitur.

§. 208.

Quod memoria labi possit.

Memoriam labi posse manifestum est (§. 207.).

Lapsus

Lapsus memoriæ nemo non in se experiri potest, modo attendere velit.

§. 209.

Memoria dicitur *labilis*, quatenus fieri potest, ut labatur, seu lapsus eidem non repugnat. Quare cum manifestum sit memoriam labi posse (§. 208.); *memoria* utique *labilis*. Labilitas memoriæ.

§. 210.

Si imaginatio ad rerum olim perceptarum ideas diversas spectantia in unam confundit, nec anima sibi conscia est ideæ rei unius, quam reproductam cognoscit, quidpiam ex idea rei alterius admisceri; memoria labitur (§. 173. 174. 172. 207.). Lapsus memoriæ causa.

§. 211.

Si res nec diu, nec sæpius sive sensu, sive imaginatione percipiantur; ideas earum vi imaginationis reproducere non possumus, nec reproductas sensu recognoscere valemus (§. 107. 117. 173.). Ideas reproducendi & reproductas recognoscendi impotentia.

Utrumque confirmatur a posteriori.

§. 212.

Si ideam sensuum ope reproductam non recognoscere valemus, nec eam vi imaginationis reproducere valemus (§. 173 sq.). Idem patet ex §. 104. 174. indirecte. Nexus recognitionis & reproductionis idearum.

§. 213.

Si res aliqua sæpius sensu vel vi imaginationis percepta & in iteratis perceptionibus recognita fuit; eandem postea reproductam anima recognoscit ex eo, quod eam jam ante recognoverit (§. 117. 107. 173. *Psych.* 56. 118. *Ont.*). Recognitionis iteratæ ratio.

§. 214.

Si res aliqua sæpius cum aliis aliisque percepta & in iteratis perceptionibus recognita fuit; ideæ postea reproductæ adhæret perceptio quædam confusa, unde recognoscitur (§. 174. 107. 117. 39. *Psych.* 70. *Ont.* 173. *Psych.* 118 *Ont.*). Recognitionis iteratæ ratio alia.

§. 215.

Memoriæ opponitur *Oblivio*, quæ adeo est impotentia ideas Oblivionis definitio.

ideas reproductas (consequenter res per eas repræsentatas) recognoscendi (§. 175.).

§. 216.

Impotentia reproducendi ideas ad oblivionem pertinens.

Quoniam ideam vi imaginationis reproducere nequit, qui eandem ope sensuum reproductam recognoscere non valet (§. 212.); qui vero rei cujusdam oblitus est, eam recognoscere non potest, dum sensu eandem percipit (§. 215.): *Qui rei cujusdam oblitus est, ideam ejus vi imaginationis reproducere nequit.* Hinc & *ad oblivionem spectat impotentia reproducendi ideas rerum antea perceptarum.*

§. 217.

Quorumnam obliviscamur.

Si quas ideas longo tempore non reproducimus; rerum per illas repræsentatarum obliviscimur (§. 181. *Psych.* 118. *Ont.* 180. 215 sq. *Psych.*). Idem patet ex §. 211. 215 sq.

§. 218.

Quomodo oblivio a potestate nostra pendeat.

Si rei cujusdam ideam pro arbitrio nostro reproducere & non reproducere possumus; eamdem oblivioni tradere valemus. Si enim arbitrii nostri est ideam rei cujusdam reproducere; ab eadem reproducenda tanto tempore abstinere possumus, quanto libet. Quare cum rei illius obliviscamur, cujus ideam longo tempore non reproducimus (§. 217.); rem istam oblivioni tradere valemus, cujus ideam pro arbitrio nostro vel reproducere, vel non reproducere possumus.

Utilitatem non exiguam habet præsens propositio in moralibus, ubi sæpius interest, ut norimus, utrum in potestate nostra positum sit, nec ne, ut quid oblivioni tradamus, ne præcipiamus, quæ fieri nequeunt. Ceterum dari talia, quorum ideas num reproducere velimus in potestate nostra positum est, obvia experientia confirmat.

§. 219.

Quando in re recognoscenda hæreamus.

Si rem antea perceptam sensu denuo percipiamus, & vi imaginationis reproducta ejus & rerum aliarum idea fuerit obscura; in ea recognoscenda hæremus seu certo eam recognoscere non valemus (§. 32. *Psych.* 181. *Ont.* 174. *Psych.*). Quoniam tamen idea illa obscura vi imaginationis reproducta ideæ rei sensu denuo perceptæ adhæret *per hypoth.* eique subinde, quæ clare percipiuntur, inesse

inesse possunt (§. 33.); anima ex idea confusa, quæ sensu perceptæ vi imaginationis adjungitur, rem recognoscere adsueta (§. 214.), aliquid adesse videt, unde res recognoscitur, quatenus nempe rei perceptæ imaginationis vi quædam reproducta idea adhæret, præsertim si ex iis, quæ obscuræ perceptioni clare percepta insunt, aliquid identitatis rei sensu perceptæ ac vi imaginationis repræsentatæ simul percipit. Ponitur igitur aliquid rationis, sed non sufficiens ad rem recognoscendam (§. 56. *Ontol.*), quatenus scilicet notio obscura & confusa in genere notionum conveniunt, a se invicem tamen differunt (§. 31. 39.), neque diversitas serierum, in quibus res nunc percepta & antea percepta continetur, clare percipitur. Quamobrem non prorsus impossibile nobis videtur, nos ideam ejus rei jam antea habuisse, immo subinde probabile videtur, nos eam jam ante habuisse (§. 549. *Log.*), certo tamen id nobis constare nequit (§. 545. *Log.*). Rem igitur sensu nunc perceptam certo recognoscere non valemus (§. 173.), seu in ea recognoscenda hæremus.

§. 220.

Si rei antea clare perceptæ idea vi imaginationis reproducta fuerit obscura; anima nonnullorum oblita est, quæ in eadem clare perceperat (§. 48. 32. 31. 216. 215.). Idea rei reproducta vi imaginationis quando sit obscura.

§. 221.

Idea rei, quæ percipitur, socia dicitur, idea tota composita, quæ vi ideæ rei, quæ jam percipitur, ab imaginatione producitur. Idea rei in præsenti perceptæ socia.

Ponamus te videre Titium in foro, quem ante videras in templo & ab imaginatione (§. 104.) produci ideam Titii tanquam sedentis in templo una cum partialibus aliis templi & rerum in eodem præsentium. Dicimus ideam totam compositam ex ideis templi, Titii, personarum ac rerum aliarum in templo præsentium ideam sociam Titii, quatenus eum jam in foro videmus, aut, si mavis, ideam sociam ideæ sensualis Titii, quam jam habes.

§. 222.

Si rem ante sensu perceptam sensu denuo percipias & in idea socia obscura aliquid tantummodo claritatis fuerit ideæ par- Quando nobis videamur rem antea perceptam jam

 tiali

vidisse, sed ignorantes quando & ubi.

tiali ejusdem rei; videris tibi rem antea percepisse, sed ubi vel quando perceperis, ignoras (§. 32. 221. 40. 104. 31. 214.).

Idem confirmatur a posteriori. Etenim casus hic frequentissimus est, quo personam, quam videmus, ita alloqui solemus: Videor me te alicubi vidisse, sed recordari nequeo, ubi & quando te viderim. Quodsi vero tunc temporis, quando aliquem ita alloquimur, ad nosmetipsos attendimus & ad interiora mentis rimanda satis acuti sumus; in id incidemus, quod in persona, quæ oculis nostris præsens sistitur, observatum nobis probabile reddit, quod eam jam alias viderimus. Mentis vero aciem in ipsam magis adhuc intendentes, ea intentione, num succurrat forsan locus vel tempus, quo personam istam vidimus; nonnisi obscuram quandam ideam animo obversari animadvertemus, quæ præter locum in genere, vel tempus seu successionem quandam, aut multitudinem in genere nil repræsentat, ut impossibile sit vel locum in specie, vel res, quarum successione notionem temporis habemus, vel res multitudinem constituentes agnosci ac a se invicem distingui.

§. 223.

Quando hæreamus in eo, quid alicubi perceperimus.

Si rem ante sensu perceptam sensu demuo percipias & in idea socia obscura aliquid tantummodo claritatis fuerit ideæ partiali rei alicujus antea cum præsente simul perceptæ; videris tibi rem, quam nunc percipis, quodam in loco, vel aliquo tempore, vel cum re quadam alia percepisse, etsi parum certus sis, num eadem præcise res fuerit, quam nunc percipis (§. 221. 104. 32. 214.).

Idem etiam ostenditur a posteriori. Casus enim propositioni præsenti respondens is est, quo rem quandam, veluti plantam exoticam, videntes in hæc verba erumpimus: videri nobis nos plantam istiusmodi jam vidisse in horto Titii; pro certo tamen id asseverare minime posse. Respondet etiam eidem casus alter agnatus, quo affirmamus, nos aliquid vidisse in horto Titii, sed quid fuerit non recordari. Prior nimirum casus obtinet, quando idea plantæ vi imaginationis producta vegetabile quodpiam in genere exhibet; casui autem posteriori locus

locus est, quando objecti in horto visi idea nonnisi ens in genere refert,

§. 224.

Si rem ante sensu perceptam sensu denuo percipis, & in idea socia obscura aliquid claritatis est ideæ partiali ejusdem rei, nec non ideæ partiali rei cujusdam alterius antea cum præsente simul perceptæ; videris tibi rem, quam nunc sensu percipis, antea percepisse quodam in loco, vel aliquo tempore, vel etiam cum re quadam, an tamen præcise hanc rem perceperis, & num hoc præcise in loco, vel hoc præcise tempore, vel cum hac præcise re eandem perceperis, pro certo asseverare non potes (§. 222 sq.). Quando utrumque contingat.

Confirmatur propositio præsens etiam a posteriori. Etenim eidem respondet casus, quo rem intuentes, quam percipimus, in hæc tandem verba erumpimus: videri nobis nos personam hanc vel rem præsentem vidisse in horto Titii, etsi id pro certo asseverare non possimus, scilicet quod hanc præcise personam, vel rem in horto præcise Titii viderimus; sed fieri posse, ut in utroque fallamur.

Atque ita casus singulos speciales contemplati sumus, in quibus anima in objectis denuo perceptis recognoscendis hæret (§. 219.).

§. 225.

Quoniam ideis particularibus, ex quibus socia constat (§. 221. 40.), diversi convenire possunt obscuritatis gradus, prout plus vel minus claritatis iisdem inest, seu in rebus obscure perceptis plura vel pauciora insunt, quæ clare percipiuntur (§. 33.); hæsitatio autem animæ in objectis recognoscendis ab idearum istarum obscuritate pendet (§ 222. & seqq.); *hæsitationis animæ in rebus recognoscendis pro diverso obscuritatis ideæ sociæ gradu diversi sunt gradus.* Diversi gradus hæsitationis animæ in recognoscendis rebus.

Experientia corollarium hoc generale propositionum præcedentium abunde confirmat.

§. 226.

Rei meminisse dicimur, quando ideam ejus reproductam reco- Rei quando meminerimus.

recognoſcere valemus, conſequenter nobis conſcii ſumus, nos eam jam antea habuiſſe (§. 173.).

E. gr. Narrat tibi Titius, qui peregre iter faciens te inviſit, quod tecum in Academia aliquoties converſatus fuerit, provocans ad circumſtantias ſingulares. Quodſi horum omnium tibi probe conſcius fueris, quod ita facta olim fuerint; reſpondes: te omnium probe meminiſſe. Reproducit Titius tibi ideas rerum antea factarum; quas tum, cum fierent, percepiſti, aut, ſi mavis, anſam earum reproducendarum tibi ſuppeditat. Dum tibi conſcius es, te illa olim percepiſſe, ideas reproductas recognoſcis (§. 173.). Dicis igitur te eorum meminiſſe, quia ideam eorum reproductam adhuc recognoſcis. Tamdiu adeo rei cujusdam meminimus, quamdiu ideam ejus reproductam recognoſcere valemus. Facultas ideam reproductam recognoſcendi memoria dicitur (§. 175.). Actum igitur memoriæ exprimimus dicentes, nos rei meminiſſe. Abſentia hujus actus non ſemper oblivionem in caſu dato denotat (§. 215.), adeoque nec quaſi ejus actum exprimimus dicentes, nos rei non meminiſſe.

§. 227.

Quando rei non meminiſſe & obliviſci dicamur.

Rei non meminiſſe dicimur, quando nobis videmur eam ante hac nondum percepiſſe. Aſt *rei obliti* dicimur, quando nobis conſcii ſumus nos ideam ejus percepiſſe, eam vero nunc reproducere non poſſumus.

§. 228.

Quid ſit in memoriam revocare.

Res illa, quæ jam percepta perceptioni alterius reproducendæ inſervit, eam nobis *in memoriam revocare* dicitur. Atque hinc affirmamus, quod *alter nobis in memoriam quid revocet, ſi in nobis producit ideam, cujus ope altera reproducitur.*

§. 229.

Difficultas ideas reproducendi & reproductas recognoſcendi.

Subinde ideam rei una cum re præſente perceptæ reproducere non poſſumus, vel etiam ideam rei antea perceptæ reproductam recognoſcere non valemus; ſed ejus ope reproducimus ideas rerum aliarum ſimul perceptarum & harum demum ſubſidio ideam illam, quam reproducere non poteramus, reproducimus, vel, quam recognoſcere non poteramus, recognoſcimus. Ponamus te vidiſſe Titium

Titium in templo & posthac de eodem sermonem incidere, quod in templo præsens fuerit. Vi autem ideæ templi, quæ audito nomine ab imaginatione producitur, ideam Titii reproducere nequis, quemadmodum per legem imaginationis fieri debere videbatur (§. 117.). Dum vero aciem mentis in ideam templi intendis; recurrunt ideæ personarum aliarum in templo visarum, in mentem veniunt cogitationes, quas easdem respiciens fovisti, & tandem eandem quoque subit idea Titii, in quem oculos te convertisse jam meministi, ubi cogitationes istas fovebas. Hic igitur templum & personam Titii simul percepisti: sed, dum templum denuo percipis, idea ejus vi imaginationis reproducta, non tamen simul reproducitur idea Titii, etsi eam reproducere intendas. Enimvero vi ideæ templi reproducuntur successive ideæ rerum aliarum, scilicet aliarum personarum visarum & cogitationum mentis, quas habuisti, donec tandem succedat Titii quoque idea, quam initio reproducere non poteras immediate ope ideæ templi.

§. 230.

Reminiscentiæ definitio.

Perceptionum præteritarum mediata reproductio & recognitio, aut, si mavis, facultas perceptiones præteritas mediate reproducendi & recognoscendi *Reminiscentia* dicitur. Vocatur etiam *Recordatio*.

§. 231.

Reminiscentiæ medium,

Dum rei cujusdam reminisci volumus, ad circumstantias loci & temporis aliasque res tum præsentes, quando eam percepimus, vel alias eidem similes, affines aut contrarias attendimus (§. 229.).

Eodem modo etiam utimur locis in tabulis mnemonicis, quoties non satis fidelem experimur memoriam in iis, quæ per tabulas mnemonicas disposita sunt, quemadmodum intelligitur ex iis, quæ de iisdem proposuimus in Horis subsecivis A. 1730. Trim. æstiv. num. III.

§. 232.

Recognitio rei oblivioni traditæ.

Quoniam eorum, quæ reminiscimur, ideam reproducere vel reproductas recognoscere non valemus, sicuti ceterorum, quorum meminimus (§. 229. 230.), eorum obliti nobis videmur (§. 215.). Quia tamen mediantibus perceptionibus præteritis aliis ideas

ideas iſtas tandem reproducimus & recognoſcimus (§. 230.); *dum rei reminiſcimur, eam recognoſcere nobis videmur, quam oblıti fueramus.*

§. 233.

Scholion generale.

Sufficiant hæc de facultatis cognoſcitivæ parte inferiori, quatenus eam a poſteriori agnoſcimus. Progrediendum nunc ad partem ſuperiorem, quatenus eadem experientia magiſtra cognoſcitur. A parte inferiori ad ſuperiorem non progreſſus fit per ſaltum, ſed per gradus intermedios.

SECTIO III.

DE

FACULTATIS COGNOSCENDI PARTE SUPERIORI.

CAPUT I.

DE

ATTENTIONE ET REFLEXIONE.

§. 234.

Apperceptionis dependentia a noſtro arbitrio.

Efficere poſſumus, ut in perceptione compoſita partialem unam magis appercipiamus, quam ceteras (§. 40. 25.). Hoc unusquisque quovis momento in ſe experiri poteſt.

§. 235.

Diverſitas claritatis in ſimul perceptis.

Dum perceptionem partialem magis appercipimus quam ceteras, quæ in eadem totali continentur; ea nobis ceteris clarior eſt. (§. 25. 24 31.).

§. 236.

§. 236.

Efficere ergo possumus, ut in perceptione composita partialis una majorem claritatem ceteris habeat (§ 234 sq.). Animæ potestas in claritatem perceptionum.

§. 237.

Facultas efficiendi, ut in perceptione composita partialis una majorem claritatem ceteris habeat, dicitur *Attentio*. Attentionis definitio.

§. 238.

Sensatio impedit, quo minus ad phantasma simus attenti, (§. 99. 25.), *& sensatio fortior impedit, quo minus ad debiliorem simus attenti* (§. 76.). Impedimenta attentionis a sensu objecta.

Propositioni huic notio communis respondet: unde audias vulgo omnes conqueri, sese non posse ad rem præsentem esse attentos, si organa sensoria ab objectis sensibilibus feriuntur.

§. 239.

Quare si ad phantasmata attenti esse velimus; ne objecta externa in organa sensoria agant, impedimus. Quomodo tollantur.

Videmus subinde oratores & concionatores clausis oculis orationem recitare, ne objecta visibilia impediant attentionem ad ea, quæ verbis proferunt. Alii oculos ab auditoribus avertunt, ne eorum conspectu ab attentione avocentur.

§. 240.

Attentio facilius conservatur, quando pauca in sensus externos agunt; difficilius vero, quando multa simul, præsertim fortiter, in organa sensoria agunt (§. 238.). Attentio quando facilius, quando difficilius conservetur.

Inde est, quod aurora dicatur Musis amica, quoniam matutino tempore pauca sunt objecta, quæ in organa sensoria agunt, cum nondum ferveat solis æstus, aër strepitu hominum non resonet, nec corpus sit sibimetipsi molestum, quemadmodum a prandio præsertim fieri solet. Accedunt rationes aliæ ab imaginatione, quæ ex sequentibus patent. Ex eadem ratione multi eruditorum lucubrationes amant, quæ tamen aliis incommodis premuntur.

§. 241.

Si multa phantasmata in imaginatione continuo sibi invicem succedunt; attentio difficulter conservatur. Nova enim con- Attentio ab imaginatione impedita.

tinuo nobis objiciuntur objecta, quorum nobis conscii sumus. Quare ubi ad ea attendimus, cessat attentio ad objectum, ad quod eandem conservare constitueramus.

Patet idem a posteriori.

Imaginatio sane non minus turbat attentionem, quam sensus: quod enim sensus efficit claritate, id imaginatio variatione ac novitate idearum.

§. 242.

Concursus sensuum atque imaginationis in impedienda attentione & imaginationis ea in re a sensu dependentia.

Sensus atque imaginatio in impedienda attentione vires mutuas conjungunt & imaginatio a sensu excitatur (§. 106. 117. 104.).

§. 243.

Gradus attentionis.

Aliorum attentio tanta est, ut vix ac ne vix quidem appercipiant objecta, quæ organa sensoria feriunt; aliorum attentio minor est, ut statim appercipiant objectum, quod vel leviter organum sensorium ferit. Prius autem non experiuntur in se nisi illi, qui longis, perplexis atque abstrusis meditationibus sunt adsueti. Vide de *Petro Remundo de Monmort Fontenellium* in historia acad. Reg. scient. A. 1719. p. 115. edit. Bat. Tanta attentione utentes ad objectum præsens, non sunt sibi conscii eorum, quæ sensu percipiunt, & sese excusant, quod hoc vel istud non audiverint, seu non viderint, quod non attenderint.

Gradus hic in aliis major est, in aliis minor: in omnibus haud quaquam idem. Cavendum vero, ne ex uno exemplo judicemus de eo, quod in omni casu obtinet, aut obtinere debet.

§. 244.

Alius attentionis gradus.

Alii attentionem ad idem objectum diu conservare possunt; aliorum attentio statim exspirat. Quanta fuerit attentio *Clavii*, ex solo Mathematici hujus opere de Astrolabio intelligitur, quod Operum Tomo tertio legitur: etenim schemata tam implexa sunt ac intricata, demonstrationes tam prolixæ, ut *Tacquetus* Opticæ lib. 3. f. 178. sibi persuadere minime possit, quod ullus unquam mortalium volumen istud totum perlegerit. Testatur idem opus ejus Gnomonicum, quod Tomo quarto Operum continetur: in eo enim demonstrationes non minus sunt pro-

prolixæ, ſchemata non minus implexa ac intricata, ut adeo exercendæ patientiæ in conſervanda attentione inſervire poſſit. Quamdiu *Walliſius* attentionem ſuam conſervare potuerit, ex Mechanicorum ſive Tractatus de motu parte ſecunda, quæ eſt de centro gravitatis ejusque calculo & Operum Vol. II. f. 643. & ſqq. legitur, ſatis intelligitur.

Habemus hic alteram attentionis menſuram, tempus ſcilicet, per quod ea continuatur.

§. 245.

Alii ad plura ſimul attenti eſſe poſſunt; alii nonniſi ad unum. Exemplo hic nobis eſt *Julius Cæſar*, quem eodem tempore, quo ipſe epiſtolam ſcripſit, quatuor quoque aliis epiſtolas dictare potuiſſe conſtat, immo, qui ſeptem epiſtolas diverſas eodem tempore dictare potuit, ſi ipſemet nullam ſcriberet. Gradus attentionis alius.

§. 246.

Alii eandem attentionem afferre poſſunt ad objectum quodcunque; alii ad quædam nullam prorſus, ad alia vix levem quandam afferunt attentionem. Prout enim unumquemque ſua trahit voluptas, attentione quoque ſua utitur. Alius attentionis gradus.

§. 247.

Alii ad rem præſentem, quæcunque tandem fuerit, omnem afferre poſſunt atque ſolent attentionem: alii animum ſemper habent abſentem, niſi objectum fuerit præſens, ad quod attentionem adhibere adſueti ſunt. Alius attentionis gradus.

Plurimum utilitatis habet animus ad omnia præſens: plurimum vero obeſt, ſi quis animo conſtanter abſens fuerit. Ex defectu attentionis ad rem quamlibet præſentem conſtanter afferendæ culpa oritur, quam Moraliſtæ & JCti in actionibus humanis dolo opponunt, & qua plurimum damni datur aliis, plurimum quoque damni arceſſunt ſibimetipſi agentes.

§. 248.

Gradus attentionis exercitatione comparantur. Infantes recens nati ad nihil prorſus attenti ſunt, ſed ſucceſſive illorum ad objecta nonnulla excitanda attentio eſt, atque ita demum Gradus attentionis comparandi modus.

ad aliqua attendere adsuescunt. Etsi autem successu temporis ad objecta nonnulla attendere discant; levis tamen tantummodo eorum attentio est, nec provectiore ætate ad eximium quendam gradum promovetur, nisi actus ad eum spectantes sæpius iterentur, adeoque exercitia præcedant (§. 195.).

§. 249.

Modus acquirendi potentiam attentionis inter impedimenta sensuum conservandæ.

Si quis potentiam attentionem inter multos strepitus, seu in genere inter vehementes objectorum in organa sensoria actiones conservandi sibi comparare voluerit; sæpius omnem adhibere debet conatum eandem inter strepitus sensim sensimque majores, vel actiones objectorum in organa sensoria sensim sensimque vehementiores ad objectum aliquod pro arbitrio conservandi. Cum attentiones duorum subjectorum in hoc casu sint inæquales (§. 243. *Psych.* 341. 352. 354. *Ontol.*); erunt quantitate diversæ (§. 350. *Ontol.*), consequenter attentio quantitatem habet. Enimvero quia attentio est animæ quædam facultas (§. 237.), in numero determinationum intrinsecarum animæ (§. 122. 545. *Ontol.*), adeoque qualitas animæ est (§. 455. *Ontol.*). Ergo potentia conservandi attentionem inter multos strepitus, seu vehementes actiones objectorum in organa sensoria est qualitatis cujusdam quantitas, consequenter gradus quidam (§. 747. *Ontol.*). Jam vero gradus attentionis exercitio comparantur (§. 248.). Ergo exercitio quoque comparatur potentia conservandi attentionem inter multos strepitus, seu vehementes quascunque objectorum externorum actiones in sensoria organa. Jam vid. §. 195.

§. 250.

Diuturna attentio quomodo acquiratur.

Si quis attentionem diu ad idem objectum conservandi potentiam sibi comparare voluerit; is omnem conatum adhibere debet, ut sensim sensimque per temporis spatium longius conservet (§. 248.).

Influit in hunc attentionis gradum appetitus multiplici modo ac plurimæ ipsius in hoc negotio sunt partes. Ceterum si quis in disciplinis diu conservandæ attentionis potentiam sibi comparare voluerit, ei nil quicquam magis ad donum hoc eximium consequendum prodest demonstrationum continuo longiorum evolutione & calculorum continuo prolixio-

prolixiorum ac intricatiorum tractatione. Vide de *Varignonio Fontenellium* in hist. acad. Reg. scient. A. 1722. p. 192. ed. Bat.

§. 251.

Si quis ad plura simul attentionem adhibendi potentiam sibi comparare velit; is sibi primum acquirit potentiam attentionem tamdiu ad idem objectum conservandi, quamdiu voluerit, immo etiam inter quascunque objectorum in sensus externos actiones; deinde attentionem partiatur inter objecta duo, felicique progressu potitus inter plura, quamdiu ipsi progredi datum fuerit. (§. 248 sq. 195. 250.).

Modus acquirendi potentiam partiendi inter objecta plura attentionem.

§. 252.

Si quis animum indifferentem ad quodlibet objectum efficere velit, ut eandem ad quodvis attentionem afferre possit; is omnem adhibere debet conatum, ut ad objecta non modo quævis obvia, sed studio etiam quæsita, inprimis ad ea, quæ attentione sua indigna judicat, & a quibus quasi retrahitur animus, attendat (§. 249. 248. 195.).

Indifferentia attentionis.

§. 253.

Qui indifferentiam attentionis ad objecta quælibet sibi comparat, eadem industria acquirere potest potentiam ad rem præsentem, quæcunque tandem fuerit, omnem afferendi attentionem (§. 252. 195. 248.). Idem patet ex §. 249. 248. 195.

Præsentia animi quomodo acquiratur.

Sunt multa motiva particularia, quibus determinamur ad animum rebus præsentibus continuo præsentem, sed hæc ad philosophiam potius moralem, quam ad Psychologiam spectant.

§. 254.

Gradus quilibet attentionis diu intermisso ejus usu iterum amittitur (§. 248.).

Quomodo attentionis gradus semel acquisitus amittatur.

§. 255.

Gradus quilibet attentionis continuo usu & conservatur, & perficitur (§. 248. 195.).

Quomodo attentionis gradus conservetur & perficiatur.

§. 256.

Attentionem nostram successive ad alias aliasque partes perceptionis totalis promovere valemus, prouti visum nobis fuerit.

Attentionis directio pro

 Videmus

arbitrio variabilis.

Videmus adeo attentionis directionem pendere ab arbitrio nostro, etsi hic exercitio opus sit, ut magis eidem subjiciatur.

§. 257.

Reflexionis definitio.

Attentionis successiva directio ad ea, quæ in re percepta insunt, dicitur *Reflexio.* Unde simul liquet, quid sit *Facultas reflectendi*, scilicet quod sit facultas attentionem suam successive ad ea, quæ in re percepta insunt, pro arbitrio dirigendi. Quare cum constet, quod attentionem nostram successive ad alias aliasque partes perceptionis totalis promovere valeamus, prouti nobis visum fuerit (§. 256.); *anima habet facultatem super rebus perceptis reflectendi.*

§. 258.

Quænam per actus reflexos distinguamus in re percepta.

Si super re percepta reflectimus, eorum, quæ eidem insunt diversa, vel ad eandem quomodocunque pertinent, nobis conscii sumus & ea a re, cui insunt, diversa esse agnoscimus (§. 257. 237. 235. 25. 226. *Psych.* 183. *Ont.*).

Si super arbore reflectimus successive attentionem nostram dirigimus ad folia, surculos, ramos, truncum. Dum attentionem nostram ad folia dirigimus, magis nobis conscii sumus, quod jam percipiamus folia, quam quod simul surculos, ramos & truncum percipiamus. Similiter dum attentionem nostram ad surculos dirigimus, magis nobis conscii sumus, quod jam surculos percipiamus, quam quod simul folia, ramos & truncum percipiamus, ac ita porro. Sigillatim igitur nobis conscii sumus foliorum, surculorum, ramorum, trunci, hoc est, eorum, ex quibus arbor constat, simulque nobis conscii sumus, quod eorundem sigillatim nobis conscii simus. Enimvero dum attentionem ad integram arborem iterum dirigimus, memoria nobis suggerit, nos folia sigillatim modo percepisse & eadem est surculorum, ramorum atque trunci memoria. Atque inde colligimus folia esse ab integra arbore diversa, eodemque modo agnoscimus surculorum, ramorum atque trunci ab eodem diversitatem (§. 183. *Ont.*).

§. 259.

Collatio rerum perceptarum.

Si attentionem nostram primum in A, deinde in B sigillatim, mox in A & B simul dirigimus; A & B *inter se conferre* dicimur. Est adeo *Rerum perceptarum collatio* attentionis primum in

in ſingulas, mox in duas vel plures ſimul facta directio. Quoniam attentionem noſtram ſucceſſive ad alia aliaque, prout nobis commodum viſum fuerit, dirigere valemus (§. 256.); *res* quoque *perceptas inter ſe conferre valemus.*

Ponamus te attentionem tuam dirigere ad arborem integram, mox ſigillatim ad folia, ſurculos, ramos & truncum. Deprehendes in poteſtate tua poſitum eſſe, ut attentionem ad folia & ſurculum ſimul dirigas, atque tibi eorum ſimul, ſed tanquam a ſe invicem diverſorum ſis conſcius. Dum hoc facis, folia & ſurculum inter ſe conferre diceris. Inſunt huic collationi plures animæ operationes, & dum attentio huc illucque ſeu a re percepta una ad alterám continuo retrahitur, memoria quoque cum imaginatione ſeſe immiſcet.

§. 260.

Dum ſuper rebus perceptis reflectimus, eas quoque inter ſe conferimus (§. 257.). Quoniam itaque directio attentionis ab arbitrio noſtro pendet; ad bina quoque ſimul eandem dirigere valemus, ad quæ eandem ſigillatim direxeramus. E. (§. 259.). Quod pertineat ad reflexionem.

Eſt nempe rerum perceptarum collatio actus quidam ſpecialis reflexionis, etſi non ſimplex, ſed in varios alios reſolubilis (*not.* §. 259.). Hic ſane actus ſeſe exerit, dum quæ in re percepta diverſa inſunt tanquam diverſa agnoſcimus (§. 258.).

§. 261.

Anima quoque ſuper ſeipſa & actibus ſuis reflectere poteſt (§. 20. 24 ſq. 234 ſq. 237. 257.). Reflexio animæ ſuper ſeipſa.

Quicquid in Pſychologia empirica traditur, illud cognoſcimus, quatenus ſuper iis, quæ in ſeipſa mens obſervat, reflectimus. Hæc tamen reflexio ſingulare quoddam acumen præſupponit.

§. 262.

Actus reflexi dicuntur omnes animæ actiones, quæ reflexionem ingrediuntur. Actus reflexi.

Iſtiusmodi actus nulli ſeſe exerunt in infantibus recens natis. Immo nec adulti ſuper rebus omnibus ac actionibus ſuis reflectere ſolent.

§. 263.

§. 263.

Reflexio super re quacunque obvia quomodo acquiratur.

Continuo exercitio super re quacunque obvia singulisque nostris actionibus reflectere adsuescimus (§. 195. 262. 237. 104. 174. 173.).

§. 264.

Impedimenta reflexionis.

Quæ attentioni obstant, ea quoque impedimento sunt reflexioni (§. 257.). Vide §. 238. 241.

Inferius patebit, quæ obstacula attentioni appetitus objiciat. Non igitur opus est, ut de impedimentis reflexionis specialiora proferamus. Equidem est quædam etiam ad reflectendum super re percepta aptitudo, quæ ubi deficit, parum hac in re profeceris: sed ejus defectum non commode inter impedimenta referre potes. Impedimentum enim supponit in agente aptitudinem ad agendum.

§. 265.

Medium reflexionis.

Quoniam igitur potentiam conservandi attentionem nobis exercitio acquirere valemus (§. 248.), ad reflexionem vero conservatione attentionis opus habemus (§. 264.); *si quis absque obstaculo super rebus perceptis reflectere velit, is attentionis conservandæ potentiam sibi comparare debet.* Vid. §. 249 sqq.

CAPUT II.

DE

INTELLECTU IN GENERE ET DIFFERENTIA COGNITIONIS.

§. 266.

Quando rem distincte percipiamus.

DUm super re percepta reflectimus, distincte eam percipimus (§. 258. 38.).

§. 267.

Modus perveniendi ad perceptionem distinctam.

Multarum ergo *rerum perceptiones distinctas consecuturi super iis reflectere debemus* (§. 266.).

Patet

Patet adeo modus perveniendi ad perceptiones rerum distinctas. Plurima tamen adhuc subsidia supersunt, quæ ex sequentibus manifesta evadent.

§. 268.

Dum super re percepta reflectimus & eam vel cum aliis simul perceptis, vel cum aliis, quarum meminimus, conferimus; perceptiones specierum ac generum acquirimus (§. 258. *Psych.* 195. 211. 233 sq. *Ont.*). Quomodo ad perceptiones universales perveniatur.

§. 269.

Rerum genera & species a se invicem discreturi per sonos quosdam articulatos ea indicare solemus. Res facti non aliter quam a posteriori probari potest. Quomodo genera & species rerum indigitentur.

§. 270.

Soni ergo *articulati, quibus genera & species rerum, vel etiam individua indigitantur, sunt signa generum & specierum, vel etiam individuorum* (§. 269.). Signa generum, specierum & individuorum.

§. 271.

Voces articulatæ, quibus res perceptas aut perceptiones nostras indigitamus, dicuntur *Vocabula*, ut adeo *Vocabula* sint signa nostrarum perceptionum, vel rerum per eas repræsentatarum. Vocabula quid sint.

§. 272.

Quoniam vis significandi vocabulorum ab arbitrio hominum pendet, quod per se patet; *Vocabula signa artificialia sunt* (§. 958. *Ont.*), consequenter *nil quicquam obstat, quo minus iisdem tribuatur significatus prorsus contrarius, vel ut eidem vocabulo tribuantur diversi simul significatus, vel eadem res diversis indigitetur vocabulis* (§. 959. *Ont.*). Qualia signa sint vocabula.

§. 273.

Si quis vocabulum & rem eodem denotatam sæpius una percepit; vocabulo audito rei quoque, quam denotat, meminit (§. 117. 213. 226.), & contra *idea rei sive sensus, sive vi imaginationis resuscitata, vocabuli ejusque significatus meminit* (§. 117. 213. 226.). Quomodo vocabula ideam rei in memoriam revocent & contra.

Atque ita apparet, quomodo linguam vernaculam, vel etiam ipso usu quamcunque aliam discamus, & cur infantes successu demum temporis vocabula intelligere discant. Quod vero eadem ante intelligant, quam eloqui valeant, id quidem inde est, quod voces formentur variis organorum loquelæ motibus, motus vero istos prompte producendi potentia nonnisi multo exercitio acquiratur.

§. 274.

Modus addiscendi linguas exoticas.

Si quis vocabula diversarum linguarum sæpius simul percipit, audito uno meminit etiam alterius ac communis utriusque significatus (§. 117. 213. 226.).

Nos non alio uti modo linguas exoticas addiscendi, quam ut ideas vocabulorum in utraque lingua idem significantium sæpius una excitemus & super iis reflectentes communis utriusque significatus ideam superaddamus, quatenus utrumque ad eandem rem referimus; nemo est qui ignorat.

§. 275.

Intellectus quid dicatur.

Facultas res distincte repræsentandi dicitur *Intellectus*.

Quodsi ergo facultatem cognoscendi excutias; cognosces res repræsentari vel confuse per imagines, vel distincte distinguendo a se invicem, quæ in imaginibus insunt, eademque ab imaginibus separando. Dum confuse res percipimus, ea vel præsentia, vel absentia sunt. Triplex adeo in repræsentatione rerum discrimen occurrit. Quamobrem tribus opus habemus vocabulis. Habemus tria vulgo vocabula, quæ de facultate cognoscendi usurpantur, sensum, imaginationem & intellectum. Diximus in superioribus (§. 55.) facultatem cognoscendi superiorem, qua ideas & notiones distinctas acquirimus, Intellectus adeo & facultas superior cognoscendi synonyma videntur. Quodsi tamen acumine profundiori in differentiam penetrare volueris, facultatem cognoscendi superiorem latius patere deprehendes, quam intellectum. Etenim ad acquirendas ideas ac notiones distinctas plura requiruntur, quam repræsentatio rerum distincta in universali, seu ipse repræsentandi actus proximus, etsi remote in eundem influant.

§ 276.

§. 276.

Quo plura igitur *distincte quis sibi repræsentare potest; eo major est intellectus (§. 275.).* Gradus intellectus objectivus.

Habemus adeo primum gradum intellectus, qui ab objecto desumitur, ac ideo *gradus objectivus* appellari potest.

§. 277.

Quo plura quis in eodem subjecto distinguit; eo major est intellectus (§. 275.). Gradus intellectus formalis.

Habemus adeo alterum intellectus gradum, qui cum a forma seu modo repræsentationis petatur, *gradus formalis* vocari potest.

§. 278.

Intellectus major concipi nequit, quam qui omnia possibilia distincte sibi repræsentare valet, consequenter *intellectus omnia possibilia distincte repræsentans erit omnium maximus,* seu *absolute summus* (§. 275. 77.). Intellectus quinam maximus.

§. 279.

Intellectus noster limitatus est tum quoad objectum, tum quoad modum repræsentandi objecta (§. 468. *Ont.*). Limitatio intellectus humani.

Duplex datur, uti graduum (§. 276. 277.), ita etiam limitationis fundamentum, objectum scilicet ac modus repræsentandi objectum.

§. 280.

Si quid vocabulis indigitare valemus, id *enunciare* dicimur: ut adeo *enunciabile* dicatur, quod verbis indigitari potest. Enunciabile quid sit.

§. 281.

Quicquid in idea rei distingui ab alio potest, id etiam enunciabile est (§. 272. *Psych.* 958. *Ont.* 280. *Psych.*) Quædam enunciabilia sint.

Non licet excipere, quod tot vocabula inveniri nequeant, quot diversa perceptibilia deprehenduntur. Etsi enim difficile, si non prorsus impossibile sit, ut numerus perceptibilium cum numero vocabulorum vi combinationum literarum utilium ac scopo præsenti convenientium possibilium conferamus; constat tamen eidem vocabulo diversos attribui

 posse

posse significatus, si vel maxime concedas, tot vocabula apta excogitari non posse, quot perceptibilia a nobis distingui possunt (§. 272.), atque idem fieri absque ulla confusione ipso facto experimur. Exempli loco esse possunt, quæ in Horis subsecivis A. 1730. Trim. æst. n. IV. de notione naturalis, præternaturalis & non naturalis dicta sunt.

§. 282.

Facultas abstrahendi quid sit.

Si ea, quæ in perceptione distinguuntur, tanquam a re percepta sejuncta intuemur; ea *abstrahere* dicimur. Eatenus igitur menti tribuitur *facultas abstrahendi*, quatenus ea, quæ rei perceptæ insunt, tanquam ab eadem sejuncta spectamus.

Temperantiam considerare possumus, nulla habita attentione ad subjectum, cui habitus iste inest, tumque dicimur temperantiam considerare in abstracto. Et quando videmus hominem temperantem &, quæ ex actibus illius colligimus, tanquam ab eodem sejuncta spectamus; ea ab eodem abstrahere dicimur, quæ ad notionem temperantiæ spectant.

§. 283.

Notiones generum & specierum per abstractionem formatæ.

Si ea, quæ in individuis eadem sunt, atque constanter insunt vel inesse intelliguntur, tanquam ab iisdem sejuncta spectamus, notiones specierum atque generum consequimur, consequenter *notiones specierum atque generum per abstractionem formamus* (§. 233 sq 195. *Ont.*).

Concurrit adeo in formandis notionibus generum & specierum sensu duce attentio, reflexio, abstractio præter imaginationem atque memoriam.

§. 284.

Quomodo abstractiones fiant claræ ac distinctæ.

Si, quæ ab alio abstrahimus, ea vocabulis peculiaribus designamus & hoc modo abstractiones fiunt magis claræ ac distinctæ (§. 282. 271. 235. 237. 258. 280 273. 226. 31. 38.).

Quantum vocabulorum usus huc conferat, ut abstractiones fiant claræ atque distinctæ, ipso facto experimur. Sane vocabulis adsueti iisdem ita inhæremus, ut absque iis non cogitemus de rebus, præsertim ubi super iisdem reflectere velimus: quæ sane ratio est, cur plurimi

qui sibi persuaserint, nos absque vocabulorum usu de rebus cogitare non posse, animadvertentes scilicet nos tacite nobismetipsis loqui, quando de rebus cogitare intendimus.

§. 285.

Si, quæ ab aliis abstrahimus, ea vocabulis peculiaribus designamus; abstracta facilius memoriæ mandantur & diutius retinentur (§. 284. 200.). Subsidium memoriæ in retinendis abstractis.

§. 286.

Cognitio, quæ ipso idearum intuitu absolvitur, dicitur *intuitiva*, seu, *rem intuitive cognoscere* dicimur, quatenus ideæ ejus, quam habemus, nobis sumus conscii. Cognitionis intuitivæ definitio.

E. gr. Dum arborem præsentem intueor, mihique conscius sum eorum, quæ in eadem obtutu comprehendo; intuitivam arboris habeo cognitionem.

§. 287.

Si in cognitione intuitiva ideæ rei tantummodo mihi conscius sum, seu attentionem in tota simul defigo; cognitio confusa est (§. 237. 281. 286. 39.): *si vero super eadem reflecto, distincta* (§. 258. 281. 38.). Cognitio intuitiva quando confusa, quando distincta.

E. gr. Quando arborem intuitive cognosco & attentionem in tota simul defigo, mihi tantummodo conscius sum me jam arborem videre, vel imaginari, & magis quidem mihi conscius sum me jam ideam arboris habere, quam quod simul videam vel imaginer objecta alia. Quare cum intuitiva cognitio non egrediatur terminos confusæ perceptionis, & tota hac absolvatur, confusa utique est. Enimvero ponamus nos jam super arbore reflectere; ab ea folia, surculos, ramos, truncum, tum etiam singula hæc a se invicem distinguimus. Nostra igitur intuitiva arboris cognitio distincta est.

§. 288.

Cognitio intuitiva distincta est, quatenus attentionem nostram successive ad singula dirigimus, mox ad plura simul retrahimus (§. 259. 257. 258. 260.). Actus cognitionis intuitivæ distinctæ.

Qui verbis constanter uti adsuevere, dum super rebus reflectunt; illi ægre experimentum propositionis præsentis in se capere possunt.

 Sup-

Supponimus nimirum, ubi de cognitione rerum intuitiva nobis ſermo eſt, nulla nobis eſſe vocabula, quibus tum ea, quæ in re percepta diſcernuntur, tum res percepta ipſa indigitari poſſunt.

§. 289.

Cognitio ſymbolica quænam dicatur.

Quodſi cognitio noſtra terminatur actu, quo verbis tantum enunciamus, quæ in ideis continentur, vel aliis ſignis eadem repræſentamus, ideas vero ipſas verbis aut ſignis aliis indigitatas non intuemur; *cognitio ſymbolica* eſt.

Ita cognitionem ſymbolicam habeo trianguli, ſi cogito ipſum eſſe figuram tribus lineis terminatam, trianguli vero ideam nullam, multo minus linearum, quibus terminatur, ac numeri ternarii earundem ideas intueor.

§. 290.

Signorum uſus in compendioſa ſcriptione.

Si ad res quasdam denotandas utamur loco vocabulorum ſignis primitivis; ea nonniſi compendioſæ ſcriptioni inſerviunt. Etenim ſi ſigna ſunt primitiva, ab aliis ſignis ſe prioribus ortum non trahunt (§. 964. *Ontol.*), adeoque ſimplicia ſunt (§. 673. *Ont.*). Enimvero vocabula, etſi ſignificatus eorum primitivus ſit, ex pluribus tamen literis componuntur, adeoque materialiter conſideratæ, ex ſignis aliis ſimplicioribus conſtant. Signa igitur primitiva a vocabulis diverſa compendioſius ſcribi poſſunt, quam vocabula iisdem æquipollentia. E.

Iſtiusmodi ſigna in Aſtronomia occurrunt. Sunt enim talia ſigna planetarum & ſigna ſignorum eclipticæ. Signum Saturni e. gr. eſt ♄, Jovis ♃, Veneris ♀. Vocabulum *Saturnus* octo, *Jupiter* ſeptem, *Venus* quinque literis conſtat; ſigna autem, quibus utuntur Aſtronomi, ſunt ſimplicia, ex aliis ſimplicioribus minime compoſita.

§. 291.

Signa occulta.

Si loco vocabulorum utamur ſignis, quorum ſignificatus occultatur; rebus occulte ſignificandis inſerviunt (§. 117.).

Exempli loco nobis eſſe poſſunt ſigna cryptographica, quibus epiſtolas occulte ſcribimus, ut eas videns legere non poſſit, niſi clavem habuerit, aut, ſi fieri poſſit, eruere noverit. Dicitur autem clavis ſignificatus ſignorum primitivorum, quorum combinatione reſultat ſignum ſcripturæ. Vulgo utuntur notis numericis loco literarum & hiſce ſignifica-

significatum arbitrarium tribuunt, quatenus eædem in literarum locum surrogantur. Clavem habet, qui novit, quænam notis numericis respondeant literæ. Pertinet huc etiam mos scribendi veterum hieroglyphicus, & sub præsente etiam propositione continentur icones Alchymistarum, quibus processus occultare solent.

§. 292.

Si quæ notionem rei ingrediuntur, signis denotantur a vocabulis diversis; eorum combinatione distinctam rei notionem veluti spectandam exhibere licet (§. 117.). **Signa notionibus rerum distinctis exhibendis apta.**

Exemplo nobis est Algebra. Solutiones enim problematum, hoc est, notiones distinctas constructionis problematum, vel regularum ex datis numeris investigandi quæsitos, exprimimus formulis, in quibus quantitatum seu numerorum datorum signa mediantibus signis operationum arithmeticarum combinamus. Habemus quoque hodie signa artis saltatoriæ a *Fevilleto* in Choregraphia exposita. Ope eorundem saltationes noviter inventæ absenti communicari facilius ac multo brevius possunt, quam si verbis describendæ forent. In eundem censum veniunt notæ musicæ, nec a præsente foro aliena sunt signa, quibus utimur ad notiones modorum syllogismorum distinctas exhibendas (§. 370. *Log.*).

§. 293.

Si notæ seu notiones irresolubiles signis primitivis exprimuntur & inde signa derivativa notionum distinctarum, hoc est, tam definitionum, quam propositionum distinctarum formantur; signa vocabulorum vicaria sunt ad inveniendum utilia (§. 348 sq. 695. *Log.*). De possibilitate hujus hypotheseos vide §. 965 sqq. *Ont.* ad illustrationem vid. §. 163 sqq. *Psych.* **Signa ad inveniendum apta.**

Ceterum exemplum istiusmodi signorum dedi in Arithmetica, quæ in numero Elementorum Matheseos Latino idiomate evulgatorum continetur, ubi charactere derivativo proportionis utor ad demonstrandum theoremata de magnitudinum ac numerorum ratione. In Algebra tot occurrunt exempla, quot dantur problemata per regulas Algebræ solvenda.

§. 294.

Artis characteristicæ definitio.

Ars characteristica appellatur ea, quæ explicat signorum in rebus aut eorundem perceptionibus denotandis usum.

Ars hæc adhuc in desideratis est, quemadmodum jam alias monuimus (*not.* §. 965. *Ontol.*). Quoniam vocabula ipsa, quibus ad perceptiones vel res iisdem repræsentatas exprimendas utimur, in horum signorum numero sunt (§. 271.); principia Grammaticæ universalis ex arte characteristica petenda. Ceterum cum exempla in notis numericis earumque in Arithmetica usu atque inprimis in calculo specioso Algebræ habeamus; inde generalia quædam principia hujus artis abstrahi possunt, quibus deinde via ad ulteriora sternitur. Immo non inutile est notiones generales abstrahere a signis quibusvis vocabulorum vicariis, quæ in iisdem latent.

§. 295.

Illius potissimum objectum.

Quoniam inter signa vocabulorum vicaria eminent ea, quæ ad inveniendum apta sunt; *In arte characteristica signorum ad inveniendum utilium ratio inprimis explicari debet.*

In Algebra istiusmodi signa habemus pro quantitatibus; sed desiderantur talia in philosophia pro rerum qualitatibus.

§. 296.

Quando signa ad inveniendum apta adhiberi possint.

Si ope signorum ad inveniendum utilium ex cognitis incognita investigari debent; modus combinandi signa & combinationem variandi perspectus esse debet (§. 695. 522 sqq. *Log.*).

His uberior lux affundetur olim in Arte inveniendi. Quodsi tamen quis probe attenderit ad analysin demonstrationum, quam dedimus in Logica (§. 512. & seqq.) eandemque juxta istud exemplar in aliis demonstrationibus instituerit, ac præterea in Algebra tum ad æquationes ex datis erutas, tum ad formulas per illarum reductiones repertas eam attentionem attulit, quæ ad reflexiones logicas sufficit; ei profecto nihil in tota demonstratione occurret, quod non sit evidens.

§. 297.

Artis characteristicæ combinatoriæ definitio.

Ars illa, quæ docet signa ad inveniendum utilia & modum eadem combinandi eorundemque combinationem certa lege variandi, dicitur *Ars characteristica combinatoria.* Vocatur a *Leibnitio* etiam *speciosa generalis.*

§. 298.

§. 298.

Calculus in genere est inventio alicujus signi seu characteris derivativi ex aliis sive primitivis, sive derivativis per continuam æquivalentium substitutionem.

Calculi generalis definitio.

Non alia est notio calculi in genere, quæ a calculo vulgari arithmetico abstrahitur, eademque calculo communi arithmetico ac algebraico communis est.

§. 299.

In arte combinatoria characteristica veritates inveniuntur per speciem quandam calculi (§. 297 sq.).

Modus inveniendi veritatem in arte combinatoria characteristica.

§. 300.

Si per artem characteristicam combinatoriam quædam invenienda, notiones irresolubiles seu primitivæ in suo genere determinandæ, modique combinationum & variationum istarum possibiles ante determinandi (§. 297.).

Quæ ars combinatoria characteristica præsupponat.

Primum specimen artis combinatoriæ characteristicæ habuimus in Arithmetica, ubi notio irresolubilis est unitas, quæ ideo tanquam indivisibilis spectatur. Ex unitate derivantur numeri per ejus iteratam positionem, atque inde constituuntur notiones aliæ, quæ tanquam irresolubiles, subinde etiam tanquam resolubiles spectantur, prout commodum visum fuerit. Reducuntur modi numeros variandi ad numerum determinatum & axiomata seu regulæ generales utendi istis variationibus præmittuntur. Hisce demum præmissis de characteribus commodis, modoque eos combinandi ac combinatos variandi cogitare licuit. Sunt nimirum characteres primitivi 1, 2, 3 4, 5, 6, 7, 8, 9, 0. Combinantur iidem per valorem localem ad denotandum numerum quemvis assignabilem, variantur per substitutiones characterum æquivalentium, quos exhibent tabulæ algorithmi, quarum vulgo tantummodo construitur ea, quæ in usum multiplicationis ac divisionis servit, etsi etiam pro additione atque subtractione tales construi possint, utut facilitatis gratia, & quod iis carere possimus, omittantur. Extra Mathesin hactenus non occurrit in philosophia artis characteristicæ exemplum, quam in doctrina syllogistica de modis syllogismorum.

§. 301.

Difficultas artis combinatoriæ characteristicæ inveniendæ.

Quoniam notæ irresolubiles in suo genere determinari nequeunt, nisi dentur rerum notiones adæquatæ (§. 94. 95. *Log.*), notionum vero adæquatarum investigatio seu notionum in notas irresolubiles resolutio non adeo facilis, in tanta præsertim disciplinarum imperfectione, neque commoda signorum seu characterum inventio unicuique statim obvia; *Artis combinatoriæ characteristicæ generalis inventio difficillima est*, *nec ante in potestate erit*, *quam disciplinæ magis fuerint excultæ.*

§. 302.

Linguæ & Scripturæ universalis definitio.

Lingua universalis dicitur, quam omnes omnium linguarum gentes intelligere possunt. Similiter *Scriptura universalis* dicitur, quam omnes omnium linguarum gentes intelligere possunt.

§. 303.

Linguæ philosophicæ definitio.

Lingua philosophica dicitur, in qua vocabula significatum essentialem habent. Sunt autem *vocabula essentialiter significantia*, quæ sunt signa derivativa notionum distinctarum, minimum definitionum.

In lingua philosophica vocabula distincte repræsentare debent determinationes rei intrinsecas, minimum tot, quot definitioni sufficiunt.

§. 304.

Signorum derivativorum in arte characteristica significatus essentialis.

In arte characteristica combinatoria signa derivativa significatum essentialem habent (§. 297. 293. 303.).

§. 305.

Lingua & scriptura universalis unde pendeat.

In arte combinatoria characteristica signa derivativa seu characteres derivativi linguam quandam seu scripturam universalem constituunt (§ 304. 303. 302.).

Probant id exempla artis combinatoriæ characteristicæ, quæ prostant. Pertinent huc notæ numericæ in Arithmetica vulgari, quæ ab omnibus gentibus intelligi queunt. Huc etiam faciunt signa & characteres in formula algebraica, nec non vocabula, quibus modi syllogismorum denotantur.

§. 306.

§. 306.

Signa derivativa in arte combinatoria characteristica linguam quandam philosophicam constituunt (§. 304. 303.). Lingua philosophica unde pendeat.

Patet hoc ex nominibus modorum syllogismorum in qualibet figura.

§. 307.

Quoniam ars combinatoria characteristica non modo speciem quandam scripturæ seu linguæ universalis (§. 305.); verum etiam speciem quandam linguæ philosophicæ exhibet (§. 306.); *Ars combinatoria characteristica speciem scripturæ philosophicæ offert ab ea, quam cogitarunt alii, prorsus diversam* (§. 302.). Lingua universalis præstantissima

Nimirum alii non intendunt nisi characteres communes, quibus unusquisque in sua lingua scribit & quos unusquisque in sua explicat, cum unusquisque characterum significatum in sua lingua explicet. Atque adeo nihil intenditur, nisi ut omnes intelligant in sua lingua, quod nos scripsimus in nostra (§. 302). Neque enim qui de lingua universali cogitant, eandem simul philosophicam esse debere volunt.

§. 308.

Quoniam in illa specie linguæ universalis, quam Ars combinatoria characteristica offert, vocabulorum vicem tuentur characteres seu signa derivativa (§. 293. 297.); pauca vero primitiva, ex quibus componuntur, absque Lexici alicujus usu in unaquaque lingua addisci possunt; *Ista linguæ universalis species, quam ars combinatoria characteristica promittit, absque omni Lexici subsidio addisci potest.* Lingua universalis absque Lexico addiscenda.

Ceterum veritatem propositionis præsentis firmat modus scribendi numeros, confirmant etiam nomina modorum syllogismorum in qualibet figura. Etenim notarum numericarum primitivarum significatum unusquisque in sua lingua addiscit, & absque Lexici alicujus subsidio deinde intelligit numeros a quocunque scriptos, quacunque lingua is eosdem pronunciare soleat.

§. 309.

Signa derivativa artis combinatoriæ characteristicæ inserviunt æstimando gradui probabilitatis, ubi ob data insufficientia Artis characteristicæ combinatoriæ usus

in æstimanda probabilitate.

tia ad veritatem certam pervenire non possumus, ostenduntque quid suppleri adhuc debeat, ut probabilitas in certitudinem abeat. Etenim signa derivativa artis combinatoriæ characteristicæ continent in se primitiva, per quæ determinatur id, cui derivativum respondet (§. 296. 297.), consequenter requisita ad veritatem omnia (§. 544. *Log.*). Atque ideo ex signi derivativi nuda inspectione patet, num in dato casu requisita ad veritatem omnia sint perspecta, an quædam ignorentur. Quare cum veritatem certo cognoscat, qui omnia requisita ad eandem agnoscit (§. 544. *Log.*) probabilitatem vero tantummodo habeat, qui prædicatum subjecto tribuit ob quædam requisita ad veritatem (§. 549. *Log.*), eamque tanto majorem, quo plura requisita ipsi fuerint perspecta, tanto autem minorem, quo plura quis ignoraverit; signa ista derivativa gradui probabilitatis æstimando inserviunt, ubi sufficientia data ad veritatem perveniendi liquidam desunt.

Enimvero quoniam ex ipso signo seu charactere derivativo apparet, quænam requisita ad veritatem adhuc desint, his autem simul perspectis veritas certa cognoscitur (§. 545. *Log.*); quænam suppleri debeant, ut veritas certo cognoscatur in dato casu per signa derivativa artis characteristicæ utique patet.

§. 310.

Quænam ars characteristica combinatoria memoriæ suppetias ferat.

Ope artis combinatoriæ characteristicæ notiones rerum distinctæ, immo adæquatæ memoriæ facile mandantur eademque retinentur (§. 293 sq.). Extra omne dubium est characterem istiusmodi derivativum facilius memoriæ mandari ac retineri posse, quam plurimæ propositiones retinentur, quæ notionem signo hoc denotatam ingrediuntur & in quas ea beneficio hujus signi resolubilis.

Evidentissime idem loquuntur nomina modorum in diversis syllogismorum figuris.

§. 311.

Suppetiæ ulteriores.

Ope artis combinatoriæ characteristicæ facillime reminiscimur singulorum ad notionem rei distinctam pertinentium, certique sumus nos nihil eorum, quæ ad eam pertinent, prætermittere (§. 296 sq. 228. 230.).

§. 312.

§. 312.

Ope artis combinatoriæ characteristicæ cognitio symbolica convertitur quasi in intuitivam (§. 293 seq. 292. 297. 289. 228. 230. 286.), etiam in eo casu, ubi cognitio intuitiva distincta haberi nequit. Reductio cognitionis symbolicæ ad quasi intuitivam.

Quoniam in arte characteristica combinatoria characteres conduntur derivativi eodem modo pro substantiis rerum materialium & entibus quibusvis abstractis, ut ea, quæ abstractis insunt, vi signorum seu characterum primitivorum inter se combinatorum exhibeantur per modum partium, ex quibus tanquam totum aliquod componantur; abstracta istiusmodi nobis exhibemus tanquam entia composita, in quibus partes compositionem ingredientes earundemque nexum a se invicem distinguimus, adeoque symbolica hac repræsentatione veluti ad intuitivam cognitionem reducuntur *per demonstrata.* Enimvero cum res intuitive cognoscamus, quatenus idearum, quas de iis habemus, nobis conscii sumus (§. 286.), abstracta vero tanquam a re percepta sejuncta spectari debeant (§. 282.); in iis præsertim, quæ a sensu valde remota sunt, cognitio intuitiva distincta vix ac ne vix quidem, immo prorsus non haberi potest. Patet igitur artem cambinatoriam characteristicam cognitionem symbolicam convertere quasi in intuitivam etiam in iis casibus, ubi cognitio intuitiva distincta haberi nequit.

E. gr. Nomen modi primi in figura secunda CESArE repræsentat hunc modum tanquam ens ex variis partibus certo quodam modo inter se junctis compositum, quatenus constat ex literis significativis, quæ hoc potius, quam alio ordine sese excipere debent. Literæ istæ ac ordo, quo se invicem sequuntur, in memoriam revocant singula prædicata huic modo tribuenda, ut eadem tanquam partes in re contentas intuearis quasi. Atque ita cognitio mere abstracta & symbolica ad intuitivam quasi revocatur, ut, si vocabulum intuearis, omnium de hoc modo argumentandi tibi perinde conscius sis, ac si ens quoddam compositum intuens tibi conscius es partium in eodem contentarum.

§. 313.

Intellectus dicitur *purus*, si notioni rei, quam habet, nihil Intellectus puri & non puri definitio.

nihil confusi admiscetur nihilque obscuri. *Non purus* dicitur, si notioni rei insunt, quæ confuse aut prorsus obscure percipiuntur.

Notiones numerorum pertinent ad intellectum purum, quatenus nobis sunt adæquatæ: hinc enim iis nihil confusi, nihil obscuri admiscetur, cum tandem perfecta analysi resolvantur in notionem unitatis. In Physicis & Moralibus intellectus minime purus est, cum notiones, quas ibidem habemus, adæquatæ non sint, analysin perfectam, quæ in irresolubilibus sua natura talibus terminatur, minime admittentes. Ex systematica enim tractatione apparet, nos in confuse perceptis subsistere & confusas quasdam notiones pro primitivis seu irresolubilibus assumere.

§. 314.

Intellectus quando purus.

Quoniam perceptiones confusæ ad facultatis cognoscendi partem inferiorem spectant (§. 54.), sensum nempe atque imaginationem (§. 67. 92.); *Intellectus purus est, si a sensu atque imaginatione liber est, & in tantum quidem purus est, in quantum a sensu atque imaginatione liber.*

§. 315.

Cur intellectus noster nunquam prorsus purus.

Quoniam nos notionum nostrarum analysin in iis terminare solemus, quæ ope sensuum clare quidem, attamen confuse percipimus; *intellectus* a sensu atque imaginatione nunquam liber est, consequenter *nec unquam prorsus purus est* (§. 314.).

§. 316.

Notio intellectus an usui loquendi conveniat.

Notio intellectus, quam dedimus, communi usui loquendi non contrariatur; inconstantiæ tamen loquendi contraria. Non ignotum est vulgo brutis tribui sensum atque imaginationem; denegari autem intellectum. Ad intellectum igitur referri debet cognitio, quæ ab ideis sensualibus atque phantasmatis distincta est. Jam vide §. 59. 65. 95. 92 sq. Ad intellectum igitur pertinet distincta rerum perceptio (§. 275. *Psych.* 137. *Log.*). Per inconstantiam tamen loquendi aliquando adhibetur pro confusis repræsentationibus.

§. 317.

§. 317.

Cognitio universalis dicitur, quæ constat notionibus universalibus (§. 53. *Log.*). **Cognitionis universalis definitio.**

§. 318.

Quoniam notiones generum & specierum sunt universales (§. 53. *Log.*), & propositionibus universalibus respondentes notiones (§. 491. *Log.*) non minus universales esse intelliguntur; *Notiones generum & specierum atque propositionum universales ad cognitionem universalem spectant.* **Quænam ad eam referantur.**

§. 319.

Cognitio singularis dicitur, quæ universalis non est, aut, si mavis, quæ constat notionibus individuorum (*§. 225. seqq. Ont.*). **Cognitionis singularis definitio.**

§. 320.

Quoniam facta hominum atque naturæ, quæ actu contingunt vel olim contigere, omnimode determinata (§. 226. *Ontol.*), adeoque individua sunt (*§. 227. Ontol.*); *factorum tam hominum, quam naturæ actu contingentium cognitio singularis est* (*§. 319.*). **Quænam ad eam referantur.**

§. 321.

Cognitio particularis est, quæ notionibus particularibus constat. Dicitur autem *Notio particularis* qua ea repræsentantur, quæ quibusdam individuis ad idem genus, vel eandem speciem referendis communia sunt. **Cognitionis particularis definitio.**

§. 322.

Quoniam igitur omni propositioni (§. 491. 492. *Log.*), adeoque & particulari, notio quædam respondet; quæ propositioni particulari respondet notio, & ipsa particularis intelligitur. *Ad cognitionem* itaque *particularem propositiones particulares spectant.* **Quænam ad eam referantur.**

§. 323.

Si notio subjecti, sub qua prædicatum ei convenit, sufficienter determinari nequit; propositiones particulares condendæ sunt. Ignoratur enim quandonam individuo sub dato genere vel data spe- **Propositiones quando particulares condendæ.**

ſpecie contento prædicatum tribui debeat, conſequenter individua iſta ſub notione quadam univerſali, tanquam genere quodam accidentali, hoc eſt, ex determinationibus accidentalibus ad imitationem generum ex determinationibus eſſentialibus conſtitutorum formato, comprehendi nequeunt. Propoſitio ergo univerſalis non condatur (§. 239. *Log.*). Sed juxta §. 240. *Log.* particularis.

Exempla occurrunt in ſuperioribus (§. 182. & ſqq.).

§. 324.

Propoſitionum particularium locus. *Propoſitionibus particularibus in doctrina probabilium locus eſt.* Vide de particularibus §. 240. *Log.* 247. *Ontol.* 239. *Log.* Quare cum in propoſitionibus hypotheticis requiſita ad veritatem ſint definitio atque conditio adjecta, ſeu definitio atque determinatio ſubjecti (§. 555. *Log.*), qua nempe ejus ſtatus determinatur, in quo prædicatum ei tribui poteſt (§. 225. *Log.*); propoſitio autem tantummodo probabilis ſit, ſi prædicatum ſubjecto tribuitur ob quædam requiſita ad veritatem (§. 549. *Log.*); propoſitionum quoque particularium uſus eſſe nequit, niſi ubi probabilia admittuntur.

Quando itaque doctrina probabilium magis excoletur, propoſitionum quoque particularium uſus magis eluceſcet.

CAPUT III.

DE

TRIBUS INTELLECTUS OPERATIONIBUS IN SPECIE.

§. 325.

Numerus operationum intellectus. *TRes ſunt intellectus operationes* (quas vulgo *mentis operationes* vocamus); *quibus circa cognoſcibilia verſamur, notio cum ſimplici apprehenſione, judicium & diſcurſus* (§. 51. *Log.*).

§. 326.

§. 326.

Si in cognitione intuitiva acquiescimus, prima intellectus operatio absolvitur, dum in ideis duorum vel plurium individuorum simul nobis occurrentibus ad ea successive attentionem dirigimus, quæ in iisdem eadem sunt. Magis enim sic nobis conscii sumus, quod jam in pluribus eadem percipiamus, quam quod percipiamus alia (§. 235. & 237.), atque adeo operatione intellectus ea a subjectis, quibus insunt, quasi separamus. Distincte igitur percipimus, quæ ad genus vel speciem illarum rerum pertinent (§. 38. 283.), consequenter genera & species nobis distincte repræsentamus (§. 24.). Quare cum generum & specierum repræsentatio sit notio (§. 49.), distincta autem notio intellectus operatio sit (§. 275.) eaque prima (§. 52. *Log.*); si in cognitione intuitiva acquiescimus, prima mentis operatio absolvitur, dum in ideis duorum, vel plurium individuorum simul nobis occurrentibus ad ea successive attentionem dirigimus, quæ in iisdem eadem sunt.

Prima intellectus operatio in cognitione intuitiva.

§. 327.

Si notionem generis, vel speciei alicujus nobis jam acquisivimus, prima mentis operatio circa istud genus, vel speciem istam posthac absolvitur, si in idea unius individui ad ea successive attentionem promoves, quæ pluribus communia deprehensa fuisse meministi. Quodsi enim notionem generis vel speciei alicujus nobis jam acquisivimus; illud in universali nobis repræsentare valemus (§. 49.) & quia operatione intellectus distincte idem repræsentatur (§. 275.), quæ ad notionem generis ac speciei spectant, tanquam sigillatim enunciabilia (§. 281.), distinguere valemus (§. 38.). Quamobrem cum notionem generis ac speciei tibi acquisiveris, dum in ideis duorum vel plurium individuorum ad ea successive attentionem direxisti, quæ in iisdem eadem sunt (§. 326.): ubi in objecto aliquo ad genus istud, vel speciem istam pertinente ea intueris, quæ ad notionem generis vel speciei spectant, actuum quoque mentis tibi conscius evadis, quibus ea a subjectis pluribus tanquam communia separasti (§. 104.). Quamobrem cum ea tanquam communia recognoscas (§. 173.); genus posthac vel speciem tibi repræsentare, consequenter pri-

Modus universalia intuitive cognoscendi, quæ ante jam cognita fuerant.

mam intellectus operationem, quæ notio (§. 52. *Log.*), adeoque rei in universali repræsentatio est (§. 49.), absolvimus in cognitione intuitiva, si in idea unius individui successive attentionem ad ea promovemus, quæ pluribus communia a nobis deprehensa fuisse meminimus (§. 226.).

§. 328.

Prima mentis operatio in cognitione symbolica.

In cognitione symbolica prima mentis operatio absolvitur recensione vocabulorum, vel aliorum signorum, quibus ea indigitantur, quæ notionem rei distinctam ingrediuntur (§ 289. 326 seq. 281. 280.).

Ita prima mentis operatio in cognitione symbolica arboris absolvitur, si dicimus vegetabile, quod ex trunco, ramis, surculis & foliis constat: etenim sigillatim recensemus verba, quibus ea indigitantur, quæ in arboribus tanquam communia distinguimus, consequenter quæ notionem arboris in genere, quatenus distincta est, ingrediuntur.

§. 329.

Dependentia cognitionis symbolicæ ab intuitiva in prima mentis operatione.

Operatio intellectus prima in cognitione symbolica præsupponit operationem ejusdem primam in intuitiva (§. 326. & seqq. §. 271. *Psych.* 130. *Log.*).

Hæc probe notanda sunt, ne demus sine mente sonos, nobisque persuadeamus, nos notionem rei habere, dum vocabula recensere valemus, etsi *cognitionem symbolicam ad intuitivam reducere* minime valeamus: quæ reductio in eo consistit, ut ideam alicujus individui in nobis excitemus, sive sensuum, sive imaginationis ope, ac attentio nostra successive ad ea dirigatur, quæ in re percepta insunt, atque deinde vocabula ad eadem referantur, prout singulis vi significatus, quem obtinent alias, subinde etiam vi etymologiæ ac compositionis, denotandis apta deprehenduntur, quatenus scilicet in etymologia vel compositione ratio denominandi latet, ad rem vocabulo denotatam manuducens, nisi ipsimet vocabula ad ea significanda in cognitione intuitiva transtulerimus atque hujus facti meminerimus. Dedimus exemplum reductionis hujus luculentum in Horis subsecivis A. 1730. Trim. Vern. num. II. ubi definitionem justitiæ *Ulpiani* a cognitione symbolica ad intuitivam reduximus. Immo exempli quoque loco ibidem esse possunt, quæ de notionibus justitiæ commutativæ ac distributivæ diximus. Nimirum ingens

ingens interpretationis subsidium in reductione cognitionis symbolicæ ad intuitivam consistit.

§. 330.

Prima intellectus operatio est plurium in re una sigillatim facta repræsentatio. Etenim in cognitione intuitiva præsens nobis est rei idea (§. 326. 327.), adeoque nobis rem istam repræsentamus (§. 48.). Jam vero in idea nostram attentionem successive dirigimus ad ea, quæ pluribus individuis communia vel intuemur (§. 326.), vel meminimus (§. 327.), consequenter nobis conscii sumus, quod hæc potius percipiamus, quæ rei insunt, quam rem ipsam (§. 235. 237.), adeoque ea, quæ in re distinguuntur, sigillatim nobis repræsentamus (§. 24.). De cognitione symbolica conf. §. 289. 328. Definitio primæ operationis intellectus.

Propositio præsens vicem definitionis primæ intellectus operationis, quæ distincta notio est, subire valet.

§. 331.

Prima intellectus operatione repræsentantur ea, quæ rei cuidam insunt, tanquam inter se & a re, cui insunt, diversa (§. 330.). Primæ operationis intellectus limites.

§. 332.

Facultas in uno multa distinguendi dicitur *Acumen. Quo plura igitur quis in objecto aliquo distinguere valet, eo acutior est altero:* ut adeo *Gradus acuminis dentur.* Etenim alios plura in objecto aliquo distinguere valere, alios pauciora, quotidie experimur. Acuminis definitio.

In acumine æstimando cognitio intuitiva a symbolica probe discernenda. Fieri enim potest, ut quis sit acutior altero, etsi pauciora enunciare possit, quam alter, ob defectum vocabulorum, vel ignorantiam eorundem.

§. 333.

Acumen successive exercitatione perficitur, seu, Gradus acuminis exercitatione comparantur (§. 332 sq. 326. 248.). Gradus acuminis comparandi modus.

Patet idem a posteriori.

§. 334.

Scala generum & abstractorum.

Genera superiora sunt magis abstracta inferioribus & datur quædam scala generum, adeoque & abstractorum, in qua continuo ad magis superiora, adeoque & magis abstracta, ascenditur (§. 233 sq. *Ont.* 283. *Psych.*).

Hæc scala generum & abstractorum maximæ foret utilitatis, modo eam accuratam haberemus. Quodsi disciplinæ in universum omnes in systema veri nominis fuerint reductæ, ut notionum analysis magis redigatur in potestatem nostram; de scala hac condenda & successive magis magisque perficienda cogitare licebit. Data autem hac scala magis in potestate erit ars illa characteristica combinatoria, de qua tam magnifica capite superiori demonstravimus. Patebit nimirum, quomodo per determinationes primitivas, quales sunt, quæ in philosophia prima sumuntur, prodeant derivativæ, & his continuo aliæ ulteriores: id quod perspectum atque cognitum in arte ista supponitur.

§. 335.

Gradus acuminis.

Quoniam vi acuminis in uno multa distinguimus (§. 332.), adeoque ad abstractiones eodem maxime opus habemus (§. 282.); pro diversis gradibus in scala abstractorum variat acumen (§. 334.), consequenter *Acumen admittit diversos gradus pro diversis gradibus abstractorum.*

Nimirum quo quis generaliora seu universaliora in re percepta perspicit, eo acutior est. Æstimationem vero recipiunt gradus acuminis ex scala abstractorum.

§. 336.

Acumen pervidendi abstracta in concretis.

Acumen, quo perspicimus universalia, præsertim in scala generum seu abstractorum altiora, in singularibus, dicimus *Acumen pervidendi abstracta in concretis.*

§. 337.

Auxilium istius acuminis.

Notiones ontologicæ dirigunt attentionem ad universalia, quæ rebus insunt, & alias attentioni nostræ sese facile subducerent, consequenter *juvant acumen pervidendi abstracta in concretis* (§. 336. add. §. 1. *Ont.* 334. *Psych.*).

Mirifice

Mirifice hæc propositio illustratur per ea, quæ de notionibus directricibus disserui in Horis subsecivis A. 1729. Trim. Vern. num. IV.

§. 338.

Notiones generales in disciplinis dirigunt attentionem ad universalia, quæ certis quibusdam singularibus, veluti meteoris, metallis, vegetabilibus, aut virtuti cuidam tam intellectuali, quam morali, *insunt, & alias attentioni nostræ sese facile subducerent*, consequenter *notiones generales in omni disciplina juvant acumen pervidendi abstracta in concretis*. Ulteriora auxilia.

§. 339.

Analysis notionum dicitur, qua notio rei resolvitur in notiones eorum, quæ ipsas ingrediuntur, & notiones horum singulæ denuo in alias simpliciores ac ita porro, quantum datur. Analysis notionum.

Quæ rebus insunt, vel insunt tanquam partes, ex quibus componuntur; vel insunt tanquam diversa, etiam in indivisibili. In priori casu partes majores continuo resolvuntur in minores; in posteriori discernuntur quantitates ac relationes diversæ, & in his denuo distinguuntur, quæ tanquam diversa concipi possunt. In rebus corporeis, præsertim organicis, partes differunt qualitatibus, quantitate ac relationibus, atque adeo posterior analysis cum priori conjungenda. Quodsi disciplinæ in universum omnes in systemata inter se connexa fuerint redacta; hæc analysis & clarior, & magis in potestate erit.

§. 340.

Profunditas intellectus dicitur facultas notiones distinctas in alias simpliciores continuo resolvendi, prouti scilicet analysis notionum requirit. Quamobrem *intellectus tanto profundior, quo longius in analysi notionum progredi quis potest*. Profunditatis intellectus definitio.

§. 341.

Gradus profunditatis intellectus æstimantur ex gradibus notionum adæquatarum (§. 340. 339. *Psych.* 94 sq. *Log.*). Gradus istius profunditatis quomodo æstimantur.

§. 342.

Cognitione symbolica & acumen, & profunditas intellectus Cognitionis symbolicæ in

acumine ac profunditate partes.

ctus facilitatur atque extenditur. De acumine vide §. 332. 335. 282. 284. 289. De profunditate conf. §. 340. 284. 289.

Propositio præsens tum quoad acumen, tum quoad profunditatem a posteriori quoque confirmatur, cum quilibet utrumque in seipso idem experiri possit.

§. 343.

Actus judicii affirmativi in cognitione intuitiva.

Actus judicii affirmativi in cognitione intuitiva absolvitur, si ea, quæ tanquam a re diversa spectamus, porro tanquam eidem inexistentia vel ad ea quocunque modo pertinentia consideremus. Istiusmodi actum intellectus dari, per exempla eunti patet. Vid. etiam §. 38. 201. *Log.*

Vidimus actum notionis terminari in eo, quod ea, quæ rei insunt, tanquam inter se & a re, cui insunt, diversa spectamus. Hunc igitur cum excipiat alter, quo eadem tanquam rei inexistentia, aut ad eam quomodocunque spectantia consideramus, in quo judicium consistit vi propositionis præsentis: ubi notio aut, si mavis, simplex rei apprehensio desinit, ibi judicium incipit. Simplex adeo eorum, quæ rei insunt, vel ad eandem pertinent atque ipsius rei apprehensio est veluti transitus a notione ad judicium: suppono enim rem simpliciter apprehendi, quatenus attentionem tuam in ea defigis. Conf. rursum §. 326 sq.

§. 344.

Quando quid ut alteri inexistens vel ad idem spectans consideretur.

Considerare aliquid tanquam alteri inexistens, sive alio modo ad idem spectans idem est ac attentionem suam in inexistentia, aut relatione ejus, quod a re diversum est, ad eandem defigere.

§. 345.

Actus judicii negativi in cognitione intuitiva.

Si prædicatum subjecto simpliciter repugnet, actus judicii negativi absolvitur, si subjectum tibi repræsentes, cui idem repugnat, & subjectum aliud, cui idem inest, ac id, quod alteri inest, consideres tanquam ab eo diversum, idemque referens ad prius consideres tanquam eidem non inexistens, seu tanquam id, quo differt subjectum ab altero. Vide hic §. 307. *Log.* 327. 331. *Psych.*

E. gr.

E. gr. *Charta non est ferrea;* folium chartæ tibi repræsentare atque in hoc phantasma attentionem dirigere debes. Jam si misso vocabulo, quo prædicatum denotatur, nempe ferri, in ideis aliquid remanere debet, laminam quandam ferream tibi repræsentare atque in hoc phantasma attentionem tuam dirigere debes, ut te jam ferrum percipere tibi sis conscius. Quodsi denique judicare debes, chartam non esse ferream, utrumque phantasma inter se conferre atque attentionem tuam in non existentiam ferri in charta dirigere teneris; alias enim in simplici apprehensione chartæ ac ferri quiescis.

Actus judicii negativi in cognitione intuitiva difficilior est actu judicii affirmativi. Etenim in casu posteriori id, quod subjecto tribuendum, in ipso subjecto percipitur, aut saltem mediante eo, quod in alio simul percepto percipitur, veluti si effectus quidam subjecto tanquam causæ tribuendus: sed in casu priori id, quod ut non existens alteri considerandum venit, tanquam inexistens uni considerari debet, ut adeo actus judicii negativi supponat actum affirmativi, immo ipsum complectatur. Quamobrem si quis ea, quæ de cognitione intuitiva dicuntur, in se experiri voluerit; is primum experimenta capere debet de actu judicii affirmativi & ubi hic rem bene ac ex voto succedere experitur ad experimenta de actu judicii negativi capienda progredi tenetur.

§. 346.

Si prædicatum subjecto simpliciter non repugnet, actus judicii negativi absolvitur, si subjectum, cui idem non inest, in oppositis casibus tibi repræsentes, in quorum uno prædicatum eidem inest, in altero non inest, ac id, quod uni inest, consideres tanquam diversum ab eo, idemque referens ad prius consideres tanquam eidem non inexistens, seu tanquam id, quo subjectum unum differt ab altero. Quodsi propositionem præsentem cum præcedente conferas, differentiam aliam non intercedere animadvertes, nisi quod hic idem subjectum in idea bis ponatur, cum in casu anteriori ponantur duo subjecta diversa. Quamobrem quæ ad probandam propositionem præcedentem in medium adducta sunt, etiam ad præsentem transferri possunt ac debent.

Actus judicii negativi in cognitione intuitiva casus posterior.

§. 347.

§. 347.

Alius modus exprimendi judicium negativum contingens.

Quodsi prædicatum, quod de subjecto negatur, subjecto quoque alterius speciei inesse possit; actus judicii negativi, in eo casu, quo prædicatum subjecto simpliciter non repugnat, eodem modo absolvi potest, quo absolvitur in casu prædicati subjecto simpliciter repugnantis (§. 345.).

E. gr. Charta non est alba. Quodsi candelam ceream albam tibi in memoriam revocaveris & chartæ folium quocunque colore tinctum, actus judicii negativi eodem prorsus modo absolvetur, quo supra docuimus, eundem absolvi, ubi judicandum, chartam non esse ferream (§. 345.).

§. 348.

Judicium determinatum in cognitione intuitiva.

Si judicium fuerit determinatum, in idea subjecti contineri debent omnes determinationes, quibus prædicatum determinatur, & in eas simul attentio dirigenda, ubi actus judicii in cognitione intuitiva terminari debet (§. 315. Log. 326 sq. Psych.).

E. gr. Ponamus judicium determinatum, quod lapis ex alto cadens celeriter moveatur, in sola cognitione intuitiva terminari debere. Necesse igitur est, ut tibi repræsentes turrim aliquam & lapidem ex fenestra superiori demissum. Quoniam hic tantummodo altitudinis habetur ratio; in eam quoque simul dirigenda est attentio, dum eandem in lapide ac motu ejus defigis. Cetera eodem modo fiunt, quem supra exposuimus (§. 343.).

§. 349.

Actus judicii affirmativi contingentis in cognitione intuitiva.

Quodsi judicium affirmativum contingens exprimere debet modum, quo prædicatum inest; in idea eidem respondente subjectum bis repræsentari debet, ita ut prædicatum in uno casu insit, in altero non insit, & attentio dirigenda tum in existentiam in uno, tum in non inexistentiam in altero (§. 235. 237. Psych. 296. Ontol.).

E. gr. Judicium affirmativum contingens est, quod charta sit rubra. Si in cognitione intuitiva terminari debet; repræsentare tibi debes folium chartæ rubræ & folium chartæ albæ, atque attentionem tuam dirigere in inexistentiam rubedinis in uno & inexistentiam albedinis in altero simul. Ita tibi conscius eris non minus albedinem, quam rubedinem

bedinem inexistere posse, consequenter albedinem non necessario, sed contingenter inesse. Vid. §. 327.

§. 350.

Secunda mentis operatio in cognitione symbolica.

In cognitione symbolica secunda mentis operatio absolvitur recensione vocabulorum, quibus subjectum & ceteræ ejusdem determinationes accidentales, si quæ adsunt, prædicatum & nexus ejusdem cum subjecto in affirmativis, repugnantia in negativis exprimuntur (§. 289. *Psychol.* 52. *Log.* 343. 345 seqq. 348. *Psychol.*).

§. 351.

Prærogativa cognitionis symbolicæ in secunda mentis operatione.

Si judicia vocabulis efferuntur, magis distincta fiunt, seu in cognitione symbolica judicia magis distincta sunt, quam in intuitiva (§. 350. 280. 343. 345 sqq. 38. 289.).

E. c. *Folium est viride.* Subjectum denotatur vocabulo *folium*, quod ut intelligatur, folii idea in animo excitanda, vel vi sensus, quatenus idem actu visui objicitur, vel vi imaginationis, quatenus olim visi recordamur. Prædicatum indigitatur vocabulo *viride:* quod, cum adjectivum sit, denotat colorem viridem cum possibilitate inexistendi. Quare ne sit sine mente sonus, idea coloris viridis excitanda eodem, quo ante, modo, quatenus nempe tibi repræsentas subjectum aliquod hoc colore tinctum & attentione in hunc colorem directa eum a subjecto suo separare debes. Enimvero quia adjectivum simul denotat possibilitatem inexistendi in aliquo subjecto; non modo attentio dirigenda est in inexistentiam in hoc subjecto, verum etiam in non inexistentiam in alio subjecto. Denique nexus prædicati cum subjecto denotatur vocula *est*, adeoque attentio quoque dirigenda est in inexistentiam albedinis in lilio. Nimirum ita intelligitur judicium, ubi in notionibus confusis acquiescis. Quodsi vero notiones desideres distinctas, ideis substituendæ sunt definitiones aut, si mavis, cum iisdem conjungendæ, quoniam definitiones absque iis non intelliguntur, nisi quatenus memineris, te olim vel alias cum iisdem ideas conjunxisse. Sit exempli loco porro dictum Salvatoris Luc. VI. 45. *Bonus homo de bono thesauro cordis profert bonum.* Subjectum hic denotatur duobus vocabulis *bonus homo*, quibus notio complexa respondet. Nimirum hominem hic considerare debes cum bonitate eidem inhærente. Atque adeo quæritur, quidnam hic bonitatis nomine denotetur. Ejus itaque definitio

ſubjecto explicando inſervit. Porro prædicatum denotatur vocabulis *proferre bonum de bono theſauro cordis ſui*, cui denuo notio complexa reſpondet. Nimirum hic denuo quæritur, quid ſit bonum & quomodo illud proferatur, quid cordis nomine veniat & quid theſaurus ejus dicatur & quo denique ſenſu theſaurus iſte bonus appelletur. Per flexionem denique verbi indicatur nexus inter prædicatum atque ſubjectum: quod cum ſit præſentis temporis, hujus quoque habenda ratio eſt. Quodſi diſtincte nexum intelligere volueris, ex notione boni hominis reddenda ratio eſt, cur is proferat bonum de bono theſauro cordis ſui.

§. 352.

Differentia notionis complexæ a judicio.

In cognitione ſymbolica notio complexa, quæ judicio reſpondet, & judicium clariſſime differunt. Nam ſi judicium exprimitur his verbis: charta eſt alba; notio complexa exprimitur iſtis: charta alba. Vel ſi judicium enunciatur hoc modo: Ferrum candet; notio complexa eidem reſpondens indigitatur vocabulis: ferrum candens. Nimirum in judicii expreſſione indigitatur quoque nexus prædicati cum ſubjecto; in poſteriori nexus iſte ſigillatim non exprimitur.

In cognitione ſymbolica propoſitio facillime convertitur in terminum complexum, conſequenter cum termino complexo notio complexa (§. 107. *Log.*), propoſitioni judicium reſpondeat (§. 40 *Log.*); hac converſione innoteſcit, qualis idea in animo ſuſcitanda, ut cognitio ſymbolica in intuitivam vertatur. Nimirum excitanda eſt idea rei, in qua inſunt ea, quæ notionem ſubjecti ingrediuntur, una cum prædicato. E. gr. Si dicatur, lilia ſunt alba, terminus complexus eſt, lilia alba. Excitanda igitur idea, quæ lilia alba veluti oculis ſpectanda exhibet, ac in hoc phantasma dirigenda attentio, ubi judicii actum exercere volueris modo ſupra præſcripto.

§. 353.

Cur in judicando cognitio ſymbolica intuitivæ præferatur.

In judicando ſymbolicam cognitionem intuitivæ præferre ſolemus, ac ideo *dum judicamus, nobismetipſis tacite loquimur* (§. 351.).

§. 354.

Ratio cur individuis ob-

Si rei perceptæ ſive ſenſu, ſive vi imaginationis nomen generis

generis vel speciei tribuimus; rei huic competere notionem generis vel speciei judicamus & memoria nobis suggerit generi vel speciei huic convenire hoc nomen. E. gr. Ponamus te dicentem: *Hoc ens, quod nunc video, est columba:* Dico, te judicare, enti, quod nunc vides, ea convenire, quæ ad speciem entium columbæ nomine denotatorum requiruntur & vi imaginationis te meminisse significatus vocabuli (§. 273.), consequenter tibi conscium esse, quod enti istiusmodi, quale vides, tributum sit hoc nomen (§. 226.), atque judicare enti istiusmodi convenire hoc nomen; ac ideo tandem dicere: hoc ens, quod vides, esse columbam. Nimirum dico, te intuentem columbam judicare, quod sit ens istiusmodi; memoriam tibi suggerere, quod enti istiusmodi tribuatur nomen columbæ; tandem te judicantem erumpere in hæc verba: Hoc ens, quod jam video, est columba. Quoniam enim nihil est sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit (§. 70. *Ontol.*); ratio quoque sufficiens dari debet, cur videns columbam judicet, quod sit columba & judicium suum ita enunciet. Hoc ens, sc. quod video, est columba. Add. §. 56. 118. *Ont.* viis tribuamus nomina generis vel speciei.

§. 355.

Si rei, quam sensu vel vi imaginationis percipis, notionem generis vel speciei convenire judicas, & jam antea didicisti nomen eidem generi vel speciei conveniens; eidem quoque rei hujus generis, vel speciei nomen tribues (§. 273. *Psych.* 56. 118. *Ont.*). Idem ulterius expenditur.

Propositio hæc est inversa prioris, adeoque eodem exemplo illustrari potest, ad quod demonstrationem propositionis præcedentis applicavimus.

§. 356.

Si ope definitionis nomen rei obviæ vindicare volueris; & judicare debes, eidem convenire notas definitionem ingredientes, & definitionem tibi in memoriam revocare debes (§. 149. Log. 354. Psych. 150. Log.). Quomodo nomen definitionis ope rei vindicetur.

§. 357.

Si in casu dato rei perceptæ ad genus suum relatæ tribuitur nomen speciei; nomen generis eodem modo primum ipsi vindicatur, quo ipsi vindicatur sigillatim, & deinde eodem prorsus Quando nomen generis & speciei rei simul tribuatur.

 modo

modo vindicatur quoque nomen speciei (§. 55. Log. 237. Ont. 354 sq. 273. Psych.).

§. 358.

Quando nomen generis & speciei individuis tribuatur.

Quoniam nominibus individuorum destituti nomine generis vel speciei utimur ad eadem significanda, præfixo pronomine demonstrativo, quemadmodum in vulgus notum est; *postquam nomen generis individuo obvio vindicavimus, eodem in nomen individui converso, huic porro vindicantes nomen speciei de genere singulariter prædicamus speciem.*

E. gr. Videntes columbam dicimus. Hæc avis est columba. Primum igitur judicamus, ens istud singulare, quod videmus, esse avem (§. 355.). Deinde eidem imponimus nomen hujus avis per modum nominis proprii. Reflectentes porro super eodem individuo eidem quoque tribuimus nomen speciei (§. 354.). Atque ita tandem incidimus in judicium, quod his verbis effertur: Hæc avis est columba.

§. 359.

Individuorum obviorum ad suum genus suamque speciem reductio.

Dum individuo obvio, seu rei quomodocunque perceptæ nomen generis vel speciei vindicamus; eam a rebus aliis separamus & ad suum genus vel speciem suam tanquam peculiarem entium classem reducimus (§. 355 sq. Psych. 233 sq. 195. Ont.).

§. 360.

Judiciorum categoricorum applicatio.

Si prædicata generum atque specierum absoluta nobis innotuerint & rem quandam obviam ad genus aliquod vel speciem aliquam referimus; eidem quoque prædicata generis vel speciei istius tribuimus (§. 358.).

Ponamus nobis innotuisse columbam mansuefieri posse, ut evolans redeat & te columbam videntem judicare *avis hæc est columba:* ubi in memoriam venerit, columbas mansuefieri posse, judicabis utique ulterius: *avis hæc mansuefieri potest*, vel etiam *hæc columba mansuefieri potest.*

§. 361.

Prædicatorum hypotheticorum applicatio.

Si prædicata generum vel specierum hypothetica nobis innotuerint & rem obviam ad genus aliquod vel speciem aliquam pertinere, atque præterea conditionem præsentem esse agnoscimus, sub qua generi huic vel speciei prædicatum istud tribuitur; prædicatum

tum quoque hypotheticum rei isti tribuimus (§. 215. Log. 195. 233 sq. Ont. 360. Psych.).

Si cui nondum satis evidentes videntur propositiones, in quibus statuitur de prædicatis vel absolutis, vel hypotheticis individuo alicui obvio tribuendis; is eodem modo ex principio rationis sufficientis propositionem utramque demonstrare potest, quo supra demonstravimus, quod rei perceptæ tribuendum sit aliquod nomen (§. 354. 355.). Quoniam enim ibidem nomen rei tribuendum sese habet per modum prædicati; si in locum nominis substituas prædicatum vel absolutum, vel hypotheticum cetera eadem erunt cum superioribus.

Nimirum non habebis rationem sufficientem, cur rei tribuas prædicatum absolutum, nisi agnoscas eam pertinere ad hoc genus vel hanc speciem, & memineris generi huic, vel speciei convenire hoc prædicatum. Nec habebis rationem sufficientem, cur eidem tribuas prædicatum hypotheticum, nisi agnoscas eam pertinere ad hoc genus vel hanc speciem atque præsentem esse hanc conditionem, & præterea memineris, generi huic, vel speciei sub hac conditione convenire hoc prædicatum.

§. 362.

Dum vi notionis confusæ vel definitionis rei quomodocunque perceptæ nomen, vel vi judicii cujusdam categorici, aut hypothetici prædicatum aliquod absolutum, aut hypotheticum vindicamus; ex duobus judiciis notionem communem habentibus formamus tertium combinando notiones diversas communi omissa. **Modus vindicandi rebus nomina & prædicata.**

In exemplis specialibus idem magis obvium est. Etenim si figuræ, quæ mensæ est, latera numeras eaque inter se confers, eadem numero quinque ac inter se æqualia deprehendis. Si præterea angulos examinas, eos rectos deprehendis. Inde igitur formas judicium, quod hac propositione effertur: Figura mensæ constat quinque lateribus, inter se æqualibus & ad angulos rectos sibi invicem junctis. Vi definitionis Quadrati Figura constans quinque lateribus inter se æqualibus & sub angulis rectis sibi invicem junctis est Quadratum. Atque ideo judicas, Figuram mensæ esse Quadratum. Habes igitur duo judicia, quibus notio communis respondet, nempe figuræ constantis quinque lateribus inter se æqualibus & sub angulis rectis sibi invicem junctis. Judicium,

um, quod ex hisce duobus formatur, constat duabus notionibus in ceteris diversis, figuræ scilicet mensæ & nominis Quadrati. Videmus quoque ideo, quod agnoscis avem hanc, quam vides, esse columbam, & quod memineris, columbam mansuefieri posse, formari judicium, quod hæc avis, quam jam vides, seu hæc columba mansuefieri possit. Habes hic denuo duo judicia, quæ notionem communem habent, nimirum avis hæc est columba & columba mansuefieri potest. Ac omissa notione communi columbæ ex ceteris notionibus diversis hujus avis & mansuefactionis formas novum judicium, quod his verbis enunciatur: hæc avis mansuefieri potest. Eodem prorsus modo sese res habet, ubi prædicatum hypotheticum individuo vindicatur.

§. 363.

Idem expenditur in cognitione symbolica.

Quoniam in cognitione symbolica notionibus vocabula sive termini, judiciis propositiones respondent (§. 289. *Psych.* & 35. 40. *Log.*); *Si vi notionis seu definitionis rei perceptæ nomen, vel vi propositionis categoricæ aut hypotheticæ prædicatum aliquod absolutum vel hypotheticum vindicamus; ex duabus propositionibus terminum communem habentibus formamus tertiam ex duobus terminis diversis.*

Patet idem ex datis modo (*not.* §. 362.) exemplis.

§. 364.

Propositionis incognitæ ex cognitis formatio.

Si rei perceptæ vi notionis seu definitionis, vel vi propositionis categoricæ aut hypotheticæ prædicatum aliquod absolutum vel hypotheticum vindicamus; ex duabus propositionibus cognitis formatur tertia adhuc incognita. Etenim in primo casu de individuo quodam obvio judicamus, quod ipsi conveniant determinationes hujus generis vel speciei, & memoria nobis suggerit, individuo ad hoc genus vel hanc speciem pertinenti competere hoc nomen, ac ideo judicamus individuo obvio competere hoc nomen. Primo igitur judicio intuitivo respondet propositio nota, quippe quæ nobis reflectendo super re percepta innotescit (§. 257.). Judicio secundo respondet propositio, quam antea jam cognovimus, ubi eam memoriæ mandavimus. Tertium vero nunc demum nobis innotescit mediantibus iis, quæ ante

ante cognita fuere. Similiter in secundo casu judicamus, rei obviæ convenire hoc nomen, vel rem obviam esse hujus generis aut speciei, nobisque succurrit, rei, cui hoc nomen convenit, vel quæ hujus generis aut speciei est, convenire hoc prædicatum, atque ideo ulterius judicamus: rei nobis obviæ convenire hoc prædicatum (§. 360.). Habemus igitur tria judicia, quorum tertium formatur ex duobus prioribus ante cognitis, dum vi propositionis categoricæ rei obviæ prædicatum absolutum vindicamus.

Denique in casu tertio, ubi prædicatum hypotheticum rei obviæ vindicatur, judicamus eidem convenire hoc nomen, sive genus hoc aut hanc speciem, hancque præsentem esse conditionem, & memoria nobis suggerit propositionem, quæ antea nobis innotuit, rei hujus generis vel speciei (§. 361.) sub hac conditione convenire hoc prædicatum, atque inde formatur propositio, ad quam absque istis in præsenti non pervenissemus: Rei obviæ convenire hoc prædicatum hypotheticum.

§. 365.

Dum ex propositionibus quibusdam cognitis formatur alia, quæ antea nobis nondum cognita erat, vel quæ jam alias in mentem non venisset; *banc ex istis colligere* dicimur, vel etiam *inferre*. Est igitur *Illatio* propositionis unius ex aliis formatio propositionis unius ope aliarum, terminis, ex quibus constat, inde desumtis. **Illatio quid sit.**

§. 366.

Tertia mentis operatio (quæ & *Ratiocinatio* dicitur) est judiciorum ex aliis præviis formatio. **Definitio ratiocinationis.**

§. 367.

Dum rei cuidam obviæ nomen, seu genus vel speciem, aut prædicatum aliquod absolutum vel hypotheticum vindicamus; ratiocinamur (§. 363 sq.). **Quandò ratiocinemur.**

§. 368.

In cognitione symbolica ratiocinia exprimuntur propositionibus **Ratiociniorum symbolica expressio.**

nibus determinatis, quibus efferuntur judicia, ex quibus constant (*§. 366. 350. Psych. 40. Log.*) add. §. 327. *Log.*

§. 369.

Prærogativa cognitionis symbolicæ præ intuitiva in ratiocinando.

In cognitione symbolica ratiocinia sunt magis distincta, quam in intuitiva (§. 368. 351. 38.).

§. 370.

Ratiociniorum effectus.

In omni ratiocinio aut nomen, aut prædicatum aliquod vel absolutum, vel hypotheticum subjecto cuidam vindicatur. Vide §. 149. 247. 143. 142. *Ont.* §. 270. *Psych.* de nomine generis vel speciei; §. 212. 214. *Log.* 366. 368. *Psych.* 197. *Log.* de prædicato vel absoluto vel hypothetico.

Ratiociniorum itaque est usus, ut constet, quodnam rei obviæ conveniat nomen generis ac speciei, consequenter ad quod genus, ad quamnam speciem referri debeat, & quænam ipsi conveniant prædicata cum absoluta, tum hypothetica. Quamobrem quo plura prædicata ad genera sua speciesque suas relata cognoveris; eo ad ratiocinandum aptior eris. Hinc patet necessitas disciplinarum: patet etiam, quænam in iisdem tradi debeant, scilicet definitiones accuratæ & propositiones determinatæ, tum categoricæ, in quibus prædicata absoluta determinantur per essentialia, quæ definitiones ingrediuntur; tum hypotheticæ, in quibus prædicata hypothetica determinantur per accidentalia essentialibus in definitione contentis superaccedentia.

§. 371.

Definitio, genus & species quandonam rei convenire dicantur.

Definitio rei convenire dicitur, si eidem insint singulæ notæ definitionem ingredientes. *Genus* vel *species* rei convenire dicitur, si eidem insunt determinationes singulæ genericæ, vel specificæ. Vide rursus §. 149. *Log.* & §. 236 sqq. *Ont.*

§. 372.

Regulæ syllogismorum quænam dicantur.

Regulæ ratiocinandi seu *syllogismorum* dicuntur, per quas ratiocinia explicari possunt, seu quas anima observat, dum legitime ratiocinatur. Dicitur autem *legitime ratiocinari*, si propositio illata fuerit vera.

Regulæ illæ syllogisticæ explicantur in Logica (§. 361. & sqq.).

§. 373.

§. 373.

Lex ratiocinandi dicitur principium generale ratiociniorum seu regularum ratiocinandi. Leges ratiocinandi quænam dicantur.

§. 374.

Leges ratiocinandi sunt. 1. Cui competit definitio aut notio confusa eidem respondens, eidem competit definitum, seu nomen ista definitione explicatum & contra (§. 370. 355 sq. 371. *Psychol.* 56. *Ont.*): est adeo principium ratiocinandi (§. 866. *Ont.* 367. *Psych.*), consequenter lex ratiocinandi (§. 373. *Psych.*). *2. Cui competit genus vel species, eidem* quoque *competunt prædicata absoluta generi vel speciei isti tribuenda* (§. 360. 371. 367.). E. in hac propositione continetur ratio ratiocinii (§. 56. *Ont.*) & principium ratiocinii est (§. 866. *Ont.*) & lex ratiocinii (§. 373. *Psych.*). *3. Cui præter genus vel speciem conveniunt determinationes quædam accidentales, eidem* quoque *conveniunt prædicata sub istis determinationibus accidentalibus generi & speciei isti tribuenda* (§. 361. 371.). E. in hac propositione datur ratio ratiocinii (§. 56. *Ont.*), consequenter principium est (§. 866. *Ont.*) & principium quidem ratiociniorum (§. 367. *Psych.*) & lex ratiocinandi (§. 373. *Psych.*). Leges ratiocinandi.

Coincidit cum hac lege *Dictum de omni* Logicorum (§. 341. 343. 344. *Log.*).

§. 375.

Si rei cuidam obviæ notas definitionem aliquam ingredientes junctim sumtas non convenire agnoscimus, atque definitionis illius memores nobis conscii sumus, rei, cui definitio ista convenit, tribuendum esse hoc nomen; idem rei obviæ convenire non posse judicamus (§. 271. *Psych.* 236. *Ont.* 371. *Psych.*). Nomen quando rei denegetur.

Nimirum ratio, cur rei alicui tribuendum sit nomen aliquod, est definitio. Quare si hæc rei non convenit, nec ratio ponitur, ob quam nomen eidem tribuendum. Ergo nec nomen eidem tribui potest.

§. 376.

Quoniam notio confusa continens notas, quæ definitionem ingrediuntur, definitioni æquivalet, seu eidem generi vel speciei convenit, cui definitio convenit, quod per se patet; Alter casus.

Si obviæ cuidam rei notionem aliquam confusam non convenire agnoscimus atque meminimus, nomen aliquod indigitare rem, cui notio ista convenit; nomen rei obviæ non convenire judicamus (§. 375.).

Propositio præsens eodem modo demonstrari poterat, quo praecedens.

§. 377.

Quando definitio denegetur.

Si rei cuidam obviæ nomen aliquod convenire non posse agnoscimus atque meminimus, rei hoc nomine indigitatæ convenire definitionem aliquam; eidem quoque definitionem convenire non posse judicamus (§. 271.).

§. 378.

Quando notio quædam confusa rei denegetur.

Quoniam notio confusa continens notas, quæ definitionem aliquam ingredi debent, definitioni æquivalet; *si rei cuidam obviæ nomen aliquod convenire non posse agnoscimus atque meminimus rei hoc nomine indigitatæ convenire notionem aliquam confusam; eidem quoque notionem hanc confusam convenire non posse judicamus (§. 377.).*

E. gr. Si nosti avem a Titio visam non esse columbam, atque imaginatio præsens tibi sistat phantasma columbæ; judicabis utique phantasmate isto minime repræsentari avem a Titio visam.

§. 379.

Quando rei denegetur prædicatum absolutum.

Si rei cuidam obviæ nomen aliquod convenire agnoscimus, seu eam ad hoc genus vel speciem istam referri debere agnoscimus atque meminimus rei hoc nomine denotatæ, seu ad hoc genus vel speciem istam spectanti repugnare aliquod prædicatum absolutum; idem quoque rei obviæ tribui non posse judicamus (§. 56. 118. Ont.).

E. gr. Si nobis constet figuram mensæ esse Quadratum atque meminimus, Quadratum non habere tres angulos; utique judicamus, figuram mensæ non habere quatuor angulos.

§. 380.

Quando denegetur prædicatum hypotheticum.

Quodsi nobis constet rei cuidam obviæ tribuendum esse nomen aliquod, vel eam ad hoc genus, aut speciem istam referendam esse

esse ac præterea adesse conditionem quandam seu determinationes quasdam accidentales, atque meminerimus generi vel speciei isti sub hac conditione, seu his superaccedentibus determinationibus accidentalibus repugnare aliquod prædicatum; idem rei obviæ non convenire judicamus (*§.56. 118. Ont.*).

Ponamus nos perspicere, quod semen sit commissum terræ aridæ, & meminisse, quod semen terræ aridæ commissum non germinet: utique judicabimus, semen, quod jam terræ commissum est, germinare non posse.

§. 381.

Si nobis constet rei cuidam obviæ tribuendum esse nomen aliquod, sive genus, vel speciem, & meminerimus, generi vel speciei isti sub data quadam conditione vel datis quibusdam determinationibus accidentalibus convenire aliquod prædicatum, hanc autem conditionem, vel istas determinationes accidentales abesse videamus; rei quoque prædicatum istud non convenire judicamus (*§.56. 118. Ont.*). Alius casus.

E. gr. Ponamus nos videre lapidem & meminisse lapidem calidum calefacere. Quodsi porro deprehendamus, lapidem, quem videmus, non esse calidum; utique judicabimus, lapidem hunc, quem videmus, non posse calefacere.

§. 382.

In omni ratiocinio negativo aut nomen aliquod, aut prædicatum vel absolutum, vel hypotheticum aliquod de subjecto quodam negatur. Quoniam per ratiocinium negativum illud intelligimus, quo conclusio negativa infertur; non alia prædicata per ratiocinium negativum a subjecto removeri possunt, quam quæ per affirmativa eidem vindicantur. Jam vero vide §. 370. Ratiociniorum negativorum effectus.

§. 383.

Dum vi definitionis, aut notionis eidem æquipollentis nomen, aut vi judicii cujusdam categorici, vel hypothetici prædicatum absolutum, vel hypotheticum a re quadam removemus; ratiocinamur (§. 375 sqq. 366.). Quando ratiocinemur.

P 2 §. 384.

§. 384.

Leges ratiocinandi negative.

Leges ratiocinandi sunt: 1. Cui non convenit definitio, aut notio confusa eidem respondens, ei nec convenit definitum & contra (§. 375 sq. *Psych.* 56. 866. *Ont.* 383. 373). *2. Cui convenit genus, vel species, eidem quoque non convenit prædicatum absolutum generi, vel speciei isti repugnans* (§. 379.). *3. Cui præter genus, vel speciem convenit conditio, sub qua prædicatum aliquod eidem generi, vel speciei repugnat; eidem quoque prædicatum istud non convenit* (§. 380 sq.). *4. Cui genus & species convenit, sed non convenit conditio, sub qua prædicatum aliquod eidem tribuendum; ei nec prædicatum hoc convenit* (§. §. cit.).

Coincidit cum legibus istis ratiocinandi *Dictum de nullo* Logicorum (§. 342. & *sqq. Log.*).

§. 385.

Modus ratiocinandi conditionatus.

Si quid esse agnoscimus atque meminimus, ideo etiam aliud quid esse debere; hoc alterum quoque esse judicamus (§. 56. 118. *Ont.*).

Spectamus nimirum hic duo a se invicem diversa tanquam inter se connexa, ut posito uno ponatur etiam alterum. Et idem sane obtinet in omni ratiocinio categorico, de quo antea diximus. Etenim nomen rei tribuitur sub conditione definitionis, seu eidem æquipollentis notionis confusæ; prædicatum absolutum sub conditione eadem, prædicatum hypotheticum sub conditione expressa definitioni superaddita. Propositione adeo præsente nituntur ratiocinia positiva non minus categorica, quam hypothetica.

§. 386.

Modus alius.

Si quid non esse agnoscimus atque meminimus, ideo etiam alud quid non esse debere; hoc alterum quoque non esse judicamus (§. 56. 118. *Ont.*).

§. 387.

Alius modus.

Si quid non esse agnoscimus atque meminimus, idem esse posito quod sit aliud, etiam hoc non esse, agnoscimus. Ponamus nos agnoscere B non esse, atque meminisse, si A est, etiam B esse; dico nos judicare, quod A non sit. Etenim si judicare velimus, A esse, judicandum quoque, quod sit B (§. 385.). Quare

re cum B non sit *per hypoth.* A non esse utique judicandum (§. 53. *Ontol.*).

E. gr. Si observamus tempestatem non esse serenam, atque recordemur, si ventus orientalis spirat, serenam esse tempestatem; hinc utique colligimus, ventum orientalem non spirare. Quæsiti cur ita colligamus, respondemus, quod alias tempestas serena esse deberet.

§. 388.

Lex ratiocinandi est: Posito propositionis hypotheticæ antecedente ponitur consequens (§. 385 sq.) & sublato consequente tollitur antecedens (§. 387.). Consequenter in hac propositione continetur ratio, cur judicandum sit in casu priori consequens esse, in posteriori antecedens non esse (§. 56. *Ontol.*), adeoque principium est (§. 866. *Ontol.*). Enimvero dum ita judicamus, ex duabus propositionibus datis formamus tertiam, consequenter ratiocinamur (§. 366.). Est igitur propositio ista lex ratiocinandi (§. 373.). **Lex ratiocini-orum hypotheticorum.**

Hac lege nimirum nituntur syllogismi hypothetici, (§. 383. & seqq. *Log.*).

§. 389.

Si duorum aut plurium uno existente cetera non existant, unum vero eorum semper existat; propterea quod unum existere constat, judicamus cetera non esse &, ubi cetera non esse intelligimus, unum eorum esse. Propositio hæc coincidit cum fundamento syllogismorum disjunctivorum, quod in Logica (§. 391.) exposuimus. **Modus ratiocinandi disjunctive.**

§. 390.

Lex ratiocinandi est: Posito uno membro propositionis disjunctivæ, tolli cetera & ceteris sublatis poni unum, ac uno sublato indeterminate poni ceterorum unum (§. 56. 866. *Ont.* 366. 373. *Psych.*). **Lex ratiocini-orum disjunctivorum.**

Quomodo hinc deducantur modi syllogismorum disjunctivorum, in Logica docuimus (§. 393. & seq.).

P 3 §. 391.

§. 391.

Notionum ortus ex ratiociniis.

In ratiociniis ex notionibus aliis præviis nascitur alia (§. 366. 368. *Psych.* 491 sq. *Log.*).

Ponamus enim me pirum intuentem judicare, quod sit arbor, atque recordantem, quod arbor omnis autumno folia deponat, colligere, quod pirus, quam intueor, autumno folia sit depositura. Tum igitur ita ratiocinamur. Pirus hæc arbor est. Arbor omnis autumno folia sua deponit. Ergo & hæc pirus folia sua autumno deponet. Propositioni primæ, quæ est minor syllogismi (§. 335. *Log.*), respondet notio, qua pirus exhibetur tanquam arbor, quatenus in idea piri præsentis attentionem nostram dirigimus ad ea, quæ piro cum arboribus ceteris communia sunt, veluti ad truncum, ramos, surculos atque folia. Propositioni secundæ respondet notio arboris autumno folia deponentis, quatenus nobis in memoriam revocamus ideam alicujus arboris, qualem folia deponentem conspeximus autumnali tempore, una cum aliis perceptionibus, quas ista tempestate simul habuimus. Propositioni denique tertiæ respondet notio aut, si mavis, idea exhibens hanc arborem, qualis conspicietur autumnali tempore folia depositura. Ex duabus igitur notionibus præviis nascitur tertia & in cognitione intuitiva ex duabus ideis tertia nascitur.

Plurimum prodest ad distinctam mentis humanæ cognitionem, ut status mentis expendamus, qui in ratiociniis successive se invicem excipiunt. Quamobrem acumen sibi comparaturi, quo in animæ interioribus rimandis opus est; ratiocinia complura tam categorica, quam hypothetica revocet ad notiones complexas atque ideas, quæ successive in mente nascuntur, dum ratiocinamur. Valde proficuum hoc nobis est in philosophia morali.

§. 392.

Usus ratiociniorum in explicanda successione idearum.

Ex ratiociniis intelligitur, quomodo in mente notiones aliæ ex aliis nascantur, consequenter *Ratiocinia & in cognitione symbolica syllogismi notionum atque idearum, in quibus ista continentur, successioni explicandæ inserviunt* (§. 391.).

Primus mentionem hujus syllogismorum usus injeci in Lexico Mathe-

thematico sub voce *demonstratio.* Dixi plura de eodem in Ratione Prælectionnm Sect. 2. c. 3. §. 28. p. 147. atque in Metaphysica patrio idiomate conscripta §. 341. & seqq. Ut vero plenius intelligatur, aliquot adhuc theoremata specialia condenda sunt.

§. 393.

Modus primus continuationis seriei perceptionum.

Si judicium intuitivum notionem communem habet cum præterito aliquo judicio, quod memoria tenemus, & formatum ex terminis eorum diversis judicium denuo communem quandam notionem habet cum judicio aliquo præterito, quod memoria tenemus ac ita porro; series cogitationum continuatur per leges ratiocinandi. Etenim si judicium, quod formatur, intuitivum notionem communem habet cum judicio aliquo præterito, hocque memoria tenemus, atque adeo idem reproducere ac reproductum recognoscere valemus (§. 180.); vi notionis communis judicium præteritum reproducimus (§. 104.) terminisque diversis judicii utriusque combinatis judicium discursivum formatur (§. 362.), sicque pervenitur ad judicium, quod alias mentem nostram tunc temporis non subiisset (§. 366.). Quodsi attentionem nostram in hoc judicium dirigimus & id notionem quandam communem habet cum alio præterito, quod itidem memoria tenemus; eodem, quo ante, modo ostenditur, nos ad judicium aliquod discursivum pervenire, ad quod alias non pervenissemus. Unde facile patet, eadem lege quantocunque temporis intervallo seriem cogitationum ratiocinando continuari posse, modo non desint judicia præterita, quorum ope præsentium recordamur.

Quando status animæ per syllogismos explicabiles esse asseveramus, id non ita accipiendum, ac si mens nostra syllogismos formales formet tacite quasi sibimetipsi loquendo, quemadmodum accidere solet animum ad perceptiones suas reflectentibus; sed id unice defenditur, quod perceptiones ac in iis latentes notiones singulis syllogismi propositionibus respondentes in mente successive se invicem excipiant, quodque perceptio respondens conclusioni consequatur ex perceptionibus, quæ per præmissas exprimuntur, quemadmodum ex præmissis in syllogismo consequitur conclusio. Perceptiones nimirum constituunt status mentis, qui per modificationes animæ a se invicem discernuntur, quæ a facultatibus mentis oriuntur secundum leges in Psychologia stabilitas.

litas. In ipsa autem demonstratione propositionis jam docuimus, vi principii rationis sufficientis diversos illos status in mente admittendos esse, qui singulis syllogismi propositionibus respondent, & eo modo consequi statum, quem conclusio exprimit, ex ceteris, qui per præmissas indigitantur, quomodo ex præmissis conclusio consequitur. Deinde porro notandum est, quemadmodum eadem conclusio ex diversis præmissis inferri potest; ita etiam statum mentis, qui eidem conclusioni respondet, ex diversis statibus præviis consequi posse atque solere. Sufficit itaque statum istum in omni casu ita consequi ex præviis, ut modus, quo consequitur, per syllogismum explicabilis sit. Absit itaque ut quis in dubium vocet ea, quæ ad confirmandam propositionem præsentem a posteriori in medium adducta sunt, quod ea in se aliter experiatur. Huc etiam pertinet, quod, quemadmodum judicia intuitiva subinde etiam per ratiocinia tanquam discursiva inferantur, ita quoque status mentis, qui perceptionibus sensualibus continetur, ex aliis statibus præviis consequatur. Ita horam audiri quintam judicamus non semper ideo, quod sonitus companæ aures feriat; sed idem sæpius colligimus ex perceptionibus aliis, veluti lumine solis orientis ab ædificio aliquo reflexi, vel actionibus aliorum hominum isto tempore edi solitis & ita porro.

§. 394.

Alius modus, quo series cogitationum continuatur.

Si ope notionis complexæ formentur plura judicia intuitiva ac per ea perveniatur ad totidem discursiva, hinc vero denuo formetur notio complexa, vel formentur notiones complexæ plures, ac inde deducantur judicia alia per modum intuitivorum, per quæ ad alia discursiva pervenitur; series cogitationum per ratiocinia continuatur. Etenim tot ratiociniis opus habemus, quot sunt judicia discursiva, quæ ex intuitivis colliguntur (§. 393.).

Ponamus nos conspicere pruna immatura. Duo igitur formare licet judicia intuitiva, nimirum quod fructus hi sint pruna, & quod iidem sint pruna immatura. Ponamus jam porro judicantibus in memoriam venire, quod pruna multum habeant in re œconomica usum. Inferemus ergo: fructus, quos conspicimus, multum habere in re œconomica usum. Judicium hoc discursivum verbis sæpissime efferimus, dum pruna contuemur. Ponamus denique judicantibus pruna esse immatura incidere, quod

quod pruna immatura diarrhoeas excitare possint, aut minimum tormina ventris. Inferemus ergo: fructus hos, quos conspicimus, diarrhœas excitare posse, aut minimum tormina ventris. Judicia discursiva combinata exhibent hoc judicium, quod quasi intuitivum est: fructus hi multum in re œconomica usum habere ac diarrhœas, aut tormina minimum ventris excitare posse. Quod si igitur memoria tibi suggerat judicium aliquod præteritum, aut minimum notiones, unde istud nascitur, fructum, qui in re œconomica multum habet usum, & diarrhœas aut tormina ventris excitare potest, esse & utilem, & noxium; inde ulterius colliges, fructus hosce, quos conspicis, esse & utiles, & noxios. Si porro recorderis, pruna esse in re œconomica utiles, quando clibano torrentur, aut in aheno coquuntur, ut in pultem abeant; hinc porro colliges, fructus, quos conspicis, esse utiles, quando in clibano torrentur, aut in aheno coquuntur, ut in pultem abeant. Similiter si porro memineris pruna immatura recenter comesta tormina ventris, vel diarrhœas excitare, adeoque noxia esse; inde similiter colligis, fructus, quos conspicis, esse noxios, quando recentes comeduntur. Quodsi jam judicium discursivum, ad quod antea pervenisti, cum hisce conferas; inde judicium novum quasi intuitivum formas: Fructus, quos conspicis, esse utiles, si in clibano torrentur, vel in aheno coquuntur, ut in pultem abeant; esse autem noxios, si recenter comeduntur. Quamobrem ulterius recordatus usum esse appetendum, abusum noxium vitandum; hinc tandem colligis, fructus, quos conspicis, esse vel in clibano torrendos, vel in aheno coquendos, ut in pultem abeant. Quodsi denique in mentem veniat, te & prunis tostis, & prunis in pultem redactis habere opus, & quantitatem, quæ tibi suppetit, utrisque sufficere intelligis ope ratiociniorum, quæ brevitatis causa omittimus; hinc tandem infers, partem fructuum, quos conspicis, in clibano torreri, partem reliquam in aheno coqui debere, ut in pultem abeant, atque ita pervenitur ad judicium decretorium de usu prunorum, quæ non prorsus hoc anno ad maturitatem pervenere.

Quæ de casu præcedente annotavimus (*not.* §. 393.); ea etiam mutatis mutandis ad præsentem applicari possunt. Ceterum admiratione

caret, quod anima secundum leges perceptiones suas continuat, quas ignorat, & quas intellectas sæpe non agnoscit, immo ubi eas jam novit, a se observari vix ac ne vix quidem advertit. Etenim eodem prorsus modo res sese habet in motibus mechanicis corporis. Secundum leges staticas incedimus & corpus nostrum in quoslibet situs componimus. Plerique tamen hominum illas ignorant &, si qui eas intelligunt, eas a se observari ignorant, nec ad motus ac situs corporis explicandos transferre valent, ita ut exiguus admodum sit eorum numerus, qui hunc illarum usum facere possit. Absit autem, ut tibi persuadeas semper recurrendum hic esse ad syllogismos categoricos: sæpius enim & hypotheticis, & disjunctivis, & aliis quibuscunque argumentandi modis locus est, prout casus tulerit.

§. 395.

Identitas legum demonstrationis & continuationis seriei perceptionum communium.

In demonstrationibus cogitationes eodem modo procedunt, quo series notionum ac perceptionum communiter continuantur. (De demonstratione ostensiva vid. §. 522 sq. *Log.* de apogogica conf. §. 524. *Log:* & tunc consule §. 393 sq. *Psych.*).

§. 396.

Ordo cogitandi in demonstrationibus.

In demonstrationibus cogitationes procedunt ordine maxime naturali (§. 395.).

Atque hinc intelligitur, cur demonstrationes adeo evidentem reddant veritatem. Patet simul, cur demonstrationes, quas consummatas appello (§. 815. *Log.*), ceteris præstent.

§. 397.

Ordo cogitationum in probatione probabili.

In probatione quoque *probabili cogitationes procedunt ordine maxime naturali* (§. 396.). Add. §. 559. *Log.*

§. 398.

Ordo cogitationum in omni probatione.

Ergo in omni probatione cogitationes ordine naturali procedunt (§. 396. 397.). Add. §. 545. 549. *Log.*

§. 399.

An omni disciplinæ conveniant demonstrationes & probationes genuinæ formæ.

Ergo demonstrationes & probationes probabiles ejusdem cum illis formæ (§. 559. Log.) omni disciplinæ conveniunt, nec Mathesi vi objecti propriæ sunt (§. 398.).

Cum

Cum in Horis subsecivis A. 1730. *Trim. brum. n. 2. Trim. vern. n. 2. & Trim. æstivo n. 2.* & regulis, & exemplis docuerimus, quomodo in ipso Jure civili accurata methodus adhiberi debeat, & il. *Cramerus*, de pacto hereditario renunciativo filiæ nobilis specimen singulare demonstrationum in Jure dederit, & Cl. *Schreiberus* in Elementis Medicinæ physico-mathematicis eandem methodum ad artem salutarem applicaverit; non dubitamus fore, ut præjudicium istud ignaviæ patrocinans & incrementis eruditionis solidæ noxium tandem prorsus extirpetur.

§. 400.

Cur syllogismi formales in demonstrationibus non animadvertantur.

Si quis analysin demonstrationum logicam negligit, nec in iis expendendis eum sequitur ordinem, qui ex analysi apparet; is syllogismos formales eorundemque concatenationem in istis non animadvertit. (Vide §. 522 sqq. 766. 652. *Log.* de neglectu analyseos demonstrationum). Quodsi quis porro in demonstrationibus expendendis eum non sequitur ordinem, qui ex analysi apparet; is non format ex notione subjecti judicia intuitiva, nec eorum ope in memoriam revocat principia terminum communem cum iis habentia, ac inde conclusiones infert, neque etiam in conclusiones ita illatas mentis aciem dirigit, ut ope termini unius in eadem obvii in memoriam sibi revocet propositionem aliam, quæ terminum communem habet, ac vi cujus novam infert conclusionem. Fieri igitur non potest, ut vel confusa demonstrationis ordinatæ seu naturalis idea animo ejus ingeneretur, dum demonstrationes expendit (§. 769. 660. *Log.*). E. (§. 79. 87. *Log.*).

Ut præjudicium nocuum vitemus, cavendum est, ne in Probationibus, ipsis demonstrationibus perpendendis communem sequamur morem, ut scilicet ad conclusionem respicientes omnium primo ex nobis ipsis vel aliis quæramus, cur propositio ista vera sit, seu prædicatum subjecto conveniat & responsionis loco medium terminum allegemus, mox porro quæsituri, num vi ejus prædicatum subjecto tribui possit, ac adesse hic vim concludendi probaturi per allegationem propositionis majoris. Sane quamdiu hoc pacto demonstrationes geometricas perpendi, genuinam earum indolem perspicere minime potui.

§. 401.

Ortus syllogismi cryptici.

Si eidem notioni complexæ propositiones diversæ respondere possunt, & ex iis in ratiocinando ea eligitur, quæ in formam syllogismi non quadrat; Syllogismus crypticus oritur (§. 273. 484. *Log.* 104. *Psych.* 360 *Log.*). Vid. e. c. *Log.* §. 410. *not.*

§. 402.

Ortus figuræ secundæ & tertiæ syllogismorum.

Quoniam syllogismi figuræ secundæ & tertiæ sunt cryptici syllogismi in prima (§. 376. *Log.*); *Syllogismi in secunda & tertia figura ortum trahunt ex eo, quod eidem notioni complexæ propositiones diversæ respondere possint & ex iis in ratiocinando seligatur, quæ in formam syllogismorum primæ figuræ non quadrat* (§. 401.).

§. 403.

An per syllogismos perveniatur ad conclusionem incognitam.

Vi præmissarum ante cognitarum perveniri datur ad conclusionem nondum cognitam. Probant id exempla (§. 391. 393 sq.). Etenim ibidem formavimus judicium aliquod intuitivum, quod minoris locum tuebatur in syllogismo. Ejus ope in memoriam nobis revocavimus propositionem aliam, quam alias cognoveramus (§. 104), & inde combinatis terminis diversis formata fuit propopsitio, quæ conclusioni syllogismi respondet. Idem eodem modo patet ex analysi demonstrationum tam ostensivarum (§. 522. 523. *Log.*), quam apogogicarum (§. 524. 530. *Log.*).

§. 404.

Quomodo status mentis ex aliis in ratiocinando enascatur.

In syllogismo tam categorico, quam hypothetico status mentis futurus nascitur ex præsente mediante præterito. In syllogismo enim categorico, propositio minor est judicium intuitivum, major vero propositio est judicium, quod vi minoris memoria nobis suggerit (§. 393. 394. *Psych.* & §. 522. & seqq. *Log.*). Judicium intuitivum cum tribuat enti cuidam, quæ in ipsius notione continentur (§. 50. *Log.*); entis illius idea animo præsens obversari debet, dum judicamus, consequenter minor propositio in syllogismo categorico exprimit statum mentis præsentem. Quoniam majorem propositionem memoria nobis suggerit, notionem isti respondentem (§. 491. 492. *Log.*) jam antea habuimus

habuimus (§. 226.), consequenter ea exprimit statum mentis præteritum. Jam vero ex terminis diversis in propositione majore ac minore componitur conclusio (§. 365.), quæ exprimit statum aliquem mentis, qui præsens fieri debet, adeoque futurus *per demonstrata*.

Similiter in syllogismo hypothetico, antecedens quod ponitur, vel consequens quod tollitur, est judicium intuitivum, consequenter exprimit statum mentis præsentem. Propositionem hypotheticam, cujus antecedens ponitur, vel consequens tollitur, memoria nobis suggerit, adeoque patet, quod statum mentis præteritum exprimat, qui denuo præsens sit. Jam vero in conclusione ponitur consequens, vel tollitur antecedens (§. 381. *Log.*), quam exprimere statum aliquem mentis qui præsens fieri debet, evidens est.

Non puto fore aliquem, qui in dubium vocet, diversos judicandi actus diversos esse status mentis: alias enim ex definitione status (§. 705. *Ontol.*) facillima foret probatio. Suo tempore in Moralibus patebit, quantum momentum in eo positum sit, ut intelligamus, quomodo status præteriti influant in præsentem.

§. 405.

Quoniam in syllogismo categorico præmissæ terminum communem habent, in conclusione autem termini præmissarum diversi combinantur (§. 328. *Log.*); *vi syllogismi categorici status futurus prodit ex præsente atque præterito, quatenus præsens quidpiam ex præterito habet.* E. c. Hæc pirus est arbor. Omnis arbor folia sua deponere debet autumno. Ergo hæc pirus folia sua autumno deponere debet. Præmissæ terminum communem habent arborem, atque adeo in statu præsenti, qui minori respondet, & præterito, ad quem major refertur, commune quidpiam deprehenditur, scilicet arboris repræsentatio. Ut conclusio prodeat, combinantur termini præmissarum diversi, quibus pirus & foliorum autumnali tempore depositio denotantur. Status igitur mentis, quo sibi repræsentat pirum tanquam folia deponentem una cum autumnali tempore, nascitur ex præsente & præterito, quatenus præsens ac præteritus quid-

Quomodo status futurus e præsenti prodeat vi syllogismi categorici.

piam commune habent, seu quatenus quidpiam est in præsenti, quod erat in præterito.

§. 406.

Modus, quo status futurus oritur vi syllogismi hypothetici.

Vi syllogismi hypothetici status futurus prodit ex præsente atque præterito, quatenus præsens cum futuro in præterito continetur. Syllogismorum hypotheticorum duo sunt modi, ponens & tollens (§. 380. 381. *Log.*). In ponente ponitur antecedens & vi ejus in memoriam revocatur propositio hypothetica, si antecedens est, etiam consequens est, ac inde infertur, quod consequens sit (§. 380. *Log.*). Quoniam itaque positio antecedentis designat statum quendam mentis præsentem, propositio vero hypothetica, quæ in memoriam revocatur, præteritum, nec consequens poneretur, nisi posito antecedente memoriam subiret propositio ex antecedente atque consequente composita; evidens est, statum mentis, qui positione consequentis determinatur, oriri ex præsente atque præterito, quatenus præsens, positio scilicet antecedentis, atque futurus, seu novus, qui oritur, positio nimirum consequentis, in præterito, propositione nimirum hypothetica, simul continentur.

In modo tollente tollitur consequens & vi ejusdem in memoriam revocatur propositio hypothetica, si antecedens est, etiam consequens est, ac inde infertur, quod antecedens non sit (§. 380. *Log.*). Quoniam itaque sublatio consequentis designat statum quendam mentis præsentem, propositio vero hypothetica, quæ in memoriam revocatur, præteritum, nec antecedens tolleretur nisi sublato consequente memoriam subiret propositio ex antecedente atque consequente composita; evidens est, statum mentis, qui sublatione antecedentis determinatur, oriri ex præsente atque præterito, quatenus præsens, sublatio scilicet consequentis, atque futurus, sublatio nimirum antecedentis, in præterito, propositione nimirum hypothetica, simul continetur.

§. 407.

Modus, quo vi syllogismi disjunctivi status mentis unus ex altero nascitur.

Vi syllogismi quoque disjunctivi status futurus mentis prodit ex præsente atque præterito, quatenus præsens cum futuro in præterito simul continetur (§. 388. *Log.*). Quamobrem si membrum

brum vel plura membra, quæ ponuntur, consideres ut antecedens propositionis hypotheticæ; erit membrum, quod tollitur, consequens ejusdem: si membrum, quod tollitur, vel plura membra, quæ tolluntur, consideres ut antecedens propositionis hypotheticæ; erit membrum, quod ponitur, consequens ejusdem, atque in utroque casu syllogismus disjunctivus degenerat in hypotheticum modi ponentis (§. 381. *Log.*). Jam conf. §. 406.

E. gr. Aut anima est substantia simplex, aut composita. Sed est substantia simplex. Ergo non est composita. Quoniam itaque minor respondet judicio assumto, quo mediante propositio disjunctiva in memoriam revocatur (§. 117.); status judicantis animam non esse substantiam compositam nascitur ex statu judicantis, quod sit simplex, propterea quod præcessit status judicantis, aut animam esse substantiam simplicem, aut compositam.

Quod de syllogismis categoricis, hypotheticis & disjunctivis evicimus, idem de ratiocinatione polysyllogistica & mixtim composita ostendi poterat, de qua diximus alias (§. 465. & sqq. *Log.*).

§. 408.

Status præsens dicitur *gravidus futuri*, quatenus ex eo & vi ejus futurus sequitur. Dicitur idem *imprægnari* a præterito, quatenus mediante præterito aptus efficitur, ut inde sequi possit futurus, seu, quatenus accedente præterito ex eo sequitur futurus. Status, quo sensu gravidus & imprægnari dicatur.

§. 409.

In syllogismo tam categorico, quam hypothetico & disjunctivo status præsens est gravidus futuri, quod imprægnetur a præterito (§. 407. 404 sqq.). Quando status præsens sit gravidus & imprægnatus a præterito.

§. 410.

In consequentiis immediatis non continetur ratio sufficiens in præmissa, cur inde inferatur conclusio. Patet id per exempla eunti. E. gr. Ex contradictoria oppositione ita argumentamur: Omnis invidus miser est. Ergo falsum est quendam invidum non esse miserum. Sane ex eo, quod judicas, omnem invidum Ratio sufficiens illationis conclusionis in consequentia immediata an insit præmissæ.

invidum miserum esse, non intelligis, cur mentem subeat judicium, falsum esse, quod quidam invidus non sit miser. In priori itaque judicio, quod præmissum est, non continetur ratio sufficiens, cur posterius potius, quam aliud mentem tuam subeat (§. 56. *Ont.*).

Similiter ex subalternatione ita argumentamur: Omnis homo est mortalis. Ergo quidam est mortalis. Patet hic denuo ut ante in præmissa, omnis homo est mortalis, non contineri rationem sufficientem, cur animum tuum subeat conclusio, quidam homo est mortalis. Et si sumas, in illa rationem sufficientem hujus contineri, idem eodem, quo ante, modo experientiæ repugnare deprehendes. Immo plures sunt propositiones, quæ per legem imaginationis (§. 117.) tibi succurrere possunt, quam quæ hic conclusionis loco ponitur, veluti quod tu sis homo, quod Rex sit homo & ita porro.

Si quis a rectis ad obliqua argumentatur: Omne triangulum est figura. Ergo qui triangulum describit, figuram describit; perinde liquet, ex præmissa non patere, cur tibi succurrat conclusio, consequenter nec in ea contineri rationem sufficientem, cur ope ejus ad conclusionem pervenias.

Non jam quæritur, an ex præmissa legitima inferatur conclusio, ut argumentationi insit vis concludendi; sed an data præmissa sola nec alio quopiam præsupposito vi facultatum mentis perveniri possit ad conclusionem: quod posterius hac propositione negatur.

§. 411.

Ratio cur per consequentiam immediatam ratiocineris.

Si de propositione data judicia logica formes & perspecta fuerint theoremata de propositionibus se mutuo ponentibus; ex propositione data tanquam præmissa inferes conclusionem. Etenim hæc propositio mentem tuam subibit (§. 117.), adeoque hinc inferes, posita propositione priori ponendum quoque esse aliam quandam beneficio syllogismi categorici (§. 360. 361.): quod dum facis, per immediatam consequentiam ex propositione data infers aliam.

Ponamus te aciem mentis convertere in propositionem, qua affirmatur, omnem hominem esse mortalem, atque perpendere

dere propositionis hujus universalitatem; judicium logicum de eadem formas, scilicet quod propositio sit universalis (§. 239. *Log.*). Quare si perspectum tibi fuerit theorema logicum, posita quacunque propositione universali, ponendam quoque esse quamvis subalternantem, veluti hic eam, qua affirmatur, quosdam homines esse mortales (§. 422. *Log.*); vel si perspectum tibi fuerit theorema, quicquid affirmatur de omni, illud etiam affirmandum de quovis, adeoque & de quibusdam sub omni contentis (§. 341. *Log.*), propositionis alterutrius recordatus (§. 117.) utique inferes, quosdam homines esse mortales.

§. 412.

Si de propositione universali formes judicium logicum, quod sit universaliter vera, & familiaris fuerit propositio, si verum est prædicari quid universaliter posse de omni, falsum est id particulariter prædicari non posse de quibusdam sub omni contentis; inde infers in casu speciali ex universaliter affirmante, falsum esse prædicatum ejus negari posse de quibusdam subjecti. Etenim hujus recordatus (§. 117.) infers prædicatum propositionis datæ non posse removeri de quibusdam subjecti. Quamobrem in casu speciali, veluti quod omnis homo sit mortalis, vi syllogismi illius generalis infers, falsum esse, quod quidam homines non sint mortales (§. 411.). Ratio illationis in consequentiis immediatis ex oppositione.

§. 413.

Si de propositione universaliter negante judices, quod sit universaliter vera, & familiaris tibi fuerit propositio, si verum est, prædicatum negari de omni subjecto, falsum est, id negari non posse seu id affirmari posse de quibusdam subjecti; inde in casu speciali inferes ex propositione universaliter negante, falsum esse quod prædicatum ejus de quibusdam subjecti affirmari possit. Veritas propositionis eodem modo evincitur, quo veritatem præcedentis evicimus. Ponamus te judicantem: Nullus homo est omniscius. Quodsi judices propositionem hanc esse universaliter negantem veram; memoriam subibit propositio: Si universaliter verum est, quod nullus homo sit omniscius, falsum est, quosdam homines Modus inferendi consequentiam immediatam ex universaliter negante.

esse omniscios. Atque adeo infers: Falsum est, quosdam homines esse omniscios.

Quæ de probatione propositionis præsentis dicta sunt, eadem quoque de sequentibus corollariis tenenda: ut adeo eadem nonnisi a posteriori confirmari opus sit.

§. 414.

Modus illationis in consequentia immediata in casu æquipollentiæ.

Si ad ideam propositioni datæ respondentem intentus observes, posse formari alias eidem æquipollentes & recorderis propositionum æquipollentium posita una alteram quoque poni; ex una alteram inferes. Ponamus te judicare, quod pater amet filium. Ad ideam propositioni respondentem intentus tibi repræsentas patrem atque filium & amorem patris erga filium. Vides autem judicium ex eo, quod tibi repræsentas, formaturus, accipi posse loco subjecti vel patrem, vel filium ac in casu quidem priori dicendum esse, quod pater amet filium; in posteriori, quod filius ametur a patre. Posita idea, ponitur propositio utraque. Atque adeo judicas: Si pater amat filium, filius amatur a patre. Et hinc infers, filium a patre amari.

§. 415.

Illatio per consequentiam immediatam in casu conversionis simplicis.

Si de propositione universaliter negante judices, quod sit universaliter negans, atque recorderis, si propositio fuerit universaliter negans, de omni prædicato negari posse subjectum; ex propositione universaliter negante inferes, de omni prædicato propositionis datæ negandum esse subjectum. Ponamus te judicare, quod nullus avarus sorte sua contentus sit, atque perpendere propositionem hanc esse universaliter negantem: recordatus quod de omni prædicato negari possit subjectum, seu in applicatione ad casum præsentem, quod, si nullus avarus sorte sua contentus sit, nullus quoque sorte sua contentus sit avarus, inde inferes: nullum sorte sua contentum esse avarum.

Dicitur hæc conversio apud Logicos simplex, cujus fundamentum demonstravimus alibi (§. 425. *Log.*).

§. 416.

Si de propositione particulariter affirmante judices, quod sit particulariter affirmans, atque recorderis, si propositio fuerit particulariter affirmans, etiam de prædicato particulariter affirmari posse subjectum; ex propositione particulariter affirmante inferes, quod de ejus prædicato particulariter affirmari debeat subjectum. Ponamus te judicantem, quod quidam doctus sit moderatus, atque perpendentem, quod hæc propositio sit particulariter affirmans. Recordatus quod de prædicato particulariter affirmari possit subjectum, inferes, quendam, qui est moderatus, esse doctum, principio nempe logico generali ad casum præsentem specialem applicato hunc in modum: Si quidam doctus moderatus est, quidam, qui est moderatus doctus est. Illatio in altero casu conversionis simplicis.

Principium logicum alibi jam demonstravimus (§. 426. *Log.*).

§. 417.

Si de eodem subjecto prædicentur plura vel absolute, vel sub eadem conditione, atque judicantes plures hic adesse propositiones ejusdem subjecti, sed diversi prædicati recordemur, si plures sint propositiones ejusdem subjecti, sed diversi prædicati, exinde formari posse propositionem unam ejusdem subjecti, cujus prædicatum ex prædicatis ceterorum compositum; inde inferimus in dato casu speciali quod subjecto conveniat prædicatum ex prædicatis ceterarum propositionum compositum. Ponamus te judicantem, quod omnis planeta illuminetur a sole, quod omnis planeta cingatur atmosphæra, quod omnis planeta sit corpus mundi totale. Quodsi perpendis, plures hic adesse propositiones, quarum idem est subjectum, scilicet planeta, sed prædicata sunt diversa, quodque prædicata illa diversa subjecto tribuantur absolute; recordatus in tali casu subjecto asoluto tribui posse prædicatum ex quatuor istis compositum; inde infers, planetam esse corpus mundi totale a sole illuminatum, quod atmosphæra cingitur. Demonstratio est sequens: si subjecto absolute posito vel sub data conditione convenit prædicatum, in priori casu ratio sufficiens, cur prædicatum subjecto tribui debeat, est defi- Illatio a divisis ad composita

 nitio,

nitio, in posteriori conditio adjecta (§. 130. *Ont.*), adeoque posito in casu primo subjecto absolute, in casu secundo sub eadem conditione, ponitur prædicatum in casu priori absolutum, in posteriori hypotheticum (§. 118. *Ontol.*). Quare si plura fuerint prædicata de eodem subjecto vi ejusdem notionis enunciata diversis propositionibus, posita notione subjecti omnia simul ponuntur, consequenter ex propositionibus pluribus formari potest una, in qua subjecto eadem notione comprehenso tribuitur prædicatum ex prædicatis plurium propositionum compositum.

Utimur hoc modo inferendi in demonstrationibus, quando ex conclusionibus per plures syllogismos elicitis deducimus propositionem unam, quæ tanquam præmissa assumitur, ut filum ratiocinationis ulterius produci possit. Dicitur hæc *illatio a divisis ad composita*, quæ frequentissime occurrit in demonstrationibus geometricis.

§. 418.

Consequentia a composito ad divisa.

Si subjecto tribuitur prædicatum compositum ex pluribus aliis, quæ sigillatim eidem salva ejus notione tribui possunt, & judicantes prædicatum propositionis datæ esse resolubile in plura, quæ subjecto eidem prorsus immutato tribui possunt, recordamur propositionis hujus, si prædicatum fuerit resolubile in plura alia, quæ subjecto prorsus immutato sigillatim tribui possunt, inde formari posse plures propositiones ejusdem subjecti, in quibus prædicata ista sigillatim eidem tribuuntur; ex propositione data inferemus propositionem ejusdem subjecti, in qua prædicatum aliquod sigillatim eidem tribuitur, quod notionem prædicati propositionis datæ ingreditur. Ponamus te judicantem, quod Petrus sit juvenis doctus, & perpendentem, quod prædicatum sit compositum ex duobus aliis, nempe esse juvenem & esse doctum, animadvertere, quod utrumque sigillatim Petro tribui possit, cum quis juvenis esse possit, etiamsi doctus non sit, & doctus esse possit, etiamsi non sit juvenis. Ex propositione data, quod Petrus sit juvenis doctus, utique inferes, quod sit juvenis, vel etiam quod sit doctus. Ceterum propositio generalis, cujus vi ex propositione data infertur altera, eodem modo ostenditur, quo in propositione

sitione præcedente evicimus veritatem propositionis, quæ principium consequentiæ largiebatur.

Hic quoque arguendi modus subinde in demonstrationibus Mathematicorum occurrit, diciturque consequentia immediata a composito ad divisa.

§. 419.

Si tam subjectum, quam prædicatum ad formam nominis, separata copula, si tale nondum fuerit, reductum ponitur in casu obliquo & eadem utrique accedat notio, ut duæ hinc resultent propositiones; una inde formari potest propositio vel hypothetica, vel categorica, si prior, quam subjectum datæ ingreditur, ponatur loco antecedentis in propositione hypothetica, vel subjecti loco in categorica; posterior vero loco consequentis in hypothetica, loco prædicati in categorica. In omni enim propositione categorica subjectum, quatenus per ejus notionem determinatur prædicatum, & prædicatum, quatenus per subjecti notionem determinatur, cum posita notione subjecti ponatur prædicatum (§. 131. *Ontol. vel* §. 115. *ejusd.*), idem ens designant, adeoque sibi invicem substitui possunt in notionibus quibuscunque complexis, salva earundem veritate. Quamobrem si utrique accedat eadem notio, & tam subjectum, quam prædicatum ad formam nominis reductum, abjecta copula, si talem nondum habuerit, ponatur in casu obliquo & una propositio sic formata admittitur tanquam vera; etiam altera tanquam vera admitti debet. Quare si prior sumatur pro antecedente, erit posterior consequens propositionis hypotheticæ (§. 379. 381. *Log.*). Ex propositione adeo categorica data efficitur hypothetica, si ad terminos rectos in obliquos conversos accedat notio quædam communis. Quodsi jam antecedens propositionis hypotheticæ convertatur in subjectum & consequens in prædicatum; propositio categorica prodit hypotheticæ æquipollens (§. 273. *Log.*). Quamobrem ex propositione categorica data elicitur quoque categorica alia, si ad terminos obliquos accedat notio quædam communis.

Lemma, quo continetur fundamentum consequentiæ immediatæ a rectis ad obliqua.

E. c. Pluvia guttatim destillat. Ergo qui pluviam colligit, is colligit, quod guttatim destillat, vel si quis pluviam colligit, is quod guttatim destillat, colligit. it. Homo hic est ebrius. Ergo qui homi-

nem hunc interficit, ebrium interficit. Petrus est philosophus. Ergo qui Petrum aggreditur, philosophum aggreditur, vel qui cum Petro disputat, cum philosopho disputat, vel qui Petro quid donat, philosopho donat, vel quod Petro donatur, philosopho donatur. Promiscue nimirum quilibet casus obliquus poni potest, cum in probatione non exprimatur, quinam casus obliquus poni debeat. Continet igitur propositio præsens fundamentum *consequentiæ immediatæ a rectis ad obliqua*, quam vocant Logici. Omisimus hoc in Logica, quod continetur sub principio generali propositionum se mutuo ponentium tanquam sub genere species (§. 429. *Log.*).

§. 420.

Modus inferendi in consequentia a rectis ad obliqua.

Si de propositione data categorica judices terminos, ex quibus constat, poni in casu recto, atque recorderis accedente ad utrumque in casu eodem obliquo positum eadem notione posse formari propositionem aliam sive hypotheticam, sive categoricam, & succurrat notio terminis obliquis adjicienda; ex propositione data per immediatam consequentiam inferes aliam, in qua subjectum & prædicatum habent notionem quandam communem adjectam in priori casu subjecto propositionis datæ oblique posito, in posteriori autem prædicato ejusdem itidem oblique posito. Ponamus dari propositionem: Triangulum est figura. Quodsi jam judices, subjectum, nempe triangulum, & prædicatum, scilicet figura, poni in casu recto, atque recorderis posse formari propositiones, in quibus ponitur uterque terminus in casu obliquo, accedente notione quadam tertia, veluti quod quis triangulum describat: ex propositione data utique inferes, quod, qui triangulum describit, figuram describat. Habes nimirum jam rationem sufficientem, cur a propositione data, Triangulum est figura, pervenias ad alteram; Ergo qui triangulum describit, figuram describit: quemadmodum supra generaliter ostendimus (§. 411.). Ratio vero illationis patet ex propositione præcedente.

§. 421.

Quomodo status mentis ex aliis in ratiocinatione per

In consequentiis immediatis status mentis futurus nascitur ex præsente mediante præterito (§. 411.).

Idem

Idem confirmatur a posteriori. Etenim si argumentaris: Omnis homo est mortalis. Ergo quidam homo est mortalis; ad conclusionem non pervenis, nisi judices, propositionem datam, omnis homo est mortalis, esse universalem, seu universaliter verum esse, quod homo sit mortalis, atque perpendas, quod de omni homine prædicari potest, idem etiam prædicari posse de quibusdam. Judicium vero, quod propositio hæc, omnis homo est mortalis, sit universaliter vera, designat statum mentis præsentem. Dum recordaris, de quibusdam hominibus prædicari debere, quod de omni homine prædicatur; judicium, quod olim te tulisse meministi, exprimit statum præteritum. Denique judicium, quod quidam homines sint mortales, futurum statum exprimit, qui ex ceteris nascitur, seu nonnisi præviis ceteris in mente locum habet. Status igitur in hoc casu nascitur ex præsente mediante præterito. consequentiam immediatam nascatur.

§. 422.

Dum aliquid imaginaris, status mentis, qui futurus erat, enascitur ex præsente mediante præterito (§. 117. Psychol. 584. Ont.). Vid. exempla §. 104 sqq. Quomodo status mentis ex aliis nascatur, dum quid imaginamur.

§. 423.

Dum aliquid imaginamur, status præsens gravidus futuri, quod a præterito imprægnatur (§. 408.). Add. §. 422. 117. Quomodo status præsens sit gravidus futuri in imaginando.

Propositionem hanc adjicimus, ut appareat principii superioris (§. 409.) universalitas: Quem in finem porro adjicimus propositionem sequentem.

§. 424.

Dum per consequentiam immediatam aliquid inferimus, status præsens est gravidus futuri, quod a præterito imprægnetur (§. 421. 411 sqq. 408.). Quomodo idem obtineat in consequentiis immediatis.

CAPUT

CAPUT IV.

DE
DISPOSITIONIBUS NATURALIBUS ET HABITIBUS INTELLECTUS.

§. 425.

Quid natura insit; quid acquiratur.

Quicquid menti sine prævio exercitio inexistit, *natura inesse* dicitur: quod vero non inexistit, nisi prævio exercitio, *acquiri* dicitur. Utrumque etiam de corpore accipi potest. Quare cum exercitium actuum specie vel genere eorundem absolvatur (§. 195.): *Id acquiritur, quod menti vel corpori non inexistit nisi iteratis sæpius actibus specie vel genere iisdem.*

§. 426.

Dispositio quid sit.

Possibilitas acquirendi potentiam agendi, vel patiendi, dicitur *dispositio*, ad agendum scilicet, vel patiendum. Quodsi hæc *dispositio* natura insit, *naturalis* appellatur.

§. 427.

Difficultas agendi in quonam consistat.

Difficulter agere dicitur, qui actiones simplices ad compositam requisitas nonnisi tarde ac interjectis moris edere valet. *Difficultas* adeo *agendi æstimatur longitudine temporis actioni simplici edendæ impensi & mora* (seu tractu temporis) *inter simplices interjecta, itemque frustraneis conatibus.*

E. gr. Si quis scribere velit, singulas literas delineare debet & in una eademque litera plures ductus pennæ necessarii sunt. Sunt adeo tot actus simplices, seu minus compositi, quot literæ delineandæ, ad scripturam requisiti, & in singulis literis delineandis tot distinguuntur actus magis simplices, quot ductus diversi in una litera observantur. Difficulter adeo scribit, qui tarde literas depingit & inter singularum literarum delineationes a scribendo tantisper cessat, ut mora intercedat, qua non scribitur. Major adhuc est scribendi difficultas, si quis non

non continuo ductu pingit literam eandem, sed singulos ductus singulis tempusculis absolvit, morula quadam inter singulos interjecta. Non confundenda est hæc difficultas cum impotentia scribendi, quando quis ductus literarum nondum delineare valet, seu calamum movere nequit, prout litera pingenda postulat, & si difficultati scribendi quidpiam impotentiæ adhæreat.

§. 428.

Difficultati agendi opponitur *Promptitudo agendi*, qua quis actiones simplices ad compositam requisitas cito nec ullis inter eas interjectis morulis producere valet. Atque hæc agendi promptitudo est id, quod *Habitus* appellari suevit. Habitus quid dicatur.

§. 429.

Difficultas agendi dicitur *Dispositio*, eaque *naturalis*, si natura insit, seu sine prævio exercitio inexistit; *acquisita* vero, si non inexistit, nisi prævio exercitio. Dispositio quid dicatur.

§. 430.

Habitus nonnisi exercitio acquiritur & dispositio mediante exercitio in habitum convertitur (§. 425.). Habitus quomodo producatur.

Confirmatur idem a posteriori.

Sic notionem directricem habemus ad modum, quo habitus datus comparetur, investigandum utilem. Elucescet inprimis utilitas in philosophia morali.

§. 431.

Habitus acquisitus continuo usu & conservatur, & perficitur (§. 430. 195.). Conservatio & ulterior perfectio habitus.

Habitus autem perficitur, si quid ejus acquiritur, quod nobis nondum inerat, quemadmodum ex notione perfectionis colligére licet (§. 503. *Ontol.*).

§. 432.

Habitus acquisitus amittitur diu intermisso ejus usu (§. 431.). Quomodo habitus amittatur.

§. 433.

Habitus acquisitus amittitur & contrarius simul acquiritur, editis continuo actionibus eidem contrariis. Etenim si actiones Quomodo contrarius habitus simul acquiratur.

nes habitui acquisito contrariæ eduntur, ex habitu non agis, atque adeo usus ejusdem intermittitur: quod ubi continuo fit quando agendi occasio offertur, usus illius diu tandem intermittitur. E. amitti debet (§. 432.).

Quodsi continuo edantur actiones habitui contrariæ, exercitium eidem contrarium ponitur (§. 195.). Atqui cum actionibus contrariis habitus contrarius acquiritur (§. 430.).

Maximi momenti est hæc propositio in moralibus, cum hinc pateat ratio, cur homines ex virtute prolabantur in vitia, ut virtutem dediscentes vitiis adsuefiant.

§. 434.

Differentia cognitionis a priori & posteriori.

Quod experiundo addiscimus, *a posteriori cognoscere* dicimur: Quod vero ratiocinando nobis innotescit, a *priori cognoscere* dicimur. *Mixta* est *cognitio*, quæ partim a posteriori, partim a priori acquiritur.

§. 435.

Quot dentur modi cognoscendi.

Quicquid cognoscimus, vel a posteriori cognoscimus (§. 634. Log. 434. Psych.), vel a priori (§. 366. 434.).

§. 436.

Quomodo a posteriori quid cognoscatur.

Quicquid a posteriori extra nos cognoscimus, sensu duce cognoscimus (§. 434. Psych. 437. Log. 67. 92. 117. Psych.): Quicquid vero in mente cognoscimus, ope apperceptionis cognoscimus (§. 25.).

Modum cognitionis a posteriori declaravi in Logica (§. 639. & seqq. *Log.*). Quomodo autem in mentis nostræ cognitione a posteriori progrediamur, ex ipsa præsente tractatione innotescit, ubi nonnisi talia proferimus, quæ a posteriori nobis innotescunt.

§. 437.

Sola vi imaginationis quænam cognoscantur.

Sola imaginatione duce non cognoscimus, nisi quæ fingimus (§. 117. 140. 143 sq.).

§. 438.

Quomodo quid a priori cognoscatur.

Quicquid a priori cognoscitur, vi intellectus eruitur (§. 434. 366.).

§. 439.

§. 439.

Ad cognitionem, quæ a priori datur, omnes in universum intellectus operationes concurrunt. Intellectus enim operationes tres sunt (§. 325.). Enimvero quando ratiocinamur, ex judiciis quibusdam præviis alia formamus (§. 366.), consequenter cum ratiocinatio sit tertia, judicium secunda mentis operatio (§. 52. *Log.*); tertiæ intellectus operationi locus non est sine secunda. Porro quando judicamus & quidem determinate (§. 374. 384. &c.), in idea subjecti determinationes singulas a se invicem & a re, cui insunt, & adsunt, distinguimus, vi quarum prædicatum eidem tribuendum, sive eædem intrinsecæ fuerint, sive extrinsecæ (§. 348.), consequenter primæ mentis operationi quoque locus est (§. 331.). E.

Concursus omnium operationum mentis ad cognitionem a priori.

Idem intuitiva quadam ratione a posteriori intelligitur, si acumen mentis in demonstrationem aliquam in ratiocinia sua resolutam (§. 522. & seqq. *Log.*) convertas.

Ex propositione præsente intelligitur, tanto aptiorem unumquemque esse ad res a priori cognoscendas, quanto singulas intellectus operationes promptius elicere valet.

§. 440.

Habitus distincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi dicitur *Soliditas*, intellectus scilicet.

Soliditas quid sit.

§. 441.

Distincte ratiocinatur, qui successive singula judicia format, prout ratiocinium ingrediuntur. Vid. §. 354 sqq. *Psych.* 522 sqq. *Log.*

Distincta ratiocinatio quænam.

§. 442.

Tanto quis solidior est, quo in probandis principiis propius accedit ad notiones irresolubiles (§. 532. *Log.* 440. *Psych.*).

Gradus soliditatis unde pendeant.

Præsens propositio fundamentum graduum soliditatis continet. Ex eadem vero apparet, soliditatem in tertia mentis operatione esse, quod in prima est profunditas. Habet enim aliquid similitudinis analysis notionum, de qua supra diximus (§. 339.), cum analysi demonstrationum, quam alias exhibuimus (§. 522. & seqq. *Log.*).

§. 443.

Quinam habitu demonstrandi polleat.

Qui solidus est, habitu demonstrandi & probandi pollet (§. 440. *Psych.* 467. 469 327. *Log.*).

§. 444.

A quonam demonstrationes consummatae proveniant.

Qui solidus est, demonstrationes consummatas dare valet & contra (§. 440 sq. *Psych.* 824 769. 825. *Log.*).

§. 445.

Quaenam solidus admittat tanquam vera.

Qui solidus est, non admittit tanquam vera, nisi sufficienter probata (§. 443. *Psych.* 515. 539. 538. *Log.*), *atque sufficienter explicata.*

Exploratum est, nos judicare haud quaquam posse, utrum propositio sit sufficienter probata, nec ne, quamdiu terminus quidam in eo occurrit, quem penitus nondum intelligimus, consequenter quando propositio nondum sufficienter explicata, cum ignoretur, quid probari debeat.

§. 446.

Quinam sit solidus.

Qui sufficienter probat, quae affirmat, vel negat, solidus est. Quoniam enim ideo propositionem datam probamus, ut certi reddamur eam esse veram; propositio vero tum demum nobis certa est, quando demonstrare valemus praedicatum subjecto convenire (§. 539. *Log.*); qui sufficienter probat, quae affirmat, vel negat, eadem demonstrat &, ubi nulla ex parte desiderari patitur industriam suam, demonstrationes dat completas atque ordinatas (§. 824. 769. *Log.*), adeoque consummatas (§. 825. *Log.*). Jam vide §. 444.

Patet igitur, solidum definiri posse per eum, qui sufficienter probat, quae affirmat, vel negat, modo constet quidnam sufficienter probetur, nempe quod evincitur per demonstrationes, easque inprimis consummatas.

§. 447.

Nexus probationis & explicationis sufficientis.

Qui sufficienter quid probat, idem quoque sufficienter explicat (§. 446.). Enimvero si qua propositio demonstratur, ex iis, quae notionem subjecti ingrediuntur, seu de eodem sumuntur,

muntur, ratiocinando colligitur prædicatum (§. 522. & sqq. *Log.*), consequenter antequam demonstratio inchoari potest, enumerandæ sunt determinationes subjecti, quarum vi prædicatum eidem tribuitur, & notio prædicato respondens communicanda, ut constet, quid ex illis colligi debeat. E. (§. 1099. *Log.*).

§. 448.

Solida doctrina dicitur, quæ constat propositionibus sufficienter probatis seu demonstratis, adeoque & sufficienter explicatis (§. 447.). Solida doctrina quænam dicatur.

§. 449.

Doctrina methodo philosophica, seu mathematica proposita solida est (§. 132 109. 111. Disc. præl.). Qua methodo doctrina solida tradatur.

§. 450.

Cui scientia est, is solidus est & doctrinam solidam possidet (§. 568 sq. *Log.* 448. *Psych.*). Quinam eam possideat.

Datur differentia inter scientiam & soliditatem. Nimirum soliditas spectatur in intellectu citra respectum ad cognoscibilia, quæ animo comprehendimus, attendendo tantummodo ad modum, quo circa cognoscibilia versamur; scientia vero includit cognoscibilia, quæ nobis innotuere, atque eadem exprimit cum modo cognitionis, quatenus is per applicationem inest ipsi cognitionis actui singulari. Apparet itaque arctus soliditatis ac scientiæ nexus, ita ut non detur scientia sine aliquo soliditatis gradu. Æstimantur autem gradus scientiæ ex multitudine eorum, quæ scimus: gradus autem soliditatis, cui cum objecto nihil est negotii, alio prorsus fundamento nituntur (§. 442.).

§. 451.

Tantum scimus, quantum memoria retinemus. Pone enim, nos quid memoria non retinere: ejus ergo ideam animo reproducere reproductamque recognoscere minime valemus (§. 180.). Quare cum ea sciamus, quæ demonstrare valemus (§. 568. *Log.*); ea, quorum ideam reproducere ac reproductam cognoscere minime valemus, multo minus demonstrare valemus, quia hic potissimum respicimus ad objectum cognitionis (*not.* §. 450.). Quantum sciamus.

§. 452.

Scientia quando pereat.

Qui ejus, quod sciverat, obliviscitur, ipsius amplius scientiam non habet (§. 216. 180.).

§. 453.

Oblivio qua non noceat habitui acquisito.

Habitus distincte ratiocinandi ac ratiocinia concatenandi remanet, etiamsi obliviscaris eorum, de quibus distincte ratiocinatus habitum istum tibi comparasti. Habitum enim distincte ratiocinandi ac ratiocinia concatenandi tibi comparasti, non quod de iis præcise rebus ratiocinatus es, de quibus distincta ratiocinia formasti & formata concatenasti; sed quod tantummodo ratiocinia formasti & concatenasti ac hoc ipso notionem distinctæ ratiocinationis & legitimæ ratiociniorum concatenationis tibi comparasti (§. 430.). Quoniam itaque objectum, de quo ratiocinatus es, ad hoc nil quicquam confert, ut intelligas, cur habitum distincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi tibi comparaveris, sed sola sufficit actuum ratiocinationis ac concatenationis frequentia; ratio quoque sufficiens illius habitus in sola horum actuum frequentia continetur, nec quicquam ad eam facit objectum, de quo ratiocinia distincta formasti & concatenasti (§. 56. *Ontol.*). E. (*§. 118. Ontol.*).

§. 454.

Ars inveniendi quid sit & quod detur.

Habitus ex veritatibus cognitis alias incognitas colligendi dicitur *Ars inveniendi.* Exemplo inprimis Mathematicorum probatur, quod *detur ars inveniendi.* Integræ quoque dantur disciplinæ, quæ artes inveniendi speciales sunt, veluti Arithmetica, Trigonometria & inprimis Algebra. Quod vero etiam extra Mathesin arte inveniendi opus sit, non minus a posteriori probari potest. Exemplo docui, quomodo ars inveniendi exerceri possit in Tentamine de vera causa multiplicationis frumenti, patrio idiomate aliquoties recuso.

§. 455.

Ars inveniendi quotuplex.

Ars inveniendi duplex est, nimirum *ars inveniendi veritatem a posteriori, & ars inveniendi eandem a priori* (§. 435.) add. *Log. c. 2. 3. sect. 2. part. 2.*

§. 456.

§. 456.

Observatio est experientia, quæ versatur circa facta naturæ sine nostra opera contingentia. *Experimentum* est experientia, quæ versatur circa facta naturæ, quæ nonnisi interveniente opera nostra contingunt (§. 717. *Log.*).

Observationis & experimenti differentia.

§. 457.

Ars inveniendi a posteriori veritatem incognitam eruit vel ex observationibus, vel ex experimentis (§. 434. 456.).

Ars inveniendi a posteriori quotuplex.

Duplex adeo datur ars inveniendi a posteriori, scilicet ars observandi & ars experimentandi.

§. 458.

Ars observandi est, qua veritates ex observationibus eruuntur.

Artis observandi definitio.

Utuntur hac arte Physici ac Medici, ac inprimis Astronomi. Utimur quoque eadem in Psychologia empirica, quam hic tradimus.

§. 459.

Ars experimentandi est, qua experimentis veritates eruuntur.

Artis experimentandi definitio.

Hac arte utuntur hactenus Physici fere soli: eidem tamen locus est in omni philosophia, ipsa Theologia naturali.

§. 460.

Si veritas a priori eruitur, ex notionibus, hoc est, definitionibus ac propositionibus, per ratiocinia colligitur (§. 439. 325. 366 sqq.).

Veritas quomodo a priori eruatur.

§. 461.

Hinc *Ars inveniendi a priori*, quæ per eminentiam *Ars inveniendi* dicitur, est, qua ex notionibus acquisitis, hoc est, ex definitionibus ac propositionibus jam cognitis ratiocinando colligitur veritas adhuc incognita.

Artis inveniendi a priori definitio.

§. 462.

Quo plures definitiones ac propositiones quis jam cognovit, eo ad inveniendum veritatem latentem a priori aptior; si cui vero nullæ

Quænam ars inveniendi a priori præsupponat.

nullæ adhuc perspectæ sunt, is in inveniendo inanem operam sumit (§. 461.).

§. 463.

Requisitum alterum inventoris.

Et quia veritas a priori ratiocinando colligitur (§. 461.); *veritatem a priori investigaturus habitu ratiocinandi polleat necesse est*, consequenter cum soliditas in habitu distincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi consistat (§. 440.), *inventorem solidum esse oportet.*

§. 464.

Principia, quibus usi primi inventores.

Primi inventores ex veritatibus vulgo obviis, quas invenerunt, collegerunt. Veritas enim latens eruitur ex veritatibus jam cognitis (§. 461.). Quare cum primis inventoribus veritates aliæ cognitæ non fuerint, nisi quæ etiam vulgo obviæ erant; ex veritatibus vulgo obviis collegerunt, quas invenerunt.

§. 465.

Syllogismorum in inveniendo usus.

Sillogismi sunt medium inveniendi veritatem (§. 327. *Log.* 460. 463. 440. *Psychol.* 932. *Ontol.* 366. *Psychol.* 58. 937. *Ontol.*).

Communiter syllogismum a ratiocinio non distinguunt. Atque tunc multo evidentius est, syllogismos esse medium inveniendæ veritatis. Neque enim legitime ratiocinamur, nisi ratiocinia regulis syllogisticis conveniant, quas ex legibus raciocinandi supra stabilitis deduci ex Logica patet.

§. 466.

Quando per ratiocinia propositio vera inferatur.

Si ratiocinia regulis logicis non fuerint conformia; per ea non necessario infertur propositio vera (§. 373 *sq.* 384. 388. 390. 411.).

Hinc ad *ratiocinium legitimum & syllogismum legitimum* requiritur, ut nec in materia peccet, nec in forma, hoc est, ut nec alterutra præmissa falsa sit, nec syllogismus regulis syllogismorum contrarietur. Dico autem si ratiocinia regulis logicis conformia minime fuerint, seu in forma peccent (§. 605. *Log.*); per ea non necessario inferri propositionem veram: etenim fieri potest ex accidente, ut propositio sit vera.

Enim-

Enimvero tum non sequitur ex præmissis, neque veritas ejus vi formæ agnoscitur.

§. 467.

Sine ratiociniis, quæ regulis logicis conformia sunt, nulla a priori invenitur veritas (§. 460. 466.). Ratiocinia in inveniendo qualia.

§. 468.

Ratiocinia, quibus in inveniendo utimur, per syllogismos formales explicabilia sunt (§. 317. Log.). Idem ulterius expenditur.

Etsi non opus sit syllogismos formales semper adhiberi ab inventore; necesse tamen est, ut ratiocinia ejus distincte evoluta per syllogismos formales explicentur. Immo conducit syllogismis quoque formalibus uti in meditando, ut ratiocinia eo ordine se invicem excipiant, quo in demonstrationum resolutione (§. 522. & sqq. *Log.*) se invicem consequuntur. Ita nimirum meditans in majore luce versatur, ubi distincte ratiocinatur, quam ubi confusis ratiociniis indulget. Facilius advertit, ubinam hæreat aqua & de quibus principiis ipsi sit dispiciendum, antequam ulterius progredi possit. Minus defatigatur meditatione sua ac citra tædium eandem continuat. Immo lapsus quoque facilius evitat, quam confusis ratiociniis intentus.

§. 469.

Artificia heuristica dicuntur regulæ, quibus mens apta efficitur per principia ipsi perspecta veritatem incognitam eruendi, quam solo ratiocinandi habitu adjuta per ea eruere non poterat. Artificia heuristica quid sint.

§. 470.

Principia ac demonstrandi habitus ad veritatem latentem investigandum non semper sufficiunt; sed aliis præterea artificiis heuristicis sæpius opus est. A posteriori veritatem asserti probare licet per exempla ex Mathesi petita. Ecquid enim in ipsis Geometriæ elementis communius est, quam ex data notione subjecti deduci non posse prædicatum vi aliorum theorematum jam satis perspectorum, nisi ante per constructionem quandam geometricam effeceris, ut principia ista applicari atque adeo ex iis, quæ per constructionem dantur, ratiocinando colligi possit quod quæritur? Vide Rationem prælectionum sect. 1. c. 1. §. 38. Ad illas constructiones requiruntur artificia heuristcia generalia & ipsæ con- Artificiorum heuristicorum necessitas.

ſtructiones ſunt iſtiusmodi artificia ſpecialia (§. 469.). Algebra, quæ ars inveniendi ſpecialis eſt, plura continet iſtiusmodi artificia, quæ vi definitionis hic a nobis datæ (§. 369.) facile agnoſces. Iſtiusmodi artificium eſt ars characteriſtica, cujus beneficio veritates geometricæ ac arithmeticæ ab imaginibus ſeparantur, ut quæſitum ex datis per calculum erui poſſit. Simile artificium eſt in reſolutionibus problematum ſpecialium eorum ad abſtracta ſeu generalia reductio (§. 156. *Algebr.*) & in problematum phyſico-mathematicorum reſolutionibus eorundem ad Geometriam puram reductio, qua uſus eſt *Jacobus Bernoulli* in Actis Eruditorum Anni 1690. p. 218. cum problema phyſico-mechanicum de curva æquabilis deſcenſus ſolveret.

§. 471.

Fundamentum reductionis heuriſticæ.

Si quod objectum notionem quandam communem cum altero habet; quæ vi ejusdem de uno innotuere ad alterum quoque applicantur (§. 195. 234. *Ont.* 341. *Log.*).

E. gr. Vide de additione & ſubtractione arithmetica (§. 98 ſq. 103. *Arithm.*). In philoſophia practica ex notione communi perſonæ ſingularis & integræ cujusdam Reip. deducimus officia gentium erga gentes applicando ad gentes integras, quæ de perſonis ſingularibus in ſtatu naturali viventibus demonſtrata ſunt.

§. 472.

Principii reductionis definitio.

Principium reductionis appello artificium, quo objectum aliquod, de quo quid quæritur, reduco ad aliud notionem quandam communem habens, ut ea, quæ de hoc nobis innotuere, vi notionis communis ad illud quoque applicari poſſint.

In Elementis Geometriæ circulus reducitur ad polygonum, ut inde colligatur modus inveſtigandi aream ejus (§. 410. *Geom.*); Cylindus eodem fine ad priſma (§. 541. *Geom.*) & ſphæra ad Pyramidem ſeu corpus ex pyramidibus, quarum vertices in centro coëunt, compoſitum reducitur (§. 550. *Geom.*). In Algebra trinomium, quadrinomium & polynomium quodcunque reducitur ad binomium, ut per geneſin potentiæ binomiæ pateat geneſis multinomiæ (§. 101. 102. *Analyſ.*).

§. 473.

Artis inveniendi generalis

Ars inveniendi generalis eſt, quæ circa quodlibet objectum verſatur.

versatur. *Ars vero inveniendi specialis est*, quæ circa determinatum quoddam objectum versatur. & specialis differentia.

Differentia petitur ab objecto, ut adeo tot sint species artis inveniendi, quot sunt species cognoscibilium. Hinc habemus artem inveniendi Mathematicorum, quæ communiter Algebra, rectius Analysis appellatur. Hæc enim non versatur nisi circa quantitates, atque adeo nonnisi veritatibus mathematicis inveniendis inservit. Est etiam artis inveniendi species quædam Arithmetica, quæ circa numeros determinatos versatur, atque adeo docet modum inveniendi numeros determinatos ex datis aliis. Datur etiam ars inveniendi specialis, qua veritates morales investigantur: datur alia, quæ physicis veritatibus detegendis destinatur.

§. 474.

Regulæ speciales artis inveniendi specialis ex veritatibus de illo objecto, circa quod ea versatur, erutis deducuntur. Patet hoc a posteriori ex Analysi Mathematicorum, præsertim si nostro more methodo analytica pertractetur. E. gr. ope calculi literalis eruitur compositio quadrati aut, si mavis, ejus genesis, in casu radicis binomiæ: ex hac autem genesi eruitur regula pro æquationibus quadraticis affectis ad puras reducendis (§. 261. *Arithm.* & §. 143. *Analys. finit.*). In philosophia practica universali damus specimina regularum specialium artis inveniendi ex veritatibus moralibus erutarum. Regulæ speciales artis inveniendi unde deducantur.

§. 475.

Quo plures veritates in aliquo genere scientiarum fuerint repertæ, eo plures quoque regulæ artis inveniendi speciales inveniendi speciales inveniri possunt (§. 474.). Unde ars inveniendi augmentum capiat.

Crescit adeo ipsa ars inveniendi cum numero veritatum inventarum.

§. 476.

Facilitatem observandi rerum similitudines *Ingenium* appellamus. *Ingeniosus* vero est, qui ingenio pollet, hoc est, qui similitudines rerum facile observat. Ingenii definitio.

Datur aliquod acumen in observandis similitudinibus rerum, neque hoc omnibus idem est. Utile quoque est hanc acuminis speciem ab aliis facultatibus animæ distingui. Nullum vero reperio nomen, quod eidem magis conveniat, quam ingenii, etsi admodum vagus sit ejusdem significatus.

§. 477.

Ingenii notio usui loquendi conformis.

Notio ingenii, quam dedimus, non abhorret ab usu loquendi. Constat enim præ ceteris ingeniosos dici Poëtas, Oratores ac Histriones. Ac Poëtis quidem ob tropicam dicendi rationem id nominis tribuitur. Similiter Oratores dicuntur ingeniosi ob convenientem usum metaphorarum, allegoriarum & similitudinum. Histrionibus ingenium tribuitur ob dicta & facta, quando ex iisdem elucet aliquod in observandis rerum similitudinibus acumen: quod ubi deficit, dicta & facta vix oblectant vulgum imperitum.

§. 478.

Imaginatio vivax quænam dicatur.

Imaginationem vivacem appello, qua phantasmata adeo clara producuntur, ut tibi probe conscius sis eorum, quæ in iisdem continentur.

§. 479.

Imaginatio ingeniosi qualis sit.

Ingenioso imaginatio vivax est. Ingeniosus enim rerum non modo præsentium, verum etiam absentium similitudinem facile observat (§. 476.). Quare cum ideæ rerum absentium vi imaginationis producantur (§. 92.), adeoque phantasmata sint (§. 93.); hæc inter se, vel ideas sensuales cum his comparans, facile observat, quæ in utrisque eadem sunt (§. 195. *Ont.*), consequenter sibi probe conscius est eorum, quæ in phantasmatis continentur. E. (§. 478.).

§. 480.

Memoria cur polleat ingeniosus.

Qui ingenio, idem & memoria pollet (§. 476. 479. 117. 175.).

§. 481.

Cur inventores ingenio opus habeant.

Inventores ingenio opus habent (§. 472. *Psych.* 195. *Ont.* 476. *Psych.*).

Atque hinc factum est, ut jam veteres animadverterint, ingenium quoque denotare vim inveniendi in hominibus; atque ideo *Cicero* affirmet, ingenium continere vim feliciter ac facile inveniendi ac fingendi in hominibus & vim memoriæ.

§. 482.

Veritatum universalium nexus.

Veritates universales inter se connectuntur. Veritates universales seu determinatas propositiones universales in disciplinis tales deprehendimus, ut aliæ ex aliis demonstrari possint. Quatenus vero propositio una inservit demonstrandæ alteri, eatenus

tenus ex una intelligitur, cur altera vera sit: id quod per se patet, modo ad exempla demonstrationum attendas. Una igitur in se continet rationem, cur altera sit vera (§. 56. *Ontol.*). Propositiones adeo determinatæ universales connectuntur inter se, quatenus sunt veræ (§. 10. *Cosmol.*). E.

Veritatum universalium nexus fundatur in nexu rerum, quem in Cosmologia stabilivimus part. 1. sect. 1. c. 1. quemadmodum veritas logica in veritate rerum transcendentali (§. 499. *Ontol.*). Et nisi istiusmodi nexus daretur, nec systemata veri nominis condi possent, qualia in Horis subsecivis A. 1729. trim. brum. n. 3. descripsimus.

§. 483.

Ratio est facultas nexum veritatum universalium intuendi seu perspiciendi. Rationis definitio.

§. 484.

Significatus vocabuli rationis, ut a nobis sumitur, usui loquendi conformis. Receptus significatus vocabuli rationis stabilitus.

§. 485.

Rationi conforme vel *consentaneum* vocatur, quod cum veritatibus cognitis seu propositionibus universalibus veris connectitur. *Rationi contrarium* est, quod veritatibus universalibus contradicit. Quid rationi conveniat, quid contrarietur.

Etsi autem quid sit rationi conforme, vel contrarium; fieri tamen potest, ut nec conformitatem in casu priori, nec contrarietatem in posteriori agnoscamus. Cavendum vero, quod sæpe fieri solet, ne rationi contrariari judicemus, quod eidem conforme minime agnoscimus. Nec minus cavendum, quod creberrime accidit, ut rationi repugnare credamus, quod eidem conforme demonstrare minime valemus.

§. 486.

Quod directe demonstrari potest, rationi conforme est (*§. 520. 469. 539. 535. Log. 56. Ont. 10. Cosm. 249. 522 sq. Log. 485. Psychol.*). Quænam rationi conformia sint.

Equidem in Logica nullibi demonstravimus, principia demonstrandi esse propositiones universales. Quodsi tamen quis perpendit ea, quæ de demonstratione ostensiva (§. 522. 523. *Log.*) dicta sunt, & animo recolit, quæ de propositionum universalitate tradita sunt (§.

242. 249. & seqq.); illarum universalitatem facile agnoscit, ut adeo nec opus judicemus idem per modum lemmatis hic demum demonstrari. Si quis tamen scrupulosior fuerit; ei satisfacit sequens demonstratio. In ratiociniis, quæ demonstrationem ingrediuntur, propositiones antea stabilitæ sunt majores syllogismorum in prima figura (§. 522. 523. *Log.*). Sed majores syllogismorum primæ figuræ semper universales sunt (§. 361. *Log.*). Propositiones igitur antea stabilitæ, quibus utimur in demonstrando, universales sunt.

§. 487.

Quænam rationi contraria sint.

Si ex propositione data colligitur, quod propositioni cuidam veræ contradicit; illa rationi contraria est (§. 527. 508. *Log.* not. §. 486. *Psych.* 56. *Ont.* 10. *Cosm.* 485. *Psych.*).

Ex duabus propositionibus hisce intelligitur, quomodo evincatur, esse quid rationi conforme, vel contrarium. Nimirum conformitas cum ratione patet per demonstrationem directam; difformitas per apogogicam, modo in posteriori casu notetur, non assumi propositionem datæ contrariam, ut inde colligatur absurdum, sed ipsam potius, quæ datur, propositionem.

§. 488.

Gradus rationis ab objecto materiali pendentes.

Ratio major ei est, qui plurium veritatum universalium nexum perspicit, quam illi, qui pauciorum nexum perspicit (§. 483. *Psych.* 746. 751. *Ont.*).

§. 489.

Gradus rationis ab objecto formali pendentes.

Ratio ei major est, qui nexum veritatum universalium inter se in serie longiori continuare valet, quam qui eundem in serie breviori producere valet (§. 483. *Psych.* 746. 751. *Ont.*).

§. 490.

Diversitas rationis ac experientiæ.

Experientia non est ratio (§. 635 sq. *Log.* 483. *Psych.*).

§. 491.

Qualis sit cognitio, rationis beneficio acquisita.

Quicquid beneficio rationis cognoscimus, a priori cognoscimus (§. 435. 434. 490.).

§. 492.

Idem porro expenditur.

Quicquid beneficio rationis cognoscimus, ratiocinando cognoscimus (§. 434. 491.).

Hinc

Hinc & ratiocinia nomen trahunt a ratione, quod per ea rationis usus sese exerat, nec absque iis in homine detur.

§. 493.

Si cui enti deest facultas ratiocinandi, eidem quoque deest ratio (§. 492.). Rationis defectus unde agnoscatur.

§. 494.

Quicquid beneficio rationis cognoscitur, id ex aliis propositionibus sive judiciis atque definitionibus, quæ antea nobis innotuere colligitur (§. 492). Enimvero dum ratiocinamur, ex definitionibus & judiciis aliis præviis, quemadmodum ex legibus ratiocinandi apparet (§. 374. 384. 388. &c.) colligitur propositio alia. Ergo. Quomodo beneficio rationis quid cognoscatur.

§. 495.

Ratio pura est, si in ratiocinando non admittimus nisi definitiones ac propositiones a priori cognitas. *Pura* non est, si in ratiocinando præterea admittuntur, quæ a posteriori cognoscuntur. Rationis puræ ac non puræ differentia.

Ratio pura in Arithmetica, Geometria & Algebra; In Physica ratio minime pura est, cum ibidem ubivis assumantur, quæ de rebus a posteriori innotescunt, quemadmodum & in Astronomia moris est.

§. 496.

Quando ratio pura non est, experientia cum eadem in cognoscendo concurrit. Quando enim ratio pura non est, in ratiocinando admittuntur præter definitiones ac propositiones, quæ a priori innotuerunt, etiam aliæ, quæ a posteriori cognoscuntur (§. 495.). Jam vide §. 434. Rationis & experientiæ concursus.

§. 497.

Concursus rationis & experientiæ in cognoscendo *Connubium rationis & experientiæ* dici solet. Connubium rationis ac experientiæ.

Connubium hoc & ad certitudinem cognitionis plurimum facit, & progressum in scientiis mirifice juvat.

§. 498.

Scientia ex ratione (§. 564. 469. 539. 535. Log. 56. Ontol. 10. Cosm. 483. Psych.); historia ab experientia ortum trahit (§. 2. Disc. præl. 226 sq. Ont. 636. Log.). Scientiæ ac historiæ ortus.

§. 499.

Cognitio philosophica quod rationis sit.

Cognitio philosophica rationis est (§. 4. *Disc. præl.* 10. *Cosm.* 476. *Log.* 483. *Psych.*).

Studio igitur philosophiæ veri nominis (§. 22. *Disc. præl.*), ratio perficitur, ut hinc philosophiæ eluceat præstantia.

§. 500.

An error a ratione proficiscatur.

A ratione nullus proficiscitur error. Beneficio rationis enim perspicimus nexum veritatum universalium (§. 483.). Quare cum veritates universales inter se connectantur, quatenus propositio una in se continet rationem, cur altera sit vera (§. 10. *Cosmol.*); beneficio rationis intelligimus, cur propositio aliqua vera potius sit, quam falsa (§. 56. *Ontol.*). E.

Qui adeo rationem accusant tanquam seductricem, quasi nos ad perniciosissimos ac gravissimos errores seduceret; terminum in alio prorsus significatu accipiunt (§. 483 sq.). Nunc enim per rationem intelligunt quosdam de rebus naturalibus errores; nunc pravas hominis cupiditates, quibus in malum pronus fertur; nunc nescio quodcunque aliud. Atque hinc clamant, rationem adversari fidei ac virtuti: quod ipsorum judicium tamdiu verum est, quamdiu ex sua judicant notione usu loquendi minime comprobata! Neque etiam ullibi terminus hic in significatu perverso in Scriptura Sacra occurrit, modo versionem a textu authentico distinguas.

§. 501.

Quales homines sint in actionibus suis.

Qui actiones suas secundum experientiam moderantur; in casu simili imitantur olim facta. Patet hoc per experientiam maxime obviam.

Immo facile ostenditur, cur idem fieri debeat. Etenim quid fieri debet in casu singulari dato, nemo judicare valet, nisi jam cognoverit, quid in istiusmodi casu fieri debeat (§. 361.), nisi inventorem agere jubeatur (§. 461.), quem casum jam non supponimus. Enimvero quicquid cognoscimus, vel a priori cognoscimus, vel a posteriori (§. 435.): quamobrem quid fieri conveniat in istiusmodi casu, vel ratiocinando nobis innotuit, vel experiundo idem didicimus (§. 434.). Nemo non novit in disciplinis, quæ docentur, non tradi theorias negotiorum maxime communium, immo gravissimorum, &, si quæ in iis continentur, paucissimos

cissimos homines disciplinis vacare. Quoniam itaque destituuntur propositionibus determinatis, juxta quas judicent in casibus datis; secundum notiones judicare tenentur, quas a posteriori seu per experientiam acquisiverunt. Vi igitur similitudinis casus præsentis cum alio quodam præterito hunc sibi repræsentant cum eo, quod in eo factum fuerit (§. 105.), quodque tum istud factum fuerit sibi conscii sunt (*not.* §. 173.), atque adeo idem in hoc casu fieri debere judicant.

§. 502.

Homines *in actionibus suis* dicuntur *empirici*, qui secundum experientiam actiones suas moderantur. In *actionibus* autem *suis rationales* dicuntur, qui secundum rationem easdem moderantur. Qui in actionibus suis sint empirici; quinam rationales.

§. 503.

Expectationem casuum similium dicimus modum dirigendi actiones per olim facta in casu simili. Expectatio casuum similium.

§. 504.

Expectatio casuum similium rationi similis videtur (*§.* 503. 501.). Id autem ideo fieri, & experimur, & intelligimus, quod eundem eventum in præsenti casu speremus, quem in simili antea experti sumus. Videmur adeo perspicere nexum inter actionem & eventum in casu dato. E. (§. 483.). Similitudo ejus apparens cum ratione.

§. 505.

In expectatione casuum similium tertia latet mentis operatio, seu ratiocinium confusum in ea continetur. Etenim perceptio casus præsentis propositioni minori, memoria præteriti (§. 105. 226.) cum facto præterito majori & judicium inde enatum conclusioni respondet, ut perinde sit ac si ita argumentaremur: Casus præsens talis est. In casu tali hoc fieri debet. Ergo in præsenti hoc fieri debet. Latet igitur in expectatione casuum similium ratiocinium, utpote explicabile per syllogismum (§. 327. *Log.*); sed cum mens propositiones singulas non distinguat a se invicem, nonnisi confusum (§. 39.). Ea ulterius expenditur.

§. 506.

Expectatio casuum similium est id, quod analogum rationis dici solet (§. 492. *Psych.* 195. *Ont.*). Anologum rationis quid sit.

§. 507.

Quando rationi æquipolleat.

Si casus præsens revera fuerit similis præterito, non tantummodo ex parte talis deprehendatur; expectatio casuum similium rationi æquipollet. Etenim utrobique tunc determinantia eadem sunt (§. 114. 181. *Ontol.*). Eadem igitur etiam sunt determinata (§. 192. *Ontol.*). Quoniam igitur hic determinatum istud est, quod posita in tali casu tali actione, seposito alio quocunque obstaculo extrinseco, consequitur (§. 112. *Ontol.*); quicquid in casu præterito ex actione consecutum fuit, idem etiam in præsente consequi debet. Sed jam perinde est ac si nexum inter actionem & id, quod inde consequitur, perspiceremus, atque adeo ratione in determinanda actione uteremur (§. 483.). E.

§. 508.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam itaque similitudo casuum cognoscitur ex identitate circumstantiarum, per quas determinantur (§. 195. *Ontol.*); *Si circumstantias casus præteriti distincte cognoscas; expectatio casuum similium rationi æquipollet.*

Ita distincte singulas circumstantias casus agnoscimus, quando judicamus, aquam ebullire, si aheno cupreo infusum imponatur tripodi eidemque ignis subjiciatur. Notio igitur hæc a posteriori acquisita non minus certo dirigit actiones nostras circa ebullitionem aquæ, ac si beneficio rationis nobis constaret, cur aqua ebullire debeat.

FINIS
PARTIS PRIMÆ PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ.



PSYCHO-

PSYCHOLOGIÆ
EMPIRICÆ
PARS II.

PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ

PARS II.

DE

FACULTATE APPETENDI IN SPECIE DE COMMERCIO INTER MENTEM ET CORPUS.

SECTIO I.

DE

FACULTATIS APPETENDI PARTE INFERIORI.

CAPUT I.

DE

VOLUNTATE AC TÆDIO, NEC NON NOTIONE BONI AC MALI.

§. 509.

Appetitus nascitur ex cognitione; non tamen per saltum. Quamobrem distincte nunc nobis exponendum, quomodo ex notionibus nascatur appetitus. Quamobrem suppositis (§. 535 sqq. *Log.*), nos conferimus dicturi de voluptate ac tædio, **Institutum autoris.**

tædio, notionibusque boni ac mali, propterea quod ex cognitione nascitur primum voluptas, inde porro judicium de bonitate objecti, ac hinc demum resultat appetitus; in casu autem opposito ex cognitione rei ortum primo trahit tædium, inde porro judicium, quod ea mala sit, tandemque hinc resultat aversatio.

§. 510.

Perfectionis veræ ac apparentis differentia.

Perfectio vera dicitur, quam rei inesse vi notionis perfectionis demonstrari potest, aut, si mavis, quæ eidem revera inest. *Perfectio* autem *apparens* a nobis vocatur, quam per errorem eidem tribuimus. Idem tenendum de imperfectione (§. 503. *Ont.*).

§. 511.

Voluptatis definitio.

Voluptas est intuitus, seu cognitio intuitiva perfectionis cujuscunque, sive veræ, sive apparentis (§. 286.).

Vide horas subsecivas A. 1729. *Trim. æst. num. 1. §. 2.*

§. 512.

An illa sit experientiæ conformis.

Notio voluptatis, quam dedimus, experientiæ consentanea. E. c. Voluptatem percipimus ex eo, quod horologium horas singulas singulasque ejus partes accurate indicet. Enimvero in hoc consistit perfectio horologii, qvod eo fine construitur, ut tempus indicet (*not.* §. 503. *Ontol.*). Voluptas igitur ex horologio percipitur, quatenus nobis conscii sumus perfectionis ejusdem.

Probe hic notandum est, non necesse esse, ut quis in genere judicet objectum, quod percipit, esse perfectum: sufficit enim perfectionem quandam sive veram, sive apparentem saltem confuse percipi. Ita non opus est, ut judices imaginem prototypo similem esse perfectam; sed sufficit, ut tibi conscius sis similitudinis. Judicium enim, quo statuitur, in eo, cujus tibi conscius es, consistere perfectionem rei perceptæ, in notionibus confusis involvitur, ut non agnoscatur nisi ab eo, qui singulari acumine illas evolvere & ad distinctas revocare valet.

§. 513.

§. 513.

Si perfectio fuerit vera & qui ejusdem sibi conscius est rem esse perfectam demonstrare possit; voluptas constans est, hoc est, semper oritur, quotiescunque illius sibi conscius est (§. 510. Psychol. 539. Log.). Quoniam igitur semper judicat istam rem esse in numero perfectionum, quotiescunque eam percipiens attentionem suam in eam dirigit; judicii quippe pristini ac sensus certitudinis memor (§. 117. 213.), voluptas quoque semper oritur, quoties quis sibi conscius perfectionis illius (§. 511.). Constantia voluptatis unde.

Lege in horis subsecivis A. 1729. Trim. æst. n. 1.

§. 514.

Voluptas vera est, quæ ex vera perfectione oritur: *apparens* vero, quæ oritur ex apparente. Voluptatis veræ ac apparentis differentia.

§. 515.

Voluptas vera constans est tum in se spectata, tum respectu subjecti, a quo agnoscitur (§. 513 sq.). Voluptas vera qualis.

Nimirum etsi voluptas vera in se constans sit, quatenus nulla datur ratio intrinseca, cur mutetur; ex accidente tamen fieri potest, ut in aliquo subjecto non sit constans, sed mutetur, quatenus is eam non agnoscit, adeoque judicium verum, cujus minime convictus est, in erroneum abire potest.

§. 516.

Quo major fuerit perfectio, vel talis saltem apparet; eo major quoque est voluptas. Ponamus evidentiæ gratia perfectionem A esse dimidiam perfectionis alterius B: erit B bis A seu B = 2 A. Ponamus porro ex perfectione A ortum trahere voluptatem C: erit illa perfectio A ratio sufficiens voluptatis C (§. 129. *Ontol.*). Quoniam itaque posita adhuc alia perfectione A poni debet alia adhuc voluptas C (§. 189. *Ontol.*); evidens est posita perfectione bis A poni voluptatem bis C, consequenter ex perfectione, quæ est dupla ipsius A, oriri voluptatem duplam ejus, quæ a perfectione A ortum trahit. Est vero perfectio B dupla perfectionis A *per hypothesin.* Ergo ex perfectione B dupla oritur voluptas ejus, quæ ex perfectione A ortum trahit. Gradus perfectionis.

Enim-

Enimvero si voluptas oritur, perinde est sive perfectio fuerit vera, sive apparens (§. 511.), consequenter sive rei perceptæ actu insit, sive tantummodo per errorem eidem tribuatur (§. 510.). Quamobrem si perfectio B saltem appareat dupla perfectionis A, non minus ac in casu veritatis ex illa ortum trahere debet voluptas dupla ejus, quæ ex perfectione A oritur.

§. 517.

Gradus alius perfectionis.

Quo certius nobis est, vel videtur judicium de perfectione rei, eo majorem inde percipimus voluptatem (§. 511. Psychol. 535. Log.). Sic magis nobis conscii sumus quod perfectionem rei intueamur, si certum, quam si minus certum fuerit judicium, consequenter intuitus perfectionis clarior est vel saltem talis videtur. Atqui major esse debet voluptas, ubi perfectionem clarius intuemur, quam ubi eam minus clare intuemur, cum in casu posteriori latens aliqua dubitatio impediat ex parte voluptatis genesin (§. 511.). E.

Probe hic considerandum, certitudinem judicii producere claritatem in appercipiendo, ut perinde sit, ac si objectum aliquod majore lumine illustratum intueremur. Constat autem melius videri ac agnosci, quæ clariora sunt, quam quæ obscuriora apparent. Unde & in casu certitudinis majoris perfectio magis agnoscitur, quam in casu minoris, consequenter in illo magis tibi conscius es perfectionis, quam in altero.

§. 518.

Tædii definitio.

Tædium est intuitus, seu cognitio intuitiva imperfectionis cujuscunque, sive veræ, sive falsæ. Dicitur etiam Molestia.

§. 519.

Notio tædii experientiæ conformis.

Notio tædii, quam dedimus, experientiæ conformis. Nemo non ignorat præcipitantiam in judicando & defectum attentionis in numerum imperfectionum mentis referri. Ponamus jam nos errorem committere ex præcipitantia in judicando, vel attentionis defectu atque postea agnoscere, quod errorem commiserimus & qua de causa eundem commiserimus. Nemo non in se tædium deprehendet, immo conscius sibi erit, se ideo tædio affici

affici quod præcipitantiam in judicando non evitaverit, vel quod attentionem ſuam deſiderari paſſus fuerit. Tædio igitur afficimur, quod nobis conſcii ſumus imperfectionis cujusdam noſtræ.

§. 520.

Si imperfectio fuerit vera & qui ejusdem ſibi conſcius eſt, rem eſſe imperfectam demonſtrare poſſit; tædium conſtans eſt, hoc eſt, ſemper oritur, quotiescunque illius ſibi conſcius eſt (§. 510. *Pſychol.* 539. *Log.*). Idem patet ex §. 960. *Log.* 518 *Pſychol.* 189. *Ontol.* Cum igitur ſemper judicet iſtud ad imperfectionem rei pertinere, quod in eadem percipit, quotiescunque rem percipiens ſuam in iſtud attentionem dirigit, judicii quippe priſtini ac ſenſus certitudinis memor (§. 117. 213.); tædium quoque ſemper oritur, quoties quis ſibi conſcius eſt ejus, quod ad rei perceptæ imperfectionem refert, adeoque tædium ipſius conſtans eſt. Conſtantia tædii.

Magni momenti eſt noſſe, quandonam tædium conſtans ſit, cum in Moralibus hinc derivetur conſtantia propoſiti non committendi mali, immo inde pendeat conſtans mali odium: quemadmodum ſuo loco dilucide conſtabit.

§. 521.

Quo major fuerit imperfectio, cujus tibi conſcius es, vel talis ſaltem apparet; eo majus quoque eſt tædium, quod inde oritur. Mutatis mutandis h. l. valet demonſtratio, quæ §. 516. habetur. Tædii gradus.

§. 522.

Quo certius nobis eſt, vel videtur judicium de imperfectione; eo majus inde tædium percipimus. Lege demonſtrationem §. 517. allatam, eamque facta applica h. l. mutatione. Ulterior gradus tædii.

Habemus adeo duplex fundamentum graduum tam voluptatis, quam tædii, ſcilicet magnitudinem perfectionis, vel imperfectionis, cujus nobis conſcii ſumus, & gradum certitudinis judicii de iſta perfectione, vel imperfectione. Quodſi theoremata iſta ſtilo mathematico efferre libuerit, dicendum erit: 1. Voluptatem eſſe in ratione compoſita perfectionum, quarum nobis conſcii ſumus, ac certitudinis judi-

tum superat perceptionem perfectionis, voluptas præ tædio non percipitur, & viciſſim *ſi perceptio perfectionis claritate ſua multum ſuperat perceptionem imperfectionis, tædium præ voluptate non percipitur.*

Intelligimus hic perceptionem claram, quæ cum apperceptione conjungitur, ut ſcilicet nobis conſcii ſimus ejus, quod percipimus, atque id agnoſcere valeamus. Confirmat autem propoſitionem præſentem experientia.

§. 528.

Obſcuratio voluptatis ac tædii totalis.

Si voluptas plurimum ſuperet tædium, tædium prorſus non appercipitur. Et viciſſim *ſi tædium plurimum ſuperet voluptatem, voluptas prorſus non appercipitur.* Ponamus voluptatem & tædium ſimul percipi: cum voluptas pariter ac tædium in eas reſolvi poſſint partes, in quas tempus, quo durant, reſolvitur; particulæ voluptatis ac tædii momentaneæ concipi poſſunt inſtar corpuſculorum mixti (§. 253. *Coſmol.*), conſequenter tota voluptas totumque tædium per tractum temporis continuatum tanquam compoſitum quoddam continuum ex iſtis corpuſculis, ſeu tanquam mixtum (§. 252. *Coſmol.*). Perceptio igitur voluptatis ac tædii ſimultanea comparari poteſt cum viſione duorum coloratorum invicem permixtorum, aut cum guſtu duorum ſapidorum invicem permixtorum. Enimvero ſi colorati unius quantitas exigua admodum fuerit; mixtum pro ſimplici habetur ſenſuum judicio. Et ſimiliter ſi ſapidi unius quantitas veluti ſalis aquæ admixti valde exigua fuerit, aut contemtibilis; ſapor ſalis nullus percipitur. Quare nec tædium appercipietur ſi voluptatem, cui coëxiſtit, plurimum ſuperet; nec tædium appercipietur ſi a voluptate plurimum ſuperatur. Idem patet ex §. 74 ſq. 76.

§. 529.

Prædominium voluptatis, vel tædii.

Voluptas prædominari dicitur, ſi tanta fuerit, ut tædium, ſi quod adfuerit, non appercipiatur. Et viciſſim *Tædium prædominari* dicitur, ſi tantum fuerit, ut voluptas, ſi qua adfuerit, non appercipiatur. *Prædominium* adeo *voluptatis* conſiſtit in totali obſcuratione tædii, & viciſſim *Prædominium tædii* conſiſtit in totali obſcuratione voluptatis.

§. 530.

§. 530.

Si quis perfectionem aliquam intimius perspicit aut agnoscere sibi videtur, quam alter tamen non agnoscit; ille summa voluptate perfunditur (§. 516 sq.), cum hic ne minimum quidem ejus percipiat (§. 511. 516.). Cur non omnes eandem voluptatem ex re eadem percipiant.

§. 531.

Quoniam artis periti perfectionem operis intimius perspicere, eamque metiri valent, cum imperiti nihil ejus cognoscant; *Artis periti ex operibus artificis periti plurimum voluptatis percipiunt, etsi imperiti nullam inde percipiant (§. 530.).* Cur artis periti ex operibus artificis voluptatem percipiant.

§. 532.

Ex distincta rerum cognitione ac inprimis ex inventione veritatis voluptas insignis percipitur. Qui enim res distincte cognoscit, ille ipso opere perspicit, quænam differentia inter notiones distinctas & confusas, judicia determinata ac indeterminata, ratiocinia denique distincta & confusa intercedat (§. 325. 275.), consequenter perfectionis intellectus sui sibi conscius est, quam ad distinctam rerum cognitionem sufficere experitur, cum tot alii res distincte cogonoscere nequeant. E. (§. 511.). Voluptas ex cognitione ac inventione veritatis percepta.

Quilibet, qui veritatem proprio Marte eruere valet, propria experientia didicit, majorem requiri perfectionem intellectus ad veritatem incognitam proprio Marte eruendam, quam ad eam, quæ ab aliis inventa fuit, cognoscendam. Quamobrem dum veritatis a se inventæ sibi conscius est, perfectionem intellectus sui intuetur. E. (§. 511. 516 sq.).

Conf. de *Tschirnhausen* in Medicina Mentis part. 1. p. 13. Inprimis autem hic præ cæteris nominandus est *Hieronymus Cardanus*, qui tanti æstimavit voluptatem, quæ ex cognitione veritatis percipitur, ceterisque quibuscunque prætulit, ut, cum jam senex morti proximus esset, juramento confirmaret, nolle sese vitæ suæ partem residuam commutare cum vita juvenis omnium rerum affluentia abundantis, sed illiterati. Constat autem *Cardanum* non in nuda factorum notitia substitisse, sed in

rationes quoque eorundem penetrasse, utut ipsi non semper licuerit esse adeo felici, ut in veras incideret.

Vid. in *Horis subsec. A. 1729. Trim. æst. num. 1. & Trim. autumn. num. 1.*

§. 533.

Indifferentia ad voluptatem vel tædium.

Si quis ignorat, utrum id, quod in re quadam, vel in se percipit, in perfectionum, an vero in imperfectionum numerum referri debeat; nec voluptate ulla, nec tædio inde afficitur (§. 511. 518.).

Status hic indifferentiæ probe notari meretur, cum maximi sit in philosophia morali momenti.

§. 534.

Mutatio voluptatis ac tædii.

Si quis demonstrare nequit id, quod in numerum perfectionum, vel imperfectionum refert, in eo genere locum mereri; ejus voluptas, vel tædium mutari potest. Mutatur autem in statum indifferentiæ, ubi ignorantiam suam quis agnoscit; mutatur in oppositum, ubi judicium pristinum in contrarium mutatur. Etenim is certus non est, utrum judicium suum sit verum, an falsum (§. 541. *Log.*), sit ita quod sibi certus videatur. Quoniam igitur fieri potest, ut ignorantiam suam agnoscat; judicium suum in posterum vel suspendet, vel contrarium amplectetur. Quodsi judicium suum posthac suspendit, se ignorare agnoscit, utrum in numerum imperfectionum, vel perfectionum referri debeat, quod antea vel in istum vel in hunc retulit. Ergo fit indifferens (§. 533.). Quodsi vero judicium mutat in contrarium, & antea judicavit, in perfectionum numero quid esse; idem nunc in numerum imperfectionum referet. Quare cum in casu priori voluptate perfunderetur (§. 511.), nunc tædio afficietur (§. 518.). Enimvero si antea judicavit in numero imperfectionum quid esse; idem nunc in numerum perfectionum referet. Quare cum in casu priori tædio afficeretur (§. 518.); nunc voluptate perfundetur (§. 511.). Ergo Voluptatem in hoc casu mutari posse patet (§. 290. *Ontol.*). Et eodem modo patet, mutari etiam posse tædium.

§. 535.

Tædium non in nuda voluptatis privatione consistit, sed positivi quid est (§. 518. 511.). Tædium quale sit ens.

Nimirum quæ in sola privatione consistunt, ea tantummodo agnoscunt rationem deficientem: quæ autem rationem positivam habent, qua positiva ponuntur (§. 118. *Ont.*); ea & ipsa positivi quid sunt. Atque ideo datur inter voluptatem atque tædium status quidam intermedius, in quo neutri locus est (§. 533.).

§. 536.

Voluptas & tædium ortum trahunt ex perceptione confusa perfectionis & imperfectionis. Oriuntur enim voluptas ac tædium extemplo, dum perfectionem aliquam, vel imperfectionem in re percepta intuemur: id quod unusquisque in seipso experitur. Atqui cognitio intuitiva, qualis cum ad voluptatem (§. 511.), tum ad tædium requiritur (§. 518.), demum distincta evadit, ubi attentionem nostram successive promovemus ad ea, quæ ideæ rei insunt (§. 652. *Log.*); E. Quales sint perceptiones, in quibus voluptas ac tædium consistit.

Idem confirmatur a posteriori. Omnes homines voluptate perfunduntur ac tædio afficiuntur. Plerisque autem hominibus perceptiones nonnisi confusæ sunt, paucis distinctæ. Necesse igitur est, ut ex confusa perceptione, non ex distincta ortum trahant voluptas atque tædium. Immo quod etiam illi, qui res distincte percipiendi facultatem habent, perfectionem, vel imperfectionem nonnisi confuse percipiant, dum voluptate perfunditur, vel tædio afficitur ipsorum animus; in casibus specialibus patet evidentissime. Dum e. c. architectus ædificium distincte contemplatur consensum eorum, quæ in eodem observat, cum regulis architectonicis nonnisi confuse percipit, imaginatione regulas repræsentante (§. 117.) & memoria easdem recognoscente (§. 175.). Etenim actus contemplationis conjunguntur cum actu imaginationis atque memoriæ, sed quatenus simul sunt in unum confunduntur, & perceptionem confusam visus sociam constituunt. Sane unusquisque statim novit, consensum cum regulis nonnisi confuse percipi posse, qui novit regularum numerum & temporis angustias cogitat, quo tota contemplatio absolvitur: fieri

fieri enim non posse videt ut per distincta ratiocinia regulæ ad ea, quæ observat, applicentur, vel determinationes ab ædificio abstractæ & ad regulas relatæ eædem judicentur, quæ per regulas præcipiuntur. Idem valet de perceptione imperfectionis, in qua tædium consistit.

§. 537.

Voluptatis apparentis & veræ confusio.

Voluptas apparens cum vera confunditur, quia consistit in perceptione perfectionis confusa. Ideo enim fieri potest ut perfectio appareat, quæ non est, immo quod prorsus in numero imperfectionum est. Atqui voluptas apparens ex perfectione apparente, vera autem voluptas ex vera perfectione oritur (§. 514.). E.

Maximi momenti est propositio præsens, cum plurimum intersit in moralibus nosse, ubinam lateat fomes mali.

§. 538.

Quomodo evitetur.

Si quis investigat notionem distinctam perfectionis, cujus sibi conscius esse vel videtur; is voluptatem veram ab apparente distinguit, aut saltem apparenti non fidit. Etenim tunc perfectionem veram ab apparente distinguit, aut saltem agnoscit, se ignorare, utrum id, cujus sibi conscius est, in numerum perfectionum, an in numerum imperfectionum referri debeat. Quamobrem in casu primo voluptatem apparentem a vera distinguit; in secundo agnoscit se ignorare, utrum ea vera sit, an apparens (§. 514.), adeoque in casu altero veretur, ne tantummodo appareat, quæ non est, consequenter eidem non fidit.

§. 539.

Doloris definitio.

Dolor est solutio continui in corpore, vel actu facta, vel ex nimia fibrillarum tensione metuenda.

Definimus hic dolorem, quatenus in corpore est.

§. 540.

Significatus vocabuli doloris num usui loquendi conformis.

Significatus, quem vocabulo doloris tribuimus, est usui loquendi conformis. Quodsi dolor quidam percipitur, ubi nec cutis, nec fibræ disruptæ apparent; observationes microscopicæ docent,

docent, fibrillas tenues esse disruptas, & ex aliis phænomenis colligitur, majores, vel cutem esse disruptioni proximas propter nimiam tensionem: etenim non minus cutis, quam fibræ tendi possunt, tensione autem nimia rumpuntur, cum nonnisi determinatum quondam tensionis gradum ferre possint citra disruptionem.

§. 541.

Dolor tædii species est (§.539.). Enimvero si fibræ musculorum, vel fibrillæ aliarum partium, veluti filamenta nervorum aut etiam cutis & cuticulæ disrumpuntur, vel dissecantur, partes istæ ad functiones suas ineptæ sunt, immo ad destructionem sui ac subinde corporis totius ob læsam functionem tendunt, nisi denuo continua fiant, in quibus continuitas dissoluta. Quare cum tum illa corporis pars imperfectione aliqua laboret (§. 504. *Ontol.*); dum mens solutionem continui in corpore percipit, imperfectionis cujusdam corporis sibi conscia est. Jam vid. §. 518. Dolor sub quo genere contineatur.

§. 542.

Id, ex quo voluptatem percipimus, *placere* nobis dicitur. Ast *displicere* dicitur id, ex quo tædium percipitur. Unde oppositum voluptatis, quod tædium appellavimus (§. 518.), etiam *Displicentia* vocari poterat, si posterius hoc nomen magis arridet. Placere & displicere quænam dicantur.

§. 543.

Quod placet, dicitur *pulchrum:* quod vero displicet, *deforme.* Pulchri & deformis definitio.

Hinc invaluit proverbium; suum cuique pulchrum. Vocabulum pulchritudinis generale est, quod varias admodum sub se species comprehendit pro diversitate rerum, quibus pulchritudo tribuitur. Sed commodo destituimur vocabulo, quo oppositum pulchritudinis generaliter indigitemus. Quamobrem vocabulum ad idem significandum transferre debuimus, quod significatum restrictiorem habere deberet.

§. 544.

Pulchritudo in quonam consistat.

Pulchritudo consistit in perfectione rei, quatenus ea vi illius ad voluptatem in nobis producendam apta (§. 543. 542. 511.).

Ex præsente autem propositione intelligitur, cur pulchritudo tam rebus materialibus, quam immaterialibus tribuatur. Patet quoque per eam pulchritudinem non destitui fundamento firmo, quemadmodum vulgo putatur, nec ab arbitrio hominum eorumque opinione variabili unice pendere.

§. 545.

Pulchritudinis definitio.

Hinc definiri potest *pulchritudo*, quod sit rei aptitudo producendi in nobis voluptatem, vel, quod sit observabilitas perfectionis: etenim in hac observabilitate aptitudo ista consistit.

Hinc in Architectura pulchritudinem definivimus per perfectionem, quatenus sentitur.

§. 546.

Pulchritudinis veræ & apparentis differentia.

Pulchritudo vera est, quæ ex perfectione vera oritur: *Apparens* autem dicitur, quæ oritur ex apparente.

§. 547.

Deformitas in quo consistat.

Deformitas consistit in imperfectione rei, quatenus hæc per illam apta est ad tædium in nobis producendum (§. 543. 542. 518.).

§. 548.

Deformitatis definitio.

Hinc definiri potest *Deformitas* rei, quod sit aptitudo in nobis tædium producendi, vel, quod sit observabilitas imperfectionis: etenim in hac observabilitate seu perceptibilitate aptitudo ista consistit.

§. 549.

Deformitatis veræ & apparentis differentia.

Deformitas vera est, quæ ex imperfectione vera oritur: *Apparens* autem dicitur, quæ oritur ex apparente.

§. 550.

§. 550.

Si quas ſenſationes ad perfectionem ſtatus noſtri referimus; ex iis voluptatem percipimus (§. 511.). Illuſtri hæc poſſunt exemplo infantum, qui lacte nutriuntur; & dein etiam pueri facti ex dulci voluptatem percipiunt. Quando ſenſatio voluptatem pariat.

Senſationes adeo non per ſe voluptatem pariunt, ſed quatenus ipſis adhæret de perfectione ſtatus opinio. Unde accidit, ut tanta ea in re deprehendatur diverſitas in diverſis ſubjectis, nec ex ſe judicare quis poſſit alios. Ceterum iſta opinio, quæ ſe ſenſationibus ſociam præbet, ſucceſſive naſcitur: unde eſt, quod plerique ignorent, unde ea ſit, cumque idea maxime confuſa contineatur, ne eam agnoſcant quidem, quando ejusdem ſibi conſcii ſunt.

§. 551.

Si quas ſenſationes ad imperfectionem ſtatus noſtri referimus; ex iis tædium percipimus (§. 518.). Vid. iterum *not.* §. 550. Quando ſenſationes tædium quoddam pariant.

§. 552.

Voluptates ſenſuum, vel etiam *delectationes ſenſuales* dicuntur, quæ ex ſenſationibus ortum trahunt. Voluptates ſenſuum quænam ſint.

§. 553.

Tædia ſenſualia, vel etiam *tædia ſenſuum* dicuntur, quæ ex ſenſationibus oriuntur. Tædia ſenſuum quænam ſint.

§. 554.

Bonum eſt, quicquid nos ſtatumque noſtrum perficit, ſeu, quod perinde eſt, quicquid nos ac ſtatum noſtrum internum & externum perfectiores reddit. Boni definitio.

§. 555.

Quod ſtatum internum, atque nos perficit, *bonum internum* eſt: quod vero ſtatum externum perficit, dicitur *bonum externum*. Bonorum internorum & externorum differentia.

§. 556.

Dividuntur Bona in *Bona animi*, *corporis & fortunæ*, prout vel ad animam, vel ad corpus, vel ad ſtatum noſtrum externum ſpectant. Bona animi, corporis & fortunæ.

§. 557.

Boni veri & apparentis differentia.

Bonum verum est, quod revera nos statumque nostrum perficit. Ast *Bonum apparens* est, quod nos statumque nostrum tantummodo perficere videtur.

§. 558.

Voluptas cognitionis boni socia.

Si bonum cognoscimus, voluptatem ex eo percipimus (§. 554. 11. 511.).

§. 559.

Qualis ea sit.

Si bonum, quod cognoscimus, verum est, voluptas ex eo percepta vera est (§. 557. 510 sq. 514.); *si vero bonum, quod cognoscimus, apparens est, aut bonum verum nobis tantummodo tale apparet; voluptas ex eo percepta nonnisi apparens est* (§. 557. 510 seq. 514.). Etenim si bonum verum est, nos statumque nostrum revera perficit (§. 557.). Quodsi ergo bonum verum cognoscimus; veram istam perfectionem nobis repræsentamus (§. 510.), atque adeo bonum verum cognoscentes veræ cujusdam perfectionis nobis conscii sumus. Quæ igitur inde percipitur voluptas (§. 511.), ex vera perfectione oritur, adeoque voluptas hæc quoque vera est (§ 514.).

§. 560.

Boni criterium fallax.

Quoniam voluptas non tantummodo percipitur ex eo, quod bonum est, verum etiam ex eo, quod bonum apparet, immo fieri potest, ut ex vero etiam bono voluptas tantummodo apparens percipiatur; ideo *Bonum quid judicari nequit ex eo, quod voluptatem inde percipiamus.*

§. 561.

Notio erronea boni.

Cum *qui sensuum judicio stant, bonum quid ex eo judicare soleant, quod voluptatem inde percipiant*, prouti obvia experientia constat; *Notio boni, quæ vulgo est, erronea.*

§. 562.

Voluptatis apparentis mutabilitas.

Voluptas apparens mutari potest (§. 514. 510. *Psych.* 478. *Log.* 534. *Psych.*).

§. 563.

§. 563.

Si quis ignorantiam suam de perfectione rei agnoscit, quam eidem antea tribuerat; voluptas apparens evanescit (§. 534.): si vero in numerum imperfectionum refert, quod antea inter perfectiones collocaverat, voluptas apparens in tædium mutatur (§. 292. Log. §. 511. 518. 533. Psych.). Quomodo voluptas apparens mutetur.

§. 564.

Voluptas, quæ ex vero bono, quatenus agnoscitur, percipitur, constans est (§. 557. 511. 514 sq.); quæ vero percipitur ex apparente, vel etiam ex vero, quatenus pro apparente perperam habetur, mutabilis (§. 557. 511. 514. 563.). Constantia & inconstantia voluptatis ex eo, quod bonum est vel appareat, percepta.

§. 565.

Quicquid nos statumque nostrum sive internum, sive externum imperfectiores reddit, malum est. Malum quid sit.

§. 566.

Quod nos statumque nostrum internum imperfectiores reddit, *Malum internum* est; quod vero statum externum imperfectiorem reddit, *Malum externum* est. Mali interni & externi differentia.

§. 567.

Mala animi sunt, quæ ad animam spectant. *Mala corporis* sunt, quæ ad corpus pertinent. *Mala* denique *fortunæ* sunt, quæ statum nostrum externum concernunt. Mala animi, corporis ac fortunæ.

§. 568.

Malum verum est, quod revera nos statumque nostrum imperfectiores reddit. *Malum apparens* est, quod nos statumque nostrum tantummodo imperfectiores reddere videtur. Mali veri & apparentis differentia.

§. 569.

Si malum cognoscimus, tædium ex eo percipimus (§. 286. 565. 518.). Tædium ex malo cognito perceptum.

§. 570.

Si malum agnoscere nobis videmur, tædium ex eo percipitur (§. 286. 568. 518.). Tædium ex malo apparente perceptum

§. 571.

Tædii mutabilitas.

Tædium, quod ex vero malo, quatenus agnoscitur, percipitur, constans est (§. 568 *Psych.* 535. *Log.* 117. *Psych.* 70. *Ontol.* 518. *Psych.*): *quod vero percipitur ex apparente, vel etiam ex vero, quatenus pro apparente perperam habetur, mutabile* (§. 568. *Psych.* 476 sq. 593. *Log.* 565. 518 *Psych.*).

§. 572.

Mali criterium fallax.

Quoniam tædium non modo percipitur ex eo, quod malum agnoscamus (§. 569.), verum etiam ex eo, quod idem agnoscere nobis videamur (§. 570.); *malum quid judicari nequit ex eo, quod tædium inde percipiamus.*

§. 573.

Notio erronea mali.

Notio mali, quæ vulgo est, erronea est. Vulgus enim malum quid judicat ex eo, quod tædium inde percipiamus. Jam vid. § 572. *Psych.* 477. 593. *Log.*

§. 574.

Quid per se sequatur ex altero.

Ex A per se sequitur B, si in A ratio sufficiens continetur, cur inde sequatur B.

Ita ex vulnere cordi inflicto per se sequitur mors, quoniam per id intelligitur, cur inde mors sequatur, consequenter ratio sufficiens in eodem continetur, cur inde sequatur (§. 56. *Ontol.*). Atque ideo vulnus cordi inflictum dicitur per se lethale.

§. 575.

Per accidens quid sequatur.

Ex A per accidens sequitur B, si in A non continetur ratio sufficiens, ut inde sequatur B, sed potius in alio, quod eidem aliunde superaccedit, non tamen necessario.

Ita ex vulnere manui inflicto per se non sequitur mors; sequi tamen potest per accidens, quatenus e. gr. propter absentiam chirurgi nimia sanguinis copia ex vena dissecta profluit, vel culpa chirurgi aut ægroti sphacelus supervenit. Unde in hoc casu vulnus dicitur lethale per accidens.

§. 576.

Ex malo apparente quomo-

Ex malo apparente non per se (§. 566. 518. *Psych.* 56. *Ont.*

574.

574. *Pſych.*), *ſed tantummodo per accidens ſequitur tædium* (§. 568. 518. 575.). do tædium ſequatur.

Ut igitur a malo apparente nobis caveamus, acute diſtinguere debemus quidnam rei ſuperaccedat, unde tædium emanat.

§. 577.

Ex bono vero per ſe nunquam ſequi poteſt tædium. Etenim bonum verum aut agnoſcitur, aut non agnoſcitur. Ponamus bonum verum agnoſci: tum vid. §. 558 ſq. 564. *Pſych.* 290. *Ont.* 574. *Pſych.* 118. *Ont.* An tædium per ſe ex bono vero unquam ſequatur.

Ponamus jam porro bonum verum non agnoſci. Aut igitur in dubio relinquitur, utrum bonum ſit, an malum; aut pro malo habetur. Si prius; vide §. 554. 565. 511. 518. *Pſych.* 56. *Ont.* 574. *Pſych.* Si poſterius; malum non niſi apparens eſt (§. 568.). Jam vid. §. 576.

Maximi momenti eſt præſens propoſitio in moralibus, cum in ea contineatur fundamentum conſtantiæ virtutis inconcuſſum.

§. 578.

Quodſi ergo contingat, ex eo, quod bonum verum eſt, ſequi tædium, idem nonniſi per accidens inde ſequi poteſt (§. 574 ſq. 577.). Quomodo tædium ex bono vero ſequatur.

CAPUT II.

DE
APPETITU SENSITIVO ET AVERSATIONE SENSITIVA.

§. 579.

Appetitus in genere eſt inclinatio animæ ad objectum pro ratione boni in eadem percepti. Definitio appetitus in genere.

§. 580.

Appetitus ſenſitivus dicitur, qui oritur ex idea boni confuſa. Unde independenter ab appetitu in genere definiri poteſt, quod Appetitus ſenſitivi definitio.

quod sit inclinatio animæ ad objectum pro ratione boni sive veri, sive apparentis in eodem confuse percepti.

§. 581.

Aversationis definitio.

Aversatio in genere est reclinatio animæ ab objecto, pro ratione mali in eodem percepti, seu quod nobis in eodem percipere videmur.

Quemadmodum in definitione appetitus notione clara inclinationis contenti fuimus, etsi confusa; ita similiter hic in notione clara quidem, sed confusa reclinationis acquiescimus. Etenim quid sibi velit tam inclinatio, quam reclinatio animæ, unusquisque in se quovis momento experiri potest, cum continui sint appetitus atque aversationes. In Psychologia autem rationali demonstraturi sumus, in quonam ista inclinatio & reclinatio consistat. Absit autem, ut quis sibi persuadeat nos voce uti in significatu metaphorico, nec proprium quendam eidem hic tribuere! Etsi enim vocabula a rebus corporeis eorumque situ petantur; id tamen minime obstat, quo minus in doctrina de anima proprius quidam significatus ipsis tribuatur (§. 146. *Log.*).

§. 582.

Aversationis sensitivæ definitio.

Aversatio sensitiva est, quæ oritur ex idea mali confusa. Quamobrem independenter ab aversatione in genere definiri potest per reclinationem ab objecto pro ratione mali in eodem confuse percepti, seu quod in eo nobis confuse percipere videmur.

§. 583.

Scholasticorum phraseologia explicata.

Scholastici appetitum sensitivum appellare etiam solent *Appetitum* simpliciter. Dividunt autem appetitum ita acceptum, seu sensitivum, in concupiscibilem & irascibilem. *Appetitus concupiscibilis* appellatur, qui nobis appetitus sensitivus dicitur (§. 580.). *Appetitus* autem *irascibilis* vocatur facultas ista, quam nos aversationis sensitivæ nomine insignivimus.

§. 584.

Facultatis appetitivæ pars inferior.

Appetitus sensitivus cum aversatione sensitiva dicitur *Facultatis appetitivæ pars inferior.* Appetitus enim perinde ac Aversatio hic sumitur non pro actu, sed pro actus possibilitate seu potentia, quæ facultatis nomine venit (§. 29.).

Denomi-

Denominatio hæc fit ad imitationem alterius, qua facultatem cognoscendi in partem inferiorem ac superiorem dividimus: respondet autem pars facultatis appetitivæ inferior parti cognoscitivæ facultatis inferiori, a qua pendet.

§. 585.

Si nec appetimus, nec aversamur objectum cognitum, *indifferentes* esse dicimur, & status animæ, quo est ad objectum, quod sibi repræsentat, indifferens, *status indifferentiæ* dicitur. *Statum indifferentiæ dari* experientia confirmatur. Status indifferentiæ.

E. gr. Si quis videt ad ripam fluminis multos lapillos, eosque contemplatur; eos tamen nec appetit, nec aversatur.

§. 586.

Repræsentatio boni est ratio sufficiens appetitus; repræsentatio mali ratio sufficiens aversationis (§. 70. Ont.). Jam vero experientia constat, quando aliquid appetimus, nos idem nobis repræsentare tanquam bonum; quando aliquid aversamur, nos idem repræsentare nobis tanquam malum; quando autem quid nec appetimus, nec aversamur, nos ignorare, utrum nobis bonum sit, an malum, vel judicare, quod neutrum sit. Quamobrem cum ex bono voluptatem percipiamus, quando idem cognoscimus (§. 558.), ex malo contra percipiamus tædium, quando idem cognoscimus (§. 569.); ex eo, quod quid bonum judicamus, intelligi potest, cur idem potius appetamus, quam aversemur, & ex eo, quod quid malum judicamus, intelligi potest, cur idem potius aversemur, quam appetamus, aut non aversemur. E. (§. 56. *Ont.*). Appetitus & aversationis ratio sufficiens.

§. 587.

Si quid nobis nec tanquam bonum, nec tanquam malum repræsentamus; in statu indifferentiæ sumus (§. 586. Psych. 70. Ont. 585. Psych.). Status indifferentiæ quando obtineat.

Quodsi objicias repræsentationem boni non esse unicam rationem sufficientem appetitus, nec aversationis rationem sufficientem unicam esse repræsentationem mali, necesse est, ut aliæ præterea rationes sufficientes tam appetitus, quam aversationis nominentur. Quodsi quis suspicionem ex ignorantia enatam attendi velit; is perpendat objecta non movere appetitum, nisi quatenus ad nos referuntur: ea enim, quæ nos nullo modo tangunt, non curamus. Enimvero si ad nos referun-

tur, vel nos statumque nostrum perficiunt, vel nos statumque nostrum imperfectiores reddunt, vel denique nihil ad hunc scopum conferunt. Quamobrem appetitus præter repræsentationem boni (§. 554.), aversatio præter repræsentationem mali (§. 565.) rationem aliam habere nequit: utraque deficiente, deficit cum appetitus, tum aversatio, atque adeo status indifferentiæ est, quemadmodum fert præsens propositio. Quodsi quis perpendit, cur indifferens sese habeat ad hoc vel istud objectum, quod ipsi offertur, hinc porro facile perspiciet, quod nonnisi per boni aut mali repræsentationem ex statu indifferentiæ in alium transferri possit.

§. 588.

Ignoti cur nulla cupido.

Ignotum nec appetimus, nec aversamur (§. 554. 565. Psych. 1188. Log.); sed indifferentes nos ad idem habemus (§. 586. 587.).

§. 589.

Quomodo appetitus nascatur.

Quamprimum rem quandam nobis repræsentamus tanquam bonam; eam appetimus (§. 586. Psych. 118. Ont.).

§. 590.

Quomodo aversatio determinetur.

Quamprimum rem quandam nobis repræsentamus tanquam malam; eam aversamur (§. 586. Psych. 118. Ont.).

§. 591.

Objecta appetitus sensitivi.

Si qua ex re voluptatem percipimus, in eam fertur appetitus, seu eam appetimus, quamdiu in notione boni confusa acquiescimus (§. 561. 536. 589. 580.).

§. 592.

Objectum aversationis.

Si qua ex re tædium percipimus, eam aversamur, quamdiu in notione mali confusa acquiescimus (§. 573. 536. 590. 582.).

§. 593.

Notio boni confusa qualis.

Si nobis rem tanquam bonam confuse repræsentamus, ideam boni ingrediuntur voluptates quæcunque ex re ista, vel cum eadem antea simul perceptæ. Dum enim rem percipimus, vi imaginationis reproducenda quoque est idea voluptatis antea perceptæ sive ex re ista, sive una cum ista (§. 104.), modo diu, vel sæpius simul percepta fuerit (§. 107.), ac vi memoriæ eandem recogno-

cognoscimus (§. 175.), adeoque nobis conscii sumus, quod eam antea ex re ista, vel cum eadem perceperimus (§. 173.). Enimvero voluptates diversæ tempore diverso ex re ista vel cum eadem perceptæ fuerunt *per hypoth.* & quoniam ad rem totam attentionem dirigis, *itidem per hypoth.* nulla hic adest ratio, cur una potius, quam altera memoriam subire debeat, adeoque omnes simul eandem subire debent. Quamobrem cum plures simul reproductæ a se invicem non distinguantur; ideam quandam confusam constituunt (§. 39.). Jam qui sensuum judicio stant, adeoque in notione boni confusa acquiescunt (§. 54.), bonum quid ex eo judicant, quod voluptatem inde percipiant (§. 561.). Idea igitur ista confusa, quam voluptates cum re data, vel ex eadem diu perceptæ ingrediuntur, est illa ipsa idea, qua rem istam nobis repræsentamus tanquam bonam, consequenter quando nobis rem tanquam bonam confuse repræsentamus, ideam boni ingrediuntur voluptates quæcunque ex re ista, vel cum eadem antea simul perceptæ.

§. 594.

Si nobis rem tanquam malam confuse repræsentamus, ideam mali ingrediuntur tædia quæcunque ex re ista, vel cum eadem antea simul percepta. Demonstratio mutatione facta construi potest ex §. 593. Notio mali confusa qualis.

§. 595.

Si plures voluptates ex re quadam, vel cum eadem antea perceptæ ideam boni ingrediuntur, appetitus fortior, seu major est, quam si pauciores in eadem continentur. Quoniam enim rem appetimus, quatenus ex ea voluptatem percipimus, quando in notione confusa boni acquiescimus (§. 591.); si autem plures voluptates ex re quadam, vel cum eadem perceptæ ideam boni ingrediuntur, idea boni confusa est (§. 39.); ex singulis voluptatibus singuli appetitus oriuntur in unum confusi non minus, ac voluptates, ex quibus resultant, in unum confunduntur. Appetitus sensitivus quomodo fortior evadat.

Atque adeo patet, quomodo fieri possit, ut appetitus continuo fortior evadat, si sæpius iteretur, occasione eandem rem appetendi sæpius oblata.

§. 596.

Averſatio ſenſitiva quomodo fortior evadat.

Si plura tædia ex re quadam, vel cum eadem percepta ideam mali ingrediuntur, averſatio fortior, ſeu major eſt, quam ſi paucioribus in eadem ſit locus. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo propoſitio præcedens.

§. 597.

Bonum quando majus appareat.

Si voluptates complures cum re quadam antea perceptæ ideam boni ingrediuntur; bonum majus videtur, quam ipſo ſenſuum judicio deprehenditur. Ponamus evidentiæ gratia, ideam boni ingredi voluptates A, B, C & D ac mixtam L conſtituere. Quoniam itaque voluptates A, B, C, D ſimul unam conſtituunt voluptatem L, ſingulæ erunt quaſi partes hujus (§. 341. *Ontol.*). Voluptas igitur ſola A minor eſt voluptate L (§. 357. *Ontol.*). Quamobrem cum voluptates olim cum re perceptæ non omni tempore ex eadem, vel cum eadem percipiantur, quod per ſe patet; ſi in dato caſu ex re data tantummodo percipiatur voluptas A, minor utique percipitur, quam quæ percipienda in idea boni repræſentatur. Quamvis ergo ex voluptate percipienda æſtimetur bonum, adeoque ſenſuum judicio ſtetur; bonum tamen majus apparere debet, quam poſtea deprehenditur, ubi voluptates complures cum re quadam antea perceptæ ideam ejus ingrediuntur.

Idem etiam confirmatur a poſteriori. Ponamus enim A denotare voluptatem ex ſapore vini perceptam; B vero voluptatem ex præſentia amici, C voluptatem ex diſcurſu præſentium, D denique voluptatem ex renovata plurium amicorum abſentium memoria perceptam. Dum igitur vinum hauſiſti, plurima voluptate perfuſus fuit animus. Experieris autem, quod in tali caſu hauſtus vini majus bonum judicetur, quam poſtea deprehenditur, ſi vel ſolus, vel etiam cum aliis vinum poſtea hauſeris.

§. 598.

Tædium quando majus appareat.

Si tædia complura cum re quadam antea percepta ideam mali ingrediuntur; malum majus videtur, quam ipſo ſenſuum judicio deprehenditur. Eodem modo oſtenditur, quo propoſitio præcedens, modo voluptatibus tædia & bono malum ſubſtituas.

§. 599.

§. 599.

Appetitus sensitivus & aversatio sensitiva habet gradus (§. 584. *Psych.* 112. 122. *Ont.* 151. *Log.* 580. 582. *Psych.* 452. *Ont.* 595. *Psych.* 746. *Ont.*). Gradus appetitus ac aversationis sensitivæ.

§. 600.

Gradus appetitus sensitivi ac aversationis sensitivæ in eodem subjecto mutantur, si judicia de bono & malo mutantur (§. 599. *Psychol.* 751. *Ont.* 595 sq. 564. 571. 597 sq. *Psychol.*). Mutabilitas istorum graduum.

§. 601.

Si quod antea videbatur bonum, nunc malum habeatur, appetitus mutatur in aversationem (§. 589 sq.): *si vero quod antea malum videbatur, nunc bonum habeatur, aversatio mutatur in appetitum* (§. 590. 589.). Appetitus & aversationis in contrarium mutatio.

§. 602.

Si voluptas apparens in tædium mutatur, appetitus in aversationem degenerat: si vero tædium apparens in voluptatem abit, aversatio in appetitum degenerat, quando scilicet in notione boni & mali confusa acquiescimus (§. 591 sq.). Ea ulterius expenditur.

CAPUT III.
DE
AFFECTIBUS.

§. 603.

Affectus sunt actus animæ, quibus quid vehementer appetit, vel aversatur, vel sunt actus vehementiores appetitus sensitivi & aversationis sensitivæ (§. 599.). Affectus definitio.

§. 604.

Definitio affectuum usui loquendi conformis. Vide modo specialem affectuum expositionem. An sit usui loquendi conformis.

§. 605.

Affectus unde oriantur.

Affectus ex confusa boni & mali repræsentatione oriuntur (§. 603. 580. 582. 48.).

§. 606.

Qualitas affectuum.

Affectus, tanquam appetitus & aversationes vehementiores (§. 603.), *cum insigni voluptatis, vel tædii gradu conjunguntur* (§. 561. 573. 605.).

§. 607.

Num tædium ac voluptas sint species affectuum.

Quoniam in omni affectu insignis quidam voluptatis, vel tædii gradus adest (§. 606.); *Voluptas ac tædium perperam pro affectuum speciebus habentur.*

§. 608.

Affectus quinam jucundi sint.

Affectus jucundi sunt, qui in appetendo consistunt, seu cum magno voluptatis gradu conjunguntur.

§. 609.

Molesti quinam.

Affectus molesti sunt, qui in aversando consistunt, seu cum insigni tædii gradu conjunguntur.

§. 610.

Quinam mixti.

Affectus mixti sunt, qui ex jucundis & molestis constant, seu in quibus voluptas ac tædium invicem permiscentur.

§. 611.

Quamnam affectus corpori mutationem inducant.

Quando anima affectibus commovetur, sanguis ac fluidum nerveum in corpore motu extraordinario agitatur. Res facti a posteriori probatur. Nemo dubitat iram in numerum affectuum referri debere. Jam vero si quis ad iram concitatur, facies rubet, sudor in capite præsertim erumpit, vultus ac gestus mutantur, quamvis non in singulis eodem prorsus modo.

Merentur sane hæc phænomena, quæ accuratius observentur, ut tandem obtineatur theoria vultus ac gestuum in singulis affectuum speciebus. Etsi enim in diversis subjectis hæc non prorsus eadem sint; principia tamen generalia singulis insunt, quæ decenter inde abstracta constituunt notiones theoriæ condendæ inservientes. Neque vero hæc theoria sterilis ac inutilis censeri debet: in philosophia enim morali insignis

signis ejusdem elucescet utilitas, præsertim in inclinationibus hominum naturalibus ac moribus conjectandis, nec non in certis Physiognomiæ fundamentis constituendis. Quoniam jam in Psychologia versamur, nobis potissimum res est cum affectibus, quatenus in anima sunt eidemque mutationem inducunt. Quatenus enim iidem corporis statum alterant, ad Physicam spectant, ubi in rationes eorum inquirimus, quæ corpori accidunt.

§. 612.

Si bonum majus nobis videtur, major quoque inde percipitur voluptas (§. 554. 516), *& contra si qua ex re major percipitur voluptas, majus bonum videtur* (§. 518. 554.). Voluptatis gradus gradibus boni quibusnam proportionales.

§. 613.

Si malum majus nobis videtur, majus quoque inde percipitur tædium (§. 565 521.), *& contra si qua ex re majus percipitur tædium, malum majus videtur* (§. 521. 565.). Tædii gradus quomodo mali gradibus proportionentur.

§. 614.

Voluptatum insigne prædominium est id, quod *Gaudium* dicimus. Gaudii definitio.

§. 615.

Quoniam voluptas prædominatur, si tanta fuerit, ut tædium, si quod adfuerit, non appercipiatur (§. 529.); *Si gaudemus, tanta voluptate perfundimur, ut tædium, si quod adfuerit, non appercipiamus* (§. 614.). Quomodo gaudeamus.

§. 616.

Si quod nobis datur, vel quod habemus, tanquam insigne bonum idea confusa nobis repræsentamus; gaudium in nobis oritur, & magnitudo ejus magnitudini boni, quæ nobis videtur, respondet (§. 558 seq. 536. 612. 528 seq. 614.). Gaudium quomodo oritur.

Quoniam gaudium totum quantum a gradu voluptatis pendet, quæ percipitur (§. 614.), hinc vero porro prædominii quantitas æstimanda (§. 529); ignorata Psychimetria, in qua ea, quæ animæ insunt, ad mensuram revocantur, impossibile est, ut demonstratio talium, quæ quantitatem involvunt, sit omnibus suis numeris absoluta.

§. 617.

§. 617.

Conversio propositionis præcedentis.

Si gaudium in nobis oritur, propterea quod quid nobis datur, vel quod quid habemus, ipsum nobis repræsentamus tanquam valde bonum (§. 614. 529. 511. 554.) & quanto magis gaudemus, tanto majus bonum nobis existimatur (§. 614. 516. 554.).

§. 618.

Definitio gaudii num usui loquendi conformis.

Definitio gaudii, quod sit prædominium insigne voluptatum, est communi usui loquendi conformis. In confesso est apud omnes nos gaudere de bono præsente. Constat autem ex demonstratis idem sequi ex notione, quod gaudium in prædominio voluptatum insigni consistat (§. 616. 617.).

§. 619.

Tristitiæ definitio.

Prædominium tædii insigne est id, quod *Tristitia* appellatur.

§. 620.

Qualis sit tristitia.

Si tristes sumus, tanto tædio afficitur animus, ut voluptatem, si qua adsit, non appercipiamus, aut, si qua adesset, non apperciperemus (§. 619. 529.).

§. 621.

Unde tristitia oriatur.

Si quod nobis præsens est, tanquam malum ingens idea confusa nobis repræsentamus; tristitia in nobis oritur (§. 565. 536. 521. 528 sq. 619.) & magnitudo ejus magnitudini mali, quæ nobis videtur, respondet (§. 521. 565. 619.).

§. 622.

Idem ulterius expenditur.

Si tristitia in nobis oritur ex eo, quod accidit, id nobis tanquam malum haud parvum confuse repræsentare debemus (§. 619. 529. 528. 521. 565. 536.), & quanto tristiores sumus, tanto majus æstimatur malum (§. 521. 565.).

§. 623.

Definitio tristitiæ realis.

Tristitia definiri potest per affectum, qui in nobis oritur ex opinione rei præsentis, quam nobis confuse tanquam malum haud parvum repræsentamus (§. 621 sq.).

§. 624.

Gaudium definiri potest per affectum, qui in nobis oritur ex opinione boni præsentis confuse percepti & quidem haud parvi (§. 616 sq.). Gaudii definitio realis.

§. 625.

Tristitiæ significatus, quem in definitione nominali eidem attribuimus, est usui loquendi conformis. Nemo non ex tristitia alterius colligit, accidisse ipsi quidpiam mali, manifesto indicio, quod malum nobis præsens pro tristitiæ causa unica habeatur. Quod vero tacite supponatur malum ingens, saltem opinione nostra, hinc conficitur, quod ubi alteri mali quidpiam accidit, & hoc tamen non obstante minime contristatur, rationem reddituri malum vel extenuemus, vel ostendamus, cur alteri tale non videatur, veluti si tristitia non afficitur animus ex morte agnati proximi, quod eum non amaverit, neque adeo sibi malum existimet, se agnato suo fuisse orbatum. Definitio igitur tristitiæ realis, quam dedimus (§. 623.), cum notione communi convenit. Enimvero tristitiæ definitionem realem deduximus ex propositionibus (§. 621. 622.), quas vi nominalis demonstravimus. Quoniam itaque definitio realis definitioni nominali æquipollet, quod scilicet una ex altera demonstrari potest; definitio quoque nominalis, quod sit tædii prædominium insigne, notioni communi, consequenter usui loquendi conformis (§. 137. *Log.*). Conformitas definitionis tristitiæ cum usu loquendi.

§. 626.

Si quod uni bonum ingens videtur, alteri tale non videatur, aut minus saltem bonum habeatur; ille gaudio multo effertur (§. 616.), hic autem vel nullo afficitur (§. 624.), vel saltem multo minore (§. 616.). Quodsi cui videatur malum, quod ab altero pro bono habetur; ille tristitia (§. 623.), hic gaudio afficitur (§. 624.). Cur eadem res non idem gaudium excitet in omnibus.

§. 627.

Si quis alio tempore malum judicet, quod antea bonum judicaverat, cum antea gauderet, alio tempore contristabitur & contra. Porro *si quis alio tempore minus bonum, vel malum judicet, quod antea majus visum fuerat, cum antea plurimum gauderet, vel contristaretur, nunc gaudio vel tristitia minore afficietur.* De- Gaudii & Tristitiæ mutabilitas in eodem subjecto.

nique *si quis alio tempore in dubio relinquit, utrum quid bonum sit, nec ne, quod antea bonum, vel malum judicaverat; cum antea gauderet, vel contristaretur, alio tempore nec gaudebit, nec contristabitur.* Vid. §. 626.

Supponimus hic unam eandemque personam diverso tempore considerari posse tanquam duas personas diversas, si contrariam foveat de objecto aliquo opinionem. Neque enim duæ personæ in præsente negotio considerantur tanquam diversæ, nisi quatenus contraria sunt de objecto eodem ad se relato judicia. Diverso igitur tempore una eademque persona eodem modo differt a seipsa, quo duæ personæ eodem tempore a se invicem differunt. Quamobrem & personam unam eandemque diverso tempore positam spectare licet tanquam duas, & vicissim duas personas eodem tempore, vel etiam tempore diverso tanquam unam eandemque personam bis positam; temporis nimirum in præsente negotio nulla habetur ratio, quemadmodum ex definitione gaudii & tristitiæ reali liquet (§. 623. 624.), ex qua intelligitur, nec in genesin gaudii, nec in tristitiæ genesin influere tempus, quo judicium fertur. Latet in his principium heuristicum maximæ utilitatis, quod ab eo facile eruetur, qui universalia abstrahere noverit.

§. 628.

Affectus quando evanescant.

Si quis affectus ex boni, vel mali repræsentatione oritur; & quod eodem commotus bonum, vel malum judicaverat, postea in medio relinquit, quale sit; is cum antea affectu commoveretur, nunc nullo commovebitur (§. 605. Psych. 56. Ont.).

§. 629.

Affectus cur nunc absint, nunc adsint.

Si quis objectum aliquod ad se relatum nec bonum, nec malum judicat, postea autem pro bono, vel malo ingente reputat; cum antea illud affectum excitaret nullum, postea quendam causabitur (§. 605.).

§. 630.

Cur in uno affectum quendam producat objectum, in alio nullum.

Si quis objectum aliquod tanquam bonum, vel malum sibi repræsentat, quod alter nec bonum, nec malum judicat; cum ille affectu commovetur, hic ab omni prorsus immunis est. Eodem prorsus modo ostenditur, quo propositionem anteriorem (§. 628.) ostendimus.

§. 631.

§. 631.

Si quis objectum aliquod alio tempore sibi repræsentat tanquam bonum, quod antea malum judicaverat; cum idem affectum molestum provocasset (§. 569. 609.), nunc jucundum causabitur (§. 558. 606. 608.) & contra (§. 558. 606. 608 569. 609.). Affectus molesti in jucundum mutatio & contra.

§. 632.

Quoniam personæ duæ in præsente negotio considerari possunt instar personæ unius ejusdemque diversis temporibus diversimode de eodem subjecto ad se relato judicantis (*not.* §. 627.); *si unus objectum aliquod sibi repræsentat tanquam bonum, quod alter sibi repræsentat tanquam malum, cum ille affectum jucundum experitur, hic molestum sentiet* (§. 631.). Affectus oppositi ab eodem objecto in duobus subjectis excitati.

§. 633.

Amor est dispositio animæ ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate. Amoris definitio.

Dispositio hæc data occasione deducitur in actum, atque tum affectus oritur, quam amoris nomine insignimus. Fert tamen usus loquendi, ut ipsam dispositionem amoris nomine indigitemus, cum amorem tribuamus illi, qui non actu commovetur, nisi ubi sentit alterius felicitatem.

§. 634.

Quodsi ergo *is, qui alterum amat, ejus felicitatem cognoscit, ex ea actu voluptatem percipit* (§. 633.). Effectus amoris.

Ex actu amoris dispositionem illam colligimus, atque probaturi, quod alterum quis amet, ad eundem provocamus.

§. 635.

Qui alterum impense amat, de felicitate ejus gaudet (§. 633. 529. 614.), *tantoque magis gaudet, quanto magis eum amat* (§. 633. 614.). Gaudium amantis.

§. 636.

Per *felicitatem* hic intelligimus statum, quo voluptas vera perdurat. Dicitur *felicitas vera* ad differentiam *apparentis*, quæ est status, quo quis voluptate apparente fruitur. Felicitatis definitio.

§. 637.

Infelicitatis definitio.

Infelicitas est status, quo tædia perdurant.

§. 638.

Quænam ad felicitatem hominis quid conferant.

Quoniam itaque voluptas quælibet vera felicitatem ingreditur, quemadmodum pars totum (§. 636. *Psych.* & §. 341. *Ont.*); *quicquid voluptatem veram homini creat, id ad infelicitatem ejus quidpiam confert.* Unde porro est, quod *ad felicitatem hominis conferre quid videatur illud, quod voluptatem apparentem eidem creat.*

§. 639.

Quænam ad infelicitatem quid conferant.

Quicquid homini tædium creat, id ad infelicitatem ejus quidpiam confert (§. 637.). Unde porro est, *quod ad infelicitatem hominis conferre quid videatur istud, quod eidem tædium creat.*

§. 640.

Effectus amoris.

Qui alterum amat, ex ejus voluptate voluptatem percipit (§. 634. 636.), *& ideo gaudet, quod gaudet alter, si idem fuerit de subjecto gaudii judicium* (§. 614.).

§. 641.

Signum amoris.

Si quis ex voluptate alterius voluptatem percipit, vel ideo gaudet, quod alter gaudet; is alterum amat (§. 636. 633. 614.).

§. 642.

Alius amoris effectus.

Si quis alterum amat, ex ejus tædio ipsemet tædium percipit, ac ideo contristatur, quod alter tristis sit (§. 640. 614. 612. 613. 619.).

Probe notandum est non minus de objecto gaudii, quam tristitiæ, idem referri non ad amantem, sed ad amatum, dum amans judicat utrum bonum sit, nec ne: immo sæpius amantem in judicando sequi opinionem amati, non suam animi sententiam. Atque ideo diximus, idem esse debere amantis & amati judicium. Quodsi amans idem objectum ad se referret, atque gauderet, quod sibi bonum existimaret, tristis esset, quod idem sibi malum esse putaret; non ex amore proveniret gaudium, nec ab eo ortum duceret tristitia. Fieri tamen potest, immo plerumque solet, ut gradu differant judicia amantis atque amati

(§. 597.

(§. 597. 598.). Nimirum quando imaginatio in idea voluptatis ac tædii confusa aliena miscet (§. 524.); fieri non potest, ut imaginatio diversis subjectis eadem suggerat (§. 104.).

§. 643.

Si quis ex tædio alterius tædium percipit, vel ideo contristatur, quod alter tristis sit; is eundem amat (§§. 639. 613. 612. 633.). Signum amoris.

§. 644.

Si quis ex voluptate alterius voluptatem percipit; is ex tædio alterius tædium percipere debet & contra (§§. 612. 518. 613.). A voluptate ad tædium argumentatio.

§. 645.

Si quod nobis placet in altero observamus; amor oritur (§§. 542. 633.). Amor quomodo oriatur.

Patet idem omnium clarissime in iis casibus, ubi animum adversus alterum indifferentem, vel prorsus ab eo aversum habemus. Quando enim aliquamdiu cum eo commercium habemus, atque deinde in ipso observamus, quæ nobis placent, veluti animi dotes quasdam, quæ nobis in pretio sunt; amorem erga eum in nobis oriri deprehendimus: quo præsente jam optamus felicitatem ejus & quando ipsi quid obtigit, quod volupe est, adeoque ad felicitatem ejus spectat, vel spectare videtur (§. 638.), ex eodem & ipsi voluptatem percipimus, manifesto indicio animum nostrum jam esse dispositum ex felicitate ejusdem voluptatem percipiendi.

§. 646.

Si nobis repræsentamus bonum, quod alteri inest, vel ad eum quomodocunque pertinet; amor oritur (§§. 612. 542. 645.). Amoris ortus alterius expenditur.

Si quis pulchritudinem in bonorum numerum refert; is eum amat, cujus forma pulchritudine sese commendat, quam primum eundem videt, etsi ipsi antea prorsus esset ignotus. Similiter si quis divitiis ingens pretium statuit; is alterum amat, quod divitem esse cognoscit. Si cui eruditio in delitiis est; is alterum amat, quod eruditione præstantem agnoscit.

§. 647.

Idem adhuc ulterius expenditur.

Si quod in altero observamus, nobis tanquam bonum repræsentamus, amor in alterum oritur (§. 612. 542. 545.).

Si quis gloria delectatur sibique gloriæ ducit cum divitibus ac hominibus in dignitate constitutis conversari; is divitias ac dignitatem aliorum sibi repræsentat tanquam bonas sibi (§. 554.). Enimvero constat eos, qui ita sentiunt, amare divites ac homines in dignitate constitutos.

§. 648.

Quando oriatur amor.

Si amor in nobis oritur, in altero quid deprehendimus, quod nobis placet (§. 633. 638. 542.), *vel quod nobis tanquam bonum vel simpliciter, vel respectu nostri repræsentamus* (§. 612.).

§. 649.

Amoris definitio realis.

Amor est affectus, qui oritur ex eo, quod quid in altero observamus, quod nobis placet, seu si quid in altero nobis repræsentamus tanquam bonum, præsertim respectu nostri.

§. 650.

Effectus amoris in appetenda voluptate alterius consistens.

Qui alterum amat, is voluptatem alterius appetit (§. 640. 614. 612. 589.) & *contra* (§. 589. 558. 641.).

§. 651.

Effectus contrarius in aversando tædio alterius consistens.

Qui alterum amat, is tædium ejus aversatur (§. 642. 605. 592.).

§. 652.

Effectus alii amoris.

Qui alterum amat, is voluptatem eidem creare (§. 650.); *tædium vero ab eo avertere studet* (§. 651.).

§. 653.

Significatus amoris an communi usui loquendi conformis.

Significatus, quem vocabulo amoris tribuimus, communi usui loquendi conformis. Aristoteles 2. Rhetoric. amare idem esse ait ac velle alicui, quæ bona arbitramur illius, non sui causa, & ea pro viribus efficere. Ex nostra amoris definitione nominali necessaria consequentia deduximus, quod, qui alterum amat, ejus voluptatem appetat (§. 650.) eique voluptatem creare studeat (§. 652.). Enimvero cum ea bona judicemus alteri, quæ volu-

voluptatem eidem creant (§. 612.); patet nostræ definitionis amori conveniens esse, ut appetamus ea, quæ alteri bona arbitramur, ipsius gratia, eademque efficere studeamus. *Goclenius* in Lexico significatum vocabuli amoris proprium explicaturus monet, eodem denotari actum voluntatis elicitum, quo volo alicui bonum. Per voluntatem hic intelligit appetitum omnem, adeoque si amor pro affectu sumitur, vocabulo hoc appetitus sensitivus denotatur. Convenit ergo Goclenius nobiscum, quia consentit cum Aristotele. *Cartesius* definit affectum hunc per eum, qui excitatur, cum aliquid ut bonum respectu nostri nobis repræsentamus. Definitio hæc realis ab ea, quam nos dedimus (§. 649.), non nisi in eo differt, quod repræsentationem boni restringat. Oriri hoc in casu amorem, ostendimus (§. 647.). Quod vero non necesse sit id, quod in altero deprehendimus, bonum judicari respectu nostri, vel exinde colligitur, quod, si amor non excitatur nisi bonum repræsentetur respectu nostri, nulla jam appareat ratio, cur qui alterum amat, is voluptatem eidem creare, tædium vero ab eo avertere studeat (§. 652.). Enimvero non opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt. Ecquis enim nescit nos amare homines ob virtutes tam intellectuales, quam morales, etsi ex iisdem nihil in nos boni redundet? Absit autem ut quis sibi persuadeat, *Cartesium* contradicere *Aristoteli* affirmanti, quod amare sit velle alicui, quæ bona arbitramur, illius, non sui causa. Etenim *Aristoteles* definitione nominali explicat, in quonam amor consistat. *Cartesius* vero definitione reali docet, quo modo amor oriatur. In modo, quo amor oritur, non consistit amor, nec causa amoris eadem esse debet cum objecto amoris.

Non jam inquirimus in rationem, quæ *Cartesio* persuasit non oriri amorem, nisi quatenus rem quandam nobis repræsentamus ut bonam respectu nostri; ea enim evidentior evadet ex sequentibus ac ex Psychologia rationali clarissimam lucem consequetur.

§. 654.

Si in re inanimata, vel etiam in animantibus deprehendimus quidpiam, quod nobis multam affert voluptatem, rem istam, vel Amor rerum inanimatarum & animalium.

vel animal istud pro gradu voluptatis hujus amamus (§. 542. 605. 636. 39. 649.).

Quodsi tamen probe expendatur, in quonam proprie loquendo amor consistat, notionem confusam ad distinctam revocando (§. 633.); facile constabit, proprie loquendo non posse amari nisi entia, quæ sunt felicitatis capacia: cetera autem dum amantur, amorem minus proprie dici, ac per errorem quendam oriri.

Effectus amoris rei inanimatæ.

§. 655.

Si rem inanimatam amamus, ad perfectionem ejus promovendam proni sumus (§. 652. 511.).

Ponamus nobis donari imaginem, quæ repræsentat personam formæ commentabilis, etsi ea ex ingenio tantummodo artificis picta. Si cui ea valde placet; is amorem testaturus eandem osculatur atque in hæc verba erumpit: velle sese auro eandem includere, siquidem sua esset.

§. 656.

Amoris animalium brutorum effectus.

Si animantia bruta amamus, ad eorum voluptatem & perfectionem promovendam proni sumus (§. 652. *Psychol.* 118. *Ontol.* 655. 511. *Psych.*).

Qui canes, vel catellos amant, illi iisdem cibos præbent, quos ipsimet avide appetunt, sibi persuadentes hæc animantia eandem voluptatem ex iis percipere, dum eos avide devorant, quam nos ex gustu capimus, dum eos masticamus & masticatos ad deglutitionem promovemus. Inde est, quod matronæ culcitras molles fieri curent, in quibus catelli requiescant, quoniam ipsimet culcitris mollibus insidere malunt, quam scamnis duris. Inde est, quod de iis ornandis cogitent, cum hunc ornatum ad perfectionem extrinsecam referant, utpote ipsæmet ornatu delectari solitæ. Immo videas indignantes, qui illos dolore afficiunt, more amantium tædia ab iis avertere studentes, voluptati quippe contraria (§. 652.).

§. 657.

Amor rerum inanimatarum quid sit.

Amor rerum inanimatarum est dispositio animæ ad voluptatem ex ipsis percipiendum. *Quod si quis animantia bruta iisdem æquiparat*, quatenus scilicet ea non considerat tanquam voluptatis

voluptatis capacia, sed tanquam ea, unde voluptas percipi potest; *amor eorum idem est, qui rerum inanimatarum. Quodsi* vero eadem *animantia bruta hominibus æquiparentur, amor eorum idem est, qui hominum.*

Ex definitione præsente patet, quantum inter definitionem rerum inanimatarum & hominum intersit. Nimirum ratione subjecti amantis nulla foret differentia, nisi aliqua intercederet ratione objecti amati. Quodsi enim res inanimatæ felicitatis forent capaces, ut & ipsæmet voluptate frui possent; amor rerum omnium atque hominum foret idem. Quoniam vero res inanimatæ incapaces deprehenduntur, nec bruta veræ voluptatis capacia sunt; amor rerum inanimatarum non tendit nisi ad eum earundem statum, quo plus voluptatis ex iis percipere vellemus, non invisuri iisdem voluptatem propriam, si qua frui possent: voluptas enim, qua fruitur amatus, continuo redundat in amantem.

§. 658.

Quoniam de re præsente gaudemus, adeoque ex ea voluptatem percipimus insignem (§. 614.), quatenus eam judicamus bonam respectu nostri (§. 624); eandem vero amamus, quatenus id maxime volumus, ut voluptati ipsamet esse possit, adeoque eandem percipimus citra respectum ad nos (§. 657.); *gaudium de re inanimata & amor rei inanimatæ differunt.* Differentia gaudii de re inanimata & amoris ejusdem.

§. 659.

Qui alterum amat, is eundem considerat tanquam seipsum (*§. 640. 642.*). Effectus amoris singularis.

Effectus hic amoris est satis obvius, & simul prorsus eximius, cum inde totius generis humani felicitas manet, siquidem juxta rationis normam rectificetur.

§. 660.

Quoniam qui alterum amat, is eundem tanquam seipsum considerat (§. 659.); *amans cum amato unitur, ut tanquam persona eadem cum amante spectari possit, qui amatur, & si duo se mutuo amant, amore ita uniuntur, ut instar unius personæ spectari debeant.* Unio se mutuo amantium.

§. 661.

Odii definitio nominalis.

Odium est dispositio animæ ad voluptatem percipiendam ex alterius infelicitate.

§. 662.

Quando sese exerat.

Quodsi ergo is, qui alterum odit, ejus infelicitatem cognoscit; ex ea actu felicitatem percipit (§. 661.).

§. 663.

Gaudium ejus, qui alterum odit.

Qui alterum plurimum odit, de infelicitate ejus gaudet (§. 661. 529. 614.), *tantoque magis gaudet, quanto magis eum odit* (§. 663. 634.).

Odium opponitur amori. Quamobrem mutatis mutandis ad casum odii transferuntur, quæ de casu amoris dicta sunt.

§. 664.

Effectus odii.

Qui alterum odit, ex ejus tædio voluptatem percipit (§. 616. 639.), *& ideo gaudet, quod alter tristitia afficiatur, vel tædio* (§. 614. 619.).

§. 665.

Signum odii.

Si quis ex alterius tædio voluptatem percipit, vel ideo gaudet, quod alter tristitia afficitur; is alterum odit (§. 639. 661. 614. 619.).

§. 666.

A voluptate ad tædium & a tædio ad voluptatem argumentatio.

Si quis ex voluptate alterius tædium percipit, ac ideo contristatur, quod gaudet alter; is ex tædio alterius voluptatem percipere (§. 613. 511. 518. 554. 565. 612.) *ac ideo gaudere debet, quod alter contristatur* (§. 619. 612. 511. 518.) & contra *si quis ex tædio alterius voluptatem percipit, ac ideo gaudet, quod alter contristatur, is ex voluptate alterius tædium percipere, ac ideo contristari debet, quod alter gaudet.*

§. 667.

Alius odii effectus.

Si quis alterum odit, ex ejus voluptate tædium percipit (§. 664. 666.), *ac ideo contristatur, quod gaudet alter* (§. 664. 666.).

§. 668.

§. 668.

Si quis ex voluptate alterius tædium percipit, ac ideo contristatur, quod gaudet alter; is alterum odit (§. 666. 665.). Signum odii.

§. 669.

Qui alterum odit, is tædium ejus appetit (§. 664. 614. 619. 612. 589.) *& contra* (§. 587. 589. 612. 660.). Effectus odii.

Non dubito fore aliquos, quibus contradictorium videbitur, tædia alterius ac ea, quæ tædia ipsi creant, consequenter quæ nemo non mala judicat, in numerum bonorum referri. Tenendum itaque est, tædia non in se considerata in numerum bonorum referri, sed bonum judicari, quod alteri creentur. Non vero repugnat, bonum judicari, quod alter malo quodam afficiatur. Similiter e contrario non repugnat, malum judicari, quod quis bono afficiatur, etsi bonum in se spectatum in malorum numerum referri nequeat.

§. 670.

Qui alterum odit, is voluptatem ejus aversatur (§. 667. 605. 592.). Effectus alius odii.

§. 671.

Qui alterum odit, is tædia eidem creare (§. 669.); *voluptate vero quo minus perfundatur, impedire studet* (§. 670.). Effectus odii.

§. 672.

Qui alteri tædia creare, ac voluptatem, qua perfrui poterat, impedire studet; is alterum odit (§. 669. 670.). Odii signum.

§. 673.

Si quem nobis repræsentamus tanquam noxium, seu nobis aliisque malum; odium adversus eum oritur (§. 565. 590. 554. 612. 518. 665.). Odii ortus.

§. 674.

Si quod nobis displicet in altero observamus, vel unde tædium percipimus; odium oritur (§. 542. 605. 39. 613. 673.). Ortus odii ulterius expenditur.

§. 675.

Si nobis repræsentamus malum, quod alteri inest, vel ad eum quomodocunque pertinet; odium oritur (§. 613. 542. 674.). Idem ulterius expenditur.

§. 676.

Idem adhuc ulterius expenditur.

Si quod in altero observamus nobis tanquam nobis malum repræsentamus; odium adversus alterum oritur (§. 605. 39. 673.).

Si rem curatius examines, omni fere in casu quod nobis displicet in altero nobis repræsentamus tanquam nobis noxium, quatenus scilicet id malum judicamus respectu nostri, quod tædium nobis creat.

§. 677.

Definitio realis odii.

Odium est affectus, qui oritur ex eo, quod quid in altero observamus, quod nobis displicet, seu si quid in altero nobis repræsentamus tanquam malum, præsertim respectu nostri.

§. 678.

Significatus odii num usui loquendi conformis.

Definitio odii tam nominalis, quam realis usui loquendi conformis. Definitionem realem ex nominali deduximus. Quamobrem si una earum fuerit usui loquendi conformis, etiam altera eidem conformis esse debet, & jam evicimus (§. 653.) definitionem nominalem amoris, quam dedimus, esse notioni amoris conformem, quam *Aristoteles* dedit. Quoniam notio odii notioni amoris opposita est, & nostra quoque hinc odii definitio nominalis definitioni odii nominali opposita (§. 633. 661.); hæc quoque a mente *Aristotelis* aliena esse nequit. Ceterum hic quoque mutatis mutandis repetenda sunt, quæ de restrictione *Cartesiana* in definitione amoris supra (§. 653.) annotata sunt. Denique ex eo quoque colligitur, definitionem odii esse notioni communi conformem, quod, quæ inde a priori deduximus, eadem sunt cum iis, quæ vulgo ex odio profecta agnoscunt omnes.

§. 679.

Odium rerum inanimatarum & animalium.

Si in re inanimata, vel etiam in animantibus quidpiam deprehendimus, quod nobis tædium creat, seu unde tædium percipimus; rem istam, seu animal istud odimus (§. 542. 605. 637. 39. 674. 542.) *pro gradu tædii percepti* (§. 654.).

Ponamus

Ponamus Titium inter strepitum non posse conservare attentionem & canem vicini esse ipsi latratu molestum. Quando eundem conspicit in platea, se ita eum odisse affirmat, ut sclopeto a quodam corpus ejus trajici vellet, ne amplius attentionem turbare posset.

§. 680.

Si rem inanimatam odimus, ad ejus imperfectionem promovendam, immo ad ipsius quoque destructionem proni sumus (§. 671. 518.). Effectus odii rei inanimatæ.

§. 681.

Si animantia bruta odimus, ad eorum tædia ac imperfectionem promovendam; voluptatem vero impediendam proni sumus (§. 671. Psych. 118. Ont. 680. 518. Psych.). Odii brutorum effectus.

§. 682.

Odium rerum inanimatarum est dispositio animæ ad tædium ex iis percipiendum. *Quodsi quis animantia bruta iisdem æquiparat*, quatenus scilicet considerat non tanquam tædii capacia, sed tanquam ea, unde tædium percipi potest; *odium eorum idem est, quod rerum inanimatarum. Quodsi vero eadem animantia bruta hominibus æquiparentur; odium eorum idem est, qui hominum.* Odii rerum inanimatarum ac animantium brutorum definitio.

§. 683.

Idem simul in unius hominis animo amorem ac odium ejusdem objecti eodem tempore excitare nequit, seu impossibile est, ut idem objectum eodem tempore eadem de causa simul amemus ac oderimus (§. 649. 657. 677. 542.). Amoris ac odii repugnantia.

§. 684.

Si quod antea nobis placebat in altero, nunc displicet, vel quod antea nobis in altero repræsentabamus tanquam bonum, nunc nobis tanquam malum repræsentamus; quem antea amabamus, nunc ex eadem causa odimus (§. 649. 677.) & contra. Amoris ac odii in oppositum mutatio.

Istiusmodi mutationes cur contingant, non est quod miremur. Amor enim ac odium sequuntur opinionem amantis ac odio flagrantis. Opiniones hominum mutabiles sunt ac haud infrequenter mutantur in contrarias. Quidni igitur & amor in odium, odium in amorem mute-

tur, manente causa amoris, quæ antea odii fuerat, vel odii, quæ antea fuerat amoris causa?

§. 685.

Amoris ac odii simultaneitas.

Si in altero observamus, quæ nobis placent, vel tanquam bona nobis repræsentamus; alia vero, quæ displicent, vel tanquam mala nobis repræsentantur; eum simul amamus, ac odimus, prouti ad causam vel amoris, vel odii attendimus (§. 649. 677.).

Maximi momenti est propositio præsens, siquidem actiones hominum, quæ sibi mutuo contrariari videntur, inter se conciliare, vel etiam easdem præsentire volueris.

§. 686.

Amor ac odium quando se mutuo extinguant.

Quodsi amor plurimum superet odium, vel odium plurimum superet amorem; in casu priori odium (§. 651. 669. *Psych.* 886. *Ont.* 117. 238.), *in posteriori amor prorsus evanescit.*

Simili prorsus modo ostenditur, amorem evanescere in eo casu, in quo odium amorem plurimum superat.

Fœcundissimum hoc principium est in moralibus, ubi de actionibus hominum ferendum est judicium: ac inprimis ad talia respiciendum est in Arte conjectandi hominum mores, siquidem ex actionibus externis statum animi internum hariolari volueris.

§. 687.

Commiserationis definitio.

Tristitia ex alterius infelicitate percepta dicitur *Commiseratio.* Et quoniam tristitia in prædominio tædii insigni consistit (§. 619.); tædium quoque quodcunque ex infelicitate alterius perceptum Commiserationis nomine venit.

§. 688.

Fons commiserationis.

Qui alterum amat, ejusdem quoque commiseratur (§. 687. 642. 639.).

§. 689.

Defectus commiserationis.

Si quis alterum non amat, nec ejusdem commiseratur (§. 633. 638. 644. 639. 687.).

Nihil sane frequentius est, quam ut indifferente animo vel ipsimet simus, vel alios esse experiamur in eos, qui miseri sunt, ut aliena miseria nos prorsus non tangat, vel alios. Quodsi in

in rationem hujus indifferentiæ inquisiveris, nullum in te affectum amoris in miseros istos deprehendes ac alios, qui eodem sunt animo, idem de se affirmare audies. Defectum hunc amoris indicaturi ajunt vulgo, se eos non odisse, cum nulla adsit odii causa. Malunt enim homines profiteri se ab odio, quam amore vacuum habere animum.

§. 690.

Si quis alterum odit, ejus non commiseratur (§. 664. 669. 671. 511. 518. 687.). Defectus commiserationis.

Casus præsens plurimum differt a præcedente, etsi utrobique idem sit prædicatum. Etenim in præcedente abest ratio commiserationis, ut ea non posita nec ipsa poni possit: in præsente autem adest impedimentum, quod obstat quo minus poni possit. Differentia hæc magnum momentum habet in praxi. Etenim si commiseratio in priori casu excitanda; ingenerandus animo est amor erga miserum, cujus miseriam, seu infelicitatem intuetur is, quem ad commiserationem perducere volueris. At in casu posteriori non oritur commiseratio, nisi & odium tollatur, & hoc sublato amor gignatur. Facilius adeo in casu priori ad commiserationem perducitur, qui ab ea alienus est, quam in posteriori.

§. 691.

Si quis alterius non commiseratur, aut eum odit, aut non amat, etsi non oderit (§. 687. 642. 665.). Signum odii ac amoris deficientis.

§. 692.

Si quis alterius commiseratur, eum amat (§. 687. 639. 643.). Amoris signum.

Est adeo commiseratio signum infallibile amoris (§. 952. *Ontol.*).

§. 693.

Si quis alterius commiseratur, is eum malo, quo affligitur, indignum judicat (§. 692. 651 sq.). Effectus commiserationis.

§. 694.

Si quis alterum indignum existimat malo, quo affligitur, ejusdem commiseratur (§. 558. 650. 688.). Commiserationis causa.

§. 695.

§. 695.

Commiserationis definitio realis.

Commiseratio oritur, si alterum indignum judicamus malo, quo affligitur. Patet definitionis veritas per propositiones præcedentes (§. 693. 694.).

§. 696.

Significatus vocabuli commiserationis num usui loquendi conformis.

Definitio tam nominalis, quam realis commiserationis significatui recepto ac communi usui loquendi conformis. Quoniam definitio realis ex nominali deducta fuit, quemadmodum ex antecedentibus (§. 687. & sqq.) palam est; quod de una ostenditur, de altera etiam valet. Vocabulum *Misericordiæ* reservamus virtuti, cujus comes est affectus ille, quando appetitus sensitivus cum rationali conspirat. Atque id denuo conveniens est sermoni Germanico, in quo virtus illa Barmhertzigkeit appellatur, sicuti affectus Mitleiden. Jam *Goclenius* in Lexico misericordiam definit per alienæ miseriæ in corde nostro sympathiam, qua utique, si possumus, subvenire compellimur. Per vocabulum sympathiæ clarissime indigitat, quod in hoc affectu idem sit animi status, qui est alterius miseria laborantis. Jam qui miseria affligitur, tristis est, aut minimum tædio afficitur. Ergo qui misericors est, seu nostra phrasi alterius commiseratur, tristis est, propterea quod alter contristatur, ac tædio afficitur, propterea quod alter eodem afficitur; tædium nempe percipit ex miseria alterius ac ob eandem, si ingens fuerit, contristatur. Definitio adeo misericordiæ *Gocleniana* convenit cum nostra nominali (§. 687.), nisi quod addatur, quod hoc affectu impellamur subvenire alteri, si possumus: id quod ex definitione exulare atque demonstrari debet. Adducit idem *Goclenius* aliam ex *Damasceno* definitionem, quod scilicet misericordia, seu commiseratio sit tristitia in alienis malis: quam cum nostra prorsus eandem esse satis superque apparet. Immo quam porro subjicit *Goclenius*, quod sit ægritudo animi ob alienarum miseriarum sensum, ea non minus cum nostra definitione nominali conspirat. Ægritudo animi enim opponitur voluptati atque adeo tædii synonymon est, quod ubi prædominatur insigniter, in tristitiam abit (§. 619.). Perinde igitur est ac si commiseratio definiretur per tristitiam, quæ ex alienis miseriis oritur, vel per tædium, quod ex alienis miseriis,

miseriis, quas nobis repræsentamus, percipimus. *Cartesius* in Tractatu de passionibus animæ part. 2. art. 62. commiserationem definit per affectum, quem excitat malum, si ejus alterum indignum existimamus: id quod cum definitione reali, quam ex nominali collegimus, prorsus conincidit (§. 695.).

§. 697.

Qui alterius commiseratur, ad ejus tædia ac tristitiam minuendum pronus est (§. 692. 651 sq. 619.). Effectus commiserationis.

§. 698.

Eos ergo, *quorum commiseramur, a malo, quod ipsis tædia creat ac tristitiam causatur, vel dolorem, liberare studemus, si possumus* (§. 697.). Effectus alius.

Ex præsente propositione patet, cur *Lipsius* hunc affectum compellet affectum liberantem quod nempe tendit ad liberationem miseri a miseria, quo affligitur.

§. 699.

Qui alterius commiseratur, ab iis abstinet, quæ eidem tædia creare, vel eum tristitia afficere poterant (§. 697 seq. *Psych.*). Impossibile igitur est, ut ipsemet eidem sciens ac volens tædia creet, vel eundem tristitia afficiat (§. 28. *Ontol.*). Effectus adhuc alius.

Hinc *Lipsius* commiserationem vocat affectum parcentem.

§. 700.

Qui ad alterius tædia ac tristitiam minuendum pronus est, vel a malo, quod ipsi tædia creat, ac tristitiam, vel dolorem causatur, si potest, liberare studet, vel etiam ab iis abstinet, quæ eidem tædia creare, vel tristitiam causari poterant, alterius, non sui, aut tertii gratia; is ejusdem commiseratur (§. 586. 605. 613. 639. 687.). Idem patet ex §. 694. Signum commiserationis.

§. 701.

Si animalia doloris capacia existimamus atque tristitiæ, eaque amamus; eorundum quoque commiseramur (§. 688.). Animalium quando commiseramur.

§. 702.

Si res inanimatæ, quas amamus, destruuntur vel quomo- Commiseratio num locum

habeat circa res inanimatas.

docunque deteriorantur; earum quasi commiseramur (§. 657. 644. 637. 619. 687. 637.). Idem patet ex §. 657. 695.

Confirmatur etiam propositio præsens a posteriori. Ponamus enim aliquem amare imaginem, quæ est alterius, non sua. Quodsi nævum quendam contrahat casu quodam; perinde nos miseret ejus ac si homini cuidam, quem amamus, mali quidpiam accidisset. Unde etiam audias affirmantes, quod tanta afficiantur tristitia ob sinistrum imaginis casum, quanta non afficerentur, si vel filio suo mali quidpiam accidisset. Luget casum sinistrum imaginis eodem modo, quo fata amici sinistra lugere solemus.

§. 703.

Commiseratio rerum inanimatarum.

Ex dictis apparet, quo sensu *rerum inanimatarum commiserari* dicamur. Est nempe *Commiseratio*, quæ homini tribuitur, respectu rerum inanimatarum, tristitia ob destructionem, vel deteriorationem rei, opinione nostra destructionis, vel deteriorationis indignæ.

Commiseratio oritur, si alterum indignum judicamus malo, quo affligitur (§. 695.). Malum aliud rebus inanimatis accidere nequit, quam si deteriorentur, vel quoad substantiam, vel quoad usum, aut prorsus destruantur (§. 565.): solenne nimirum est hominibus, quamdiu imaginationi litantur, de rebus inanimatis non secus judicare ac de animatis. Deteriorantur autem res quoad usum, si ad viliorem transferuntur, cum nobiliori ab opifice destinentur. Quodsi ergo judicamus, res mereri ut conserventur integræ, nec deteriorentur, ac indignas esse usu ignobiliori, cui aliæ viliores adhiberi possunt: ea utique adsunt, quæ ad commiserationem excitandam sufficiunt.

§. 704.

Commiseratio erga bruta.

Quodsi quis animantia bruta rebus inanimatis æquiparet, quatenus scilicet non considerantur tanquam tædii capacia, sed tanquam ea, quibus mali quidpiam accidere potest, vel quod deteriorentur sive quoad substantiam, sive quoad usum, vel quod prorsus destruantur; *commiseratio erga ea eadem est*, *quæ erga res inanimatas sese exerit: Quodsi* vero eadem *animantia bruta hominibus æquiparantur*, quatenus scilicet existimamus ea perinde

ac

ac homines malo, quod ipsis accidit, affligi ac dolore torqueri; *commiseratio eadem est, qua erga homines utimur.*

§. 705.

Tristitia ex alterius felicitate percepta dicitur *Invidia.* Et quoniam tristitia in prædominio tædii insigni consistit (§. 619.); tædium quodcunque ex infelicitate alterius perceptum Invidiæ nomine venit. Invidiæ definitio.

Quæ supra ad definitionem commiserationis annotavimus, etiam huc trahenda sunt.

§. 706.

Si quis alterum odit, ei felicitatem invidet (§. 683. 667. 705.). Fons invidiæ.

§. 707.

Qui alterum odit, ea, quæ bona existimat, alteri invidet (§. 706. 638. 612. 605.). Ulterius expenditur.

Affectus omnes sequuntur opinionem ejus, quem invadunt. Idem igitur in invidia quoque obtinere debet.

§. 708.

Si quis alterum non odit, is nec eidem invidet, quæ bona existimat (§. 667. 638. 612. 705.). Defectus invidiæ.

§. 709.

Si quis alterum amat, is ei non invidet, quæ existimat bona (§. 640. 650. 652 511. 518. 638. 619. 705.). Absentia invidiæ.

Differt casus præsens a præcedente. Etenim in præcedente tantummodo deficit invidiæ ratio sufficiens; in præsente adest impedimentum, quo minus invidia oriatur. Vid. denuo *not.* ad §. 690.

§. 710.

Si quis alteri non invidet, quæ existimat bona, is eum aut amat (§. 633.), aut non odit (§. 705. 638. 667.). Signum amoris ac odii deficientis.

Patet ex demonstratione propositionis præsentis statum indifferentiæ obtinere respectu invidiæ in eo casu, quo quis alterum non odit, nec tamen amat; in duobus autem subjectis differre statum animæ, si invidiæ absentia vel ex odii absentia, vel amoris præsentia oritur.

§. 711.

Odii signum. *Si quis alteri invidet, quæ bona existimat, eum odit (§. 705. 638. 668.).*

Est adeo odii signum invidia (§. 952. *Ontol.*), quam absque odio dari impossibile.

§. 712.

Effectus invidiæ. *Si quis alteri invidet, quæ bona existimat, is eum bono, quo potitus est, indignum judicat* (§. 711. 670 sq. 558.).

§. 713.

Invidiæ causa. *Si quis alterum bono, quo potitus est, vel fruitur, indignum judicat; invidia oritur* (§. 613. 619. 669. 672. 707.).

Haud obscure observamus, affectum invidiæ præcedere judicium de bono, quo potitur, vel fruitur alter, & nos quidem alterum indignum existimare bono isto. Sane non invidemus alteri bonum, quod non cognoscimus, vel non agnoscimus, nec expendimus, utrum eodem dignus sit, nec ne. Hinc audias verba, quæ invidia extorquet, hominem istum non esse dignum tanto bono. Immo si quis invidiam excusat, non aliam allegat rationem, quam quod indignus sit bono, quo potitur, vel fruitur, atque hanc indignitatem probaturus bonum exaggerat, personam vero ejus, ad quam pertinet, extenuat, immo vituperat. Haud obscure vero hinc simul liquet, quod invidiam præcedat odium. Etenim displicet nobis bonum in altero. Ergo nascitur odium (§ 677.). Hinc vero sequitur tristitia, vel tædium, quod ex alterius bono percipitur, adeoque odium gignit invidiam (§ 705.), mediante quidem judicio de indignitate personæ (§. 676. 612. 582.).

§. 714.

Invidiæ definitio realis. *Invidia* oritur, si alterum indignum judicamus bono, quo potitur, vel fruitur. Patet definitionis veritas per propositiones præcedentes (§. 712. 713.).

§. 715.

Significatus vocabuli invidiæ num usui *Definitio tam nominalis, quam realis invidiæ significatui recepto ac communi usui loquendi conformis.* Definitionem realem

realem deduximus ex nominali. Atqui *Matthias Martinius* in Lexico philologico ex *Perotto* allegat, quod invidere proprie sit ex alicujus rebus secundis dolore affici. Facile apparet dolorem in sensu improprio (§. 539.) sumi, quatenus animæ tribuitur independenter a damno quodam corpori illato. Denotat ergo tædium ac tristitiam (*not.* §. 518. 619.). Perinde igitur est ac si *Perottus* assereret, quod invidiæ proprie sit ex alicujus rebus secundis tædio ac tristitia affici. Enimvero quis est, qui nesciat res secundas referri ad felicitatem hominis (§. 636.). Id quod cum definitione nostra nominali prorsus consentit. Nec ab ea alienus est *Priscianus*, qui invidere idem esse affirmat ac non ferre alterum bene agentem videre. *Cicero*, observante *Manutio*, invidentiam appellat, quod nobis invidia est, eaque dolorem ex alienis bonis denotari idem *Manutius* monet: id quod cum nostra definitione nominali prorsus convenire per antecedentia manifestum. *Cartesius* in Tractatu de passionibus animæ part. 2. art. 62. definitionem realem invidiæ condit, quod scilicet oriatur ex eo, quod alterum indignum judicemus bono, quod ipsi præsens est, vel quod certo extiturum existimamus, ut veluti jam præsens nobis idem repræsentemus. Jam conf. §. 714. loquendi conformis.

§. 716.

Qui alteri bonum, quo fruitur, aut quod est conferendum, invidet, is pronus est ad eum bono illo privandum (§. 712.), aut quo minus hoc obtineat, impediendum (§. 712.). Effectus invidiæ.

§. 717.

Qui alterum bono, quo fruitur, privare studet, vel impedire conatur, quo minus bono quodam fruatur, ipsius quidem, non sui, aut tertii cujusdam gratia; is alterum aut odit, aut ei bona, quæ existimat, invidet. Is enim id vel ideo facit, quod ferre nequeat voluptatem, quam inde percipit, qui eodem fruitur, vel quod novit, eum ex jactura boni tædium, immo tristitiam percepturum, utque hoc fiat, maxime velit. Si prius; is sibi repræsentare debet tanquam malum, quod alter voluptate fruatur, vel prorsus gaudeat (§. 582.), consequenter ex voluptate ejusdem tædium tanto majus percipere debet, quanto magis sibi videtur malum, quod alter voluptate fruatur, vel gaudeat. Quoniam Signum odii ac invidiæ.

igitur ex alterius felicitate tædium, vel tristitiam percipit (§. 638.); quæ bona existimat, ei invidet (§. 705.). Si posterius; is sibi repræsentare debet tanquam bonum, quod alter tædio, vel tristitia affligatur (§. 579.), consequenter ex tædio ac tristitia alterius tanto majorem percipere debet voluptatem, quanto magis sibi videtur bonum, ut alter tædio ac tristitia afficiatur (§. 612.). Quoniam igitur ex alterius infelicitate voluptatem percipit (§. 639.); eum odit (§. 661.).

§. 718.

Invidiæ signum.

Qui alterum bono, quo fruitur, privare studet, vel impedire conatur, quo minus bono quodam potiatur, quod ferre non possit voluptatem, quam alter inde percipit, is alteri invidet, quæ bona existimat. Demonstratio jam actu continetur in ea præcedentis.

§. 719.

Odii signum.

Si quis alterum bono, quo fruitur, privare, vel quo minus eodem potiatur, impedire studet, ut ipsi ægre fiat; is eum odit. Demonstratio propositionis præsentis jam actu continetur in demonstratione anterioris (§. 717.).

§. 720.

Gaudii causa.

Si quis alterum dignum judicat bono, quo fruitur, aut quo potiri debet; is de eo gaudet (§. 579. 612. 614.).

Nullus igitur peculiaris affectus gignitur ex eo, quod alterum dignum judicamus bono, quod ipsi est; quemadmodum peculiaris quidam affectus oritur ex eo, quod alterum indignum judicamus bono, quo gaudet, scilicet invidia (§. 713.).

§. 721.

Signum amoris.

Si quis alterum dignum judicat bono, quo fruitur, vel quo potiri debet, is eum amat (§. 720. 624. 641.).

§. 722.

Causa gaudii.

Si quis alterum dignum judicat malo, quo affligitur, vel quod ipsi imminet; is ideo gaudet, in eo scilicet casu, quo affectus quidam oritur (§. 579. 612. 614.).

Non

Non igitur peculiaris quidam affectus oritur ex eo, quod alterum dignum judicemus malo, quo affligitur, cum gaudium istud ad odium pertineat (§. 663.): id quod ex propositione sequente luculentius constat.

§. 723.

Si quis alterum dignum judicat malo, quo affligitur, vel quod ipsi imminet, is eum odit (§. 722. 623. 665.). Signum odii.

§. 724.

Quoniam invidia oritur, si quis alterum bono, quo fruitur, vel quo potitur, indignum judicat (§. 713.); alterum vero is quoque odit (§. 723.); *invidia ac odium individui comites sunt.* Idem patet ex §. 711. Invidia ac odium cur se mutuo comitentur.

§. 725.

Si quis animalis cujusdam bruti statum meliorem suo existimat; is ei eundem invidet (§. 579. 581. 613. 638. 705.). Invidia adversus animalia bruta.

§. 726.

Si quis brutum aliquod indignum judicat bono, quo opinione sua fruitur; invidia adversus ipsum oritur (§. 586. 613. 638. 705.). Idem patet ex §. 713. *Psych.* 118. *Ont.* Invidiæ adversus bruta causa.

§. 727.

Si quis in re inanimata quid deprehendit, quo eandem indignam existimat, id eidem quasi invidet (§. 613. 705.). Hinc fluit §. 716. Quasi invidia in res inanimatas.

§. 728.

Est *Invidia*, quæ homini tribuitur, erga res inanimatas tristitia, vel saltem tædium ex eo, quod ipsius opinione iis bonum inexistit, perceptum. Oritur autem *Invidia in res inanimatas*, si eas indignas judicamus bono, quod nostra opinione iisdem inexistit. Invidia erga res inanimatas.

§. 729.

Quodsi quis animalia bruta rebus inanimatis æquiparet, quatenus scilicet tantummodo considerantur tanquam subjectum boni cujusdam seposita attentione ad voluptatem, quæ inde a nobis Invidia erga bruta.

bis percipitur, ubi ejusdem compotes sumus: *invidia erga ea eadem est, quæ erga res inanimatas sese exerit. Quodsi vero animantia bruta hominibus æquiparantur*, quatenus nempe felicitatem in ea cadere posse opinamur; *invidia erga ea eadem est, qua erga homines flagramus.*

§. 730.

Irrisionis definitio.

Gaudium ex eo perceptum, quod opinione nostra alteri vitio verti potest, vel famam ejus quomodocunque lædit, dicitur *Irrisio.*

§. 731.

Irrisio ob corporis defectus.

Quodsi ergo *quis existimet, corporis defectus naturales, vel etiam casu sinistro contractos esse alteri ignominiæ; ob eosdem eum irridet* (§. 730.).

§. 732.

Irrisio ob damnum vel fortunam adversam.

Similiter *si quis existimat damnum, quod alter incurrit, vel fortunam, qua utitur, adversam eidem ignominiæ esse; ob damnum, quod incurrit, vel fortunam adversam eum irridet* (§. 730.).

§. 733.

Qualia sint ea, quæ aliis invidemus.

Si quis alteri quid invidet, id ei bonum esse existimat (§. 705. 638. 612.).

§. 734.

Undenam ad irrisionem proni simus.

Si quis alteri invidet famam (§. 733. 554 sq.); *ad eum irridendum pronus est.* Infamiam itaque, aut quicquid famæ adversatur ad status imperfectionem, consequenter in numerum malorum refert (§. 555.). Quoniam itaque ex fama alterius, adeoque ex eo, quod opinione sua alteri bonum est *per demonstrata*, consequenter quod ei voluptatem creat (§. 612.), tædium percipit ac tristitia afficitur (§. 705.); ex tædio, consequenter malo ejusdem (§. 613.), voluptatem percipere debet (§. 666.) Enimvero qui gaudio afficitur, adeoque & qui voluptatem percipit (§. 614.), ex infamia alterius atque iis, quæ famæ ejus adversa sunt; is eum irridet (§. 730.).

§. 735.

§. 735.

Si quis alteri famam invidet ac in eo quid sibi observare videtur sua opinione famæ ipsius adversum; eum actu irridet (§. 734. 730. Psych. 56. 118. Ontol.). Quando quis alterum actu irrideat.

§. 736.

Si quis alterum irridet, is ei famam invidet (§. 730. 614. 565. 613. 666. 638. 705.). Irrisionis effectus.

Hinc videas potissimum eos irridere alios, qui soli laudari mallent, nec quenquam laudari ferre possunt. Et quibus istiusmodi est animus, illi de nemine bene, de omnibus male loquuntur, omniaque in malam, nihil in bonam partem vertunt.

§. 737.

Si quis alterum irridet, is eum fama indignum judicat (§. 736. 712.). Effectus alius irrisionis.

§. 738.

Si quis alterum fama indignum existimat, is ad eum irridendum pronus est ac si famæ adversi quid observat, actu irridet (§. 713. 734 sq.). Irrisionis signum.

Cavendum est, ne pro synonymis habeamus alterum indignum fama existimare & judicare quod famam non mereatur. Fieri enim potest, ut quis agnoscat alterum mereri famam, quam habet, & hoc tamen non obstante eadem alia de causa indignum pronunciet, quatenus opinione sua malum est, quod alteri sit istiusmodi fama.

§. 739.

Si quis alterum irridet, is eum iis dignum judicat, quæ famæ ejus adversa sunt (§. 730. 612.). Irrisionis ratio.

§. 740.

Si quis alterum dignum iis existimat, quæ opinione sua famæ ipsius adversantur; irrisio oritur. Etenim si alterum dignum iis existimat, quæ opinione sua famæ ipsius adversantur, cum ea in malorum numero sint (§. 565.), ideo gaudet (§. 722.), consequenter irrisio oritur (§. 730.). Ortus irrisionis.

§. 741.

Definitio irrisionis realis.

Fluit ex hactenus dictis definitio irrisionis realis. Est nimirum *Irrisio* affectus, qui oritur ex eo, quod alterum iis dignum existimamus, quæ opinione nostra famam ejus lædunt, aut ei quomodocunque adversantur.

§. 742.

Definitio irrisionis num usui loquendi conformis.

Definitio tam nominalis, quam realis irrisionis significatui recepto ac communi usui loquendi conformis. Equidem irrisio vulgo non pro affectu, sed pro actione quadam externa sumitur, ad quam & vultus mutatio, & gestus peculiares referuntur: quodsi tamen eandem attente consideres, omnes actiones simplices, quæ ad irrisionem spectant, unanimi omnium judicio, ex illo animi statu interno procedunt, eundemque supponunt, ita ut actum externum ex veritate nemini tribuere possis absque statu illo animi interno. Enimvero quod irridens alterum gaudio afficiatur ex iis, quæ opinione sua alterius famæ nocent; nemo non observat, qui vel sibimetipsi attendit, ubi in eo statu constituitur, vel ad alios attendit, ubi irrident alios. Insidiantur irrisores continuo famæ alterius: id quod nemo non observare potest.

§. 743.

Risus definitio.

Risus nascitur ex iis, quæ nostra opinione absurda sunt.

Quoniam in irrisione risui quoque locus est, de eo ut hic agamus res ipsa postulat. Damus autem definitionem realem, cum nominalis haud facile dari possit, atque illa inprimis satisfaciat scopo, quem intendimus, scilicet ut sit nobis principium, ex quo de iis, quæ ad risum pertinent, feratur sententia. Veritatem definitionis a posteriori confirmamus. Ponamus enim Luciliam esse rei œconomicæ admodum peritam. Ponamus porro Mevium de re œconomica narrare, quæ ipsius opinione absurda sunt, seu contraria ratione sese habere debebant. Nemo non novit fore ut Lucilia rideat. Memini Dn. de *Tschirnhausen* aliquando fœminam nobilem hoc pacto ad risum commovisse, quam nunquam ridere posse constabat, ita ut præsentium judicio pro impossibili haberetur eam ad risum commovere. Utebatur hoc exemplo ad persuadendam

dam aliis utilitatem definitionum realium, quas nominalibus multum præferebat.

§. 744.

Si irridens alterum id, quod alterius famæ adversum existimat, in se consideratum pro absurdo habet; risus cum irrisione conjungitur (§. 743.). Risus quando cum irrisione conjungatur.

§. 745.

Si quis existimat ea, quæ fecit alter, dignitati, aut personæ ejus repugnare; ad risum commovetur (§ 743.). Quando rideamus ob facta alterius.

Fieri etiam potest, ut quidam ad indignationem provocentur, ubi rident alii: sed quænam hic causa subsit, docebitur inferius.

§. 746.

Irrisionis summus gradus est, si quis gaudio afficitur ex infelicitate alterius præter ullam, ut apparet, rationem. Germanis peculiare nomen est, quod istiusmodi hominibus imponunt. Vocant enim eos Schadenfrohe: quod vocabulum vi originis significat eum, qui damnis gaudet. Sed vocabulum Latinum non reperio, quo idem significetur. Irrisionis summus gradus.

Lingua Germanica instar Græcæ felix est in vocabulis componendis, qua apte exprimunt, quod exprimere debent.

§. 747.

Si quis absque omni ratione infelicitate, seu damnis alienis gaudet; ratio tantummodo latet, non abest (§. 70. *Ont.*). An præter rationem damnis alienis gaudere quis debeat.

In aliis quoque affectibus sæpius rationes latent, ut nulla prorsus adesse videatur. Exemplum jam habuimus de amore atque odio. Et de hoc valet illud Poëtæ:

Non amo te, Volusi, nec possum dicere quare.
Hoc tantum possum dicere: non amo te.

Etsi autem Poëta rationem reperire odii, aut amoris deficientis minime potuerit; non tamen inde colligi potest, quod nulla ipsi fuerit.

§. 748.

Si quis supra omnes eminere velit; is damnis alienis promiscue gaudet. Si quis enim supra omnes eminere velit, is nec parem ferre, nec superiorem valet, consequenter ipsi displi- Quinam damnis alienis promiscue gaudeat.

 cet,

cet, si quid alteri boni adesse videt, quod sibi vel adest, vel deest, atque adeo odium quoddam occultum oritur (§. 677.), indeque porro invidia serpit (§. 707.). Animus igitur ejus dispositus est ad voluptatem ex alienis damnis promiscue percipiendam (§. 661.), immo ad gaudendum iisdem (§. 663.). Cumque præterea idem dispositus sit ad tristitiam, vel tædium ex alienis bonis percipiendum (§. 705.); hac ipsa dispositione prior magis corroboratur ac sustentatur, aut, si mavis, alitur. E.

Ceterum ex hac propositione intelligitur, quod non desit gaudii ex alienis malis orti ratio, etsi ea non cuivis statim appareat, adeoque patet id, cujus gratia eandem præcedenti subjunximus.

§. 749.

Acquiescentiæ in seipso definitio.

Si quis iis, quæ bene a se facta opinatur, gaudet, *in se acquiescere* dicitur. Est adeo *Acquiescentia in seipso* gaudium ob bonum, quod patravimus.

§. 750.

Realitas definitionis ipsius evicta.

Si quis a se facta bene facta opinatur, iis gaudet, vel ex iis voluptatem percipit (§. 554. 511. 614.).

Si Poëta poëma, quod fecit, legibus artis conforme existimat, gaudio extollitur: nec idem evanescit, si vel maxime ab aliis virgula censoria notatur, ubi censuras iniquas experitur sibi probe conscius salvis regulis artis poëma suum reprehendi non posse.

Gaudium hoc, quod ex bene factis percipitur, in eo casu, quo aliorum censuris iniquis ac vexis expositi sumus, *solamen conscientiæ* vulgo appellari solet.

§. 751.

Acquiescentiæ in seipso definitio realis.

Est adeo *Acquiescentia in seipso* affectus, qui oritur, si facta nostra nobis repræsentamus tanquam bona, nec ultra judicium hoc quicquam præterea attenditur.

§. 752.

Gaudium ex bene factis aliorum perceptum.

Si quis alterum impense amat, ejus bene factis gaudet, vel voluptatem ex iis percipit (§. 659. 750.).

Parentes impense amant liberos. Ecquis vero est, qui nesciat, eos

eos factis librorum gaudere, quæ opinione ipsorum bona sunt, non secus ac si ipsimet fecissent, quæ ab iis facta sunt. Gaudium hoc esse effectum amoris nemo dubitat.

Probe notandum est impensum requiri amorem, ne propositionis veritatem in dubium vocemus, si ex amore quocunque gaudium istiusmodi non procedere animadvertimus.

§. 753.

Acquiescentia in seipso est affectus jucundissimus (§. 751. 554. 511. 749. 614. 529. 608.). Acquiescentia in seipso qualis sit affectus.

Cartesius in Tract. de Passionibus animæ part. 2. art. 63. acquiescentiam in seipso omnium aliarum passionum dulcissimam esse affirmat.

Nemo miretur, quod in iis stabiliendis, quæ a posteriori nobis innotescunt, ad testimonia aliorum provocemus. Agitur enim de eo, quod unusquisque in se experitur, modo attentione sufficiente uti didicerit ac acumine suo distinguere possit, quæ in anima cum sint diversa facile tamen pro iisdem habentur. Ceterum probe notandum est, si quis omnes affectus jucundos inter se conferre voluerit, haud difficulter appariturum, quod acquiescentia in seipso sit affectuum omnium jucundorum jucundissimus.

§. 754.

Definitio acquiescentiæ in seipso non contrariatur notionibus communibus sumiturque vocabulum in significatu a Cartesio in philosophiam introducto. Nos gaudere iis, quæ bene ac recte a nobis facta existimamus, a posteriori probavimus, provocando ad experientias communes (§. 750.), & obviis quoque experientiis stabilivimus, affectum hunc esse jucundissimum (§. 753.), immo monuimus, si quis omnes affectus, quos jucundos experitur, inter se conferre voluerit, acquiescentiæ in seipso facile palmam adjudicaturum. Quoniam vero *Cartesius* in Tractatu de Passionibus animæ part. 2. artic. 63. termino acquiescentiæ usus fuit ad affectum hunc exprimendum; eundem ut retineamus ratio suadet (§. 140. *Disc. prælim.*). Num vocabulum acquiescentiæ in seipso habeat significatum receptum.

§. 755.

Pænitentia est tristitia ex eo, quod a nobis male, vel minus Pænitentiæ definitio.

nus recte factum existimamus, orta, vel saltem tædium inde perceptum.

Affectus hic non confundi debet cum officii nomine, quod pœnitentiæ nomine insignitur in Theologia revelata. Quamvis enim negari non possit, affectum istum, cum quo nobis jam negotium est, ab officio illo hominis christiani non esse alienum; plura tamen ad idem referri solent, quam quæ illius notionem ingrediuntur. Pœnitebat *Judam*, quod Christum prodidisset, in sensu philosophico, quatenus nempe affectu molestissimo hoc angebatur, cum factum infectum reddere non posset; sed non pœnitentiam agebat in sensu theologico, cum desperabundus sibimet ipse manus violentas inferret.

§. 756.

Realitas ejus asserti.

Si quis, quæ a se facta sunt, male, vel minus recte facta judicat, aut malum a se factum sibi repræsentat; tristitia, vel tædio afficitur (§. 568. *Psych.* 504. *Ont.* 518. 619. *Psych.*).

Vulgo autores pœnitentiam tantummodo restringere videntur ad actiones morales, quatenus eas malas agnoscimus: ast non invita experientia extendenda quoque est ad ea, quæ in se moralitatem habere non existimantur, artis nempe opera.

§. 757.

Facti alieni quando pœniteamus.

Si quis alterum impense amat, eorum pænitet, quæ ab eo vel male, vel minus recte facta existimat (§. 659. 755.).

§. 758.

Pœnitentia qualis sit affectus.

Pænitentia est affectus molestissimus (§. 755. 565. 518. 619. 609.).

Videmus eos, quos a se factorum pœnitet, plurimum angi, & animos eorum adeo inquietos reddi, ut mortem appetant, ac sæpius desperabundi manus violentas sibimetipsis injiciant: quemadmodum impetu hujus affectus abreptus fecit Judas, cum Christum prodidisset.

§. 759.

Definitio realis pœnitentiæ.

Pænitentia est affectus, qui oritur, si ea, quæ fecimus, nobis repræsentamus tanquam male, aut minus recte facta, seu qui oritur ex perceptione mali a nobis patrati.

§. 760.

§. 760.

Definitio pœnitentiæ tam realis, quam nominalis communi usui loquendi ac recepto significatui conformis. Pœnitere, inquit *Goclenius* in Lexico, dicimur, cum quæ fecimus nobis displicere incipiunt & molesta sunt. Displicent nobis facta nostra, si ex iis tædium percipimus (§. 542.). Quare quando pœnitentia animum nostrum subit, tædium ex iis, quæ fecimus, percipimus. Et quoniam ea, quæ fecimus, nobis molesta sunt, quatenus nos statumque nostrum imperfectiorem reddunt; ea nobis tanquam mala repræsentamus (§. 565.), consequenter ex factis nostris tædio, adeoque si ingens fuerit, tristitia afficimur (§. 619.), quod ea mala deprehendimus. Ad eumdem modum *Perottus* significatum pœnitentiæ ex *Gellii* lib. 17. cap. 1. repetens: Pœnitere, inquit, dicimus, cum, quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis postea incipiunt displicere, sententiamque in iis nostram demutamus. Porro *Martinius* in Lexico: Pœnitere, inquit, simpliciter est doleo ob factum meum, quod admissum nollem. Dolor hic, quod per se patet, ad animum refertur, adeoque tædium & in gradu exquisitiori tristitiam denotat. Consentanea his est definitio pœnitentiæ, quam tradit *Augustinus:* Pœnitentia, inquiens, est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse. *Cartesius* in Tract. de Passionibus animæ part. 2. art. 63. definitionem realem pœnitentiæ dedit, quod scilicet malum excitet pœnitentiam, quatenus nos consideramus tanquam causam ejusdem: quæ cum nostra definitione reali eadem est (§. 759. *Psych.* 866. *Ont.*).

Definitio pœnitentiæ num usui loquendi conformis.

§. 761.

Quem pœnitet, is factum infectum reddere mallet (§. 755. 581.). Sunt adhuc rationes aliæ, unde nascitur cupiditas reddendi factum infectum, si fieri posset, veluti pericula, quæ nobis ex facto nostro imminent, vel etiam damna, quæ incurrimus & a quibus nos liberos esse cupimus.

Pœnitentis desiderium.

Idem unusquisque in se experitur, quotiescunque pœnitet eum jam factorum.

Multum confert ad inquietudinem animi hæc cogitatio, quod

præsta-

præstaret si factum infectum reddi posset, & quod inde potissimum pendeat differentia pœnitentiæ ab aliis tristitiæ speciebus.

§. 762.

Pœnitentiæ affectus qualis.

Pœnitentia animum admodum inquietum reddit (§. 755. 761.). Enimvero cum factum infectum fieri non posse agnoscit, causam quoque, consequenter rationem tristitiæ, vel tædii sui, tolli non posse agnoscit (§. 883. *Ontol.*), adeoque se a tristitia ista, vel tædio liberari non posse certus sibi videtur (§. 118. *Ontol.*). Quoniam igitur malum reputare debet, quod tristitia, & tædiis conficiatur (§. 613.), inde quoque tristitia afficitur (§. 623.), atque adeo animus ejus inquietus est.

Quam molesta sit pœnitentia, ut probe agnoscamus, plurimum refert. Ingens enim adversus vitium præsidium est ejus memoria. Ceterum hinc quoque intelligitur, cur affectus molestissimus esse debeat pœnitentia, quia animus angitur tristitia atque tædio, quod a nobis auferri non potest, nisi diuturnitate temporis, subinde autem vix ac ne vix quidem unquam evanescit. Hortamur itaque serio omnes, ut si eos facti pœnitet, ad singula probe attendant, quæ omni acumine suo distinguere valent, ne negligant illud, cujus maxime habenda est ratio, ubi vitam felicem ac tranquillam degere voluerimus, nos vero temere infelices reddere noluerimus.

§. 763.

Qualis sit acquiescentia in seipso.

Si quis in seipso acquiescit, ea, quæ jam fecit, facta esse mavult, quam infecta, ita ut, si occasio ea agendi denuo sese offerret, eadem denuo faceret (§§. 749. 614. 589. 595. 603.).

§. 764.

Acquiescentiæ in seipso effectus.

Aquiescentia in seipso animum reddit quietum (§§. 749. 763.). Quare cum contrariis appetitibus & aversationibus vacuam habeat mentem, nec adsit quod eum a sententia sua dimovere possit, quin potius gaudium, seu voluptas, qua fruitur, stimulo ipsi sit ut in eadem sententia firmiter persistat; animus ejus quietus est, qui in seipso acquiescit.

Ab hac quiete est illa affectus hujus dulcedo, quam tantopere prædicat *Cartesius*, & qua semel degustata non exiguam felicitatis humanæ,

manæ, immo præcipuam ejus partem, in acquiescentia hac interiore reponimus.

§. 765.

Gloria est gaudium, quod percipitur ex aliorum de nobis nostrisque benigno judicio. Si gaudium nascens fuerit, ejus loco voluptas percipitur in minori gradu, quam qui ad prædominium, in quo gaudium consistit (§. 614.), sufficit. Dicitur autem *judicium* aliorum de nobis aliisque *benignum*, si ea, quæ fecimus, bene ac recte a nobis facta esse, quæque nobis sunt, ea bona esse judicant. Gloriæ definitio.

§. 766.

Si quis benignum aliorum de se suisque judicium sibi repræsentat, gaudio afficitur, seu quod perinde est, *ex opinione benigni aliorum de nobis nostrisque judicii multoque magis ex ipso judicio voluptate, vel gaudio afficitur* (§. 765. 554. 557. 614.). Realitas definitionis gloriæ adstructa.

§. 767.

Si quis gloria commovetur, is quæ fecit, vel sibi sunt, ab aliis bona existimari opinatur (§. 765. 605.). Quando quis gloria commoveatur.

Propositio hæc convertenda a nobis est in usum definitionis realis. Conversam igitur eidem subjicimus.

§. 768.

Si quis ea, quæ fecit, vel quæ sibi sunt, ab aliis bona existimari opinatur, gloria commovetur, ubi animum ejus affectus invadit (§. 765 sq.) Idem ulterius expenditur.

Non sine ratione prædicato adjecimus restrictionem, propterea quod dantur homines, qui ad aliorum de se suisque judicia parum attendunt, adeoque nec gaudio afficiuntur, ubi benigna sunt. Affectus adeo in istiusmodi subjectis, quorum ad gloriam non dispositus animus est, nullus oritur.

§. 769.

Gloria est affectus, qui oritur, si ea, quæ fecimus, vel nobis sunt, ab aliis bona existimari opinamur. Gloriæ definitio realis.

§. 770.

Definitio gloriæ tam realis, quam nominalis notionibus com- Definitiones gloriæ signifi-

(*Psychologia contracta.*) Ee

catui recepto conformes.

communibus & significatui in philosophiam introducto conformis. Negari non potest, gloriam vulgo non pro affectu sumi, sed pro causa affectus. Affectui enim nullum peculiare imponitur nomen, propterea quod vulgo gaudium casus præsentis non distinguitur a gaudio alio, differentia tantummodo obscure percepta. Vocabuli significatum exponunt *Goclenius* & *Martinius* in Lexicis. Varias ille affert aliorum definitiones, quæ in eo conspirant omnes, quod benignum aliorum de iis, quæ bene ac recte a nobis facta sunt, judicium sit id, quod gloria appellatur. Hoc vero judicium, quatenus nobis in mente idem repræsentamus, esse causam affectus, patet (*§. 769. Psychol.* & *§. 881. Ontol.*). Omnium clarissime *Augustinus* gloriam per affectus nostri causam definit, dum eam esse dicit judicium hominum bene de hominibus opinantium. *Cartesius* in Tract. de Pass. animæ part. 2. art. 66. gloriam in numerum affectuum retulit & dum hanc ejus dedit definitionem realem, quod bonum, quod est, vel quod fuit in nobis, si referatur ad opinionem, quam alii de eo concipere possunt, eum excitet; haud obscure significat ad gloriæ affectum excitandum sufficere repræsentationem judicii aliorum de eo, quod nobis inest, vel quod fecimus, etsi nunquam ita judicaturi sint alii, vel aliter jam judicent alii. Atque hæc consentanea sunt definitioni reali, quam dedimus (§. 770.).

In lingua vernacula affectum ipsum Ruhm-Beg'erde appellamus, quasi gloriæ cupiditatem. Absit autem, ut quis affectum hunc cum ambitione confundat, quod vitium in excessu esse suo loco in moralibus ostendemus, cum affectus, de quo jam loquimur, non semper malus sit, etsi abusu ejusdem ambitio gignatur. Posset is etiam Germanice dici Ruhm-Liebe, quasi amor gloriæ; sed malui tamen vocabulum prius huic posteriori præferre, propterea quod illud rei convenientius est, utpote impetum istum exprimens, quo, qui gloria ducitur, in eundem fertur.

§. 771.

Gloriæ effectus.

Gloria stimulus est ad præclara præstanda absque ulla spe lucri (§. 765. 614. 612. 579.).

Quantos, quæso, sumtus Astronomiæ perficiendæ gratia fecit *Joannes Hevelius?* Quantum operæ consumsit in observationibus cœlestibus venandis, quarum thesaurum nobis inprimis

mis altero Tomo Machinæ cœlestis exhibuit? Cum selenographiam accuratam conficere vellet, ipsemet objecta accurate in charta delineare ac delineata æri incidere didicerat, ne veritatem & accurationem observationum negligentia artificum corrumperet dubiamque harum fidem experiri cogeretur? Ex scriptis vero ejusdem satis superque apparet, ipsum non alia de causa tantopere sollicitum fuisse, ut omnia bene ac recte fierent, quæ Astronomiæ perficiendæ gratia moliebatur, quam ut Astronomi periti agnoscerent, ipsum omnes Astronomi partes ex asse adimplevisse. Nullum vero inde lucrum sperare poterat. *Joannes Keplerus* stupendam industriam collocavit in theoria planetarum indaganda, cum maxima ingenii vi leges poli ac veras orbitas planetarum in apricum produceret. Quod vero non alius ipsi stimulus fuerit quam gloria, ex Dedicatione ad *Rudolphum* II. Imperatorem, quam Commentariis de motibus stellæ Martis præmisit, satis superque elucet. *Ovidius* ipsemet de se fatetur, quod stimulum sibi dederit gloria ad arduum opus perficiendum. Ita enim canit:

Magnum opus aggredior, sed dat mihi gloria vires.

Vires nimirum dat gloria, quatenus gaudio perfusi novo quasi impetu accepto ad perficienda ea ferimur, quorum executio tædiis plena, ut a proposito quasi declinemur. Sed non opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt. Nihil enim præclari unquam in orbe terrarum factum, quod ex gloria tanquam fonte non manaverit. Et ubi accuratius inquisiveris, nonnisi eos, qui gloria ducti fuere, fecisse præclara ac de genere humano bene meruisse deprehendes.

Propositio præsens non satis commendari potest, quæ mente continuo volvatur revolvaturque. Utilitatis maximæ est in omni praxi morali & qui gloria uti noverit, haud postremum felicitatis suæ partem eidem tribuit. Recte si eadem utaris, affectui huic socium sese præbet jucundissimus ille, quem acquiescentiam in seipso appellavimus.

§. 772.

Qui gloria ducitur, ei benigna aliorum de se suisque judicia placent (§. 765. 542. 614.). Quænam placeant ei, qui gloria ducitur.

§. 773.

Signum gloriæ.

Si cui benigna aliorum & quidem perito peritorum judicia de se suisque placent; is gloria ducitur, seu animum habet ad gloriam dispositum (§. 542. 614. 765.).

Ipsa autem experientia loquitur peritis non placere nisi peritorum judicia & quo quem magis norunt rei, de qua judicium ferri debet, peritum, eo magis judicium placere; at imperitorum judicia licet benignissima non commovere peritos. *Copernicum* testem appellamus, qui Astronomorum peritorum judiciis contentus ceterorum Astronomiæ imperitorum judicia contemnebat, quemadmodum ex Dedicatione operis de Revolutionibus orbium cœlestium constat. Hinc videas peritos non captare auram vulgi, quemadmodum vulgus eruditorum facit, nec magni facere elogia, quæ in verbis elegantiam habent, nihil autem ejus significant, quod laudem constituit; sed commemorationem meritorum iis placere, quæ laudem absolvit. Atque ideo porro moris est, ut periti alios laudaturi in factis recensendis ac describendis toti sint, a verbis autem pomposis, quæ vulgi pabulum sunt, prorsus abstinent.

§. 774.

Pudoris definitio.

Pudor est tristitia, quæ percipitur ex sinistro aliorum de nobis nostrisque judicio. Si tristitia nascens fuerit, ejus loco tædium percipitur, in minori gradu quam qui ad prædominium sufficit, in quo tristitia consistit (§. 619.). Dicitur autem *judicium* aliorum de nobis aliisque *sinistrum*, si ea, quæ fecimus, minus recte a nobis facta esse, quæque nobis sunt, ea mala esse judicant.

§. 775.

Realitas definitionis pudoris adstructa

Si quis sinistrum aliorum de se suisque judicium sibi repræsentat, idemque pro vero habet; tædio, vel tristitia afficitur, seu quod perinde est, *ex opinione sinistri aliorum de nobis nostrisque judicii, multoque magis ex ipso judicio, quod verum esse, vel etiam pro vero ab aliis haberi agnoscimus, tristitia, vel tædio afficimur* (§. 774. Psych. 476. Log. 565. 567. 518. 619. Psych.).

§. 776.

§. 776.

Si quem pudet eorum, quæ fecit, vel quæ sibi sunt, is ea ab aliis ignorari mallet (§. 774. 613. 590.). Pudoris effectus.

§. 777.

Qui ad pudorem pronus est, is malum existimat alios nosse, quæ a se male, vel minus recte facta sunt, aut quæ sibi mala sunt (§. 774. 61[illegible]) Quales sint, qui ad pudorem proni.

§. 778.

Quoniam is, qui ad pudorem pronus est, malum existimat alios nosse, quæ a se male, vel minus recte facta sunt, aut quæ sibi mala sunt (§. 777.); quamprimum vero aliquid malum judicamus, idem aversamur (§. 590.), consequenter ne fiat omni malo impedire studeamus; *Qui ad pudorem pronus est, studiose cavet, ne quæ mala sunt opinione sua, vel communi hominum opinione, aliis de se innotescant.* Effectus pudoris.

§. 779.

Pudor est affectus, qui oritur, si mala, quæ fecimus, vel nobis sunt, aliis innotescere ac ab iis agnosci nobis repræsentamus, vel, ex opinione censuræ aliorum, quam ob malum a nobis perpetratum, vel quod nobis est, incurremus. Definitio pudoris realis.

§. 780.

Definitio pudoris tam realis, quam nominalis usui communi loquendi ac recepto in philosophia significatui conformis. Pudorem nemo non colligit ex rubore, quo suffunditur subito facies, ubi v. g. narrantur male a nobis facta (§. 775.). Quoniam rubor iste motus extraordinarii sanguinis indicium est; pudorem ab omnibus in numerum affectuum referri palam est (§. 611.). Porro nemo non fatetur, quod nos pudeat male factorum, quatenus nobis conscii sumus nos ob ea aliorum censuram incurrere. Quamobrem abunde patet ex communi usu loquendi pudorem designare affectum, qui in nobis oritur, si quæ fecimus talia sunt, ut ab aliis recte improbentur nobismet ipsis judicibus, vel si aliorum judicium famæ nostræ adversum fore certo persuasi sumus, quod ea, quæ fecimus, communi omnium opinione mala reputentur (§. 779.). *Aristoteles* pudorem definit per timorem justæ Definitiones pudoris nominalis usui loquendi conformes.

reprehensionis. Ecquis vero non videt hæc cum definitione nostra reali optime consentire (§. 779.). *Cartesius* in Tract. de Passionibus animæ part. 2. artic. 66. hanc tradit pudoris definitionem realem, quod malum, quod est, vel quod fuit in nobis, si referatur ad opinionem, quam alii de eo concipere possent, pudorem excitet. Eam non differre a definitione reali, quam dedimus (§ 779.), ex utriusque collatione patet.

§. 781.

Gloriæ & pudoris cognatio.

Qui ad gloriam pronus est, idem ad pudorem pronus est (§. 765. 612. 554. 565. 613. 774.).

§. 782.

Signum gloriæ.

Qui ad pudorem pronus est, ad gloriam quoque pronus est (§. 774. 777. 565. 554. 614. 612. 769.).

§. 783.

Pœnitentia pudoris comes.

Si quem pudet eorum, quæ fecit, eum eorundem quoque pœnitet (§. 774 sq. 756. 755.).

Propositio præsens non potest converti, neque enim in omni casu, quo quem eorum, quæ fecit, pœnitet, pudori locus est: etenim si quem pœnitet, quod patronum offenderit, ob damnum, quod incurrit, non ideo pudore suffunditur.

§. 784.

Grati animi definitio.

Amor benefactoris ob beneficia dicitur *Gratitudo*, aut, si mavis, *Animus gratus*.

Gratitudo etiam in virtutum numero est, quatenus ad habitus morales refertur. Sed hoc respectu ad philosophiam moralem pertinet. Hic eam non consideramus nisi quatenus affectus est, amoris quædam species.

§. 785.

In quonam is consistat.

Qui gratum animum habet, ex felicitate benefactoris voluptatem percipit, atque animum ad eam inde percipiendam semper dispositum habet (§. 633 sq.).

§. 786.

Effectus animi grati.

Qui gratum habet animum, is ex voluptate benefactoris volu-

voluptatem, ex tædio ejus tædium percipit, ac gaudet ideo, quia benefactor gaudet; contristatur ideo, quod benefactor tristis est (§. 784. 640. 642.).

§. 787.

Qui gratum habet animum, is voluptatem benefactori creare, tædium vero ab eodem avertere studet (§. 784. 652.). Effectus alius.

§. 788.

Si beneficia qua talia nobis placent, aut, si mavis, studium benefaciendi in altero nobis placet, vel saltem actus, quem nos experti sumus; animus gratus efficitur (§. 645. 784.). Animi grati causa.

Notandum probe est, beneficia nobis placere debere qua talia, seu placere nobis debere, quod alter nobis benefecerit. E. gr. Ponamus Mevium tibi denosse annulum pretiosum. Placere tibi potest annulus, ut eundem ames: ast non ideo animum gratum exhibebis Mevio. Enimvero si consideres, te Mevio acceptum referre debere, quod annulum adeo pretiosum possideas, & eum esse causam voluptatis, quam inde percipis, atque adeo tibi placet actus donantis; tum demum tibi placet annulus tanquam beneficium a Mevio acceptum. Et in hoc casu amor benefactoris oritur, consequenter animus gratus.

§. 789.

Animus gratus, seu *Gratitudo* est affectus, qui oritur, si beneficium ab altero in nos collatum, quatenus id alter in nos contulit, placet. Gratitudinis definitio.

§. 790.

Definitio gratitudinis nominalis & realis est communi usui loquendi & recepto significatui conformis. Quid sit gratitudo explicaturus *Donatus:* Non continuo, inquit, qui memor est, etiam gratus est. Memor enim est, qui apud se meminit: gratus, qui meruit hoc nomine vocari, dum vicem reddit. Unde recte concludit *Martinius* in Lexico, gratum esse eum, qui grates persolvere studet. Grates persolvimus, dum quæ bona sunt alteri pro virili promovemus. Duo igitur interprete *Donato* ex communi loquendi usu ad gratitudinem requiruntur, memoria scilicet benefactorum & studium benefaciendi ac inserviendi Definitio gratitudinis num usui loquendi conformis.

viendi alteri ex ea ortum, cum secus memoria beneficiorum nulli esset usui, nec vicem redderemus. Reddimus enim vicem, si paria facimus alteri, quæ fecit nobis. Enimvero conf. nunc §. 542. 652. 784. *Cartesius* dedit definitionem realem in tractatu de Pass. animæ part. 2. art. 64. ubi docet, animum gratum effici a bono, quod nobis præstitum fuit ab aliis. Bonum, quod nobis præstatur ab aliis, est beneficium: Qui idem nobis præstat, benefactor. Est igitur juxta *Cartesium* gratitudo affectus, qui oritur, quando nobis repræsentamus beneficia ab altero in nos collata, ita quidem ut ea beneficia esse agnoscamus, hoc est, ut consideremus quidpiam, quod nobis præsens est, tanquam bonum & alterum consideremus tanquam causam boni nobis præsentis. Quoniam ex rebus voluptatem percipimus, quatenus eas consideramus tanquam bonas (§. 612.); affectus ille oritur *Cartesio* non invito ex repræsentatione eorum, quæ nobis voluptatem creant, consequenter cum alterum consideremus tanquam causam hujus voluptatis, ex eo, quod alter nobis voluptatem creaverit, adeoque quod beneficia ab altero in nos collata nobis placeant, quatenus alter ea in nos contulit. Jam conf. §. 789.

§. 791.

Favoris definitio nominalis.

Favor est amor alterius ob bonum, quod ipsi tanquam singulare consideramus, inprimis ob mores ac habitus animæ nobis acceptos.

§. 792.

Ejusdem definitio realis.

Oritur *Favor* ex repræsentatione eorum, unde mores ac habitus, qui nobis accepti sunt, intelliguntur, vel ejus, quod nobis in altero placet, tanquam singularis, consequenter ex repræsentatione boni ab altero præstiti, vel fieri soliti citra relationem ad nos.

§. 793.

Effectus favoris.

Cui favemus, eum aliis, quos amamus, in promovenda felicitate præferimus (§. 791. 649 sq. 638.).

Hæc prælatio favorem inprimis distinguit ab amore simplici, atque anima quasi favoris est.

§. 794.

§. 794.

Definitio favoris realis & nominalis a communi usu loquendi ac recepto significatu non abhorret. Si quem videmus omni conatu id agere ut alterius felicitatem promoveat, ita ut non sit alius, cui æque facilem se præbeat in felicitate ejus augenda; omnes omnino affirmamus, quod is eidem faveat. Nemo vero etiam est, qui non inde colligat, quod eundem amet. *Scaliger* favere idem esse ait ac benevolentiam ostendere. Ostendimus autem benevolentiam, quando verbis factisque significamus nos velle ut alteri bene sit. Equidem jus illud prælationis, quod ei tribuitur, cui favemus, *Scaliger* non exprimere videtur. Quodsi tamen consideremus, faventem alteri id agere ut alteri ostendat verbis & factis, quam velit felicitatem ejus promoveri; constans quædam & perpetua hinc apparet voluntas alterius felicitatem promovendi & alterum hujus voluntatis certiorem reddendi. Hæc ipsa autem voluntas anxia quasi satis superque arguit eum, cui favemus, aliis præferri quos amamus. Definitio favoris num usui loquendi conformis.

§. 795.

Si quis favet alteri ob pravos ac perversos mores, vel habitus vitiosos; is eos aliquo respectu bonos opinatur (§. 792.). Favor quando oriatur ob mores pravos ac vitia.

Affectus non supponunt judiciorum veritatem, cum alias nunquam forent vitiosi, sed semper cum appetitu rationali consentirent: sequuntur potius opinionem ejus, qui iisdem obnoxius est. Ecquis vero nescit diversa admodum esse hominum de eo, quod bonum est, judicia, paucis secundum rationis normam illud dijudicantibus. Ceterum probe notandum est, fieri posse ut quis faveat homini pluribus perversis moribus ac vitiis conspurcato, non propter hos mores, neque propter vitia ista; sed propter dotes quasdam animæ, vel corporis insignes, ad quas alii non tam facile attendere solent, vel quæ non adeo conspicuæ sunt, quemadmodum mores perversi ac habitus vitiosi, quos nemo non damnat. Fieri quoque potest, ut quis favere alteri videatur, cui non favet, cum aliæ sint rationes extrinsecæ, cur ejus felicitati amplificandæ potius studeat, quam aliorum. Caute igitur procedendum, ubi veritatem propositionis a posteriori cognoscere studemus.

§. 796.

Spei ac fiduciæ definitio.

Spes est voluptas ex bono obtinendo percepta. Quodsi ea prædominetur, ut in gaudium abeat (§. 614.); dicitur gaudium ex bono obtinendo *Fiducia.*

§. 797.

Quando futura speremus.

Qui bonum futurum sperat, is idem sibi tanquam obtentu possibile repræsentat & contra. Etenim qui sperat bonum futurum, is ex eo voluptatem percipit, quod ab ipso obtinendum (§. 796.). Voluptas igitur percipitur non ex bono in se considerato, sed ex eo, quod ab ipso obtineri debeat.

Similiter si quis sibi repræsentat possibilitatem bonum aliquod obtinendi, hoc ipso sibi persuadet fore ut idem obtineat. Quoniam igitur bonum judicare debet, quod idem sit obtenturus (§. 554.), ex eo voluptatem tanto majorem percipere debet, quo magis hoc ipsi bonum videtur (§. 612.). Jam vero qui voluptatem percipit ex eo, quod se bonum aliquod obtenturum esse sibi persuadet; spe lactatur (§. 796.).

§. 798.

Quæ sperari non possint.

Quæ igitur *impossibilia obtentu a nobis spectantur; ea minime speramus* (§. 797.).

§. 799.

Quando spes oriatur.

Si bonum nobis repræsentamus tanquam obtentu possibile, spes oritur (§§. 554. 612. 517. 796.).

Quodsi animum ad nos, vel alios advertamus, quando bonum aliquod, quod nostrum non est, nobis repræsentamus; sequentes animæ status a se invicem distinguimus. Aut enim id, quod bonum judicamus, tanquam in se bonum consideramus, aut tanquam nobis bonum. In casu priori si attentionem nostram in eo non defigimus, vix ac ne vix quidem commovemur, voluptate statim iterum evanescente: si vero attentionem nostram in eo defigimus, voluptatem percipientes per spatium magis perceptibile eodem delectamur, quatenus scilicet per id, quod nobis placet (§. 542.), ad attentionem nostram in eodem conservandam impellimur, sicque voluptas conservatur sæpiusque augetur. In casu posteriori aut bonum, quod cognoscimus,

tanquam

tanquam obtentu possibile nobis repræsentamus, aut tanquam obtentu impossibile. Si tanquam obtentu impossibile repræsentetur, nulla spes oritur (§. 798.): casus adeo spei est, si bonum, quod cognoscimus, ac nobis bonum existimamus, tanquam obtentu possibile nobis repræsentamus.

§. 800.

Spes est affectus, qui oritur, si quod bonum nobis repræsentamus tanquam obtentu possibile (§. 799.). Spei definitio realis.

§. 801.

Spes tanto major esse debet, quanto facilius judicamus bonum a nobis obtineri posse (§. 800.). Gradus spei.

Gradus non pendent ex magnitudine boni, quæ desiderium augere potest; sed ex facilitate obtinendi ejus, quod nostrum esse mallemus.

§. 802.

Fiducia est affectus, qui oritur, si bonum aliquod nobis repræsentamus tanquam obtentu admodum facile, consequenter *tanto major erit, quanto major nobis videtur ista facilitas* (§. 796. 801.). Exempli loco sint martyres. Fiduciæ definitio realis.

§. 803.

Definitiones spei ac fiduciæ communi usui loquendi ac recepto significatui non contrariantur. *Martinius* in Lexico: sperare idem esse, ait, ac expectare futurum bonum. Futurum bonum expectat, qui sibi persuadet, idem certo venturum. Nemo autem sibi persuadere potest, certo venturum, quod non adest, nisi quod idem sibi repræsentat tanquam obtentu possibile. Ex hoc ipso enim, quod idem obtentu possibile judicat, colligit idem eventurum, ubi nempe mediis utimur, quibus idem obtineri posse & quorum executionem in potestate nostra esse intelligimus. *Gassendus* spem vocat elationem quandam animæ ob superadditam opinionem, quod bonum adventurum sit. Unde apparet hoc judice spem esse affectum, qui ortum trahit ab opinione, quod bonum adventurum sit. Jam vero opinio ista nascitur, quando de mediis solliciti Definitiones spei ac fiduciæ usui loquendi conformes.

ſolliciti nobis bonum repræſentamus tanquam obtentu nobis poſſibile. *Carteſius* definitionem ſpei realem traditurus: Sufficit cogitare, inquit, acquiſitionem boni poſſibilem eſſe, ut illius cupiditas excitetur, ſed cum præterea conſideratur, num facile, vel difficile ſit rem cupitam obtinere, id, quod nobis magnam rei conſequendæ facilitatem repræſentat, excitat ſpem. Videtur adeo ſpem vocare, quam nos fiduciam appellavimus. Enimvero dum affirmat opinionem poſſibilitatis boni obtinendi cupiditatem excitare; id tantummodo innuit bonum in ſe conſideratum, nondum ſpectatis mediis, quibus obtinetur, videri obtentu poſſibile, quando idem cupimus. Dum vero addit, id, quod nobis magnam rei conſequendæ facilitatem repræſentat, ſpem excitare; ad media reſpicit, quibus bonum iſtud a nobis obtineri poteſt, conſequenter idem tanquam nobis obtentu poſſibile repræſentari debere agnoſcit, ubi ſpes oritur. Atque adeo patet, philoſophum non diverſam tradere a noſtra definitionem realem, ſi rem ipſam ſpectes, etſi in verbis appareat diſſenſus. Idem vero agnoſcit gradum ſpei ſuperiorem conſtituere fiduciam. Etenim cum ſpes ſumma eſt, inquit, mutat naturam & vocatur fiducia. Sed quomodo naturam mutet, ex definitione noſtra nominali liquet (§. 796.); cur mutet, ex reali intelligitur (§. 802.).

§. 804.

Cognitio futuritionis in ſpe ac fiducia quæ ſit.

Si nobis fiducia eſt, prorſus certum nobis videtur bonum adventurum eſſe: ſi vero animus ſpe lactatur, idem tantummodo probabile videtur (§. 800-802.). Enimvero ideo bonum judicamus obtentu nobis poſſibile, quod media ad idem obtinendum ſufficere videantur. Quamobrem porro obtentu facile judicamus, quod adpetimus, bonum futurum, ſi nulla impedimenta oblatum iri exiſtimemus, quæ media inefficacia efficiunt. Quodſi certo perſuaſi ſimus, impedimenta nulla objici poſſe, vel ſaltem nulla occurrere poſſe, quibus tollendis non ſimus pares; nulla circa bonum obtinendum reſtare videtur difficultas, adeoque certum nobis videtur bonum adventurum (§. 535. *Log.*). Atqui in hoc caſu fiduciæ eſt locus *per demonſtrata*.

Enimvero

Enimvero si nondum ea animum tenet opinio fieri non posse, ut impedimenta insuperabilia nobis objiciantur, quin potius suspicamur talia objici posse; nondum nobis persuadere valemus bonum, quod obtentu possibile videtur, certo adventurum esse. Quamobrem ejus futuritio nobis tantummodo probabilis est (§. 549. *Log.*). Enimvero in hoc casu spes oritur *per demonstr.*

§. 805.

Cupiditas est prægustus voluptatis, vel gaudii ex bono absente, quod nobis præsens esse mallemus. **Cupiditatis definitio.**

E gr. Videt quis imaginem, quæ ipsi admodum placet, sibique repræsentat voluptatem, quam sæpius ex hac imagine percipere posset, si quidem sua esset, atque adeo voluptatis prægustum habet.

§. 806.

Si quod nobis placet nondum habeamus, habere tamen velimus; idem cupimus (§. 542. 614. 612. 589. 805.). **Cupiditas quando oriatur.**

Quod etiam nobis placere possint, quæ non habemus, nec tamen ea propterea cupiamus; unusquisque in se experiri potest, si in nundinis transeat per tabernas rebus pretiosis instructas, quarum nullum sibi esse usum intelligit, & quibus sibi comparandis sumtus deficere probe novit. Placent enim res pretiosæ earumque adspectu sæpe adeo delectamur, ut ab iis contemplandis abduci nequeamus: quoniam tamen ob rationes prædictas easdem minime appetimus, nec eas habendi cupiditas animum invadit. Quodsi attentione ad rationes prædictas seposita nascatur appetitus, is tamen statim supprimitur attentione ad easdem conversa, sicque nascens perit cupiditas.

§. 807.

Cupiditas ex amore nascitur, seu *amor cupiditatem præcedit, cupiditas amorem sequitur* (§. 648. 805.). **Mater cupiditatis.**

§. 808.

Si quid cupimus, id nobis repræsentamus tanquam nobis bonum (§. 805. 612.). **Quænam cupiamus.**

§. 809.

Quandonam quid cupiamus.

Si quid absens nobis repræsentamus tanquam nobis valde bonum; id cupimus (§. 589. 599. 579. 603. 612. 805.).

§. 810.

Definitio cupiditatis realis.

Cupiditas est affectus, qui oritur ex repræsentatione boni absentis (§. 809.).

§. 811.

Definitiones cupiditatis num sint recepto significatui conformes.

Definitio tam nominalis, quam realis cupiditatis recepto significatui conformis. *Gassendus* Phys. sect. 3. membr. 2. lib. 10. c. 5. f. 491. Tom. I. Oper. eam affectum esse dicit, quo anima in rem visam bonam absentemque sic tendit, ut illi habendæ fruendæque veluti inhiet. Monet ibidem rem videri bonam, quatenus consideratur tanquam voluptatis cujusdam creatrix. Immo diserte monet, proprium esse huic affectui, quod feratur duntaxat in bonum futurum absensve, atque adeo bono facto præsente evanescat. Jam conf. §. 810. *Cartesius* art. 58. p. m. 28. l. c. notat, cupiditatem semper bonum futurum respicere, sive appetamus acquisitionem boni, quod adhuc abest, aut evitationem mali, quod judicatur evenire posse, sive exoptemus conservationem cujusdam boni, aut absentiam cujusdam mali. Unde conficitur, hunc affectum juxta *Cartesium* oriri ex repræsentatione boni absentis, quemadmodum fert definitio nostra realis (§. 810.).

§. 812.

Objecta cupiditatis.

Si bonum, quo fruimur, nobis repræsentamus ut conservandum, vel malum, quod abest ut evitandum; vel, quod adest, ut auferendum; conservationem boni, evitationem & ablationem mali cupimus (§. 554. 565. 810.).

§. 813.

Fugæ definitio.

Fuga mali, vel etiam *Fuga* simpliciter est prægustus tædii, vel tristitiæ ex malo absente percipiendæ, si nobis præsens fieret.

§. 814.

Quænam fugiamus.

Si quid nobis displicet, idemque aversamur; idem fugimus (§. 542. 813.).

Opponi-

Opponitur hic affectus cupiditati, atque differt a cupiditate mali evitandi, cum tum attentio dirigatur in evitationem mali tanquam rem bonam, in fuga vero malum ipsum quoad nos consideretur.

§. 815.

Fuga ex odio nascitur mediante simplici aversatione (§§. 814. 677.). Mater fugæ.

Si ad aversationem simplicem rei absentis accedit odium, fuga oritur. Nimirum fuga id singulare habet, quod nos a malo protinus longo quasi intervallo removere nitamur, ut tam cito ab eo procul distemus, quam nobis quidem possibile: unde fugæ ab aversatione simplici differentiam ad ideam imaginariam reducturi affectui huic fugæ nomen imposuere, cum fugiens ab objecto aliquo se celeri cursu removere nitatur.

§. 816.

Si quid fugimus, id nobis repræsentamus tanquam malum quoad nos (§§. 813. 613.). Quænam fugiamus.

§. 817.

Si quid absens nobis repræsentamus tanquam malum quoad nos, idem fugimus (§§. 613. 813.). Quandonam quid fugiamus.

§. 818.

Fuga est affectus, qui oritur ex repræsentatione mali absentis quoad nos (§. 817.). Definitio realis fugæ.

§. 819.

Definitio fugæ realis & nominalis recepto significatui conformis. Fugam cupiditati opponit *Gassendus*, adeoque oppositum significatum habere debet vocabulum fugæ, qui cupiditati tribuitur (§. 811.). Definitio fugæ num significatui recepto conformis.

§. 820.

Metus est tædium ex malo adventuro perceptum, seu ex opinione mali adventuri. Quodsi ea prædominetur, ut in tristitiam abeat (§. 619.); dicetur tristitia ex malo adventante, seu opinione mali adventantis, præsertim intolerabilis visi, percepta *Desperatio*. Tædium ex malo appropinquante, vel ex opinione Metus ac desperationis definitio.

ne mali appropinquantis perceptum vocatur in ſpecie *Timor*, ut adeo *timor metus quædam ſpecies ſit.*

E. gr. Si quis noctu evigilans procellæ impetum audit ſibique repræſentat incendii periculum in hoc aëris ſtatu, ac ejus excitandi posſibilitatem in vicinis ædibus; tædium, quo afficitur animus, metus nomine venit. Quodſi vero incendium jam fuerit ortum ac periculum inde imminet ædibus noſtris, timori locus eſt. Si quis in caſu poſteriori periculum ſibi repræſentat tanquam inevitabile ac jacturam omnium bonorum tanquam cauſam pauperiei intolerabilis ſibi viſæ, aut jacturam Bibliothecæ tanquam damnum irreparabile; deſperationi locus eſt.

§. 821.

Quænam & quando metuamus.

Qui metuit, is malum ſibi repræſentat tanquam eventu poſſibile, & contra (§. 820.). Tædium igitur percipit non ex malo in ſe conſiderato, ſed ex eo, quod adventurum ſit, conſequenter qui malum metuit, is perſuaſus eſſe debet fieri posſe ut malum eveniat, eventusque poſſibilitatem ſibi repræſentat.

§. 822.

Metus definitio realis.

Metus eſt affectus, qui oritur, ſi quod malum nobis tanquam eventu poſſibile repræſentamus.

§. 823.

Definitio realis timoris.

Timor eſt affectus, qui oritur, ſi malum aliquod nobis tanquam appropinquans repræſentamus (§. 820.).

Definitio adeo realis jam continetur in nominali, quam dedimus, ut adeo nominalis cum reali coincidat. Etenim fieri poteſt, ut etiam realis tamdiu pro nominali habeatur, quando ex ea poſſibilitas rei definitæ nondum intelligitur.

§. 824.

Quando deſperemus & quanta ſit deſperatio.

Qui deſperat, is malum ſibi repræſentat tanquam inevitabile (§. 820.), & contra (§. 565. 619. 613. 820.): atque tanto major deſperatio, ſi ſimul ut intolerabile repræſentatur (§. 565. 619. 613.).

Veritas propoſitionis præſentis confirmatur a poſteriori, ſi cogitemus hominem ob homicidium ad ſupplicium ultimum

mum damnatum sibi ignominiam perpetiendam repræsentare tanquam malum intolerabile idemque simul inevitabile. Tum enim affectum desperationis, quo urgetur, nemo in dubium vocare poterit.

Tria in dato exemplo probe attendenda veniunt, nimirum 1. quod ad supplicium ultimum damnatus mortem ac ignominiam cum eadem conjunctam sibi repræsentet tanquam malum, 2. quod malum istud consideret tanquam certo adventurum, 3. quod idem opinetur sibi fore intolerabile. Unde facile probari poterat cum affectu desperationis concurrere alios, veluti horrorem, quem incutit supplicii gravioris repræsentatio; pudor, quem excitat cogitatio de judiciis hominum, per quos ad locum judicii ducendus; tristitia simplex, quatenus malum existimatur, quod supplicium publicum publice perpetiendum evitari non possit. Immo in casu speciali alii affectus superaccedere hisque se jungere possunt, veluti pœnitentia, qua quod homicidium commissum fuerit urgemur, & indignatio, quod non potius injuriam ab altero nobis factam perpessi fuerimus; sed de concursu affectuum non opus est, ut multa dicamus.

§. 825.

Desperatio est affectus, qui oritur, si nobis malum repræsentemus tanquam inevitabile, inprimis ubi simul idem nobis repræsentamus tanquam intolerabile. Desperationis definitio realis.

§. 826.

Definitiones metus, timoris & desperationis sunt recepto significatui conformes. Vid. *Martinius* in Lexico. *Aristoteles* metum definit per dolorem ac perturbationem ex opinione impendentis mali, quod vel perniciem, vel molestiam afferre possit: id quod cum definitione nostra nominali prorsus consentit (§. 820.). Timorem a metu ita distinguit *Cicero*, ut ille sit hujus speciei, scilicet metus appropinquantis mali (§. 820.). *Gassendus* loc. cit. desperationem fidentiæ, seu fiduciæ, tanquam summum gradum metus summo gradui spei opponit, atque adeo desperationi locus esse nequit, nisi quando malum consideratur tanquam certo futurum, ut spectetur veluti jam præsens, consequenter inevitabile, idemque intolerabile, quemadmodum fert definitio nostra realis (§. 825.). Definitiones metus, timoris & desperationis num sint recepto significatui conformes.

§. 827.

Terroris definitio.

Nimia tristitia ex adventu mali improviso orta dicitur *Terror*.

Ponamus Titium per cœmeterium transeuntem in tenebris sibi persuadere, quod spectrum ipsi occurrat, & imaginationis vi repræsentare damna, quæ a spectris inferri hominibus audivit; ex improviso hoc adspectu in terrorem conjicietur. Unde patet, quomodo terror differat a simplici tristitia: simplex enim tristitia ex opinione mali præsentis est (§. 619.): ast terrori locus est, quod malum ex improviso fiat præsens.

§. 828.

Terror desinens qualis sit.

Quando igitur *terror successive minuitur, simplex tristitia remanet.* Confirmatur hoc experientia. Causa nimirum tristitiæ remanet (§. 623.); sed causa terroris redire nequit (§. 827.).

§. 829.

Definitio terroris realis.

Terror oritur, si malum ex improviso ingruit, ac inprimis si præter spem omnem ac opinionem accidit (§. 827 sq.).

§. 830.

Definitio terroris num significatui vocabuli recepto conformis.

Definitio terroris significatui vocabuli recepto congrua. Loquuntur id ipsum cuncta exempla. Terrorem metus speciem facit *Cicero*, qui eum per metum concutientem definit, seu quem pallor, tremor, crepitus dentium consequuntur. Quodsi jam experientiam consulas, quandonam ob metum palleat facies, tremant artus, immo dentes in nonnullis subjectis crepent; illa non accidere reperies nisi eo in casu, in quo malum quoddam nobis imminere opinamur præter omnem expectationem. Atque adeo patet *Ciceronem* non alium nomini tribuere significatum, quam quem nos eidem tribuimus.

§. 831.

Fluctuationis animi definitio.

Vacillatio seu *Fluctuatio animi* est alternatio voluptatis atque tædii super bono, quod an obtentu possibile sit reperire non possumus.

Ponamus vacare munus, cui nos pares existimamus, atque idem nobis videri admodum utile. Voluptatem nos ex eodem percipere idem-

idemque appetere nemo non novit. Enimvero ponamus nos jam sollicitos esse de mediis idem obtinendi, nulla vero reperiri posse, quorum executio in potestate nostra posita sit. Nemo non denuo novit, nos tædio affici, quod voti nostri compotes fieri non posse videamur atque a spe ejusdem obtinendi arceamur. Quando igitur animum ad emolumenta, quæ tibi a munere isto spondes, denuo advertis visurus, num omnem spem abjicere debeas; voluptate iterum perfunditur animus. Quamobrem ejus obtinendi cupidus si de mediis rursus cogitas, ac in iis reperiendis te denuo infelicem experiaris; voluptate evanescente redit tædium.

§. 832.

Si bonum absens cupimus, sed media, quibus idem obtineamus, vel ignoramus, vel quænam ex pluribus eligere debeamus minime videamur, tum fluctuat, vel vacillat animus (§. 805. 565. 612. 831.). Quomodo oriatur.

§. 833.

Si animus vacillat, vel fluctuat, aut media obtinendi bonum, quod cupimus, ignoramus, aut in iis eligendis, vel exequendis hæremus (§. 831.). Atqui ad bonum obtinendum mediis opus est, atque adeo idem obtentu nobis possibile non est, quamdiu vel media ignoramus, vel quænam eligere, aut quomodo ea exequi debeamus nobis non apparet. E. Tunc fluctuamus. Fluctuationis animi ratio.

§. 834.

Si ignoramus, quomodo media obtinendi bonum, quod cupimus, exequi debeamus; animus fluctuat (§. 832.). Sed si ignoramus, quomodo ea exequi debeamus, perinde est ac si ea ignoraremus, utpote bonum, quod cupimus, non consecuturi nisi media exequamur. E. Fluctuatio animi ex ignorantia executionis mediorum.

§. 835.

Fluctuatio animi est affectus, qui oritur ex ignorantia mediorum, vel electionis, aut executionis eorundem (§. 833.). Definitio realis fluctuationis animi.

§. 836.

Definitiones fluctuationis, vel vacillationis animi sunt recepto significatui conformes. Vocabulum fluctuationis per metapho- Definitio vacillationis animi num fit

conformis significatui recepto. taphoricam rationem etymologicam translatum fuit ad significandum animæ statum, quo dubia est, an quid agere debeat, nec ne, seu an bonum prosequi debeat, ut eodem potiatur, an idem negligi consultum sit. Ipso ratio itaque etymologica insinuat, quod nunc in hanc, nunc in illam partem feramur, quemadmodum fluctus nunc huc, nunc illuc feruntur, motu in plagas oppositas alternante. Quamobrem ubi ad affectum significandum adhiberi debet, cum omnis affectus vel sit jucundus, vel molestus, jucundi autem in voluptate, molesti in tædio illius opposito consistant (§. 608 609.); alia in mente fluctuatio significari nequit, nisi quæ in alternatione voluptatis atque tædii consistit. Hanc autem alternationem locum habere non posse nisi super bono, quod utrum prosequi, an negligere debeamus, nobis non constat, ex antecedentibus satis manifestum est. Non aliud igitur vocabulum ad denotandum affectum, quem hactenus expendimus, suppetit, quod non invito communi usu loquendi adhiberi possit, quam fluctuatio animi (§. 831.).

Apparet ex dictis vacillationem animi esse affectum mixtum (§. 610.): id quod ex ipsa quoque definitione nominali palam est (§. 831.).

§. 837.

Horroris definitio. *Horror* dicitur metus, qui oritur ex repræsentatione mali tanquam ingentis.

§. 838.

Num definitio usui loquendi conformis. *Horroris definitio, quam dedimus, usui loquendi communi conformis (§. 822.).*

§. 839.

Horror quando cum terrore conjungatur. *Si malum ex improviso imminens nobis tanquam ingens repræsentamus; horror cum terrore conjungitur (§. 829. 837.).*

§. 840.

Quando insuper desperatio superaccedat. *Si malum ex improviso imminens nobis tanquam ingens ac inevitabile repræsentamus, horrorem & terrorem simul ortum excipit desperatio (§. 825.).*

§. 841.

§. 841.

Pusillanimitas est tristitia orta ex difficultate boni, quod cupimus, obtinendi. Pusillanimitatis definitio.

§. 842.

Si nobis repræsentamus impedimenta, quo minus bonum quod cupimus, obtineamus, tanquam insuperabilia; pusillanimitas oritur (§. 799. 565. 619. 613. 844.). Quandonam oriatur.

Impossibilitas obtinendi a difficultate distingui debet. Impossibile nobis est obtinere bonum, quod cupimus, quando nobis deficiunt media idem obtinendi, vel mediorum executio in potestate non est. Difficile nobis est obtinendi bonum, quod cupimus, si impedimenta sese objiciunt, quibus tollendis num pares simus dubitatur, ita ut plurimum negotii nobis facessat eorum sublatio. Hæc differentia, quæ inter impossibilitatem & difficultatem boni obtinendi intercedit, facile nos docet eam, quæ inter fluctuationem & pusillanimitatem obtinet.

§. 843.

Qui pusillanimis est, impedimenta, quo minus bonum, quod cupit, obtineat, tanquam insuperabilia sibi repræsentat (§. 841.). Quænam pusillanimis sibi repræsentet.

§. 844.

Pusillanimitas est affectus, qui oritur, si quis impedimenta in prosequendo bono, quod cupit, obvia tanquam insuperabilia sibi repræsentat. Pusillanimitatis definitio realis.

§. 845.

Si quis bonum prosequi decrevit, nec a proposito suo sese dimoveri patitur; de mediis vero cogitanti nulla sese offerunt, nec aliorum consiliis idem juvatur; pusillanimitas oritur (§. 810. Psych. 726. Ont. 844. Psych.). Causa specialis pusillanimitatis.

§. 846.

Definitiones pusillanimitatis sunt recepto significatui conformes. *Gassendus* loc. cit. f. 498. dicit, pusillanimitatem (quam & *segnitiem* vocat) esse affectum, quo anima in se quasi collabatur & cum difficultatibus malisque, quæ iri superatum diffidit, collucta- Definitiones pusillanimitatis, num sint recepto significatui conformes.

colluctari detrectet. Videmus ad genesin hujus affectus requiri a *Gassendo*, ut bonum aliquod cupiamus, ad quod etiam pertinere mali evitationem palam est, ut in eo prosequendo objiciantur nobis difficultates, & ut has ipsas difficultates a nobis superari non posse opinemur. Quoniam difficultates istæ aliæ esse nequeunt, quam vel impedimenta, quæ nobis in executione mediorum objiciuntur, vel inopia mediorum consilio alieno minime levanda; non alium affectum pusillanimitatem vocat *Gassendus*, quam cui nos idem nomen imposuimus (§. 843. 844.). Nec minus eundem vocabuli significatum tuetur *Cartesius* loc. cit. art. 59.

Cur hic affectus Latinis dicatur pusillanimitas, Germanis Kleinmüthigkeit, ipsa affectus hujus natura insinuat, a qua denominandi ratio in utraque lingua petita.

§. 847.

Animositatis definitio.

Animositas est prædominium cupiditatis ac spei vincentis metum ex difficultate boni obtinendi ortum. Appellatur etiam *Audacia*.

E. gr. Titius cupit munus, quod vacat & quod a se ornari posse novit patronus, cujus favore ad idem evehi potest. Visa igitur possibilitate ejus obtinendi spe lactatur animus (§. 800). Enimvero ponamus patrono esse agnatum, quem is singulari favore complectitur, ad idem munus adspirantem. Ubi hoc cognoverit Titius, metu percutitur, ne hic sibi præferatur, atque adeo metus ex difficultate boni obtinendi oritur (§. 822.). Enimvero ubi expendit, agnatum patroni non esse muneri obeundo parem, quod ex intentione Principis ornari debet; metu abjecto cum cupiditate spes resurgit ac vires capit, ut adeo a proposito ambiendi muneris non desistat, sed alacri animo executionem ejus adoriatur: quod ubi fit, animosus dicitur, vel, si justo animosior fuerit, prorsus audax.

§. 848.

Quando animositas oritur.

Si difficultates boni, quod cupimus, obtinendi nobis expendentibus occurrat ratio, ob quam eædem si non certo superabiles, certe superatu non prorsus impossibiles videantur; animositas oritur (§. 822. 800. 847.).

Con-

Confirmatur propositio exemplo (*not.* §. 847.). Integra enim demonstratio in eo continetur, ut ab eodem abstrahi possit: id quod mirum non est. Etenim exemplum docet, quomodo animositas in dato casu speciali oriatur; demonstratio autem idem terminis generalibus eunciat.

§. 849.

Si quis animosus evadit, is rationem perspicit, cur difficultates in prosecutione boni, quod cupimus, emergentes superatu possibiles, aut saltem non prorsus impossibiles videntur (§. 847. Psych. 118. Ont. 800. Psych.). Animositatis ratio.

Confirmat idem experientia, modo notes in eo casu, quo quid vehementer cupimus, tanquam superabiles spectari difficultates, quando demonstrari nequit quod sint insuperabiles, juxta istud pervulgatum: Quod quis maxime vult, id maxime credit. In inevidentibus enim appetitus influit in assensum. Et tutius non invita prudentia existimatur vel irrito conatu aliquid suscipere, quam ex post facto intelligere a nobis prætermissam esse occasionem obtinendi bonum, quod acquisitu possibile fuerat.

In præsente casu non evidentibus rationibus opus est, sed sufficiunt probabiles. Inter probabiles vero infimum locum tenet, quod in casu damni ex negligentia metuendi possibile haberi debeat, cujus impossibilitas demonstrari nequit. Ceteris animosiores sunt, qui in negotiis humanis probabilitati cedunt, nec evidentiam importune flagitant.

§. 850.

Animositas est affectus, qui oritur, si difficultates obtinendi boni, quod cupimus, perpendentibus videantur superabiles, aut superatu non prorsus impossibiles. Definitio realis animositatis.

Ceterum notanda est hic differentia, quæ inter diversos homines intercedit. Alii enim evidentiam in negotiis humanis desiderant perinde ac in scientiis, atque hi sunt timidiores & ad pusillanimitatem proclives: alii probabilitati cuicunque locum concedunt, atque hi sunt ceteris animosiores.

§. 851.

§. 851.

Definitiones animositatis num significatui recepto conformes.

Definitiones animositatis significatui recepto conformes. Animositatem *Gassendus* loc. cit. definit per affectum, quo se anima concitat & ad colluctandum cum difficultatibus malisve, quæ iri superatum confidat, prorumpit. Hæc satis consona esse iis, quæ nos de animositate demonstravimus (§. 848.) palam est. *Cartesius* loc. cit. animositatem, aut audaciam affectum appellat, qui difficultati in executione remediorum sese opponit. Quod respondet definitioni nostræ reali (§. 850.), consequenter & nominali, ex qua realem deduximus (§. 848.), conformis est.

§. 852.

Desiderii definitio.

Desiderium est tædium ex mora boni venturi, quod speratur, perceptum.

§. 853.

Definitio realis desiderii.

Desiderium ergo *oritur, si mora adventus boni, quod speramus, tædium nobis creat* (§. 852.).

§. 854.

Definitio desiderii num communi usui loquendi conformis.

Definitio desiderii, quam dedimus, communi usui loquendi conformis. Enimvero ad desiderium non sufficit boni venturi expectatio, alias enim a spe non differret (§. 800.). Spei igitur quid superaccedere debet. Nil autem est, quod superaccedere possit nisi tædium ex mora oriundum, quo expectatio efficitur impatiens.

§. 855.

Hilaritatis definitio.

Gaudium ortum ex eo, quod malum sit præteritum, vel metus mali evanuerit, dicitur *Hilaritas.*

Germani dicunt in hoc casu: Ich bin frohe, daß das Unglück vorbey, oder das Ungemach überstanden, atque adeo hilaritas est is affectus, quem Germani Frölichkeit appellare solent.

§. 856.

Quando oriatur.

Oritur adeo *hilaritas, si nobis repræsentemus malum, rem tædii creatricem, tanquam tædia nobis non amplius creaturum* (§. 855.).

Habe-

Habemus hic hilaritatis definitionem realem, quæ modum ostendit communi praxi conformem eandem in animo alterius excitandi.

§. 857.

Quoniam *Cartesius* significatum vocabuli in philosophiam introduxit loc. cit. quem hilaritati tribuimus; *receptum tuemur significatum non obstante vago usu loquendi, qui dissentire videtur* (*§. 147. 144. Disc. prælim.*). Num definitio hilaritatis usui loquendi conformis.

§. 858.

Tædium perceptum ex eo, ex quo ante voluptatem percipiebamus, dicitur *Fastidium*. Fastidii definitio.

Probe notandum est rem hic supponi prorsus eandem, ita ut nihil in ea immutetur. E. gr. Ponamus nos ex sapore cibi cujusdam voluptatem insignem percipere, atque adeo eundem capientes delectari. Quodsi jam accidat, ut sæpius repetito ejus usu sapor non amplius gratus sit, sed ingratus evadat, ut tædio ex ejus usu afficiamur: tædium hoc, quod percipimus dum is nobis offertur, est id, quod fastidium appellamus.

§. 859.

Fastidium oritur, si, quod nobis tanquam bonum repræsentabamus, idem deinceps tanquam malum repræsentemus (*§. 558. 570.*). Quomodo fastidium oriatur.

§. 860.

Quoniam quæ sensibus grata sunt & iis mediantibus nobis voluptatem creant continuo usu tandem minus grata fiunt, vel prorsus ingrata, ut vel nullam amplius voluptatem, vel prorsus tædium creent; *Quæ sensibus grata sunt, eorum fastidium ipsa die*, seu *duratione excitatur*. Fastidium eorum, quæ sensibus grata.

§. 861.

Definitio fastidii recepto vocabuli significatui conformis. Cartesius: Quandoque enim, ait, duratio boni gignit satietatem, sive fastidium. Vid. §. 609. 558. Definitio fastidii num usui loquendi conformis.

Affectum esse fastidium vel ex eo patet, quod extraordinarius sanguinis ac fluidorum reliquorum in corpore motus observetur, quando quid fastidimus: id quod affectum arguere palam est (§. 611.).

§. 862

Iræ definitio.

Ira est tædium insigne ortum ex injuria nobis vel aliis illata, conjunctum cum odio ejus, qui eam intulit. *Cartesius* vocat *indignationem*, si injuria aliis illata fuerit.

§. 863.

Pudor quando iræ permisceatur.

Si injuria ab altero nobis facta famam nostram lædit, saltem opinione nostra; pudor iræ permiscetur (§. 862. 779.).

§. 864.

Quando pœnitentia iræ permisceatur.

Si nobis repræsentamus injuriam ab altero nobis factam, nosque in causa esse existimamus, quod eam nobis intulerit; pœnitentia iræ permiscetur (§. 862. 565. 759.).

§. 865.

Terror ac metus quando iræ permisceantur.

Si per injuriam ab altero nobis factam damnum ingens nobis imminere videtur, quod ante non metueramus; iræ terror permiscetur. Quodsi vero malum tantummodo videtur eventu possibile; metus eidem permiscetur (§. 862 829. 822.).

§. 866.

Quando iræ desperatio permisceatur.

Si malum per injuriam alterius nobis imminens nobis repræsentemus tanquam inuitabile, idque inprimis nobis quoque intolerabile videatur; iræ permiscetur desperatio (§. 862. 825.).

§. 867.

Ira unde intendatur.

Ira vehementior evadit, prouti plures, vel pauciores affectus majore, vel minore gradu eidem sociantur (§. 603.).

§. 868.

Definitio iræ realis.

Ira oritur ex opinione mali ex facto alterius nobis vel aliis emergentis (§. 862.). Atque in his consistit definitio realis iræ.

§. 869.

Vehemens ira ex levi causa.

Si injuriarum præteritarum memoria per præsentem nobis refricatur; levi ex causa vehementer irascimur. Etenim si injurias præteritas cum præsente simul nobis repræsentamus, ira non modo nascitur ex præsente, sed ex præteritis simul (§. 862.). Quare cum perinde sit ac si injuriæ omnes aliquando ab altero per-

perpessæ nunc demum factæ essent; causa quidem præsens levis est, sed omnis iræ causa levis non est. Quoniam tamen nos ad præsentem tantummodo attendimus atque ex ea sola iram nasci arbitramur: vehemens ira nasci nobis videtur ex levi causa, & levis causa iram revera denuo suscitat.

§. 870.

Definitio iræ usui loquendi ac recepto significatui conformis. *Gassendus* loc. cit. c. 7. f. 500. Iratus, inquit, & moleste fert aversaturque acceptam injuriam, & illius causam autoremve odit, & ulcisci, seu nocumentum vicissim infligere cupit, & nocere efficereque, ut autorem pœniteat, sperat, & ad nocendum audenter prorumpit, & non sine quadam voluptate ulciscitur ac nocet. Ex quo proinde efficitur, ut ira non tam simplex affectus, quam cincinnus quidam affectuum sit, ac definiri possit affectus, quo anima præ dolore ob injuriam accipi visam ac odio in illius autorem concepto pectoreque incalescente ad ulciscendum concitatur, ut autorem facti pœniteat, neque tale quid amplius patret. **Definitio iræ num usui loquendi conformis.**

§. 871.

Per *cupiditatem vindictæ* intelligimus cupiditatem mali alterius, propterea quod ipsum consideramus tanquam causam mali nobis præsentis. **Cupiditas vindictæ quid sit.**

§. 872.

Ira cum vindictæ cupiditate conjungitur (§. 862. 664. 613. 870.) **Iræ cum cupiditate vindictæ nexus.**

Cupiditas vindictæ in irato adeo manifesta est, ut eam ideo iræ definitionem ingredi fecerit *Gassendus*, non attendens ad id, quod vindictæ cupiditas ex odio fluat, ex eo orto, quod nobis displiceat factum alterius, quia in nos injuriosum, seu quod factum alterius nobis repræsentemus tanquam malum respectu nostri (§. 677.).

Multa ex cupiditate vindictæ fluunt, quæ in irato observantur. Spirat eam vultus & gestus: tendunt ad eandem verba & facta.

§. 873.

Si tædium quidem percipimus ex injuria nobis ab altero illa- **Indignatio quomodo differat a tædio.**

illata a vindictæ tamen cupidine alienum habemus animum, *Indignatio* oritur. Germani vocant böse seyn. Atque adeo patet *iram ab indignatione cupiditate vindictæ differre.*

§. 874.

Quando alteri injuriam inferenti irascamur.

Si alterum amamus; ei irascimur, qui ipsi injuriam intulit (§. 659. 862.).

§. 875.

Ira ex injuria in alios casus alius.

Si alterum odio prosequimur, ei irascimur ob injuriam aliis factam (§. 669. 613. 862.).

§. 876.

Casus alius, in quo ira vehemens.

Quoniam ira excandescit animus, si eum amamus, cui injuria infertur (§. 874.), vel si eum odio prosequimur, qui alteri injuriam infert (§. 875.); *Multo magis animus ira exardescere debet, si eum amamus, cui injuria fit ab altero; alterum vero, qui injuriam infert, odio prosequimur.*

§. 877.

Quando tantummodo indignemur, immo ne quidem indignemur.

Si eum amamus, qui nobis, vel aliis injuriam facit, ei non irascimur, sed tantummodo indignamur; immo subinde ne quidem indignamur (§. 565. 613.). Quia vero eum, qui injuriam intulit, amamus *per hypoth.* ex ejus tædio, consequenter ex eo, quod ipsi malum est (§. 613.), ipsimet tædium percipimus (§. 642.). Impossibile igitur est ut idem nobis repræsentemus tanquam valde bonum (§. 612. *Psych.* & §. 28. *Ontol.*), consequenter ut idem cupiamus (§. 805.). Quoniam itaque a tædio ex injuria illata percepto abest cupiditas vindictæ (§. 871.); ei, qui injuriam intulit, tantummodo indignamur (§. 873.): immo si tantus fuerit amor, ut obstet, quo minus tædium ex injuria nobis facta percipiamus, dum alterum non malo in nos animo, vel ex proposito quid fecisse arbitramur, ne quidem indignamur (§. cit.).

Idem confirmant exempla parentum liberos impense amantium, qui iis tantummodo indignantur, quando lædunt, vel injuria afficiunt alios; nequaquam vero vindictæ cupiditate in iram abripiuntur.

§. 878.

§. 878.

Cum indignatione odium quidem oritur (§. 873. 542. 677.), sed vires non capit, quin statim potius extinguitur (§. 873. 871. 613. 805. 664.). Odium in indignatione quomodo se habeat.

§. 879.

Quodsi tædium ex injuria ab altero illata perceptum fuerit exiguum, odium in indignatione prædominatur, etsi vires non capiat (§. 878.). Quando in indignatione odium prædominetur.

SECTIO II.
DE
FACULTATIS APPETENDI PARTE SUPERIORI ET COMMERCIO MENTIS CUM CORPORE.

CAPUT I.
DE VOLUNTATE AC NOLUNTATE.

§. 880.

Appetitus rationalis dicitur, qui oritur ex distincta boni repræsentatione. Unde independenter ab appetitu in genere definire potest, quod sit inclinatio animæ ad objectum pro rationi boni, quod in eo inesse distincte cognoscimus, vel nobis cognoscere videmur. Dicitur autem appetitus rationalis *Voluntas*. Appetitus rationalis seu Voluntatis definitio.

§. 881.

Averſationis rationalis ſeu Noluntatis definitio.

Averſatio rationalis eſt, quæ oritur ex diſtincta mali repræſentatione. Unde independenter ab averſatione in genere definitur, quod ſit reclinatio animæ ab objecto pro ratione mali, quod in eo diſtincte nobis cognoſcere videmur. Dicetur a nobis *Noluntas*.

§. 882.

Volitio & nolitio quid dicatur.

Ipſe actus volendi dicitur *Volitio* in oppoſitione ad Voluntatem, quando ea facultatem animæ denotat, ſeu potentiam, aut poſſibilitatem actum iſtum eliciendi. Et ſimiliter actus ipſe nolendi vocatur *Nolitio*, in oppoſitione ad Noluntatem, quando ea facultatem animæ denotat eliciendi actum iſtum, quem nolitionem appellamus.

§. 883.

Omiſſio volitionis quid ſit

Omiſſio volitionis eſt indifferentia ad volendum & nolendum. Volitionis ſcilicet actus nullus adeſſe dicitur, ſeu anima objectum quoddam non velle dicitur, quando idem nec velle, nec nolle dici poteſt.

§. 884.

Nolitio num differat ab omiſſione volitionis.

Nolitio non eſt nuda volitionis omiſſio (*§. 883. 881.*).

§. 885.

Cur nolitio poſtulet rationem peculiarem.

Quamobrem cum ad omiſſionem volitionis ſufficiat, ut abſit ratio volendi (§. 118. *Ontol.*); *Si quid nolle debemus, peculiaris ratio nolendi adeſſe debet.*

Volitio omittitur ob rationem deficientem, nolitio vero naſcitur ex ratione quadam poſitiva.

Omnis praxis philoſophiæ moralis in eo conſiſtit, ut ex ſtatu indifferentiæ animam transferamus ad appetendum, vel averſandum.

§. 886.

Num termini hactenus explicati ſint recepto ſignificatui conformes.

Qui terminos voluntatis, noluntatis, volitionis, nolitionis in fixo ac determinato ſignificatu ſumunt; non alium iisdem tribuunt quam nos iisdem tribuimus. Obſervat *Goclenius* in Lexico jam olim Stoicos, qui accuratius diſtinxerunt inter ſe minime

nime

nime confundenda & quos secutus *Cicero* est, voluntatem non accepisse nisi sensu strictiori pro appetitu rationali boni. Ipse quoque *Goclenius* mox terminos volitionis ac nolitionis explicat prorsus in rem nostram. Volitio hominis, inquit, est appetitio rationalis boni cogniti, orta ab illius approbatione. Nolitio est aversatio rationalis mali cogniti orta ab illius improbatione. Subjicit idem voluntatem valde improprie accipi, cum tribuitur appetitui brutorum: proprie enim voluntatem esse *ἐν τῷ λογικῷ*, seu in ente rationali, in brutis non esse.

§. 887.

Ratio sufficiens actuum volitionis ac nolitionis dicitur *Motivum*. Motivum quid dicatur.

§. 888.

Ex motivis volendi intelligimus, cur quid potius velimus, quam non velimus; ex motivis nolendi vero perspicimus, cur quid potuis nolimus, quam non nolimus (§.56. Ont. 887. Psych.). Usus motivorum.

§. 889.

Sine motivis nulla datur in anima volitio, nulla nolitio (§. 887. Psych. 70. Ont.). Motivorum necessitas.

A posteriori veritas propositionis satis superque liquet, ideo a philosophis omni ævo agnita. Neque enim ullum in medium afferri potest exemplum, quo ostenditur, nos quicquam vel voluisse, vel noluisse sine motivo, modo acutus sis in observandis motivis, atque in iis agnoscendis. Qui affirmant tale quid fieri posse, nullum huc usque exemplum in medium afferre potuerunt; sed gratis asseruerunt.

Ne autem in cognoscendis motivis hæreas in casibus specialibus, iis præsertim, ubi ægre agnoscuntur; motiva paulo penitius inspicienda sunt, ut constet, quid eorum loco esse possit.

§. 890.

Motiva sunt repræsentatio boni ac mali distincta, nempe repræsentatio boni volitionis; repræsentatio mali nolitionis (§. 887. 586.). Quare cum appetitus & aversatio rationalis ab appetitu sensitivo & aversatione sensitiva nonnisi in eo differant, quod Motiva in quo consistant.

quod rationalis ex notionibus distinctis nascatur, appetitus vero sensitivus & aversatio sensitiva ex idea confusa ortum trahant (§. 880. 881. 580. 582.); motiva esse nequeunt nisi repræsentatio boni ac mali distincta, illa nempe volitionis, hæc nolitionis.

§. 891.

Quomodo volitiones nascantur.

Quam primum nobis distincte aliquid repræsentamus tanquam bonum, quoad nos, idem volumus (§. 889. 880.).

§. 892.

Objectum voluntatis & noluntatis.

Quoties quid volumus, id nobis repræsentamus tanquam bonum; quoties vero quid nolumus, id nobis repræsentamus tanquam malum. Si enim motiva nulla dantur in anima, eadem nec vult, nec non vult (§. 589.). Quamobrem si vult quidpiam, motivum volendi detur necesse est: si quidpiam non vult, seu ex ratione aversatur, motivum nolendi adsit necesse est. Motivum vero volendi est repræsentatio boni distincta; motivum nolendi vero distincta mali repræsentatio (§. 890.). Ergo

A posteriori patet veritas asserti ex eo, quod nemo hactenus unicum allegare potuit exemplum, ubi aliquid voluerimus, quod nobis non repræsentassemus tanquam bonum quoad nos; vel aliquid noluerimus, quod nobis non repræsentassemus tanquam malum quoad nos. Equidem non nego afferri exempla, in quibus motiva adeo latent, ut ignorentur ab iis, qui ad ea provocant, immo ne quidem agnoscantur, ubi ab acutioribus in apricum protrahuntur, præsertim si negandi pertinacia occœcaverit animum: enimvero quis non videt, quod toto cœlo differat demonstrare, quod nullum prorsus motivum adsit, seu quod nobis idem non repræsentemus tanquam bonum, quod volumus, aut, si mavis, quod appetimus, & confiteri quod ignoremus, vel nobis conscii minime simus, quale jam adsit motivum, cur hoc velimus, vel appetamus, aut nos motivo isto impulsos hoc appetere, quod insufficiens videtur. Demonstrationem postulamus, non nudam ignorantiæ, aut dubitationis confessionem.

§. 893.

Objectum appetitus sensitivi & aversationis.

Si sensitivus fuerit appetitus, quoties quid appetimus, id nobis tanquam bonum repræsentamus; si aversatio fuerit sensitiva, quoties

quoties quid aversamur, id nobis tanquam malum repræsentamus (§. 70. *Ont.* 586. *Psych.*).

§. 894.

Malum quando appetamus, bonum quando aversemur.

Si cui bonum videtur, quod malum est, idem appetit, vel vult (§. 589.): & ex adverso *si cui malum videtur, quod bonum est, idem aversatur, vel non vult* (§. 590.).

§. 895.

Quænam sub ratione mali aversemur, sub ratione boni appetamus.

Quod bonum cognoscimus, sed certo respectu malum existimamus quoad nos, *aversari* dicimur *sub ratione mali*. Et e contrario quod malum cognoscimus, sed certo respectu bonum existimamus quoad nos, id dicimur appetere *sub ratione boni.*

Ita cibum sanum ob saporem nobis ingratum aversantes bonum aversamur sub ratione mali: cibum enim in se spectatum bonum judicamus, quatenus sanitati conducit; sed malum existimamus quoad nos respectu molestiæ, quam ex sapore minus grato percipimus. Similiter cibum sanitati adversum appetentes ob saporem nobis gratum malum appetimus sub ratione boni. Cibum enim malum judicamus, quatenus sanitati adversus; sed eundem bonum judicamus quoad nos, quatenus jucundum nobis est vesci cibo grati saporis.

§. 896.

Bonum quomodo aversemur; malum quomodo appetamus.

Si malum appetimus, id appetimus sub ratione boni (§. 892. 895.): *& si bonum aversamur, id aversamur sub ratione mali* (§. 892. 895.).

§. 897.

Quomodo minus malum majoris evitandi gratia appetamus.

Si quis minus malum appetit, propterea quod medium esse existimat evitandi malum majus; is malum appetit sub ratione boni (§. 895.).

Propositio præsens per modum corollarii subsumi quoque potest sub præcedente. Si enim minus malum appetimus, majoris evitandi gratia, malum appetimus. Appetimus igitur istud sub ratione boni (§. 895.).

Si quis ære alieno gravatus non sit solvendo nec videns quomodo ex periculo sibi ac famæ suæ inde emergente eluctari

 possit,

possit, nisi mors afferat finem omnium malorum, manus violentas tandem sibimetipsi injicit; is autochiriam non in se bonam judicat, sed malam, minus tamen malum existimat mortem, quam vitam tædiis sibi intolerabilibus plenam, atque minus hoc malum ideo appetit, quod ipsum liberet a malo majore. Liberatio ab ære alieno ac periculis sibi ex eo imminentibus, quod quis solvendo non sit, bona utique existimari debet. Quatenus itaque eadem cum autochiria connexa est; eatenus eam in hoc casu particulari bonam judicat. Atque adeo hanc intendit, hanc appetit, dum manus violentas sibi infert. Autochiriam vero tantummodo appetit, quatenus sine ea finem, quem intendit, consequi nequit.

Hic non de rei veritate, sed de appetentis opinione agitur. Omnium vero non eadem opinio est.

§. 898.

Quodnam alteri præferatur.

Si ex pluribus bonis unum alteri præferendum; id præfertur, quod judicatur melius. Cuncta si bona judicantur, appetimus (§. 589.), adeoque non adest ratio sufficiens electionis. Sed nunc vide §. 70. *Ont.* 892. *Psych.*

§. 899.

Rationes extrinsecæ electionis.

Si ex pluribus objectis appetibilibus unum eligendum, nulla vero adsit ratio intrinseca, cur unum alteri præferatur, ratio extrinseca qualiscunque sufficit, ut unum præferatur alteri (§. 70 Ontol.).

Ponamus tibi offerri duos nummos aureos, ut unum ex iis eligas. Ponamus nullum prorsus discrimen intrinsecum facta inquisitione a te deprehendi posse, ut adeo perinde tibi videatur, sive hunc potius, sive alterum accipias. Deficit adeo ratio extrinseca, cur unum alteri præferre debeas. Ponamus vero te hærentem, quemnam eligere debeas, ac nummos contemplantem, ut inquiras in discrimen, ob quod unus alteri a te præferri debere videatur, ex adstantium aliquo percipere, quod hunc nummum possederit vir quidam celeberrimi nominis, a cujus heredibus eum acceperit qui eundem tibi offert. Ponamus denique possessoris illius memoriam tibi esse jucundam.

Nemo

Nemo non fatebitur, te ob hanc rationem nummum iſtum electurum. Eligis adeo unum ex duobus ob rationem extrinſecam, intrinſeca deficiente. Quodſi nulla extrinſeca alia occurrat ratio, ob quam nummum unum præferamus alteri; eum arripimus, ad quem commodius extenditur brachium. Non aliam hic ſubeſſe rationem, inde patet, quod quæſitus, cur id facias, in vernaculo nobis ſermone reſpondeas: der erſte, der beſte, id eſt, optimum eſſe eum, quem primum apprehendimus. Sufficit adeo ratio levicula ad id, ut nummum unum alteri præferamus, etſi non ſufficiat ad id, ut eundem appetamus, cum appetitus alterutrius jam ſit determinatus per rationes alias prævias.

§. 900.

Ex duabus actionibus æquipollentibus quamnam eligamus.

Si actiones volumus, nec adeſt aliqua intrinſeca, vel extrinſeca quædam ratio, cur ex duabus, quibus in dato caſu locus eſt, unam potius eligamus, quam alteram; eam eligimus, quæ nobis magis familiaris eſt (§. 109. 174.).

Propoſitionem præſentem jam alias in Annotationibus in Metaphyſicam Germanico idiomate editis (§. 158.) exemplo luculento ex Algebra petito ſtabilivi. Ponamus, ut aliud exemplum afferamus, nos adſuetos eſſe manum dextram exporrigere verſus ſiniſtram, quoties quid apprehendere ac tollere volumus, aut id fieri, quoties pennam atramento immergimus inter ſcribendum. Ponamus porro nos tollere e menſa debere nummum aureum, ex duobus quidem unum, quicunque nobis arriſerit, perinde autem nobis eſſe, quemcunque accipiamus, nulla ratione electionem ſuadente. Satis exploratum eſt, nos eum electurum eſſe, qui ſiniſtræ propior eſt, dum juxta menſam ſtamus, propterea quod ad eum tollendum actione nobis familiari opus eſt, a conſuetudine autem agendi non recedimus ſine ratione ſufficiente. Hoc ipſum itaque exemplum, ubi per ambages facimus, quod ſine iis fieri poterat, ſatis ſuperque loquitur, conſuetudinem agendi eſſe rationem ſufficientem, ubi deficiente ratione intrinſeca, vel extrinſeca etiam alia, ex duabus actionibus alterutra eligenda, veluti in dato caſu ſublatio hujus potius, quam alterius nummi aurei.

Ignotum non est, quam magnum agendi principium sit imitatio ejus, vel etiam repetitio ejusdem, quod ante feceramus, in casu simili (§. 501.).

§. 901.

Attentio quomodo flectat appetitum in casu æquipollentiæ.

Si actiones duæ nobis videantur æquipollentes vel objecta quæcunque æquipollentia existimentur, nec alia sit nobis ratio extrinseca, ob quam una illarum, vel unum horum alteri præferatur; eam, vel id præferimus, quæ quodve paritatem, vel æquipollentiam expendentium attentionem primum ad se trahit. Etenim ex objectorum appetibilium æquipollentia colligitur, perinde prorsus esse, quodnam eorum eligatur, aut alteri præferatur, ac ideo porro decernitur, illud eligendum esse, quod primum nobis obvium est. Quamobrem si quid hæc animo volventium attentionem in se trahit; nulla prorsus ratio est, cur a proposito nostro recedamus, atque adeo id eligimus, quod isto temporis articulo attentionem nostram quacunque de causa in se trahit.

§. 902.

Regulæ appetitus.

Regulæ appetitus dicuntur, quas anima observat in appetendo.

Exempla regularum appetitus sunt propositiones proxime præcedentes (§. 892. & seqq.).

§. 903.

Lex appetitus quid dicatur.

Lex appetitus dicitur principium generale regularum appetitus. Unde *ex lege appetitus redditur ratio regularum appetitus* (§. 866. *Ontol.*).

§. 904.

Lex appetitus quænam sit.

Lex appetitus est hæc propositio: Quicquid nobis repræsentamus tanquam bonum quoad nos, id appetimus. Veritatem propositionis evicimus (§. 589.). Quod vero inde reddatur ratio regularum appetitus tam sensitivi, quam rationalis, patet ex earum demonstrationibus (§. 590. & seqq. atque §. 892. & seqq.). Est igitur lex appetitus (§. 903.).

§. 905.

§. 905.

Regulæ aversationis sunt, quas anima observat in aversando. Regulæ aversationis.

Exempla regularum aversationis sunt propositiones proxime præcedentes, quibus docetur, quandonam quid aversemur (§. 892. & seqq.).

§. 906.

Lex aversationis est principium generale regularum aversationis. Unde *ex lege aversationis redditur ratio regularum aversationis* (*§. 866. Ont.*). Lex aversationis quænam dicatur.

§. 907.

Lex aversationum est propositio: Quicquid nobis repræsentamus tanquam malum quoad nos; id aversamur. Veritatem propositionis jam evicimus (§. 589.). Quod vero inde reddi possit ratio regularum aversationis, patet ex earum demonstrationibus (§. 592. 596. & seqq. atque §. 892. & seqq.). Est igitur lex aversationis (§. 906.). Lex aversationis quænam sit.

§. 908.

Consensus appetitus sensitivi & rationalis est tendentia utriusque ad idem objectum. Consensus appetitus sensitivi & rationalis.

E. gr. Si appetitus sensitivus fertur in cibum aliquem ob gratum, quem habet, saporem & voluptates alias, quas imaginatio tanquam ab eo profectas confuse repræsentat, ita ut cupiditas cibi enascatur; fertur vero etiam in eundem appetitus rationalis, quod noverit appetens, eum sanitati conducere ea præsertim quantitate, qua offertur; appetitus sensitivus & rationalis ad idem tendunt objectum, adeoque inter se consentire dicuntur.

§. 909.

Si quid nobis bonum quoad nos & confuse, & distincte repræsentamus; appetitio rationalis & sensitiva cooriuntur ac appetitus sensitivus cum rationali consentit (*§. 589. 580. 908.*). Quando detur iste consensus.

Consensus hic maximi momenti est in moralibus & inter summas, quas homini acquirere datum est, perfectiones referri meretur, ita ut arduum sit philosophiæ moralis problema, *appetitum sensitivum reducere*

ad consensum cum rationali. Solutionis fundamentum generale continetur in propositione præsente. Sed problematis tot sunt casus speciales, quot virtutes diversæ, seu quot sunt appetibilium species, qua habitus morales variant. Unde nobis multum erit in philosophia morali cum hujus problematis solutionibus specialibus negotium.

§. 910.

Appetitus sensitivus rationali permixtus.

Appetitui rationali plerumque miscetur sensitivus (§. 880. 315. 580.).

Videntur hæc repugnare iis, quæ ad propositionem præcedentem dicta sunt de raritate consensus appetitus rationalis cum sensitivo. Enimvero hac permixtione non obstante fieri potest, ut appetitus sensitivus sit rationali contrarius, veluti si medicamentum fuerit saporis ingrati, ut ab eo abhorreat æger, ita ut idem statim evomat, quando vix ori ingestum fuit, etsi avide admodum idem appeteret, vel etiam ex odore ingrato judicium ferens de sapore idem sumere nolit, utut antea vellet. Permiscetur appetitus sensitivus rationali ex alia ratione; eidem vero hoc non obstante contrariatur ex alia. Atque adeo nulla hic contradictio (§. 31. *Ont.*).

§. 911.

Fortitudo appetitus & aversationis.

Appetitus fortis dicitur, si ab appetitione nos non facile dimoveri patimur. Eodem sensu *aversatio fortis* dicitur.

§. 912.

Appetitus rationalis per sensitivum intensus.

Quoniam appetitus sensitivus habet gradus (§. 599.), si rationali permiscetur, eundem pro diversitate gradus sui diversimode intendere debet. Atque adeo *si appetitus sensitivus rationali permiscetur*, consequenter & *si cum eodem consentit*, atque adeo cum sensitivo ad idem objectum tendit (§. 908.), *rationalis fortior fit (§. 911.)*.

§. 913.

Aversatio sensitiva rationali permixta.

Aversationi rationali plerumque permiscetur sensitiva (§. 881. 275. 315. 582.).

§. 914.

Quoniam aversatio sensitiva suos habet gradus (§. 599.) si rationali permiscetur, efficit, ut id, quod aversamur, vehementius aversemur, atque ideo non tam facile nos ab aversatione abduci patiamur. Quamobrem *si aversatio sensitiva rationali permiscetur, eam efficit fortiorem (§. 911.).* Aversatio rationalis quomodo fortior fiat.

§. 915.

Consensus rationalis & sensitivæ aversationis est, si versatur circa idem objectum, vel concursus in eodem objecto. Consensus aversationis rationalis & sensitivæ.

§. 916.

Si quid nobis tanquam malum quoad nos & confuse, & distincte repræsentamus, aversatio sensitiva & rationalis cooriuntur ac sensitiva cum rationali consentit (§. 881. 582. 915.). Quando is obtineat.

§. 917.

Consensus appetitus rationalis & sensitivi atque consensus aversationis rationalis & sensitivæ uno nomine dici possunt *Consensus facultatis appetendi partis superioris & inferioris.* Quodsi una appetit, quod altera aversatur; dissensus in appetendo & aversando vocatur *Pugna partis superioris ac inferioris* facultatis *appetendi.* Pugna partis superioris ac inferioris partis appetendi.

E. gr. Ponamus ægrotum satis superque esse persuasum, quod medicamentum aliquod ipsi sit salutare. Dum attentionem ad effectum hunc medicamenti dirigit, appetitu rationali in idem fertur. Atat dum odorem ac saporem medicamenti sibi tanquam valde molestum repræsentat atque imaginatio repræsentat alios status præteritos ob odorem ac saporem ori ingestorum molestum nobis tædiosos; confusa hæc medicamenti tanquam mali quoad nos repræsentatio aversationem sensitivam gignit. Appetitus adeo rationalis & aversatio sensitiva, seu pars superior & inferior facultatis appetendi sibi mutuo contrariantur & in hac contrarietate, seu repugnantia pugna utriusque facultatis consistit.

§. 918.

§. 918.

Quando pugna ista detur.

Si distincte tanquam bonum quoad nos repræsentamus, quod confuse perceptum malum videtur (§. 880. 582. 917.) & contra; pars facultatis appetendi superior cum inferiori pugnat (§. 881. 580. 917.).

Pugnæ huic tribuendum, quod videamus meliora atque probemus, deteriora sequamur.

§. 919.

Motiva completa & incompleta qualia sint.

Si omnes rationes expendimus, ob quas objectum ad appetendum, vel aversandum propositum judicatur vel bonum, vel malum, *Motiva* sunt *completa.* Quodsi aliquas tantummodo expendimus, ceteris deinceps demum expendendis, *Motiva* sunt *incompleta.*

Nimirum objecta appetibilia spectari possunt cum in se, tum sub certis circumstantiis, iisque vel generalibus, vel particularibus seu specialibus. Etenim quæ in se bona sunt, sub certis circumstantiis mala esse possunt, vel etiam meliora fiunt. Et quæ spectatis hisce tantummodo circumstantiis bona sunt, eadem superaccedentibus aliis mala esse possunt, vel etiam meliora fiunt. E. gr. Tempestate serena exspatiari & membra corporis reficere ambulando sanitati proficuum, atque adeo bonum est. Enimvero idem facere eo tempore, quo negotia, quæ moram non ferunt, expedienda sunt, malum est. Motiva incompleta sunt, quamdiu nondum spectantur omnes circumstantiæ, quarum in negotio dato, seu in casu singulari agendi habenda est ratio, ubi omnes officii partes adimplere volueris.

§. 920.

Voluntatis in antecedentem & consequentem distinctio.

Appetitus rationalis, qui oritur ex motivis incompletis, dicitur *voluntas antecedens:* Qui vero oritur ex completis, *voluntas consequens* appellatur. Idem tenendum de aversatione (*not.* §. 919.).

§. 921.

Quando voluntas consequens antecedenti contraria.

Si ob circumstantias præsertim particulares, aut speciales malum videtur, quod in se vel sub circumstantiis generalibus spectatum videbatur bonum & contra; voluntas consequens antecedenti contrariatur (§. 891. 590. 881. 919 sq.).

Prin-

Principii hujus multus est in philosophia morali usus, præsertim ubi de conscientia agitur.

§. 922.

Si quid jam sæpius appetivimus, vel aversati fuimus aliquod objectum, id denuo oblatum statim appetimus, vel aversamur, nulla ratione, cur idem appetamus, vel aversemur distincte expensa (§. 892. 117. 175. 181.). Cum adeo nulla adsit ratio, quæ nobis dubium reddat judicium de objecto anterius, denuo non inquirimus utrum bonum sit, nec ne, quod ad appetendum proponitur, vel utrum malum sit, nec ne, quod ad aversandum sese sistit (§. 70. *Ontol.*). Vi adeo pristinorum motivorum, quorum confusa cum statibus præteritis appetentis, vel aversantis in mente repræsentatio est, id appetimus, quod antea appetivimus, atque aversamur, quod antea aversati fuimus.

Quomodo recordatione pristinorum motivorum facultas appetendi determinetur.

Ad casum propositionis præsentis præpostere provocare solent, qui sibi aliisque persuadere cupiunt, animam sine motivis appetere, vel aversari quid posse.

§. 923.

Consuetudo agendi dicitur habitus agendi ex determinatione præterita, seu ea, quæ fit vi motivorum præteritorum, quatenus confuse perceptorum memoriam habemus. Ex propositione autem præcedente liquet, quod *detur agendi consuetudo.*

Consuetudo agendi quænam dicatur.

Exemplum consuetudinis istius est, quando cibo apposito vescimur, quem sæpe jam comedimus, nulla facta inquisitione, utrum salutaris, an nocuus sit; utrum bonus, an malus judicari debeat.

§. 924.

Distincte cogniturus, quo modo appetitus, vel aversatio nascatur, ad eos casus attendere tenetur, ubi aliquid prima vice appetimus, vel aversamur (§. 923. 39. 889. 892.).

Quomodo genesis appetitionis ac aversationis innotescat.

§. 925.

Quæ de appetitu & aversatione animæ dicta sunt, simili a libra petito illustrari possunt. Nimirum in libra tres status a se invicem distinguimus, statum æquilibrii, statum præpondii versus

Simili a libra petito quomodo illustretur appetitus & aversatio.

ſus dexteram & ſtatum præpondii verſus ſiniſtram. Status æquilibrii libræ naturalis eſt, ſeu vi ſtructuræ eidem competit, quemadmodum ex Mechanicis conſtat & a poſteriori per id liquet, quod ſibi relicta ſit in æquilibrio. Idem vero etiam enaſcitur ex ponderum utrinque appenſorum æqualitate. Status æquilibrii non tollitur absque ratione ſufficiente, per quam intelligitur, cur libra jam potius præponderet, quam in ſtatu æquilibrii permaneat. Neque præponderatio fit absque ratione ſufficiente, per quam intelligitur, cur libra jam potius verſus partem unam præponderet, quam verſus alteram. Etenim ſi ſtatus æquilibrii tolli debet, ex parte una appendendum eſt pondus majus, ex altera minus, & præponderatio fit eam in partem, ubi majus pondus fuerit appenſum; vel ponderibus utrinque exiſtentibus æqualibus præpondium adjicitur, & præponderatio in eam fit partem, ex qua eſt præpondium. In anima quoque tres diſtinguuntur ſtatus a ſe invicem, nimirum ſtatus indifferentiæ, ſtatus appetitionis & ſtatus averſationis; aut, ubi cum parte ſuperiori tantummodo nobis negotium fuerit, ſtatus volitionis & ſtatus nolitionis. Status indifferentiæ per ſe datur in anima, quamdiu objectum nobis incognitum eſt, ſaltem ignoratur, utrum quoad nos ſpectatum bonum ſit, an malum (§. 587. 889.). Idem obtinet, ſi rationes ad appetendum & averſandum æquipollentes nobis videntur, ut ulla adſit ratio, cur appetitionem præferamus averſationi, ſeu volitionem nolitioni & contra (§. 70. *Ontol.*). Status indifferentiæ non tollitur in anima ſine ratione ſufficiente, per quam intelligitur, cur potius objectum datum appetamus, quam averſemur. Etenim ſi in caſu priori ex ſtatu indifferentiæ anima transferri debet ad ſtatum appetitionis, vel volitionis, objectum iſtud ſibi repræſentare debet tanquam bonum quoad ſe; ſi vero eadem ex ſtatu indifferentiæ transferenda in ſtatum averſationis, vel nolitionis, idem ſibi repræſentare debet tanquam malum quoad ſe. In caſu poſteriori, in quo indifferentia ſpeciali nomine indifferentia perfecti æquilibri dici ſolet, ratio quædam ex parte una, vel extrinſeca, eaque levicula ſuperaccedere debet, ut appetitus flectatur in unam potius partem, quam in alteram (§. 898. 899. 900.). Similitudo igitur conſiſtit in eo, quod non minus in libra, quam anima den-

dentur tres status diversi, quorum unus per se inest, aut in eo casu, quo rationes ad utramque mutationem sunt æquipollentes, quod ex primo non sequatur reliquorum unus nisi posita ratione sufficiente.

Qui simile aliter explicant, illi ultra suum tertium idem extendunt & luxurianti imaginationi indulgent.

CAPUT II.
DE
LIBERTATE.

§. 926.

Voluntatem cogere idem est ac vi quadam externa animam determinare ad appetendum, vel aversandum. Dici etiam potest, *Voluntatem cogere* idem esse ac vi quadam externa eam adigere ad volendum, seu vi externa ex anima elicere volitionem. Et ex adverso *Noluntatem cogere* idem esse ac vi quadam externa eam adigere ad nolendum, seu vi externa ex anima elicere nolitionem. Voluntas quando cogi dicatur.

§. 927.

Voluntas & Noluntas non potest cogi (§. 892.). Enimvero nulla vi externa effici potest, ut quid nobis videatur bonum, vel malum: quod nemo in dubium vocare potest. E. (§. 926.). Num voluntas & noluntas cogi possit.

§. 928.

Si quis quacunque vi externa, vel minis adbibitis alterum adigit, ut faciat, quod facere nolebat (§. 892. 890. 601.), *vel omittat* (§. 892. 897. 601. 890.), *quod facere volebat; voluntas & noluntas non cogitur, sed nolens vel volens nolitionem, vel volitionem mutat vi motivi ipsi suppeditati.* Causæ occasionales mutationis volitionis ac nolitionis.

Quoniam itaque tam in casu priori nolitio, quam in posteriori volitio vi motivi ab anima elicitur, nequaquam vero vi externa, quam anima tantummodo cognoscit *per demonstrata;* voluntatem ac noluntatem minime cogi, si quis vi externa, vel minis alterum adigit, ut faciat, quod facere nolebat, vel omittat, quod facere volebat, palam est (§. 926.). Propositionis præsentis veritas clarissima luce inde perfunditur, quod non semper volens vel nolens cedat motivo a vi extrinseca pendenti; sed principio rationis sufficientis (§. 70. *Ontol.*) convenienter idem eveniat, quod conforme est motivo ob rationem sufficientem prævalenti, quemadmodum ex dato modo exemplo manifestum est.

Atque adeo patet coactionem voluntatis ne concipi quidem posse, nec ullam ipsi respondere notionem. Tum demum cogi dici posset, si vi externa adigeremur ad eligendum id, quod putatur pejus: quale quidem exemplum nemo adhuc in medium protulit, nec poterit proferre unquam.

§. 929.

Cognitio ejus, quod appetimus vel aversamur.

Si quid appetere, vel aversari debemus, idem ante cognoscere debemus (§. 892. 554. 565. 612 sq.).

Propositioni huic æquipollet istud pervulgatum: *Ignoti nulla cupido.*

§. 930.

Actionum cognitio cur necessaria.

Si quam actionem appetere, vel aversari debet anima, eam ante cognoscere tenetur: si quam vero non cognoscit, eam nec appetit, nec aversatur (§. 929.).

§. 931.

Motiva quomodo sese habeant.

Motiva animam non cogunt ad appetendum, vel aversandum, hoc est, *non se habent per modum vis externæ, qua in animam agitur, & cui ab anima resisti non possit, sed tantummodo profligant casum purum.* Experientia enim testatur, quod salvis motivis iisque ad appetendum sufficientibus appetitionem mutare possimus, si alia ex ratione nobis potius videatur actionem aliquam jam omittere, quam committere. E.

Enim-

Enimvero quoniam motiva ſunt ratio ſufficiens volitionis ac nolitionis (§. 887.), nec ſine iis ulla datur volitio vel nolitio (§. 889.); id motiva efficiunt, ne quid inſit animæ quoad appetendi facultatem, cujus actualitas deſtituatur ratione ſufficiente. E. (§. 94. *Coſm.*).

§. 932.

Quomodo anima ſeſe determinet.

Anima ſe ipſam determinat ad volendum, & nolendum, motivis ſuis convenienter (§. 927 ſq. 931.). Quoniam tamen præter motiva nil datur in anima, dum appetit, vel averſatur (§. 890. 892.); anima ſemetipſam determinare debet ad appetendum, vel averſandum & quidem motivis ſuis convenienter (§. 889. 888.).

§. 933.

Spontaneitas quid ſit.

Spontaneitas eſt principium ſeſe ad agendum determinandi intrinſecum. Et *actiones* dicuntur *ſpontaneæ*, quatenus per principium ſibi intrinſecum, ſine principio determinandi extrinſeco, agens easdem determinat.

§. 934.

Volitiones ac nolitiones quod ſpontaneæ ſint.

Volitiones ac nolitiones animæ ſpontaneæ ſunt (§. 932. 931. *Pſych.* 70. *Ont.* 866. *Ont.*).

§. 935.

Contingentia volitionum ac nolitionum & actionum externarum.

Volitiones ac nolitiones animæ in ſe contingentes ſunt (§. 892. 890 931. *Pſych.* 118. 290. 296. *Ont.*), *ipſi etiam motus corporis a voluntate pendentes contingentes ſunt in ſe* (§. 85. 294. *Ont.*).

§. 936.

Motus corporis quinam voluntarii, quinam involuntarii.

Motus corporis, qui pendent a voluntate animæ, dicuntur *voluntarii*. E contrario *involuntarii* appellantur, qui ab eadem non pendent. Pendent autem a voluntate animæ, quatenus per eam intelligitur, cur jam fiant, ſeu ratio ipſorum eſt volitio animæ (§. 851. *Ontol.*).

Ita brachii extenſio eſt motus voluntarius, quando fit anima volente. Sed motus cordis eſt motus involuntarius, qui fit ſive velimus, ſive nolimus.

§. 937.

Cur anima velit vel nolit.

Anima ex possibilibus eligit, quod ipsi maxime placet; & quia ipsi placet, non vult nisi quia ipsi placet quod vult (§. 892. 612. 542.); *nec non vult, nisi quia displicet quod non vult* (§. 892. 613. 542).

Quoniam vero nolitiones ac volitiones in se contingentes sunt (§. 935.), adeoque earum oppositum contradictionem nullam involvit (§. 294. *Ontol.*), consequenter æque possibile est (§. 85. *Ontol.*), volitio vero in anima datur, quod ipsi placet quod vult; nolitio autem, quod displicet quod non vult, *per demonstrata;* ideo anima præfert volitionem & nolitionem utriusque omissioni, seu statui indifferentiæ (§. 883.) quod ipsi placeat.

Similiter quando ex pluribus, quæ ipsi bona videntur, unum alteri præfert, id ideo fit, quod illud hoc melius esse judicet (§. 898.). Quare cum ex eo majorem voluptatem percipiat, quod præfert alteri (§. 612.); id præfert, quod ipsi placet (§. 542.), adeoque etiam quia ipsi placet.

Immo quia rationibus intrinsecis deficientibus aliquid præfert ob rationes extrinsecas (§. 899.), & ob easdem rationes actionem unam alteri præfert (§. 900.); ideo bonum judicat hoc præferri alteri, vel actionem hanc alteri præferri (§. 892.), adeoque denuo ex hoc agendi modo & electione ita instituta voluptatem percipimus (§. 612.), consequenter hic agendi modus & electio hoc modo facta nobis placet (§. 542.). Anima igitur eligit quod placet, & quia electio ita determinata, & hic agendi modus placet.

§. 938.

Lubenter quando quid fiat.

Lubenter facere dicimur, quando facimus quod nobis placet. *Minus lubenter* vero facere dicimur, quando facimus, quod in se spectatum nobis displicet.

§. 939.

Lubentia animæ in appetendo & aversando evincitur.

Anima lubenter vult, quicquid vult (§. 937 sq.).

§. 940.

§. 940.

Volitiones ac nolitiones per essentiam animæ determinatæ non sunt (§. 935. *Psych.* 295. 290. 151. 148. *Ont.*).

Volitiones ac nolitiones num per essentiam determinatæ sint.

Sane si per essentiam determinata esset anima ad has potius volitiones, quam ad alias; motivis opus non haberet, quæ sunt rationes ab objecto petitæ, adeoque non ab anima volente desumtæ, veluti motus cordis per essentiam ipsius determinatus rationem sui agnoscit in cordis structura, sive essentia, ob quam non alius, quam qui contingit, possibilis.

§. 941.

Animæ libertas est facultas ex pluribus possibilibus sponte eligendi, quod ipsi placet, cum ad nullum eorum per essentiam determinata sit.

Libertatis definitio.

Ad libertatem adeo requirimus volitionum & actionum, quas volumus, contingentiam; intelligentiam objecti appetibilis, vel aversabilis, spontaneitatem ac lubentiam.

§. 942.

Anima in volendo ac nolendo libera est (§. 929. 937. 934. 939. 941.).

Libertas animæ adstructa.

Tribuimus animæ ea, quorum unusquisque sibi conscius est, & quorum observatio notionem libertatis animæ invexit. Notio quoque ista fœcunda est, quemadmodum in moralibus suo loco constabit. Rationi eadem conformis est, cum magno illo principio rationis sufficientis sit consentanea. Tota etiam pragmatica est, cum ex hoc fonte omnis Ethicæ praxis fluat.

§. 943.

Libertatis definitio non contrariatur recepto termini significatui. Libertatem definit D. *Thomas* per vim seu facultatem electivam. *Jo. Baptista du Hamel* in Phil. Vet. & Nov. Tom. 2. Phil. mor. Tract. 2. disp. 3. quæst. 5. p. m. 98. Libertatis, inquit, usus in electione consistit, ac sublata electione omnis actus libertatis tollitur. Vid. §. 940. 937. Monet idem *du Hamel* loc. cit. Libertatem posse definiri per vim sui ipsius determinatricem, quia scilicet voluntas nec a natura, nec a causa extrinseca ad agendum determinata. Vide §. 940. 932.

Num definitio libertatis sit recepto significatui contraria.

§. 944.

§. 944.

Notio libertatis spuriæ.

Libertas animæ non consistit in facultate sese sine motivis, immo contra motiva sese determinandi (§. 889.).

Inutilis animæ foret istiusmodi libertas, quemadmodum facile perspicit, qui in philosophia morali ac civili hospes non est ac ad negotia humana attentionem affert; immo nocua prorsus foret, cum ipsi nil prodesset rationis cultura.

§. 945.

Fundamentum philosophiæ moralis & civilis ac juris naturalis.

Determinatio animæ ad volendum & nolendum est fundamentum totius philosophiæ moralis atque civilis, seu ideo philosophia moralis & civilis una cum jure naturæ datur, quia anima se per motiva determinat ad volendum & nolendum. In Jure naturæ demonstratur, quænam actiones sint per se honestæ, quænam per se turpes, quodque ad illas committendas, ad has omittendas obligetur homo. Quoniam anima se determinare potest ad volendum, quatenus sibi quid repræsentat tanquam bonum, & ad nolendum, quatenus quid sibi repræsentat tanquam malum (§. 892.), ideo ad committendas actiones honestas, ad omittendas turpes se determinare potest, quatenus cognoscit illas esse sibi bonas, has esse sibi malas. Præscribi adeo ipsi potest lex naturæ, quatenus habet facultatem sese determinandi per motiva, hoc est, quatenus vult, quod sibi tanquam bonum repræsentat; non vult, quod sibi repræsentat tanquam malum.

Similiter in Ethica ostenditur, quomodo homo eo perduci possit, ut volitiones ac nolitiones determinet legi naturæ convenienter: ubi enim id sæpius fecerit, habitum sibi acquirit juri naturæ convenienter actiones suas determinandi, in quo virtutem consistere constat. Jam ubi anima se determinare potest per motiva, repræsentando sibi actionem tanquam bonam, ut eam appetat: tanquam malam, ut eam aversetur; per motiva ad actiones jure naturali præscriptas quomodo determinetur voluntas atque noluntas doceri potest.

In philosophia civili omnia tandem ex eo pendent, quod homines civiliter obligari possint ad aliquid faciendum, vel omittendum. Compellimus vero eos ad obedientiam imperantibus præstandam partim metu pœnarum, partim metu executionis; sub-

ſubinde eos excitamus præmiis. Pœnæ & executio mala ſunt; præmia bona. Cedit pœnis, cedit executioni, inſtigatur præmiis homo, quia ſe determinare poteſt ad agendum & nolendum, quatenus quid ſibi repræſentat tanquam bonum & tanquam malum.

§. 946.

Quo ſenſu dici poſſit animam per ſe eſſe indifferentem ad agendum, vel non agendum atque adeo eidem tribui *indifferentia exercitii* cum Scholaſticis, in Annotationibus in Metaphyſicam Germanicam docui. Nimirum quia anima eligere poteſt, quod ipſi maxime arridet, vi (§. 941. 942.): ideo ex neceſſitate naturæ ſuæ determinata non eſt ad hoc, vel illud agendum, ad agendum hoc vel iſto modo (§. 940.). Indifferentia exercitii.

CAPUT III.

DE

COMMERCIO INTER MENTEM ET CORPUS.

§. 947.

De commercio inter mentem & corpus non tradimus, niſi quæ indubia experientiæ fide conſtant (§. 1.). Inſtitutum Autoris.

§. 948.

Si objecta externa in organa ſenſoria rite conſtituta agunt; eo ipſo momento oriuntur quoque in mente perceptiones, quibus eadem tanquam extra nos repræſentamus (§. 24.). Poſita e. c. mutatione in oculo ponitur perceptio in mente: ceſſante mutatione in oculo eandem quoque ceſſare conſtat. Nullum vero percipitur temporis intervallum inter mutationem, quæ fit in oculo, & inter mutationem in mente contingentem. Obverte enim arbori oculos clauſos. Dum eosdem aperis arborem in eodem temporis Mutatio mentis a mutatione in organis ſenſoriis pendens.

poris momento vides. Lumen illico ingreditur in oculum apertum; sed illico etiam vides.

Coïncidit hæc propositio cum lege sensationum, quam supra (§. 85.) explicavimus.

§. 949.

An præter istarum mutationum coëxistentiam eorum ratio observetur.

Mutationum in organo sensorio & in mente coëxistentia (§. 902. *Psych.* 634. *Log.*), *nulla vero ejusdem ratio*, *neque in specie actio quædam corporis in mentem observatur.* Quantacunque vero attentione utamur, nullius tamen rei nobis conscii sumus, ex qua intelligere possimus, cur mutatio in mente coëxistat mutationi in organo sensorio, consequenter rationem nullam experimur (§. *cit. Log.* & 56. *Ontol.*). Nec in specie nobis conscii sumus ullius actionis corporis in mentem, consequenter nec eam experimur (§. *cit. Log.*).

§. 950.

An actio corporis in mentem ideo neganda, quod eam non observemus.

Ex eo, *quod actionem corporis in mentem idearum sensualium productricem non experiamur in nobis*, *inferri nequit*, *quod non detur.* Tunc enim hoc niteremur principio: illud non dari, quod non experimur seu observare non possumus, dum contingit. Sed hoc principium est falsum. Vel niti debemus principio hoc altero: Quod in anima non contingat, cujus nobis non sumus conscii. Sed hoc principium non minus a veritate aberrare, ex superioribus non uno modo patet, veluti ex obscuratione idearum debiliorum per fortiores (§. 82.).

§. 951.

Dolorum, infirmitatum & lassitudinis perceptio.

Anima percipit dolores ac infirmitates & lassitudinem corporis.

Facile apparet propositionem præsentem tanquam casum specialem sub lege sensationum, seu consentiente cum eodem principio (§. 948.) comprehendi.

§. 952.

Motus extraordinarii fluidorum in corpore in mente perceptio.

Si sanguis ac fluidum nerveum extraordinario modo commovetur; confusa quædam in mente perceptio & veluti quædam perturbatio est, quæ motu cessante & ipsa cessat. Extraordinarius iste

iste sanguinis ac fluidi nervei in corpore motus datur, quando anima affectibus commovetur (§. 611), ac inprimis observabilis est in ira vehementiore atque terrore. Enimvero quis est qui nesciat in ira vehementiore confusam quandam perceptionem adeo occupare mentem, ut vix ac ne vix quidem distincte quid percipiat, primo præsertim impetu animum invadente. Idem valet de terrore. Enimvero si motus sanguinis ac fluidi nervei ad motum ordinarium revertitur, impetu illo extraordinario sedato; iram quoque sedari & terrorem cessare ac mentem ad pristinam status tranquillitatem redire observamus. Immo si quis attentionem ad istiusmodi mutationes affert, haud obscure observabit tamdiu perceptionis istius, quæ animam perturbat, quidpiam superesse, quamdiu sanguinis motus extraordinarius non prorsus sedatus, & illam successive languescere, quemadmodum hic successive ab irregularitate sua recedit.

§. 953.

Motus corporis a voluntate animæ pendentes.

Quorundam organorum corporis motus statim consequuntur, quando anima eosdem vult; tamdiu durant, quamdiu anima eosdem vult; extemplo sistuntur, quamprimum anima eosdem non vult. Sunt tamen etiam partes quædam corporis vel facile mobiles, quarum nullus ad nutum mentis sequitur motus. Nemo non novit me brachium extendere posse, quoties volo, & quamprimum volo. Me manum, dum scribo, una cum digitis movere posse, prouti ex intentione scribendi & illam, & hos movere volo. Motus ille cessat, quamprimum non amplius scribere volo, adeoque nec manus, nec digiti moventur amplius, quamprimum illam cum his amplius moveri nolo. Diximus in superioribus motus istos voluntarios (§. 936.), & eos tanquam experientia claros sine demonstratione, aut probatione admisimus. Quod vero etiam dentur partes corporis, quæ ad nutum mentis non moventur, etsi facilius moveri possint ceteris, quæ mentis imperio subsunt, a posteriori non minus liquet. Cor in continuo motu est: sed motus iste non sistitur, anima motum ejus nolente.

§. 954.

In quantum ab eodem pendeant.

Motus voluntarii in corpore non consequuntur, nisi organis rite constitutis, nec alii consequuntur, quam per structuram organorum ac vires corporis possibiles.

§. 955.

Quomodo motus isti pendeant a nutu animæ num constet.

Volitionum animæ & motuum in corpore, itemque nolitionum ac cessationis motus in eodem corpore coëxistentiam: non autem animæ in corpus actionem, qua motus isti producantur vel sistantur, observamus, immo nec ullam observamus rationem, cur ad nutum animæ cieantur & sistantur (§. 953.). Enimvero quacunque attentione utaris & quantamcunque aciem in temetipsum convertas, nullius tamen actionis tibi conscius es, qua motum istum, sive dum inchoatur producas, sive dum continuatur continues, sive dum finitur sistas. Immo quantaque attentione utaris, nihil in anima observare poteris, unde intelligatur, cur jam brachium potius moveatur, quam non moveatur, cur hoc potius modo moveatur, quam alio, nisi quod observes animam velle istiusmodi motum: ex eo autem quod velit non intelligitur, cur potius sequatur, quam non sequatur. E. (§. 56. *Ontol.*).

§. 956.

An sit rejiciendum?

Ex eo, quod animæ actio in corpus a nobis non observatur, colligi nequit, quod non detur. Vide denuo §. 950.

§. 957.

Modus, quo motus in corpore perficitur, animæ ignotus.

Anima ignorat modum, quo motus organorum perficitur. Constat enim experientia, dissectis musculis & dissectis ligatisque nervis in eum tendentibus, nullum in ea parte corporis fieri posse motum, quæ mediante isto musculo movetur. Sed anima ignorat musculos & nervos esse instrumentum, quibus motus perficitur, nisi per experimenta idem didicerit. Immo ignorat modum, quo musculi & nervi perficiunt organi motum, ita ut hodienum Physici ac Medici de motu musculorum in diversas abeant sententias.

§. 958.

§. 958.

Multi motus voluntarii continuo variantes in corpore mira velocitate contingunt, quibus respondentes volitiones particulares in anima non observamus. Constat veritas asserti ex sermone per longum temporis spatium continuato; ex motibus brachiorum & manuum tympanum pulsantis; ex motibus pedum aliorumque membrorum corporis secundum artem saltantis, vel etiam inter colloquendum & meditandum deambulantis. Motuum voluntariorum mira velocitas.

Absit vero ut quis hinc inferat, volitiones particulares nullas dari. Id enim inferri non posse liquet ex supra dictis (§. 950.)

§. 959.

Ex mutationibus in organis sensoriis ratio redditur, non cur oriantur perceptiones in mente, sed cur jam oriantur & cur hæ potius oriantur, quam aliæ, seu brevius: *Ex mutationibus in organis sensoriis ratio reddi potest continuitatis temporis, quo perceptiones in mente cum mutationibus in organo contingant & specificationis earundem perceptionum (§. 948. Psych. 56. Ont.).* Quorumnam ratio in mente ex corpore reddi possit.

§. 960.

Ex volitionibus ac appetitionibus animæ redditur ratio non cur motus in organis corporis fiat, sed cur jam fiat & cur hic potius fiat, quam alius, seu brevius: *ratio continuitatis temporis, quo volitiones & motus contingunt, & specificationis motuum horum.* Ostenditur propositio eodem prorsus modo, quo antecedentem probavimus (§. 959.). Quorumnam ratio in corpore ex anima reddi possit.

§. 961.

Anima a corpore dependet quoad perceptionum specificationem & tempus, quo contingunt; corpus vero dependet ab anima quoad specificationem motuum voluntariorum in corpore & tempus, quo iidem contingunt (§. 959 sq. Psych. 851. Ont.). Animæ & corporis mutua a se invicem dependentia.

Hæc nimirum non alia dependentia experientia magistra constat, quam in Psychologia empirica unice audimus (§. 1.).

§. 962.

Dependentia animæ a corpore quoad specificationem perceptionum & continuitatem temporis, a quo cum mutationi- Unio animæ quid sit.

 bus

bus in organis ſenſoriis contingunt, & corporis ab anima quoad ſpecificationem motuum voluntariorum & continuitatis temporis, quo cum volitionibus animæ contingunt, *Commercium mentis cum corpore* vocatur.

§. 963.

Unio mentis cum corpore. Quoniam ex mutua illa corporis & animæ a ſe invicem dependentia intelligitur, corpus illud ad animam & animam ad hoc corpus pertinere (§. 961), conſequenter reſpectu corporis hanc animam noſtram appellamus, prouti hoc corpus reſpectu animæ noſtrum appellare ſolemus (§. 58.); *utrumque ens unam ſubſtantiam compoſitam conſtituere* inferimus & ideo *mentem cum corpore unitam* dicimus.

§. 964.

Regimen corporis quale animæ tribuatur. Et quia anima decernit libere motus voluntarios (§. 941.), nec corpus eidem reſiſtere valet, ut motus, quos vult, non ſequantur (§. 953.); *anima corpus regere* dicitur: ut adeo per *Regimen corporis*, quod tribuitur animæ, intelligatur facultas ex pluribus motibus voluntariis per ſtructuram corporis poſſibilibus libere determinandi eum, qui actum conſequi debet.

Quæ hic de commercio inter mentem & corpus experientia magiſtra tradimus, ea Theologo, JCto, Medico & Philoſopho in philoſophia morali ac civili ſufficiunt.

FINIS PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ.



PSYCHO-

PSYCHOLOGIA RATIONALIS

METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATA,

QUA EA, QUÆ

DE ANIMA HUMANA INDUBIA EXPERIENTIÆ FIDE INNOTESCUNT, PER ESSENTIAM ET NATURAM ANIMÆ EXPLICANTUR,

ET

AD INTIMIOREM NATURÆ EJUSQUE AUTORIS COGNITIONEM PROFUTURA PROPONUNTUR.

PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS PROLEGOMENA.

§. 1.

Psychologia rationalis est scientia eorum, quæ per animam humanam possibilia sunt (*§. 51. 105. Disc. prælim.*). Psychologiæ rationalis definitio.

§. 2.

Quæ in Psychologia rationali traduntur, demonstranda sunt (*§. 1. Psych. rat. 564. Log.*). Cur demonstrationi in ea sit locus.

§. 3.

In Psychologia rationali principia demonstrandi petenda sunt ex Ontologia (§. 21. *Psych. emp.* 134 *Ont.* 360 sq. *Psych. emp.* §. 1. *Ont.*), *Cosmologia* (§. 67. 91. 92. 237. 257. 948. 953. *Psychol. emp.* §. 1. 119 sqq. *Cosm.*) & *Psychologia empirica* (§. 533. *Log.* §. 1. *Psych. emp.*). Principia demonstrandi unde petenda.

Brevius: cum anima entis quædam species sit, & quidem simplicis, aliud genus propius quam ens simplex seu substantiam simplicem, nec remotius aliud præterquam ens agnoscit, consequenter nec aliam nisi entis in genere, & entis simplicis in specie theoriam supponit. Quamobrem cum entis in genere & entis simplicis theoria in Ontologia tradatur (§. 132. & sqq. ac §. 673. & seqq. *Ontol.*), quæ vero de anima quoad differentiam specificam ab aliis entibus simplicibus a posteriori observanda sunt, in Psychologia empirica tradantur (§. 1. *Psychol. empir.*) & animæ ad corpus relatio pateat per theoriam corporis in genere ac generalem mundi theoriam, in Cosmologia traditam; præterquam principia ex Ontologia, Cosmologia & Psychologia empirica mutuanda aliis ex disciplinis aliis petendis non habemus opus.

§. 4.

Psychologiæ rationalis ab empirica differentia.

In Psychologia rationali reddenda est ratio eorum, quæ animæ insunt, aut inesse possunt (§. 51. 105 26. Disc. præl.).

§. 5.

Possibilitas Psychologiæ rationalis.

Psychologia rationalis possibilis (§ 4 *Psych. rat.* 21. *Psych. emp.* 134. 142 sq. 167. 91. *Ont.*).

Ceterum ex ipsa notione possibilitatis quoque constat quomodo in Psychologia rationali sit procedendum. Nimirum conceptus quidam essentialis formandus est & ex eo a priori colligenda sunt, quæ in Psychologia empirica a posteriori stabilimus; id quod obtinetur, si expendamus ea, quæ ibidem de anima annotata fuere, & inquiramus vi notionum distinctarum ibidem evolutarum, quænam eorum ex aliis demonstrari possint.

§. 6.

Error in Psychologia rationali commissus num latius serpat.

Si in Psychologia rationali error committitur; nullus inde in Theologiam naturalem, Logicam & Philosophiam practicam serpit. Etenim in Psychologia rationali reddenda est ratio eorum, quæ animæ insunt, aut inesse possunt (§. 4.), quæ cum in Psychologia empirica doceantur (§. 2. *Psych. empir.*), non alia animæ tribuuntur in Psychologia rationali, quam quæ de eadem indubia experientiæ fide in empirica evincuntur. Quamobrem sicubi error admittitur in rationali; non animæ tribuitur, quod eidem non inest, vel inesse minime potest; sed tantummodo ratio spuria redditur ejus, quod eidem inest, vel inesse potest, seu propositio, quam a posteriori veram constat, minus recte demonstratur. Utimur vero propositionibus, non demonstrationibus tanquam principiis demonstrandi (§. 533. *Log.*). E. (§. 6 sqq. *Psych. emp.*

Ecquis sibi metuit, ne intereat genus humanum, nullis amplius hominibus genitis, propterea quod theoria generationis a Physico tradita veritati non respondeat.

§. 7.

Cur Psychologia rationalis empiricæ lucem affundat.

Per Psychologiam rationalem plenius (§. 4. *Psych. rat.* 56. *Ont.*) *ac rectius intelliguntur, quæ in empirica docentur* (§. 130. *Ont.* 4. *Psych. rat.*).

Prior

Prior utilitas satisfacit animo sciendi cupido, ut in veritate agnita acquiescat; & consensum præstat confirmatiorem. Posterior vero immunitatem ab errore pollicetur ex perversa principiorum psychologicorum applicatione metuendo.

§. 8.

Psychologia rationalis auget acumen in observandis iis, quæ animæ insunt. Etenim in Psychologia rationali redditur ratio eorum, quæ animæ insunt, aut inesse possunt (§. 4.). Quamobrem si in ea reddenda difficultas quædam nobis objiciatur; unde ea sit inquiritur atque adeo animus advertitur ad ea, quæ in anima nostra insunt, vel occasione observandi sua sponte oblata, vel facto experimento, sicque nobis conscii sumus eorum, quæ alias attentioni nostræ sese subducunt. Quamobrem cum jam in anima plura distinguamus, quam antea; acumen nostrum studio Psychologiæ rationalis perficitur. Similiter cum in Psychologia rationali ex iis, quæ de anima nobis innotuere, deducantur alia, quæ nobis per experientiam nondum innotuerant; experimento veritatem comprobaturi denuo animum advertimus ad ea, quæ in ipsa contingunt, & antea attentioni nostræ sese subduxerunt, propterea quod deesset ejus in ea convertendi ratio (§. 70. *Ont.*). E.

Acumen psychologicum quomodo perficiatur.

§. 9.

Psychologia rationalis de anima detegit, quæ observationi soli impervia forent. Etenim in Psychologia rationali ratio redditur eorum, quæ animæ insunt, aut inesse possunt (§. 4.) atque adeo propositiones in ea fiunt determinatæ (§. 315. *Log.*), consequenter ad ratiocinandum aptæ (§. 470. & *sqq. Log.*). Quamobrem cum per artem inveniendi ex propositionibus determinatis cognitis colligantur aliæ incognitæ (§. 461. *Psych. emp.*); de anima jam innotescunt, quæ a posteriori detegere non licuerat.

Veritates Psychologiæ rationali debitæ.

FINIS PROLEGOMENORUM.

PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS

SECTIO I.

DE ANIMA HUMANA IN GENERE ET FACULTATE COGNOSCENDI IN SPECIE.

CAPUT I.

DE NATURA ET ESSENTIA ANIMÆ.

§. 10.

Quando anima rerum perceptarum sibi conscia.

Quæ simul percepta anima a se invicem distinguit, eorum sibi conscia est & contra: *Quorum sibi conscia est, ea a se invicem distinguit.* A posteriori res adeo clara est, ut uno quolibet momento experimentum ejus quisque in se capere possit.

Propositum jam nobis est, in naturam & essentiam animæ inquirere, unde ratio reddatur eorum, quæ menti insunt, vel inesse possunt (§. 4.). Ut

Ut igitur certo tramite progrediamur, determinationes mentis essentiales legitimo ratiocinio colligendæ veniunt ex iis, quæ indubia experientiæ fide constant. Jam quod anima sibi conscia sit rerum a se perceptarum, adeo evidens est, ut in dubium vocari non possit (§. 11. *Psych. emp.*) & hoc ipso animam a corpore nostro distinguimus (§. 20. *Psych. emp.*). Quamobrem videndum, an non exinde deduci possit, quod quæritur, aut num inde deducere liceat, quæ viam ad ulteriora sternunt. In Psychologia empirica cum nullam istius actus, quo anima sibi conscia est, quemque apperceptionem appellavimus (§. 25. *Psych. emp.*), notionem distinctam dederimus, sed in confusa acquieverimus, propterea quod in Psychologia rationali hujus actus reddenda demum ratio est (§. 4.); prima omnino cura eam tradituris esse debet, ut apperceptionis notionem distinctam consequamur resolvendo hanc actionem animæ in alias simpliciores, ex quibus constat (§. 731. *Ontol.*). Quoniam vero alia nondum præsupponi hic possunt; a posteriori utique dispositionis hujus initium fieri debuit.

§. 11.

Si anima in perceptione totali partiales distinguit, rerum perceptarum sibi conscia est (§. 24. 43. 40. emp. 10. rat.): & contra (§. 10. rat. 25. 43. 40. emp.). Qualis perceptio totalis, dum anima sibi rerum perceptarum conscia.

§. 12.

Anima sibi sui conscia est, quatenus sibi conscia est suarum mutationum, veluti actionum: nec aliter sibi conscia. Dum enim attentionem nostram in hoc convertimus, quod rerum perceptarum nobis conscii sumus; nostri etiam nobis conscii sumus. Sed tum apperceptionem, actionem quandam animæ, percipimus (§. 25. *Psych. emp.*) & nos peream tanquam subjectum percipiens ab objectis, quæ percipiuntur, distinguimus, agnoscentes utique percipiens subjectum esse quid diversum a re percepta. Quatenus anima sibi sui ipsius conscia.

Quod vero non aliter sibi sui conscia, nisi quatenus suarum mutationum sibi conscia est, a posteriori itidem, nimirum ex somno, colligitur. Dum enim dormimus, nullius nobis mutationis in nobis contingentis conscii sumus. Sed nec in somno nobis nostri sumus conscii. Quamprimum evigilamus, res quoque quasdam a nobis percipi nobis conscii sumus, atque tum etiam rursus nobis nostri conscii evadimus.

§. 13.

Quando anima in statu perceptionum distinctarum.

Quando anima sui rerumque a se perceptarum sibi conscia est, in statu perceptionum distinctarum est (§. 11 seq. *rat.* 44 seq. *emp.*): & *contra* (§. 45. 44. 31. *emp.* 10 12. *rat.*).

Status igitur perceptionum distinctarum & status, quo anima rerum simul perceptarum & sui ipsius sibi conscia est, sunt unus idemque status.

§. 14.

Qualis status somni & vigiliæ.

Nos rerum perceptarum & nostri esse nobis conscios, quando vigilamus & somniamus, notorium est. *Anima* igitur *est in statu perceptionum distinctarum, quando vigilamus & somniamus* (§. 13.).

Apparet adeo, in quonam somnium & vigiliæ inter se conveniant.

§. 15.

Qualis status oesset in somno, deliquio animi & apoplexia.

Nec minus patet, nos, quando dormimus, in deliquium animi incidimus & apoplexia tangimur, nec nostri ipsius, nec rerum aliquarum extra nos nobis esse conscios. *Anima* igitur *in somno*, vel *quando deliquium patitur, vel quando apoplexia tangimur, non est in statu perceptionum distinctarum.*

§. 16.

Quando anima sibi rerum perceptarum utique conscia esse nequeat.

Si perceptiones partiales singulæ obscuræ sunt; anima sibi rerum perceptarum (§. 46. 32. emp. 11. rat.) atque sui (§. 24 sq. emp. 12. 10. rat.) conscia esse nequit.

§. 17.

Qualis sit status perceptionum obscurarum.

Quoniam *anima* est in statu perceptionum obscurarum, ubi perceptiones partiales fuerint obscuræ (§. 47. *Psych. empir.*); *in statu perceptionum obscurarum nec sui, nec rei alterius sibi conscia.*

§. 18.

Obscuritas totalis quænam.

Obscuritatem perceptionum totalem appello, quæ inest perceptioni totali. Quamobrem cum perceptio totalis obscura sit, quando partiales, quæ eam ingrediuntur, singulæ obscuræ sunt

sunt (*§. 46. Psych. empir.*); *obscuritas totalis enascitur ex obscuritate perceptionum singularum, quæ totalem ingrediuntur.*

§. 19.

Obscuritas perceptionum totalis tollit apperceptionem (§. 18. 10. 25.). Quoniam enim obscuritas perceptionum totalis ex obscuritate singularum partialium enascitur, quæ eam ingrediuntur (§. 18.); in ea anima nec sui, nec rei cujusdam alterius conscia esse potest (§. 10.), consequenter vi ejus apperceptio tollitur (§. 25. *Psychol. empir.*).

Ratio apperceptionis deficientia.

§. 20.

Ex claritate perceptionum partialium nascitur apperceptio (*§. 31. emp. 11. rat. 25. emp.*).

Ratio apperceptionis præsentis.

Hinc non mirum obscuritate tolli apperceptionem (§. 19.). Obscuritas enim defectus, seu privatio claritatis est, adeoque hac deficiente deficit ratio apperceptionis sufficiens (§. 20. *Psychol. rat.* & §. 56. *Ontol.*). Sublata igitur claritate perceptionum partialium, adeoque posita obscuritate earundem, tollitur apperceptio (§. 118. *Ontol.*).

§. 21.

Quando anima sui rerumque perceptarum sibi conscia est, eas extra se invicem atque extra se (*§. 10. 12. rat. 544. Ont.*) *percipit & contra* (*§. 544. Ont. 10. 12. rat.*).

Quando res extra nos percipiamus.

Quodsi quis ea mente recolit, quæ de notione extensionis (*§. 548. & seqq. Ontol.*) & continui (*§. 554. & seqq. Ontol.*) dicta sunt, plurimum lucis inde affundi sentiet propositioni præsenti, quæ in Psychologia hospites ad assensum difficiles experitur.

§. 22.

Quando anima rerum perceptarum suique sibi conscia est, eas tum inter se (*§. 10. rat. 181. Ont.*), *tum cum se confert.*

Actus comparationis in apperceptione.

Non absimili modo ostenditur, quando anima sui sibi conscia est, eam res perceptas cum se conferre, quatenus scilicet se tanquam subjectum, res vero perceptas tanquam objectum perceptionis considerat.

§. 23.

§. 23.

Reflexio in apperceptione.

Quando anima sibi sui rerumque perceptarum conscia est, super perceptione totali reflectit (§. 22. rat. 43. 259. 257. emp.).

Nimirum primo perceptionis momento anima quasi attonita hæret in objecto ac perplexa ejus claritate tota confunditur, ut nihil ejus adhuc sibi conscia dici possit. Mox altero momento attentionem in se trahit partialis quædam perceptio in omni casu non propter eandem rationem, prouti inferius clarius constabit: cum ratio utique aliqua adesse debeat, cur anima ex perplexitate ad se redeat. Inde tertio momento eandem attentionem ad perceptionem aliam partialem, quæ totali inest, promovet, ac quarto eam ad utrasque reducit simul. Et hoc modo absolvitur illa comparatio, quæ ad diversitatem agnoscendam sufficit. Rationi manifesta sunt, quæ dico, cum notionibus consona sint. Quodsi status infantilis recordaremur, cum primum in lucem editi objecta visibilia intueremur; immo si pristini in utero status memoriam haberemus, dum intra eam agitati tactu resistentiam percipiebamus; illa perplexitas & modus exeundi ex eadem ad statum distinctarum perceptionum manifesta foret a posteriori. Ceterum perplexitatis indicia præbent infantes, quorum, dum ad visibile provocatur attentio, oculi in id quasi immoti diriguntur. Et modus ex perplexitate exeundi ad statum perceptionum distinctarum ex iis colligitur, quæ a nobis fiunt, ut infantum attentionem provocemus ad objecta & inprimis ad nonnulla ipsis inexistentia. Neque vero difficultatis quicquam habet, quod apperceptioni adsueti omnia simul fieri debere existimemus, quæ nonnisi successive fieri diximus: id enim inde est, quod tempuscula, quibus singula fiunt, imperceptibilia sunt ad alia præsertim collata, quibus perceptibiles effectus in natura rerum fiunt. Dari autem tempuscula nobis imperceptibilia, quæ tamen a natura in plura alia minora actu divisa sunt (§. 583. Ontol.); innumeri effectus naturæ loquuntur, de quibus in Physica agemus. Præjudicium a tempore ortum per notionem ejus alibi (§. 572. & seqq. Ontol.) explicatam arcetur.

§. 24.

Quomodo anima apperciplendo circa eandem perceptionem versetur.

Quando anima sui rerumque perceptarum sibi conscia, perceptionem eandem per aliquod tempus conservat (§. 23. rat. 257. emp. 22. 259. emp. 574. Ont.), eandem veluti a se ipsa distinguit & hoc momento

mento eandem adhuc esse, quæ fuerat ante, intelligit (§. 10. rat. 181. Ontol.).

§. 25.

Ad actum apperceptionis attentio (§. 23. rat. 257. 25. emp.) & *memoria* (§. 24. rat. 173. 25. 175. emp.) concurrit. Attentio & memoria ad apperceptionem requisita.

§. 26.

Quoniam ad cogitationem requiritur apperceptio cum perceptione (§. 23. & seqq. *Psych. empir.*); *ad cogitationem attentio & memoria* (§. 25.), *nec non reflexio concurrit* (§. 23.). Ad cogitationem quænam concurrant.

§. 27.

Cogitationes quælibet determinato tempore absolvuntur (§. 23 sqq. emp. 22 sqq. rat. 574. Ont.). Duratio cogitationum.

Cum instantaneum sit, quod non fit in tempore (§. 692. *Ontol.*); cogitationes instantaneæ non sunt.

§. 28.

Cogitationes quædam subinde subsistunt aliis sibi invicem succedentibus & aliæ pluribus aliis, aliæ paucioribus coëxistunt. Constat experientia obvia, ut idem unusquisque in se, quoties libuerit, experiri possit. Coëxistentia cogitationum.

§. 29.

Quoniam existentia simultanea cum pluribus rebus successivis duratio est (§. 578. *Ontol.*); *cogitationes aliæ aliis diutius durant.* Diversitas durationis cogitationum.

§. 30.

Ob diversitatem durationis cogitationibus tribuitur vulgo celeritas, ut adeo *celeritas cogitationis* dicatur id, per quod cogitationes quædam sibi mutuo succedentes aptæ sunt ad eidem cogitationi per tractum quendam temporis coëxistendum. Celeritas cogitationis.

Nempe cogitatio una toto illo temporis tractu existit, cum ceteræ simul eodem existant, ita ut singulæ nonnisi singulas illius partes actualitati suæ vindicent. Hæc celeritatis notio ab analogia coëxistentiæ cogitationum cum celeritate, quæ in motu corporum conspicitur, derivatur, nec quicquam absurdi habet, si rite intelligatur. Nimirum mobili tribuitur celeritas, quatenus aptum est dato tempore datum

(*Psychologia rat. contracta.*) Nn spatium

ſpatium percurrere (§. 653. *Ontol.*). Convertamus jam oculos in flumen, quod continuo decurrit, & in arborem prope ripam poſitam. Propter motum aquarum eidem arbori dato quodam ſpatio temporis continuo aliæ aliæque aquæ currentis partes reſpondent & veluti coëxiſtunt. Et quo motus rapidior eſt, eo plures partes diverſæ aquæ eodem tempore arbori in iſta parte alvei coëxiſtunt. Habemus adeo ſeriem quandam partium diverſarum aquæ ſibi continuo ſuccedentium, dum interea arbor in eodem loco immota perſtat & cum una quælibet earum in eodem loco exiſtit. Similiter in anima eſt quædam continua perceptionum ſeries, quarum una alteri ſuccedit, dum interea una quaſi immota perſtat, & cum ceteris ſingulis diverſis temporis articulis in anima coëxiſtit. Ab hac ſimilitudine ſignificatus quidam generalis vocabuli celeritatis derivatur, vi cujus & cogitationibus, & mobilibus tribui poteſt, ita tamen ut in mobilibus ſingulari ratione ſpecificetur atque amplius quid importet quam in cogitationibus. Erit nimirum in ſignificatu hoc admodum generali celeritas id, per quod exiſtentia alia ſucceſſiva dato cuidam exiſtenti toto durationis tempore continuo alia coëxiſtunt.

§. 31.

An ex celeritate cogitationum inferri poſſit animæ materialitas.

Ex celeritate cogitationum inferri nequit materialitas animæ. Celeritas enim cogitationum non eadem eſt cum celeritate corporum, qua moventur (§. 30. *Pſych. rat.* & §. 653. *Ont.*). Etenim eodem temporis tractu ſucceſſivæ coëxiſtentes cogitationes eidem fixæ non exiſtunt, niſi quamdiu coëxiſtunt, ita ut alia oriente evaneſcat altera, quæ ipſam præcedebat; aſt in motu fluminis partes aquæ diverſæ eidem arbori prope ripam poſitæ temporis aliquo tractu coëxiſtentes exiſtunt adhuc, dum coëxiſtere deſinunt. Quamobrem tum demum ſimilitudo perfecta inter celeritatem cogitationis & celeritatem fluminis ſubſiſteret; ſi partes aquæ ſingulis momentis arbori in iſta alvei parte coëxiſtentes ibidem orirentur ibidemque interirent, quamprimum non amplius coëxiſtunt. Accedit, quod in aliquo tantummodo caſu celeritas cogitationis ſimile quidpiam cum celeritate mobilis habeat, ſcilicet in motu fluidi aut ſolidi cujusdam longi; dum vero mobile quoddam aliud, veluti globus quidam per ſpatium quod-

quoddam movetur, similitudo illa non amplius subsistit. Etenim in hoc casu celeritas tribuitur ei, quod successive aliis aliisque contiguum efficitur & sic cum iis diversis temporis partibus coëxistit, ut significatus generalis rediret ad coëxistentiam successivam ejusdem existentis cum diversis existentibus aliis: quo in casu celeritas tribuenda foret cogitationi diutius duranti, quod implicare palam est.

Idem etiam sic ostenditur: Ponamus cogitationibus competere celeritatem, qualis est mobilium. Quoniam per celeritatem mobile aptum redditur ad datum spatium dato tempore percurrendum (§ 653. *Ontol.*) spatium vero linea est, quam mobile instar puncti consideratum toto illo tempore describit, quo motus durat (§. 651. *Ontol.*): cogitatio quoque lineam describere debet toto durationis suæ tempore. Enimvero linea a cogitatione descripta ne fingi quidem potest: id quod unicuique animum ad proprias cogitationes advertenti manifestum est. E.

§. 32.

Monistæ dicuntur philosophi, qui unum tantummodo substantiæ genus admittunt. Monistæ quinam sint.

Ita Monistæ sunt, qui nonnisi entia materialia, sive corpora existere affirmant.

§. 33.

Materialistæ dicuntur philosophi, qui tantummodo entia materialia, sive corpora existere affirmant. Materialistarum definitio.

§. 34.

Materialistæ Monistæ sunt (§. 32 sq.). Sunt Monistæ.

§. 35.

Materialistæ igitur *animam pro ente materiali habent.* Animæ materialitatem defendunt.

§. 36.

Idealistæ dicuntur, qui nonnisi idealem corporum in animabus nostris existentiam concedunt: adeoque *realem mundi & corporum existentiam negant.* Idealistæ quinam dicantur.

§. 37.

Idealistæ cur sint Monistæ?

Idealistæ Monistæ sunt (§. 32. 36.) & *Animam pro ente immateriali habent.*

§. 38.

Egoistæ quinam dicantur.

Idealistarum quædam species sunt *Egoistæ*, qui nonnisi sui, quatenus nempe anima sunt, existentiam realem admittunt, adeoque *entia cetera, de quibus cogitant, nonnisi pro ideis suis habent.*

§. 39.

Dualistæ quinam dicantur.

Dualistæ sunt, qui & substantiarum materialium, & immaterialium existentiam admittunt, hoc est, & corporibus realem extra ideas animarum existentiam concedunt, & animarum immaterialitatem defendunt.

§. 40.

Dogmatici quinam dicantur.

Dogmatici sunt, qui veritates universales defendunt, seu quid affirmant, vel negant in universali.

§. 41.

Sceptici quinam sint.

Sceptici sunt, qui metu erroris committendi veritates universales insuper habent, seu nihil affirmant, nihil negant in universali.

Definiuntur vulgo sceptici, quod de omnibus dubitaverint, etiam de ipsis factis: sed contrarium patet ex *Sexto Empirico*, qui singulari capite defendit scepticos admisisse phænomena, adeoque etiam agnovisse eorundem constantiam, licet metu erroris committendi non definiverint phænomenorum causas, nec in rationem constantiæ inquisiverint.

§. 42.

Idealistæ num sint Sceptici.

Idealistæ sceptici non sunt (§. 41. 36.).

§. 43.

Dogmatici quinam sint.

Idealistæ (§. 36.) *cum Egoistis* (§. 38.) & *Dualistæ* (§. 39.) *sunt philosophi dogmatici* (§. 40.).

§. 44.

Quod corpus cogitare nequeat.

Corpus cogitare nequit. De cogitatione conf. §. 24. 23. *emp.* 12. 10. 21. *rat.* de corpore vid. §. 127. *Cosm.* Consequenter si quæ-

si quædam in eodem repræsentantur, repræsentatio aliter fieri nequit, nisi ut partes quædam aliis quiescentibus moveantur (§. 128. *Cosm.*), &, si repræsentatio aliquo temporis intervallo subsistere debet, id in corpore aliter fieri nequit, quam ut vel eadem numero materia eodem in loco motum suum continuet, partibus materialibus hoc pacto in eodem situ inter se manentibus, quem mediante motu a reliqua massa separatæ obtinuerant, vel ut aliæ in eundem situm continuo succedant (§. 181. *Ont.*), cumque alia in corpore mutatio locum non habeat, nisi quæ motu mediante inducitur (§. 128. *Cosm.*), nihil præterea in corpore seu materiæ quadam massa concipere licet. Enimvero quantocunque tempore ista materialis repræsentatio subsistat, nihil tamen adest, quod res repræsentatas inter se conferat, a se invicem distinguat & earum sibi tanquam extra se conscium sit. E. (§. 23. *emp.*).

Cogitatio duplicem actum involvit, perceptionem nempe & apperceptionem. Perceptio cum sit rei repræsentatio (§. 24 *Psychol. emp.*); in materia concipi potest eo modo, quem in demonstratione propositionis præsentis insinuavimus. Vi apperceptionis anima sibi rerum repræsentatarum suique sibi conscia est (§. 25. *Psych. emp.*), eaque extra se sibi repræsentat (§. 21.). Hæc vero ea est, quæ in materia nullo modo concipi potest, quemadmodum ex demonstratione præsente abunde patet. Sane in corpore seu materia non concipitur nisi repræsentatio rerum intra materiam, non vero extra eandem.

§. 45.

Enti nulli attributa entis alterius communicari possunt (§. 157. 70. *Ont.*). Attributorum incommunicabilitas.

Sane si quis admittere velit, quæ ex suppositione, per quam ens concipitur tanquam possibile quid & in numerum entium refertur (§. 142. *Ont.*), minime consequuntur, seu distincto ratiocinio legitime colligi nequeunt; is quodlibet pro arbitrio fingere poterit, securus omnimodo ne refutetur. Nec quicquam erit adeo evidens, quin in dubitationem adduci possit. Scepticis adeo principium communicabilitatis attributorum sese probare debet (§. 41.), non dogmaticis (§. 40.).

§. 46.

An facultas cogitandi corpori communicari possit.

Facultas cogitandi corpori vel materiæ communicari nequit, quam per se non habet (§. 29. *emp.* 716. 164. *Ontol.* 44 seq. *rat.*).

§. 47.

Animæ immaterialitas.

Anima materialis, seu corpus esse nequit (§. 20. *emp.* 44. 46. *rat.* 122. 141. *Cosm.*).

§. 48.

Simplicitas & substantialitas animæ.

Anima est substantia simplex. Ex §. 47 46. *rat.* 119. *Cosm.* 685. *Ont.* discitur, quod sit simplex.

Jam cogitationes continuo mutantur, in modorum ergo numero sunt (§. 151. *Ontol.*). Anima igitur, cui modi isti conveniunt, modificabilis est (§. 764. *Ontol.*), cumque eam per aliquod tempus cum corpore perdurare palam sit, perdurabilis (§. 766. *Ont.*). Jam conf. §. 768. *Ont.*

§. 49.

Proprietates rerum materialium animæ repugnant.

Anima partibus caret (§. 673. *Ont.*), *nec extensa est* (§. 675. *Ont.*), *nulla prædita est figura* (§. 677. *Ont.*), *nullum replet spatium* (§. 679. *Ont.*), *caret magnitudine* (§. 678. *Ont.*), *motuque intestino destituitur* (§. 682. *Ont.* §. 48. *rat.*).

§. 50.

Materialismi impossibilitas.

Materialismus falsa hypothesis (§. 33. 47. 46. *rat.* 119. *Disc. præl.* 476. *Log.*).

§. 51.

Animam esse a corpore distinctam.

Anima prorsus differt a corpore (§. 48. *rat.* 683. *Ont.* 119. *Cosm.*).

§. 52.

Qualitates animæ quænam sint.

Anima alias prorsus qualitates habere debet, quam corpora (§. 51. *rat.* 112. 122. 545. 454. *Ont.*).

§. 53.

Vis animæ insita.

Aima vi quadam prædita est (§. 48. *rat.* 709. 776. *Ont.*).

§. 54.

§. 54.

Vis & facultas animæ a se invicem differunt (§. 724. *Ont.* 29. *emp.* 716. 183. *Ont.*). Vis a facultate animæ diversa.

Idem patet ex § 728. *Ontol.* 29. *emp.* 717. 183. *Ont.*

§. 55.

Vi animæ actuantur, quæ per facultates ejusdem in eadem possibilia intelliguntur. Per facultates animæ possibilia actu esse quidem possunt (§ 133. *Ont.*), sed ideo non existunt (§. 171. *Ont.*). Ratio ergo sufficiens requiritur, cur quod possibile existat (§. 70. *Ontol.*). Jam vide §. 29. *Psychol. emp.* 722. 118. *Ont.* Principium actualitatis in anima.

§. 56.

Anima continuo tendit ad mutationem status sui (§. 53. *rat.* 725. *Ont.*). Animæ tendentia ad status mutationem.

Hoc principio nobis erit opus ad reddendam rationem generalem appetitus, cujus distincta notio philosophis hactenus non satis perspecta fuit.

§. 57.

Vis animæ nonnisi unica est (§. 48. *rat.* 673. *Ont.*). Ponamus jam animam plures habere vires a se invicem distinctas: cum unaquæque in continuo agendi conatu consistat (§. 724. *Ont.*), unaquæque peculiare requiret subjectum, cui inest. Atque ita plura concipienda erunt entia actualia a se invicem distincta (§. 142. 183. *Ont.*), quæ cum simul sumta anima sint, erunt ejusdem partes (§. 341. *Ont.*): quod utique absurdum. Unicitas vis animæ.

Patebit quoque deinceps unam animæ vim modificationibus animæ omnibus explicandis sufficere, ac præter necessitatem fingi plures. Præterea nectuntur difficultates inextricabiles præter omnem rationem & nulla prorsus necessitate urgente. Etenim necesse est, si quidem vires plures a se invicem diversæ in anima insint, ut una alteri resistat interea, dum ipsa agit, & alterum ad agendum determinet, ut modificationes animæ aliæ ex aliis nascantur & per se invicem explicabiles sint.

§. 58.

§. 58.

Continua status animæ mutatio.

Status animæ continuo mutatur (§ 53. *rat.* 729. *Ont.*). Vis vero illa nonnisi unica est (§. 57.). Quare cum in ea contineatur ratio sufficiens actualitatis, actionis, seu modificationum animæ (§. 722. *Ont.*), non simul in eadem contineri potest ratio sufficiens cur ea non sequatur (§. 28. *Ont.*). Sibimetipsi igitur resistere nequit (§. 727. *Ont.*). E.

Patet idem a posteriori, quando vigilamus. Tum enim nobis conscii sumus alias aliasque perceptiones sibi invicem continuo succedere. In somnio idem patet eodem modo: ast in somno quieto, quo nobis rei nullius conscii sumus, a posteriori idem non liquet. Necesse igitur est, ut continuitas mutationis a priori evincatur.

§. 59.

Status animæ in somno quieto.

Dum dormimus, sed non somniamus; anima est in statu perceptionum obscurarum, seu totalium confusarum. Tunc enim nobis nec nostri, nec rerum aliarum extra nos conscii sumus. Quoniam vero status animæ continuo mutatur (§ 58.), quem in variatione perceptionum consistere constat (*not.* §. *cit.*), perceptiones quoque in somno continuo variari debent. Necesse igitur est ut, cum in perceptione totali partiales minime distinguamus (§. 11.), totalis perceptio confusa sit (§. 39. *Psychol. emp.*), consequenter partiales claræ esse nequeant (§ 44 *Psychol. empir.*). E. (§ 30 sqq. *emp.*).

§. 60.

Omnes animæ actiones eadem vi produci.

Eadem vi omnes animæ actiones producuntur (§. 722. 118. 690. *Ont.* 57. *rat.*).

Quod hic de anima evincitur, idem de corporibus experientia palam facit. Unica in corporibus vis est, quam motricem appellamus (§. 137. *Cosmol.*), & ab ea omnis proficiscitur mutatio, quæ corporibus accidere potest (§. 128 *Cosmol.*).

§. 61.

Diversi effectus vis animæ.

Anima igitur *vi eadem nunc sentit* (§. 67. *emp.*), *nunc imaginatur* (§. 92. *emp.*), *nunc meminit* (§ 175. *emp.*), *nunc reminiscitur* (§. 230. *emp.*), *nunc attendit* (§. 237. *emp.*), *nunc reflectit* (§. 257.

(§. 257 emp.), nunc notiones format, nunc judicat, nunc ratiocinatur (§. 282 325. emp.), nunc appetit (§. 580. emp.), nunc aversatur (§. 581. emp) nunc libere vult (§. 880. emp.), nunc non vult (§. 881.).

§. 62.

Anima sibi repræsentat hoc universum pro situ corporis organici in universo, convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt. Vide legem sensationum (*§. 85.*). Jam sensationes sunt perceptiones objectorum externorum mutationem organis sensoriis inducentium (§. 67. *Psychol. empir.*), adeoque anima dum sentit, objecta ista sibi repræsentat (§. 24 *Psych. empir.*). Et quoniam corpus nostrum constanter in mundo hoc adspectabile est; corpora quoque, quæ eundem componunt (§. 119. *Cosmol.*), constanter in corpus nostrum agunt pro situ ejusdem in mundo seu universo. Patet adeo animam sibi repræsentare hoc universum, seu mundum hunc adspectabilem, pro situ corporis organici nostri in universo atque mutationibus convenienter, quas corpora, ex quibus constat, in iisdem producunt. Quando dormimus, nihil clare ac distincte percipimus (§ 15.). Quoniam tamen anima adhuc est in statu perceptionum confusarum totalium, seu obscurarum (§. 59.); nil obstat, quo minus adhuc corpus suum & quæ idem tangunt obscure percipiat, adeoque anima istam repræsentationem mundi continuet, ut adeo sine restrictione dici possit, quod sibi repræsentet hoc universum. Universi repræsentatio in anima.

§. 63.

Anima habet vim sibi repræsentandi hoc universum (§. 62. 60. 53. 55. rat. 67. emp.) limitatam materialiter *situ corporis organici in universo (§. 62. rat. 949. 468. Ont.);* formaliter *constitutione organorum sensoriorum (§. 62. rat. 945. Ontol. 31 sqq. emp. 468. Ont.).* Animæ vis repræsentativa universi.

§. 64.

Omnes mutationes animæ a sensatione originem ducunt. De imaginationis actibus vide §. 104. *emp.* de somnio inprimis §. 122. 124. *emp.* de fictionibus, utpote a phantasia provenienti- Mutationes animæ a quanam oriantur radicali.

bus conf. §. 144. 93. *emp.* de memoria vide §. 226. 85. 92. 175. *emp.* de attentione & reflexione §. 237. 257. *emp.* de intellectu §. 266. 275. *emp.* de abstractionibus §. 282. *emp.* de notione & judicio intuitivo lege §. 331. 343 sqq. *emp.* de ratiocinatione §. 354 sqq. *emp.* de voluptate ac tædio §. 511. 518. *emp.* de appetitu §. 579. *emp.* de aversatione §. 581. *emp.*

§. 65.

Primum quod vi animæ producitur, & unde pendent cetera.

Primum, quod ab anima producitur, sunt sensationes (§. 64.), *mutationes ceteræ a sensationibus dependent* (§. 151. 65. *Ontol.*).

§. 66.

Essentia animæ in quo consistat.

Essentia animæ consistit in vi repræsentativa universi situ corporis organici in universo materialiter & constitutione organorum sensoriorum formaliter limitata (§. 65. *rat.* 168. *Ont.*).

§. 67.

Natura animæ in quo consistat.

Natura animæ in eadem vi repræsentativa consistit (§. 55. *rat.* 503. *Cosm.* 870. *Ont.* 53. 57. *rat.*).

§. 68.

Differentia essentiæ & naturæ animæ.

Vis repræsentativa universi est natura animæ, quatenus repræsentationes istas actuat; essentia vero, quatenus ad tales potius, quam alias, tali potius, quam alio ordine actuandas restringitur. Patet idem ex demonstrationibus præcedentium immediate propositionum.

Manifesta adeo est differentia, quæ inter essentiam animæ & naturam ejus intercedit: una enim eademque vis alio respectu natura animæ est, alio essentia, ut adeo non minus in anima, quam in corporibus alia ex essentia animæ, alia ex natura ejusdem consequantur.

§. 69.

Naturale quid sit in anima.

Naturale in anima est, cujus ratio sufficiens in vi repræsentativa universi continetur, qualis animæ inest (§. 66-68. *rat.* 509. *Cosm.*).

§. 70.

Supernaturale in anima quid sit.

Supernaturale in anima est, cujus ratio sufficiens in vi repræ-

præsentativa universi, qualis in anima est, non continetur (§. 66-68. *rat.* 510. *Cosm.*).

Eodem sane sensu operationibus Spiritus S. debitæ mutationes in anima dicuntur supernaturales, propterea quod per naturam animæ non intelligitur, quod istiusmodi mutationes in anima fieri debeant, sit ita per essentiam apparere, quod animæ non repugnent, consequenter possibiles sint. Cum enim possibilitas absoluta non sufficiat ad existendum (§. 171. *Ontol.*) sufficiente autem ratione posita poni debet actu mutatio animæ (§. 118. *Ontol.*), non ideo ratio sufficiens ejus in anima continetur, quod in ea possibilis intelligatur. Accedit quod possibilis intelligatur non naturaliter, sed supernaturaliter, ubi ad possibilitatem quoque extrinsecam animum advertis, quatenus nimirum non deficit causa mutationis.

§. 71.

Miraculum in anima quando fiat.

Miraculum quoque in anima factum dici debet, quod in eadem supernaturale est (§. 510. *Cosm.*).

§. 72.

Intrinseca miraculi possibilitas.

Miraculum aut, si mavis, mutatio supernaturalis non contradicit essentiæ illius animæ, in qua contingit, seu talis mutatio supernaturalis, qualis contingit, in ea anima, in qua contingit, possibilis. Erit enim ejusmodi absolute impossibile (§. 79. *Ontol.*), consequenter existere nequit (§. 132. *Ontol.*).

§. 73.

Miraculum quando in anima contingat.

Si miraculum seu effectus supernaturalis in anima contingit, naturales deficiunt causæ actum ejus, quod possibile est, determinantes (§. 173. *Ont.*). Foret enim id, quod in anima contingit, naturale quid (§. 69.), minime autem miraculum (§. 70. 71.): E. (§. 881. *Ontol.*).

De miraculo adeo seu effectu supernaturali in anima judicaturus perpendere debet, quænam ad actualitatem ejus determinandam requiruntur, ut appareat quomodo istiusmodi effectus in eadem contingere possit: ut adeo palam sit quantum ad evincendam veritatem miraculi in anima facti, seu effectus supernaturalis in eadem conspicui, conferat Psychologia, præsertim rationalis, utpote cujus est tradere rationes sufficientes eorum, quæ in anima contingunt (§. 4). Quicquid enim

in anima naturale est, id ad distinctas notiones revocare debet Psychologia.

§. 74.

Quomodo effectus naturalis in miraculum abeat.

Quod naturale in anima est, idem erit supernaturale seu miraculosum, si deficiente causa naturali sufficiente contingit (§. 72. sq.). Non enim obstat, quo minus hoc tempore miraculum seu supernaturale sit, quod alio naturale fuerat eritque.

E. c. in anima possibilis est habitus linguis exoticis sensa sua exprimendi; sed is quemadmodum ceteri omnes non acquiritur nisi præviis crebris exercitiis (§. 430. *Psychol. empir.*). Quodsi ergo ponamus habitum hunc absque ullo exercitio prævio in anima hominis in instanti oriri; ratio actualitatis nulla dabitur in anima, deficiente causa naturali ejus acquirendi. Erit adeo in hoc casu miraculum.

§. 75.

Causa actus supernaturalis in anima efficiens.

Si actus supernaturalis in anima producendus, ab ente quodam ab anima (§. 70. 66 sq. 57. 55. *rat.* 886. 183. *Ont.*) *& a mundo materiali diverso id fieri debet.*

Ponamus jam hoc ens ab anima diversum esse corpus quoddam in mundo materiali existens (§. 119. *Cosmol.*). Quoniam corpora vi activa, quam habent (§. 142. *Cosmol.*), adeoque motrice (§. 137. *Cosmol.*) agunt, nec agunt nisi in contiguum (§. 128. *Cosmol.*); corpus istud in animam nostram agere non posset, nisi mediante corpore nostro, consequenter quatenus mutationes inducit organo sensorio cuidam, cum præter mutationum in organo sensorio & in mente coëxistentiam (§. 948. *Ontol.*) alia mentis a corpore dependentia non observetur. Quamobrem hac actione corporis non poneretur in anima nisi perceptio, qua ipsum tanquam extra animam repræsentatur (§. 948. *Ontol.*). Mutatio igitur in anima contingens explicabilis per vim repræsentativam universi, quam habet (§. 62.), consequenter naturalis animæ foret (§. 69.): quod cum hypothesi repugnet, corpus nullum in anima mutationem supernaturalem producere valet. Erit igitur ens istud a mundo materiali diversum (§. 183. *Ontol.*).

Sume corpus aliquod in mundo immediate in anima producere mutationem quandam supernaturalem diverso prorsus modo

modo ab eo, quem modo exposuimus. Cum in corpore alia vis activa præter motricem non datur; admittenda erit in corpore, quod in animam agit, actio quædam per ejus vim activam sive naturam (§. 145. *Cosm.*) & essentiam minime explicabilis, consequenter cujus in ipso corpore ratio sufficiens nulla datur (§. 56. *Ont.*). Erit adeo actio ista casus purus (§. 94. *Cosm.*): qui cum impossibilis sit (§. 95. *Cosmol.*), nec per miraculum in corpore fingi possit, cum actio alias ista miraculosa in corpore agente talis, qualis supponitur, possibilis esse deberet (§. 517. *Cosmol.*); actio immediata corporis cujusdam in mundo existentis in animam admitti nequit. E. Iterum nostra prodit conclusio.

Ceterum dum in demonstratione indirecta sumimus, mediante corpore nostro corpus quoddam aliud in animam agere posse, non ideo supponimus influxum corporis in animam physicum tanquam verum; sed eundem in dubio adhuc relinquimus, donec inferius discutiatur, quid de eodem sit sentiendum. In Psychologia autem in medio relinquimus, utrum dentur mutationes supernaturales in anima, nec ne. Cum enim non tractemus nisi ea, quæ ad philosophicum spectent forum, in iis acquiescimus, quæ naturalia sunt; quæ theologici sunt fori ad Theologiam remittimus. Sufficit in philosophia tradi principia, quæ ad istiusmodi mutationes supernaturales defendendas sufficiunt. Quæ enim naturalia non sunt, rationis sphæram transcendunt. Quatenus tamen eidem non repugnant, possibilitas eorum absoluta agnoscitur; id quod ad defensionem sufficit, cum eas tanquam falsas rejicere non possit, nisi qui impossibilitatem demonstrare valet.

§. 76.

Vis animæ in actuandis iis, quæ per facultates ipsius possibilia sunt, certas observat leges (§. 85. 117. 179. 231. 326 sqq. 343 sqq. 354 sqq. 904. 907. *emp.*). Vis animæ regulis adstricta.

In eo convenit vis animæ cum vi corporum, quod utraque ad certas leges adstringatur. Ex Cosmologia palam est dari leges motus (§. 309. 346. 350. 455. & sqq. 470. 475. 502. *Cosm.*).

§. 77.

Rationes quomodo reddantur eorum, quæ animæ insunt.

Ex vi animæ in se considerata tantummodo ratio redditur in genere actualitatis perceptionum ac appetituum; ex legibus vero, quibus adstringitur, reddenda est earundem ratio specialis. Nimirum vis animæ in se considerata non exhibetur nisi sub schemate vis perceptivæ (§. 86.), adeoque per eam non intelligitur, nisi quod continuo aliæ aliæque perceptiones, consequenter etiam appetitus, quos ex perceptionibus nasci constat (§. 904. *Psych. emp.*), & inferius clarius docebitur, ad actum perducantur (§. 729. *Ont.*), adeoque nonnisi actualitatis perceptionum variantium ac appetituum ratio in ea continetur (§. 56. *Ontol.*).

Enimvero cum nihil sit sine ratione sufficiente, cur potius sit quam non sit (§. 70. *Ontol.*); ratio etiam adsit necesse est, cur hæ potius actuentur perceptiones, quam aliæ, & cur tales potius sint, quam aliæ. Id ipsum vero ex legibus, quas sequitur, constat.

§. 78.

Lex sensationum qualis sit.

Lex sensationum continet determinationes essentiales animæ (§. 85. *emp.*). Lex adeo ista determinat objectum, quod percipi debet, & una modum, quo percipi debet. Quamobrem cum vis animæ repræsentativa, in qua essentia ejus consistit, limitetur materialiter situ corporis sui organici in universo, & formaliter constitutione organorum sensoriorum (§. 66.), adeoque determinationes essentiales redeant ad determinationem objecti, quod percipiendum, nempe ejus, quod vi situs corporis in universo agere in organum sensorium potest, & determinationem modi, quo percipitur, nimirum qualis est mutatio in organo sensorio producta (§. 62.); lex sensationum continet animæ essentiales determinationes.

Quoniam omnia illa, quæ enti conveniunt, si non rationem sufficientem; attamen ejus aliquid in essentia entis agnoscunt; a lege sensationum aliquo modo pendent mutationes animæ ceteræ omnes a sensationibus diversæ. Aliquid ejus jam apparet ex ortu omnium operationum animæ a sensatione (§. 64.); plenissimam vero lucem id ipsum consequetur ex subsequente tractatione.

§. 79.

§. 79.

Vis perceptiva animarum a vi motrice corporum prorsus diversa est (§. 76. & *not. §. cit.*). Jam vero regulæ motus ita comparatæ sunt, ut per eas perceptiones & appetitiones explicari nequeant; regulæ autem perceptionum ac appetituum sunt istiusmodi, ut per eas motus intelligi non possint: id quod ex regularum istarum contemplatione extemplo apparet.

Vis perceptiva animarum a vi motrice corporum diversa.

§. 80.

Anima a corpore prorsus diversa est. Conf. §. 63. 66. *rat.* 300. *Ont.* de animæ vi perceptiva, in qua ejus essentia inseparabilis consistit. De corpore vid. §. 180. 196. *Cosm.* Enimvero vis perceptiva prorsus diversa est a motrice (§. 79.), vt adeo salva utraque substantia una alteri substitui nequeat (§. 183. *Ontol.*). E. Idem patet ex §. 44. 50.

Diversitas animæ a corpore.

§. 81.

Facultates animæ eidem non insunt, nisi quatenus vis perceptiva seu universi repræsentativa diverso modo modificabilis (§. 29. *emp.* 716. 713 *Ont.*). Ita animæ tribuere facultatem sentiendi idem est ac affirmare, possibile esse, ut anima percipiat objecta externa mutationem organis sensoriis qua talibus inducentia, convenienter mutationi in organo factæ (§. 67. *Psychol. empir.*) & ita porro. Necesse vero est, ut detur ratio sufficiens, cur talia in anima possibilia sint (§ 70. *Ontol.*). Quare cum in essentia contineatur ratio eorum, quæ præter eam enti vel constanter insunt, vel inesse possunt (§. 167 *Ont.*); animæ autem essentia in vi, qua prædita est (§ 53.), consistat (§. 66.): per vim istam intelligi debet, cur talia in anima possibilia sint (§. 56 *Ont.*), quatenus scilicet ad tales potius, quam alias perceptiones, tali potius quam alio ordine actuandas restringitur (§. 68.). Tribuuntur itaque animæ tales facultates, quia possibile est ut talia per vim ejusdem diversis legibus obtemperantem actuentur. Quoniam vis constanter durat (§. 300. *Ontol.*) utpote essentia & natura ejus (§. 66. 67.), perdurabile quid est (§. 766. *Ontol.*). Et quia actiones ejus continuo variantur perceptionibus aliis succedentibus aliis, appetitionibus item aliis & aversionibus in locum aliarum succedentibus; perceptiones & appetitiones ac aversiones singula-

Inexistentia Facultatum.

gulares in modorum numero sunt (§. 151. *Ontol.*), consequenter quatenus istæ variantur vis animæ modificatur (§. 704. *Ontol.*) & quatenus possibiles, vis eadem modificabilis (§. 764. *Ontol.*).

Huc spectant tanquam notiones directrices, quæ de ratione modorum & possibilitatis eorundem in Ontologia tradidimus (§. 160. 164. 165. *Ontol.*).

§. 82.

Notio facultatum animæ spuria.

Facultates igitur *animæ non concipiendæ instar entium diversorum, quæ actu dantur in anima & perdurant, & quæ per actiones & passiones, quæ ab ipsis proficisci observantur, modificantur.* Finge enim hæc ita sese habere: erunt facultates istæ entia perdurabilia (§. 766. *Ontol.*) & modificabilia (§. 764. *Ontol.*), consequenter substantiæ (§. 768. *Ontol.*). Et quoniam diversæ sunt *per hypoth.* diversæ erunt substantiæ. Anima igitur erit plurium substantiarum aggregatum, consequenter substantia composita (§. 794. *Ontol.*): quod absurdum (§. 48.).

CAPUT II.

DE

FACULTATE SENTIENDI, SIVE SENSU.

§. 83.

Sensationes quales sint.

Sensationes animæ sunt repræsentationes compositi in simplici (§. 67. *emp.* 119. *Cosm.* 24. 65. *emp.* 48. *rat.*).

§. 84.

Uberior explicatio anterioris.

Dum sentimus, compositum aliquod præsens in simplici repræsentatur (§. 67. 59. *emp.* 83. *rat.*).

§. 85.

§. 85.

Imago in genere est repræsentatio quælibet compositi. Imaginis in genere definitio.

Definimus hic imaginem in significatu latissimo, quem habere potest, ne opus sit eum distingui in proprium & metaphoricum, quemadmodum fieri solet.

§. 86.

Ideæ sensuales imagines sunt (§. 83. rat. 48. 95. emp.). Ideæ sensuales imagines sunt.

§. 87.

Imago materialis est repræsentatio compositi in composito. Unde *Imago immaterialis* dici potest repræsentatio compositi in simplici. Quemadmodum vero imagines immateriales ideæ vocantur (§. 86. *Psych. rat.* & §. 24. *Psych. emp.*); ita ex adverso imagines materiales, quæ vulgo simpliciter imagines appellantur, *Ideæ materiales* dici possunt. Imaginis materialis & immaterialis differentia.

§. 88.

Picturæ sunt repræsentationes compositi in superficie. Picturæ definitio.

§. 89.

Sculpturæ sunt repræsentationes compositi in solido. Dicuntur in specie *Statuæ*, si homines repræsententur. Immo quæcunque imagines corporeæ sub hac definitione comprehenduntur, veluti quæ ex cera effigiantur. Sculpturæ & Statuæ definitio.

§. 90.

Imagines materiales res intra se repræsentant (§. 87. *rat.* 195. *Ont.*). Ita statua repræsentat hominem, quatenus cum figura externa hominis eandem habet. Quoniam itaque compositio absolvitur modo, quo partes quædam invicem unitæ sunt (§. 533. *Ontol.*), adeoque ad eum spectantia in numero determinationum (§. 122. *Ontol.*) & quidem intrinsecarum sunt (§. 545. *Ontol.*); objectum intra subjectum repræsentans repræsentatur. Quomodo imagines materiales res repræsentent.

Patet hinc ideas materiales alterius prorsus generis esse, quam immateriales imagines, quibus anima sibi objecta, quarum sibi conscia est (§. 21.), extra se repræsentat.

§. 91.

Idearum sensualium repræsentatio cum objecto similitudo.

Ideæ sensuales sunt similes objecto, quod repræsentant (§ 95. 67. *emp.* 86. *rat.* 195. *Ont.*).

§. 92.

Ideis sensualibus quid insit.

Ideæ sensuales non repræsentant nisi figuras, magnitudines, situs & motus (§. 91. *rat.* 95. 67. 56. *emp* 195. *Ont.*). Quæ ergo ideis sensualibus insunt, eadem sunt cum iis, quæ insunt corporibus (§. 195. *Ont.*). Atqui de corporibus vide §. 119. *Cosm.* 531. 468. 621. 624. *Ont.* 140. *Cosm* 554. 620. *Ont.* 128. *Cosm.*

Qui mechanicam philosophiam professi sunt, dudum agnovere non aliud quid in corporibus inesse præter figuras, magnitudines ac situs. Quamobrem si supponitur, perceptionibus nostris non alias inesse debere determinationes, quam quæ rebus insunt, quod in propositione præcedente evicimus; hinc ultro consequitur non alia percipi quam figuras, magnitudines, situs ac motus.

§. 93.

Sensationes quatenus distinctæ.

Si figuras, magnitudines & motus in iis, quæ percipimus, distinguimus; sensationes distinctæ sunt (§. 65. 38. *empir.* 92. *rat.*).

Inde sane est, quod figurarum, magnitudinum & motuum doctrina dudum per distinctas notiones tradita fuerit, cum in ceteris Physici antiqui ad evidentiam nullam pervenerint, qualis in Mathesi observatur.

§. 94.

Sensatio confusa qualis sit.

Si figuras, magnitudines, situs ac motus rei perceptæ inexistentes non distinguere possumus; sensatio confusa est (§. 92. *rat.* 39. *emp.*).

§. 95.

Sensatio composita qualis.

Si figuras & magnitudines alias, situs & motus alios in re percepta distinguere possumus; alias vero aliosque distinguere non valemus: sensatio ex confusis & distinctis componitur (§. 93 seq.).

Sensationes nostræ omnes compositæ sunt, quemadmodum a posteriori patet, nec minus a priori ex mox uberius dicendis intelligetur.

Pona-

Ponamus e. gr. nos visu percipere mensam. Partium singularum figuras & magnitudines, nec non earum ad se invicem situm probe distinguimus & eatenus perceptio nostra distincta est. Habent vero partes diversæ colorem diversum, quem non minus percipimus. Etsi autem colorem unum ab altero ob claritatem, qua percipitur, optime distinguamus, atque adeo duorum colorum simultaneæ perceptiones totalem efficiant distinctam; singulæ tamen in se confusæ sunt, cum figuras & magnitudines situsque particularum, ac motus luminis incidentis atque in iisdem modificati sensu percipere non liceat, utut ratione assequi detur, quemadmodum in Physica docebimus.

§. 96.

Perceptiones confusæ quomodo totalem efficiant distinctam.

Si perceptiones confusæ partiales plures ingrediantur compositam; perceptionem totalem distinctam efficiunt (§. 37. 39. 31. 271. 38. *emp.*).

§. 97.

Ortus diversarum perceptionum confusarum ex aliis.

Si plures sensationes confusæ diversæ confunduntur in unam; idea sensualis, quæ inde resultat, diversa apparet ab iis, quæ confunduntur. Etenim si plures sensationes confusæ in unam confunduntur, simul repræsentantur ea, quæ singulis insunt (§. 91.). Quoniam vero singulis eadem non insunt (*per hypoth.* & §. 183. *Ontol.*); in idea sensuali, quæ ex confusione aliarum diversarum in unam oritur, diversa utique insunt, quam unicuique illarum sigillatim spectatæ.

Patet idem a posteriori. Etenim si colores siccos contritos commisceas; nudo oculo qui apparet color, diversus ab utroque colore, quem habent particulæ pulverum commixtorum. Quodsi vero per microscopium contuearis pulverem, qui ex commixtione duorum pulverum diversi coloris prodit; in conspectum prodeunt pulvisculi diversi coloris, ii scilicet, in quos contritæ fuerunt massæ diversi coloris. Percipiuntur adeo visu pulvisculi diversi coloris, dum color ille compositus ab ipsorum colore prorsus diversus comparet. Sed quoniam pulvisculi isti nudo visu non amplius a se invicem distinguuntur, sed duo vel plures instar unius apparent, coloris diversi perceptiunculæ in unam confunduntur. Prodit adeo idea sensualis confusa ex pluri-

um sensationum confusione in unam, quæ ab iis, quæ confunduntur, diversa prorsus apparet.

§. 98.

Ideæ sensuales quid proprie sint.

Dum sentimus, anima sibi repræsentat substantiarum simplicium mutationes intrinsecas, sed in unum confusas. Sunt enim sensationes similes objecto, quod repræsentatur (§. 91.), adeoque corpori in organum sensorium agenti (§. 56. 65. *Psychol. emp.*), consequenter determinationes intrinsecæ in ideis sensualibus eadem sunt cum determinationibus intrinsecis in corporibus, quæ repræsentant (§. 195. *Ontol.*). Enimvero corpora sunt substantiarum simplicium aggregata (§. 176. *Cosmol.*), nec præter eas quicquam substantiale in iisdem datur (§. 177. *Cosm.*) & in istis, tanquam elementis (§. 18. *Cosmol.*), rationes ultimæ eorum continentur, quæ in rebus materialibus deprehenduntur (§. 191. *Cosmol.*). Aliæ igitur determinationes corporibus inesse nequeunt, nisi quæ elementis insunt, si tandem confuse percepta ad suos fontes ita reducantur, ut nihil confusi amplius supersit. Jam status elementorum continuo mutatur (§. 197. *Cosm.*) & omnis in corporibus diversitas ab elementorum diversitate dependet (§. 194. *Cosmol.*). Quamobrem ideæ nostræ sensuales non repræsentant nisi continuas determinationum intrinsecarum mutationes, quibus status elementorum internus constituitur (§. 705. 706. *Ontol.*). Quilibet autem in se ipso experitur se illas determinationes & earum mutationes sigillatim non agnoscere, nec a se invicem distinguere. Eas igitur in unum confundit.

Magni momenti est hæc propositio ad naturam animæ & totius universi intimius perspiciendam.

§. 99.

Anima quomque distinctas habeat perceptiones.

Anima sensu ne quidem armato corpuscula derivativa distinguit. Etenim si per microscopium particulam lamellæ auri contemplemur, quod objecta mirifice amplificare potest, immo quantamcunque in iis amplificandis vim habet, non tamen videmus nisi auri quandam lamellam, quæ extensionem con-

continuam uniformem exhibet. Nemo ignorat, aurum esse corpus mixtum, adeoque in particula ista admittenda esse corpuscula ex aliis particulis minoribus diversis invicem unitis composita, consequenter derivativa (§. 229. *Cosm.*). E.

Quæ de auro comperta sunt, eadem de massa quacunque alia experiri datur. Quicquid enim sensu percipitur, mixtum est. Non igitur a singulari quodam casu ad universale concluditur.

§. 100.

Corpuscula primitiva sensui non obvia.

Multo minus igitur anima sensu licet utcunque armato corpuscula primitiva distinguit (§. 99. *rat.* 229. *Cosmol.* 341. 357. *Ont.*).

§. 101.

Elementa rerum non obvia.

Elementa rerum materialium anima sensu utcunque armato distinguere nequit (§. 229. *Cosmol.* 100. *rat.*). Ideo elementorum existentiam ex rationis principiis deduximus (§ 176. 182. *Cosm.*).

§. 102.

Sensu nihil prorsus distincte percipitur & natura rerum eidem impervestigabilis.

Nihil quod rebus materialibus inest, prorsus distincte sensu percipitur, nec natura rerum sensui pervestigabilis (§. 101. *rat.* 191. *Cosm.* 56. *Ont.*).

§. 103.

Quomodo Idea extensionis & continuitatis nascatur.

Dum anima status elementorum internos in unum confundit, remanet notio diversitatis numericæ atque pluralitatis, nec non nexus elementorum vi illorum statuum inter se & arctitudinis illius nexus, ac inde porro extensionis & continuitatis idea sensualis nascitur. Dum enim anima status elementorum internos in unum confundit; eos a se invicem minime distinguit (§. 39. *Psychol. empir.*), adeoque singula sigillatim percipere nequit (§ 652. *Log.*), consequenter sibi conscia esse non potest eorum, quibus status unius elementi a statu alterius differt (§. 11.). Quoniam tamen ideæ sensuales similes esse debent objecto, quod repræsentant (§. 91.); ut tanquam numero eadem percipiantur, quæ diversa sunt, fieri nequit. Remanet igitur notio diversitatis numericæ: quæ vero sine pluralitate intelligi nequit (§. 184. 331. *Ont.*).

Status elementorum omnium inter se connexi sunt (§. 210. 209. *Cosmol.*). Quoniam anima status elementorum in unum confundit; eorum sibi conscia esse nequit, quibus status isti elementorum per se invicem explicabiles sunt (§. 652. *Log.* & §. 11. *Psych. rat.*). Cum tamen ideæ sensuales similes esse debeant objecto, quod repræsentant (§. 91.); aliquid quoque in idea sensuali remanere debet, quod nexui isti respondet. Jam quia aggregata elementorum vi hujus nexus unum quid efficiuntur; unius notio in eadem superesse debet.

Quoniam igitur idea sensualis tantum similitudinis cum ideato retinere debet, quantum in confusa perceptione superesse potest; & status unius elementi ita explicabilis est per statum alterius, ut propter dissimilitudinem elementorum (§. 195. *Cosm.*) per statum elementi cujuscunque alterius explicari minime possit, nexus quoque hujus arctitudini quidpiam in idea sensuali respondeat necesse est, quod indivulsius sit, ac in eo conveniat nexus elementorum quorumlibet. Quamobrem confuse non percipitur nisi quatenus quæ unita sunt ita unita apparent, ut aliud quid interponi nequeat, extremo binorum quorumcunque communi existente. Atque ita nascitur continuitatis idea sensualis (§. 567. 568. *Ontol.*).

Et quoniam idea ista plura a se invicem numerice diversa, sed inter se ita unita, ut continuum efficiant, repræsentat, dum elementorum aggregata confuse percipiuntur *per demonstrata;* idea extensionis sensualis enascitur (§. 567. 568. *Ont.*).

§. 104.

Idea spatii sensualis seu imaginaria.

Quoniam spatium non differt ab extenso in abstracto spectato (§. 567. 568. 599. *Ontol.*): *ex repræsentatione nexus rerum a statu elementorum interno pendentis nascitur quoque spatii idea sensualis.*

§. 105.

Ordo coëxistentiæ elementorum.

Datur ordo coëxistendi in nexu elementorum (§. 210. 10. *Cosmol.* 56. *Ontol.* 209. *Cosmol.* 215. 217. 472. *Ontol.*), *idemque continuo subsistit, statu eorum quomodocunque mutato* (§. 197. *Cosmol.* 209. *Ontol.*).

Pro-

Propositio hæc cosmologica est; sed cum ad contrahendam demonstrationem propositionis sequentis eadem opus habemus, eam hic loci exhiberi fas erat.

§. 106.

Idea spatii sensualis quomodo nascatur.

Dum ordinem coëxistentiarum in nexu elementorum confuse percipit anima; in perceptione confusa extensioni superaccedit indivisibilitas & penetrabilitas, sicque spatii idea sensualis enascitur. Dum enim ordinem coëxistentiarum nexui rerum inhærentem confuse percipit, eorum sibi sigillatim conscia non est, quæ in stabiliendo ordine coëxistentiarum nexui elementorum inhærente adduximus (§. 105.). Quoniam tamen idea sensualis similitudinem habet cum objecto (§. 91.); eidem quid inesse debet, quod ordini isti respondet. Jam ordo iste coëxistentiarum nascitur ex eo, quod status internus elementi cujuscunque sit explicabilis per status ceterorum, quemadmodum ex demonstratione propositionis præcedentis intelligitur, & quatenus elementa dissimilia sunt (§. 195. *Cosm.*), nulli elemento aliud quoddam salvo ordine substitui possit. Vi hujus igitur ordinis unionis notio superest in idea sensuali. Et quia ordo iste subsistit continuo statu elementorum quomodocunque mutato; unio ista indissolubilis apparet. Quamobrem cum animæ elementorum aggregata sibi confuse repræsentanti propter illorum nexum idea extensionis objiciatur (§. 103.), propter ordinem eidem inhærentem extensioni indissolubilitatem unionis adeoque indivisibilitatem superaddit atque adeo extensum quoddam indivisibile per res materiales simul perceptas diffusum ac interminatum nobis objicitur: quod cum appareat a rebus distincte perceptis diversum, penetrabile videtur. Jam vero extensum indivisibile & penetrabile spatium imaginarium est, quale sensu a nobis percipi videtur (§. 599. *Ontol.*). Idea igitur sensualis spatii enascitur, dum ordinem coëxistentiarum nexui elementorum inhærentem confuse percipimus.

§. 107.

Quomodo vim inertiæ percipiamus.

Vim inertiæ tactu percipimus, dum quid movere conamur. In renisu scilicet continetur ratio, cur motus vel nullus sequatur, frustra nobis nitentibus, vel non adeo celer, quam futurus erat, eadem vi adhibita, renisu absente (§. 56. *Ontol.*), adeoque

eoque motus impedimentum est (§. 726 *Ontol.*), consequenter mobile contrario illo nisu vim ad movendum ipsum adhibenti resistit (§. 727. *Ontol.*), ac ideo renisus iste principium resistentiæ in corporibus (§. 866. *Ontol.*). Est igitur vis inertiæ seu passiva (§. 130. *Cosmol.*).

§. 108.

Quomodo idea vis inertiæ in anima nascatur.

Dum anima vim inertiæ percipit, principium passivum elementorum confuse sibi repræsentat. Quoniam enim in elementis ratio ultima eorum continetur, quæ in rebus materialibus deprehenduntur (§. 191. *Cosmol.*), in iisdem quoque vis inertiæ seu passiva contineri debet. Et quoniam corpora sunt substantiarum simplicium (§. 176. *Cosmol.*), adeoque elementorum aggregata (§ 182. *Cosm.*); nihil datur reale in corpore, nisi quod elementis inexistit. Quamobrem nec principium passivum in corpore concipitur, nisi quatenus quid reale eidem respondens in elementis datur. Et quoniam ideæ similes sunt objecto, quod repræsentant (§. 91.); id, quod in elementis vi passivæ seu inertiæ corporum respondet, repræsentare debent, consequenter principium passivum, quod datur in elementis (§ 294. *Cosm.*). Enimvero elementa ne armato quidem sensu distinguere licet (§. 101.), consequenter nec sensu distingui possunt principia passiva, quæ in aliquo elementorum aggregato singulis elementis insunt. Cum igitur in unum confundantur, ut singula sigillatim a nobis recenseri nequeant; perceptio confusa oritur (§. 39. *Psych. emp.*). E. (§. 107.).

§. 109.

Vis motrix quomodo percipiatur.

Vim motricem tactu percipimus, partim dum grave manu imponimus (§. 73. emp. 738. Ont. 137. Cosm.), vel elastrum tensum deprimimus, partim dum mobile in partes quasdam corporis incurrit.

Si laminæ elasticæ incurvatæ extremum alterum manu vel digito reprimimus, nisum quendam adversus digitum vel manum sese exerentem percipimus. Enimvero remoto digito, vel manu ablata, lamina cum impetu resilit, & in situm rectum sese restituit. Quare ut ante patet motum istum laminæ incurvatæ

vatæ esse vim motricem, consequenter nos vim motricem percipere.

Denique si mobile actu movetur, vi agendi (§. 135. *Cosm.*) seu motrice præditum est (§. 137. *Cosm.*). Quando igitur in partem quandam corporis nostri incurrit, vim, qua versus eandem nititur, percipimus. Tactu adeo tunc quoque vis motrix percipitur (§ 73. *Psychol. empir.*).

§. 110.

Dum vim motricem percipit anima, vires, quæ insunt elementis, confuse sibi repræsentat. Eodem modo idem ostenditur, quo (§. 108.) evicimus, ideam vis inertiæ confusam in anima enasci, modo notetur, quod in elementis singulis detur principium activum (§. 294. *Cosmol.*).

Idea vis motricis quomodo nascatur.

§. 111.

Dum anima sentit, motus ab objectis sensibilibus impressus nervis sensoriis ad cerebrum usque propagatur. Id inprimis patet ex motibus corporis, qui oriuntur ex quibusdam sensationibus, atque in partibus ab organo sensorio maxime remotis, anima non modo inconsulta, verum etiam invita. Exempli loco sit homo, qui audito fragore tormenti explosi in terrorem conjicitur. Dum terrore concutitur, anima prorsus invita, corpus totum tremit, & caput cum parte trunci superiori retro inclinatur, aliique motus consequuntur, qui, cum in diversis subjectis variare soleant, specialius enumerari nequeunt. Ex fragore itaque in aures incidente nasci debet motus organorum corporis. Enimvero anatomia docet, ex organis sensoriis nervos, veluti ex auditus organo nervum acusticum ad cerebrum usque protendi & ex cerebro in singulas corporis humani partes propagari nervos motorios, sine quibus motus perfici nequeunt, testibus experimentis anatomicis suo loco distinctius exponendis. Necesse igitur est, ut motus nervis sensoriis impressus in nervos motorios derivetur, quorum ope motus musculorum determinatur, consequenter motus, qui imprimitur nervis sensoriis, ad cerebrum usque propagari debet, cum alias possibile non sit, eundem ex nervis sensoriis in motorios derivari.

Mutatio in corpore, dum sentimus.

Idem quoque ex natura imaginationis facile colligitur. Nemo non novit nos vi imaginationis nobis repræsentare objecta absentia eodem prorsus modo, ac si præsentia essent (§. 92. *Psychol. empir.*). Nullum adeo dubium est similem alteri mutationem in corpore contingere debere, qualis in eodem accidit dum sentimus. Nihil vero adest, quod mutationem in organo sensorio causetur. Alia igitur mutatio locum habere nequit, nisi in cerebro, consequenter necesse est aliquam in cerebro mutationem quoque accidere debere, dum sentimus. Ea autem pendet ab impressione in organa facta. Quamobrem cum ex organo nervi ad cerebrum usque protendantur, quemadmodum ex Anatomia notorium est; motus nervis sensoriis impressus dum sentimus ad cerebrum usque propagari debet.

§. 112.

Speciei impressæ & ideæ materialis definitio.

Motum ab objecto sensibili organo impressum dicemus posthac *Speciem impressam*. Motum vero inde ad cerebrum propagatum vel ex illo in cerebro enatum *Ideam materialem* appellabimus.

§. 113.

Coëxistentia idearum sensualium & materialium.

Quoniam in anima non datur perceptio objecti sensibilis, nisi motus impressus nervo sensorio ad cerebrum propagetur (§. 111.); *Ideis sensualibus ideæ materiales in cerebro coëxistunt* (§. 95. *Psychol. empir.* & §. 112. *Psych. rat.*).

§. 114.

Numerus idearum materialium.

Singulis ideis sensualibus singulæ respondent materiales (§§. 95. 65. *emp.* 112. *rat.*).

E. gr. Habemus ideam sensualem equi: datur vero etiam idea equi materialis, hoc est, motus aliquis in quibusdam cerebri partibus possibilis est, qui si in cerebro excitetur, anima sibi repræsentat equum. Immo & singulorum equorum diversæ sunt ideæ materiales, quemadmodum sensuales, cum nullum equum alteri prorsus similem esse constet (§. 246. *Cosmol.*). Et eodem modo sese res habet cum ideis materialibus rerum sensibilium aliarum quarumcunque.

§. 115.

§. 115.

Si species impressa fuerit eadem; idea quoque materialis eadem esse debet: si vero species impressa fuerit diversa, idea quoque materialis diversa est (§. 112 rat. 56. 118. Ont.). Specificatio idearum materialium.

Propositio præsens nititur evidentia identitate principii rationis sufficientis.

§. 116.

Quodsi ergo contingat a diversis objectis impressam speciem esse eandem; idea materialis eadem quoque *erit.* Identitas idearum materialium unde.

Hypothesin esse possibilem alibi jam ostendimus (*not.* §. 87. *Psych. emp.*).

§. 117.

Similiter *si contingat speciem ab eodem objecto sensibili impressam esse diversam, idea quoque materialis esse debet diversa.* Diversitas idearum materialium unde.

Hypotheseos possibilitatem denuo alibi evicimus (*not.* §. 89. *Psych. empir.*).

§. 118.

Si eadem in cerebro excitatur idea materialis; eadem quoque in anima nascitur idea sensualis (§. 115. 112. rat. 86. 95.) emp. & contra (§. 114. rat.). Identitatis idearum sensualium ratio.

E. gr. Si idea materialis ab equo picto & vivo eadem excitatur; equus pictus apparebit quasi vivus. Atque talem nobis apparere pictum affirmamus, si non obstante omnimoda similitudine aliunde constet, equum, quem videmus, esse pictum, non vivum.

§. 119.

Quodsi ergo *contingat a diversis objectis sensibilibus eandem ideam materialem excitari; eadem* quoque *erit idea sensualis & contra.* Idearum sensualium identitas unde.

Ita homo adultus per vitrum concavum visus instar pueri apparet, atque adeo certum est radiis per vitrum concavum ab homine adulto in oculum transmissis eandem speciem imprimi, ac hinc porro eandem ideam materialem excitari, quæ species eidem imprimitur ac idea materialis excitatur, si oculo nudo puerum intuemur. Optica plurima suppeditat exempla & ab hoc principio multa phænomena optica lu-

cem fœnerantur, ut intelligantur ab iis, qui demonstrationes Mathematicorum non capiunt.

§. 120.

Diversitatis idearum sensualium ratio.

Si diversa excitatur idea materialis, diversa quoque in anima nascitur idea sensualis (§. 115. 112. rat. 290. Ontol. 88. 95. empir.), & contra *si diversa in anima oritur idea sensualis, idea quoque materialis diversa est (§. 114.).*

§. 121.

Diversitatis idearum sensualium ejusdem objecti ratio.

Quodsi ergo *contingat ab eodem objecto sensibili diversam ideam materialem excitari, diversa quoque erit idea sensualis.*

Eadem sæpius apparere diversa atque adeo eorundem ideam sensualem diversam esse a posteriori liquet. Ita turris quadrata e longinquo visa rotunda apparet. Eadem igitur e longinquo spectata idea materialis est, quæ in vicinia a turri rotunda producitur. Atque adeo alia ab ea excitatur idea materialis, si in vicinia spectatur; alia vero, si videtur e longinquo. Vid. *not.* §. 119.

§. 122.

Idea materialis & sensualis ejusdem objecti quando eadem.

Si organum sensorium eodem modo fuerit constitutum & idem objectum sensibile ad organum eodem modo sese habuerit; idea quoque *materialis & sensualis eadem esse debet.* Etenim si organum sensorium eodem modo fuerit constitutum, veluti si oculus sanus in utroque casu nudus fuerit, vel vitro concavo munitus in utroque; ex parte organi sensorii nulla adest ratio, cur ab eodem objecto sensibili diversus organo imprimi debeat motus. Similiter si objectum idem sensibile eodem modo sese habuerit ad organum, veluti si oculo in eadem distantia æquali lumine collustratum directe objiciatur, nulla quoque ex parte objecti ratio adest, cur nervis sensoriis alium in uno casu, quam in altero motum imprimere debeat. Quoniam vero per se patet, motum nervis sensoriis imprimendum aliunde quam a constitutione organi externa atque intrinseca & modo, quo idem objectum ad organum refertur, pendere; nulla prorsus apparet ratio, cur diversus motus ab objecto sensibili organo sensorio imprimi debeat. Jam vide §. 70. *Ont.* 112. 115. 118. *rat.*

§. 123.

Si organum sensorium non fuerit eodem modo constitutum, vel objectum idem ad ipsum non eodem modo referatur; diversa esse potest idea materialis & sensualis (§. 112. 115. 118.). Ejusdem objecti quando diversa esse possit idea sensualis.

§. 124.

Patet, *oculum rite esse constitutum, si idem objectum in eadem distantia & eodem situ ad oculum lumine ad claram atque distinctam visionem sufficiente collustratum tale apparet, quale antea in ista distantia & situ isto eodem lumine illustratum nobis apparuit;* vel in genere *organum sensorium rite esse constitutum, si idem objectum, quod eodem modo sese habet ad organum, quo alias sese habuit, tale quoque apparet, quale alias apparuit.* Et vicissim *si constet organum sensorium rite esse constitutum, objectum quoque idem eodem modo ad organum sese habere recte colligi, ubi tale apparet, quale alias apparuit, quando sese isto modo ad organum habebat; quidpiam vero in hoc fuisse immutatum, ubi aliter apparet quam alias:* immo *si constet, objectum idem eodem modo sese habere, ac sensualem ideam diversam nobis esse, organum quoque sensorium non eodem modo esse constitutum, quo alias constitutum fuerat, recte colligi* (§. 122 sq.). Fallacia sensuum quomodo vitanda.

Habemus nunc principia sufficientia ad fallaciam sensuum detegendam & evitandam, hoc est, ad apparentias objectorum constantes ab inconstantibus discernendas: id quod necesse est, ubi ex phænomenis colligere volueris, quæ ad scientiam prosunt. Exemplum illustre habemus apud *Hevelium* Cometogr. lib. 7. f. 363. Ex eo enim, quod diversis temporibus nudo oculo stellulas sextæ & septimæ magnitudinis discerneret, cœlo undique existente sereno, colligit oculum suum illis eodem modo fuisse constitutum, quoad intrinsecam scilicet constitutionem. Quoniam stellæ fixæ in se nullam patiuntur mutationem nobis observabilem, intra adeo breve temporis spatium, quo eas observavit *Hevelius*, constitutio objecti intrinseca eadem erat tempore quolibet observationis. Et quoniam idem erat aëris status, nec fixæ distantiam mutaverant a Terra; objecti constitutio extrinseca eadem erat. Quia denique stellas sextæ & septimæ magnitudinis optime videbat & a se invicem discernebat; idea quoque sensualis uno tempore observationis non alia erat, quam alio. Ex eo igitur, quod objecto

eodem modo ad organum sese habente eadem esset idea sensualis, collegit *Hevelius* aut saltem lector ex eo colligere potest eandem organi constitutionem.

§. 125.

Claritas idearum sensualium unde.

Si motus nervis sensoriis impressus celerior est, idea sensualis clarior, & contra (§. 95. 65. *empir.* 56. *Ontol.* 114. 112. *rat.*). Jam cum iisdem fibrillis nerveis motum imprimere debeat objectum eodem modo ad organum relatum, nulla existente diversitatis ratione, sine qua nec diversitas obtinere potest (§. 70. *Ontol.*); non alia diversitas in impressione in nervos sensorios facta locum habere potest, quam diversus celeritatis gradus, quo fibrillæ nerveæ cientur. Quamobrem si sensualis idea una clarior altera; motus nervis sensoriis impressus celerior. Quoniam vero iisdem ideis sensualibus positis eadem quoque ponenda mutatio in organo est & vicissim eadem mutatione in organo posita eadem ponenda mutatio in anima (§. 90. *Psych emp.*); si motus nervis sensoriis impressus celerior est, idea sensualis clarior esse debet.

Idem ostenditur ex phænomenis hoc modo. Quotidie experimur, nos clarius videre idem objectum in eadem distantia, ubi multo lumine fuerit collustratum, quam ubi debili perfunditur, v. gr. clarius idem objectum ex eadem distantia videtur in luce diurna, quam in crepera. Nemo non novit, in priori casu lumen majus, in posteriori minus ab objecto in oculum reflecti. Enimvero lumen majus motum celeriorem imprimere debet fibrillis nervi optici, quam minus. Quamobrem cum motus fibrillis nerveis impressus celerior, visio, consequenter idea sensualis clarior (§. 95. *Psychol. empir.*). Nimirum si oculus eidem objecto in eadem distantia directe obvertitur: eædem fibrillæ a lumine ab iisdem objecti punctis emanante percutiuntur, adeoque differentia in casu diversitatis visionis alia locum minime habet, quam quod in casu visionis claræ eædem fibrillæ a pluribus radiis lucis percutiantur, quam in casu visionis obscurioris. Non absimili modo idem de ceteris sensibus patet. Quod vero posita majori ideæ sensualis claritate celerior

rior motus fibrillis nerveis impressus dari debeat, intelligitur ex §. 118. 115. 112.

Idem quoque ex phænomenis colligitur. Si Solem occasui vicinum defixis in eum oculis intuentes mox oculos occludimus; species Solis aliquoties nobis recurrit, sed semper debiliori colore tincta, donec prorsus obscura evadat instar disci nigri apparens. Quoniam ideis sensualibus ideæ materiales in cerebro coëxistunt (§ 113.); facile apparet motum in Sole fibrillis nerveis impressum non statim cessare, sed sensim sensimque languescere, celeritate continuo imminuta. Dum igitur anima speciem Solis minus claram percipit, motus organo impressus tardior est.

Habemus adeo rationem claritatis idearum sensualium, quatenus sunt explicabiles per mutationes in organo sensorio factas: animæ vero, cujus essentia & natura in vi repræsentativa universi situ corporis organici in universo materialiter & constitutione organorum sensoriorum formaliter limitata (§. 66. 67.), essentiale & naturale est, ut hac vel ista claritate gaudeant ideæ sensuales.

§. 126.

Si idea materialis in celeriore motu consistit, idea quoque sensualis clarior est & ubi idea sensualis clarior deprehenditur, idea quoque *materialis in motu celeriore consistere debet* (§. 112.). Claritas idearum sensualium quomodo a materialibus pendeat.

§. 127.

Si a diversis sensibilis partibus diversis fibrillis nerveis motus imprimitur, distincta erit idea sensualis. Motui nimirum fibrillis nerveis A impresso sua respondet idea peculiaris; peculiaris quoque motui fibrillis nerveis B impresso (§. 90. *Psych. emp.*). Jam conf. §. 41. *emp.* Distinctio idearum sensualium unde fit.

Habemus adeo rationem, per quam patet, quando ideæ sensuales distinctæ sunt, & cur potius sint distinctæ quam confusæ, quatenus scilicet per mutationem in organo explicabiles.

§. 128.

Si a diversis sensibilis partibus iisdem fibrillis nerveis motus simul imprimitur; idea materialis & sensualis diversa est ab Confusio idearum sensualium unde & ea-

rum diversitas ab iis, quæ inter se confunduntur.

ab iis, quæ ex actione singularum partium in eandem sigillatim facta nasceretur, & sensualis idea confusa est (§. 112. 115. 120. 93 sq. *rat.* 90. 39. *emp.*).

Habemus adeo rationem, cur quædam a nobis confuse percipiantur, & per eam simul patet, quando id fieri debeat: animæ enim essentiale est, ut ideæ sensuales sint explicabiles per mutationes in organo sensorio factas. Ceterum propositionem præsentem illustrant, quæ de coloribus compositis perceptionum confusarum illustrandarum gratia adducuntur.

§. 129.

Quando objectum aliquod obscure, vel prorsus non percipiatur.

Si quid fibrillis nerveis motum imprimere non possit, plane non percipitur (§. 62. 24. *emp.*): *si vero motus impressus sit nimis lentus, vix ac ne vix quidem obscure percipitur* (§. 125. *rat.* 31 sq. *emp.*).

Habemus adeo rationem, cur claritas perceptionis continuo decrescere & tandem in obscuritatem degenerare, immo prorsus evanescere debeat.

§. 130.

Finis imaginis in oculo delineatæ.

Si imago visibilis difformis in oculo delineatur, idea visibilis distincta est; si nulla delineatur, distincta esse nequit. Fibrillas enim nerveas expansione sui producere tunicam retinam, ex Anatomicis constat. Dum imago objecti in retina delineatur, radii ab eodem visibilis puncto emanantes in eodem retinæ colliguntur (§. 76. *Optic.*). Quamobrem imagini debetur, quod a diversis sensibilis difformis partibus diversis fibrillis nerveis motus imprimatur, consequenter quod idea visibilis distincta sit (§. 127.).

Ponamus jam lumen per pupillam illapsum ita dispergi per retinam, quemadmodum in pupillam incidit. Quoniam a puncto radiante ad quodlibet punctum emittitur radius, in quod ex illo linea recta duci potest (§. 60. *Optic.*); a quolibet visibilis oculo oppositi puncto ad quodlibet pupillæ punctum radius aliquis affluit, atque adeo lumen a singulis punctis emanans in pupilla commiscetur, consequenter in eo, quem supponimus, casu idem

idem in retina accideret. Iisdem igitur fibrilis nerveis a singulis visibilis punctis seu partibus potius exiguis simul imprimeretur motus, consequenter idea visibilis foret confusa atque diversa prorsus ab ideis singularum partium (§. 128.): quas adeo cum agnoscere & a se invicem distinguere non daretur, idea nullatenus distincta foret (§. 32. *Psych. empir.*). Enimvero si radii a diversis punctis visibilis egressi in oculo miscerentur; a retina reflexi non amplius secum ferrent speciem integram puncti rediantis (§. 74. *Optic.*), consequenter nulla in eadem delinearetur imago. Patet igitur absente imagine, visionem non fore distinctam, consequenter ut idea visibilis distincta sit, imaginem in retina delineari debere.

Habemus adeo rationem, cur imago visibilis in oculo delineanda, atque inde pendet totius structuræ oculi ratio (§. 78. *Optic.*).

§. 131.

Ideæ visibilium sunt explicabiles per imagines eorum in oculo delineatas, hoc est, *ex imaginibus istis reddi potest ratio, cur visibilia tali potius modo, quam alio repræsententur (§. 75. Opt. 85. emp.).* Idearum visibilium rationes unde petantur.

Habemus hic rationem, cur per imaginem in oculo delineatam idea visibilis explicabilis. Nimirum ideæ visibilium, quemadmodum ceterorum sensibilium, explicari possunt per ideas materiales in cerebro. Ideæ materiales in cerebro explicabiles sunt per species impressas, seu motus in organis sensoriis fibrillis nerveis impressos. Atque ideo ideæ quoque visibilium ceterorumque sensibilium explicabiles sunt per species impressas. In oculo species impressa pendet tota ab imagine, quæ in retina delineatur. Quamobrem per imaginem quoque in oculo delineatam idea visibilis explicabilis.

§. 132.

Si imago in oculo delineata fuerit clara; idea visibilis clara est. Etenim si imago in oculo delineata fuerit clara, ab eodem visibilis puncto radii multi in oculi fundo uniuntur; sin minus clara, pauciores (§. 75. *Optic.*). Quoniam itaque radii plures fibrillis nerveis celeriorem motum imprimunt, quam pauciores; si imago visibilis in oculo fuerit clara, motus fibrillis nerveis impressus celerior est, quam si minus clara extiterit. E. (§. 125.). Claritas visionis unde.

§. 133.

Distincta visio unde.

Si imagines singularum partium visibilis, ex quibus ejus imago componitur, fuerint claræ, idea visibilis distincta est (§. 132. rat. 40 sq. emp.); sin minus claræ fuerint, nec hæc satis distincta est (§. 132. rat. 31. 38. emp.).

* Ex hac propositione perspicitur, cur idea visibilis distincta simul esse debeat clara & quod clara esse possit, etiamsi distincta non sit. Causa nimirum distinctæ visionis supponit causam claræ, seu eidem superaccedit tanquam determinatio specifica genericæ. Imago redditur distincta, quatenus radii a diversis partibus objecti manantes in diversas retinæ partes deferuntur (§. 127); clara vero, quatenus radii multi ab eodem objecti visibilis puncto egressi in eodem retinæ colliguntur (§. 132). Atque adeo patet, ut distincte percipiatur visibile a diversis visibilis punctis emanantes radios sufficiente quantitate in diversis retinæ punctis colligi debere: quod ubi contingit, imago clara atque distincta in oculo delineatur. Præterea quoque præsens propositio usum prorsus insignem habet in usu microscopiorum & telescopiorum. Constat per microscopia & telescopia amplificari imagines visibilium: quo ipso obtinetur, ut, qui a diversis visibilis partibus egressi radii in oculo confundebantur, jam ad diversas retinæ partes deferantur. Et hoc pacto imago fit distincta, quæ antea erat confusa. Enimvero cum eadem tamen maneat quantitas luminis, pauciores jam radii eandem fibrillam nerveam feriunt, quam ante distractionem luminis: quapropter claritas decrescit. Et hoc pacto imago fit minus clara, dum magis efficitur distincta. Claritas vero eo usque deficere potest, ut jam ob eam imminutam non agnoscantur & discernantur, quæ antea ob confusionem radiorum agnosci & discerni non poterant. Et hinc idea imagini respondens minus distincta est, quam si ea parvior esset.

§. 134.

Obscuritas visibilis unde.

Si imago in oculo fuerit obscura, idea quoque visibilis obscura. Si enim imago visibilis in oculo fuerit obscura, pauci admodum radii a visibili ad oculi fundum pertingunt. Motus igitur impressus fibrillis nerveis admodum lentus est, consequenter visibile obscure percipitur (§. 129.), & idea ejus obscura est (§. 95. empir.).

In

In luce crepera obscura videntur visibilia: tum vero paucum admodum lumen ad oculum reflectunt. Immo camera quoque obscura loquitur, imagines objectorum pauco lumine collustratorum fieri obscuras (§. 79. *Optic.*). Idem vero in oculo accidit, quod in camera obscura (§. 61. *Optic.*).

§. 135.

Si imago in oculo confusa est, idea quoque visibilis confusa est. Si enim imago confusa est, radii a diversis objecti partibus manantes in eodem retinæ puncto colliguntur & ita confunduntur. Radii adeo a diversis visibilis partibus venientes iisdem fibrillis nerveis motum una imprimunt. E. (§ 128.). Confusio visibilis unde.

Objecta minuta admodum confuse percipiuntur. Unde si imago ope lentis convexæ amplificatur, ut ad diversas retinæ partes jam deferantur radii, quæ ad eandem antea pertingebant, distincta jam apparent, quæ antea erant confusa. Et experimentis in camera obsura institutis idem confirmari potest. Quodsi vero jam perpenderis quæ de ideis visibilium earumque differentia dicta sunt, quatenus ratio differentiæ in mutatione organi sensorii continetur; manifestum est, cur ideæ visibiles, immo perceptiones omnes sensuales, dividi debeant in claras & obscuras, & cur claræ subdividendæ sint in confusas & distinctas, nec alia admittenda sit differentia. Etenim radii luminis aut celerem imprimunt motum fibrillis nerveis, aut lentum. In priori casu idea visibilis clara est, in posteriori obscura. Porro aut radii a diversis visibilis partibus manantes in eodem retinæ puncto colliguntur, aut ad diversas deferuntur. Si prius accidit, idea confusa est: si posterius accidit in casu claritatis, idea distincta est: si vero in casu obscuritatis locum habet, distincta fieri nequit. Atque adeo patet ideam quidem visibilem claram esse posse vel distinctam, vel confusam; sed hanc differentiam applicari minime posse ad ideas obscuras. Liquet etiam, si ideæ claræ atque obscuræ, distinctæ atque confusæ eo modo explicentur, quo nos eas explicamus, veritatem definitionum nominalium ab ipsa natura animæ (§. 67.) & lege sensationum in ea fundata (§. 78 *rat.* & §. 85. *empir.*) pendere. Quod vero idem ad ideas sensuales promiscue applicari possit, quod in visibilibus adeo evidens est; non minus manifestum est (§. 125. & sqq.).

§. 136.

Sensatio quomodo fortior vel debilior.

Si vis sensibilis major fuerit, sensatio fortior est: si illa minor, hæc debilior. Sensibile agit in sensorium, quatenus fibrillis nerveis motum imprimit. Quodsi ergo vis major fuerit, fibrillis nerveis celerior motus imprimitur quam si minor fuerit: ecquis enim inficiari audet, mobili eidem motum celeriorem imprimi vi majore, quam minore? Est igitur sensualis idea, consequenter sensatio (§. 95. *Psychol. empir.*) clarior, si vis sensibilis major fuerit, quam si minor extiterit (§. 125.). E. (§. 74 sq. *empir.*).

Tonitru perceptio in vicinia fortior, quam si idem e longinquo auditu percipitur, ubi sæpius dubius hæres, an sit tonitru, quod jam auditu percipis, an sonus quidam alius: quo in casu claritas ideæ in obscuritatem degenerat. Tonitru vero vis in vicinia major est, quam e longinquo advenientis, cum sonum sensim sensimque languescere constet.

§. 137.

Visio quando fortior, quando debilior.

Quoniam luminis intensi vis major est, quam minus intensi (§. 81. *Optic.*): ideo *visio fortior, si lumen fuerit intensius; debilior, si minus intensum.*

Ita visio Solis fortior est, quam Lunæ (§. 76. *emp.* 86 sqq. *Opt.*).

§. 138.

Idea in confusione quando prævalere dicatur.

Idea sensibilis fortioris *prævalere* dicitur, si cum idea debilioris confusa parum inde mutatur, ut mutatio vix ac ne vix quidem, aut prorsus non percipiatur.

E. gr. Ponamus duos colores diversos invicem commisceri, sed per hanc mixtionem unum eorum parum immutari, ita ut vix appareat, colorem alium eidem fuisse admixtum; dicitur coloris istius idea prævalere adversus hujus ideam.

§. 139.

Quænam idea in confusione prævaleat.

Si duo sensibilia, quorum vires insigniter inæquales sunt, in easdem fibrillas nerveas simul agunt; idea sensibilis fortioris prævalet (§. 128. 138.).

Si

Si infuso trifolii aquatici perparum sachari addas; sapor amarus parum mutatur, ita ut sacharum admixtum nihil mutationis induxisse videatur.

§. 140.

Idea visibilis quænam in confusione prævaleat.

Quoniam vires visibilium a quantitate luminis pendent, quod ab iisdem in easdem retinæ partes defertur; *si lumina duorum visibilium in easdem fibrillas nerveas simul agentium admodum inæqualia fuerint; idea visibilis lumen majus in oculum immittentis prævalere debet (§. 139).*

E. gr. Si interdiu oculum in cœlum convertas, lumen ab atmosphæra reflexum in oculum incidit suaque in retinam actione in causa est, ut colorem istum cœruleum videamus qui cœlo inesse videtur. Idem vero lumen totam occupat retinam atque adeo toto obtutu comprehenditur aliqua cœli cœrulei pars, quantam scilicet ille capere potest. Nullum est dubium interdiu quoque lumen stellarum eadem quantitate per atmosphæram demitti & in oculum incidere, qua demittuntur & in oculum incidunt noctu. Incidunt autem interdiu in easdem fibrillas, in quas agit lumen Solis ab atmosphæra reflexum. Enimvero idea coloris cœrulei cœli prævalet, ut stella prorsus non percipiatur; nullam adeo mutationem sensibilem isti inducit, dum cum ea confunditur. Vi autem præsentis propositionis colligitur, lumen stellarum admodum debile esse debere, si conferatur cum lumine solari ab atmosphæra reflexo.

§. 141.

Idea quando per confusionem parum mutetur.

Si actiones sensibilis fortioris ac debilioris propemodum eædem fuerint, nisi quod gradu differant & utrumque in easdem fibrillas simul agat; idea nascitur parum differens ab ea, quæ uni soli in easdem agenti respondet (§. 128. rat. 90. emp. 125. rat.).

Ponamus duos sapores dulces specie quidem a se invicem differentes & eorum commixtione prodire itidem saporem dulcem. Gradus quidem dulcedinis mixtæ differet a dulcedine qualibet simplici; si tamen dulcedines simplices a se invicem parum differant, nec compositus ab utroque multum differet.

§. 142.

Quando idem accidat visibilibus.

Quodsi lumina diversa simul agant in retinam, quæ singula a se in vicem distingui possint, quorum tamen unum fortius est altero; nascetur idea confusa ab utriusque luminis idea haud multum differens (§.141.).

Exempli loco esse potest Luna interdiu cœlo sereno instar nubeculæ pallida. Etenim dum cœlum intuemur, lux diurna ab atmosphæra reflexa totam retinam occupat, ac ideam cœrulei coloris causatur, qui cœlo inesse videtur. Quoniam Luna ultra atmosphæram ab oculo distat; fieri sane non potest, quam ut lumen Solis ab atmosphæra reflexum, seu lux diurna, & qua objecta terrestria, quæ radiis Solis directis minime feriuntur, collustrantur, una cum lumine Lunæ in eandem retinæ partem incidant atque sic in easdem fibrillas nerveas una agant. Enimvero Luna tum pallida apparet. Confusa igitur palloris idea non prorsus eadem cum idea luminis lunaris, nec prorsus eadem cum idea lucis diurnæ, nec tamen prorsus diversa ab utraque. Cum luminis quædam idea sit, ex eo nascitur, quod duplex lumen diversum una agat in easdem fibrillas. Quatenus vero hic pallor differt a luce diurna, & hinc orto cœli colore cœruleo, limites suos sortitur ac ideo Lunæ figura una exhibetur (§. 621. *Ontol.*). Lucem vero diurnam in eam retinæ partem, in quam incidit lumen lunare, non modo ab ea amotsphæræ parte, per quam ad oculum ipsum defertur, sed aliunde quoque illabi, hinc apparet quod Lunæ lumen non amplius adeo palleat, si per tubum longiorem eandem respicias, ut ad oculum deferri non possit lux diurna, nisi quæ cum lunari eadem via progreditur. Ex præcedentibus adeo propositionibus intelligitur, quando lumen majus obfuscet minus ac in genere sensatio fortior obscuret debiliorem (§. 76. *Psych. emp.*).

§. 143.

Ideæ materiales & sensuales quando prorsus cessent.

Si organum sensorium destruitur, ideæ materiales & sensuales prorsus cessant, seu anima sensibilia ejusdem organi non amplius sensu percipere valet (§. 112. 66. 111 sq. *rat.* 24. 95. *emp.*).

Organum destrui potest vel a natura, ita ut prorsus deficiat, dum homo nascitur, aut ad usum suum non sit aptum; vel casu quodam, veluti si oculus vulneratur, ut humores inde effluant omnes vel totus bulbus corrumpatur.

§. 144.

§. 144.

Si quacunque de causa, organum sensorium ad functionem suam prorsus ineptum redditur; cessat idea materialis & sensualis. Vide rursus §. 143.

Idem ulterius ostenditur.

§. 145.

Quodsi igitur quis fuerit natura cœcus, idea nulla visibilis materialis & sensualis in eodem dari potest (§. 143 sq. rat. 91. 93. emp.).

Cœcus cur nullam habeat ideam visibilis.

Ita cœcus nullam habere potest ideam coloris, qualem nos habemus, quibus oculorum usus concessus Etsi enim non defuerint cœci, qui tactu dijudicarunt colores; non tamen ideo eædem ipsis fuere ideæ colorum, quales sunt nobis.

§. 146.

Si quis fuerit natura surdus, idea nulla audibilis materialis & sensualis in eodem dari potest (vide denuo §. 145.).

Surdus cur nullam habeat ideam audibilis.

Quæ de visu atque auditu demonstrata sunt, ea ad ceteros sensus facile transferuntur.

§. 147.

Si organum sensorium fuerit vitiatum, ita ut actio sensibilis alia sit, quam alias foret, ubi vitio isto careret; idea materialis & sensualis alia est quam organi vitio isto non laborantis (§. 123.).

Vitio organi cur varientur ideæ.

§. 148.

Si vitium organi fuerit correctum, vel impedimentum usus ejusdem intrinsecum ablatum; ideis materialibus & sensualibus iisdem locus, qui alias in integro locum habent (§. 122.).

Quando ideæ materiales & sensuales restituantur.

§. 149.

Si idem sensibile in diversa organa sensoria agit; ideæ materiales & sensuales diversæ sunt (§. 112. 115. 120.). Experientia constat sensibile non posse eodem modo agere in unum organum, quo agit in alterum, veluti cum colorata agant in oculum mediante lumine, in tactum per contactum immediatum.

Diversitas idearum sensibilis ejusdem diversis sensibus percepti.

Si e.c.

Si e. c. cœcus tactu, qui visu pollet visu distinguit colorem rubrum ab alio; non eandem habent ideam. Dum cœcus tangit objectum colore rubro tinctum; digitis hinc inde leviter promotis; non aliam inde nanciscitur ideam, quam quæ nobis est eundem colorem simul videntibus, utut eadem nobis non sufficiat ad colorem rubrum ab alio similiter tactu percepto discernendum. Quilibet autem in seipso experitur, ideam coloris rubri, quæ visui debetur, diversam prorsus esse ab idea ejusdem, quæ tactui accepta ferenda. Immo si verum fateri fas est, tactu non percipitur nisi species asperitatis vel levitatis superficiei corporis rubri seu rubedine tincti. Unde ex accidente est, quod uno sensu distinguantur, quæ ad alium spectant: id quod determinatius enunciat propositio sequens.

§. 150.

Sensuum vicarius usus.

Si duæ qualitates in eodem sensibili insint necessario simul: uno sensu dignoscere licet, quæ ad alterum spectant (§. 955. Ontol.). Ex eo igitur quod una adest intelligitur, quod etiam adsit altera. E.

E. gr. Cum colore nigro certa quædam superficiei dispositio conjuncta est, vi cujus lumen ita reflectitur, ut sensationem istius coloris causetur, eaque tactu discernibilis. Ubi ergo ista deprehenditur superficiei dispositio, ibidem quoque adest color niger. Quamobrem si tactu illam adesse dignoscis, hoc ipso certus es corpus, quod tangis, nigrum esse debere. Atque ita contingit tactu discerni visibilia, quæ alias visu dignoscuntur. Evidentius idem patet in surdis loquentibus, qui verba ore prolata ex motu labiorum & variata in eo figura oris situque labiorum intelligunt. Cum singulis enim verbis singulæ conjunguntur configurationes oris labiorumque motus, ita ut absque iis illa proferri nequeant. Quamobrem qui motum labiorum orisque configurationem percipit, hæc jam verba proferri, non alia inde agnoscit. Visu adeo distinguit, quæ auditus sunt. Atque adeo patet cœcum a nativitate nullum habere ideam coloris, nec surdum a nativitate ullam habere ideam soni. Sed si cœcus tactu discernit colores, ideam colorum sociam habet, sed quæ cum tactui respondeat diversa prorsus est ab ea, quæ visui convenit. Et similiter si surdus visu distinguit verba loquentis, ideam sonorum sociam habet, sed quæ cum visui respondeat diversa prorsus est ab ea, quæ auditui propria. Quando igitur com-

commune in casu primo ideæ tactui & alteri visui respondet in secundo ideæ, quæ visui & alteri, quæ auditui respondet, imponitur nomen; eodem nomine res prorsus diversæ denotantur, etsi ad hoc sufficiat, ut ad diversas istas ideas animum advertentes se invicem intelligant: quod quomodo fiat, deinceps distinctius docebimus, quando de imaginatione sumus acturi.

§. 151.

Si ex decreto animæ ob sensationes prævisas situs corporis mutatur, sensationes a libertate animæ pendent quoad actum (§. 85. emp. 56. 851. Ont. 941. emp.).

Quomodo libertas animæ influat in sensationem.

Notandum est perceptiones prævideri vel quoad rationem suam specificam, vel quoad genericam, & utroque in casu admitti gradus, ita ut subinde ad differentias admodum generales animum advertere possis, veluti cum te in locum alium confers, ut alias habeas sensationes, qualescunque tandem fuerint, non respiciendo nisi ad solam diversitatem illarum a præsentibus. Prævides igitur tantum sensationes quoad earum a præsentibus diversitatem. Ceterum per propositionem præsentem intelligitur, quomodo libertas influat in sensationes: id quod in Moralibus utilitate sua non destituitur, ubi doceri debet, quando & in quantum nobis imputari possint sensationes nostræ, consequenter & alia quæ ab iis pendent.

§. 152.

Si ex decreto animæ situm corporis non mutes, sensationum prævisarum gratia, nec alio quocunque modo impedias, ne sensibile aliquod in organum sensorium agat, sensationes, quarum gratia hoc non facis, denuo a libertate animæ pendent (vid. §. 151.).

Alius casus libertatis in sensationem influentis.

§. 153.

Si quid ex decreto animæ agas eo fine, ut sensibile quodpiam percipias, aut quid eo fine ab aliis fieri jubeas; sensationes denuo a libertate animæ pendent (vide denuo §. 151.).

Casus adhuc alius.

E. gr. Jubes pingi imaginem pictamque in musæo e regione tui erigi, ut vultus erectus in eandem statim dirigatur, visio ejusdem imaginis semper pendet a libertate animæ, cum actum continuum decreveris.

§. 154.

Perfectio imaginis in quo consistat.

Perfectio imaginis in similitudine cum re, cujus imago est, consistit (§. 85. *rat.* 181. 195. 503. *Ont.*).

Apparet facile sermonem nobis esse non de partiali quadam similitudine, sed de totali.

§. 155.

Perfectio idearum sensualium.

Quoniam ideæ sensuales imagines sunt (§. 86.); *ipsarum* quoque *perfectio in similitudine cum sensibilibus consistit* (§. 154.).

§. 156.

Ideæ sensuales num sint perfectæ.

Quoniam ideæ sensuales sunt similes objecto, quod repræsentant (§. 91.); *ideæ sensuales perfectæ sunt.*

Ex accidente tamen est, quod una earum sit perfectior altera, quatenus similitudo nunc magis patet, nunc latet.

§. 157.

Similitudinis patentis & latentis differentia.

Similitudo idearum sensualium *patens* dicitur, quam anima agnoscit: e contrario *latentem* appellamus, quam non agnoscit, seu, quæ quidem adest, non tamen apparet.

Dari hanc similitudinis differentiam in ideis sensualibus, ex iis liquet, quæ de differentia idearum sensualium distinctarum & confusarum demonstrantur.

§. 158.

Quando idearum sensualium similitudo patens.

Ideis sensualibus inest similitudo patens, quatenus sunt distinctæ (§. 93. 91. 92. 157.).

§. 159.

Quando idearum sensibilium similitudo latens.

Ideis sensualibus inest similitudo latens, quatenus sunt confusæ (§. 94. 91. 92. 157.).

§. 160.

Quænam ideæ sensuales ceteris perfectiores.

Ideæ sensuales distinctæ perfectiores sunt confusis (§. 155. 157-159.).

Sane si quis distincte visu percipit arborem, ut radices a trunco, truncum a ramis, ramos a surculis, surculum a foliis, folia a gemmis visu distinguat; ejus idea perfectior est quam alterius, qui uno obtutu totam comprehendit arborem nihil earum partium, quæ a se invicem differunt, discernens.

§. 161.

§. 161.

Sensus eo perfectior est, quo magis distincte res repræsentat (§. 67. 24. 95. *emp.* 160. *rat.* 24. *emp.*). Quinam sensus perfectior ceteris.

Perfectionem sensuum æstimamus ex effectu: id quod ab eo, quod alias obtinet, alienum non est. Sane perfectionem horologii ex effectu, exacto scilicet motu indicis, & perfectionem organorum corporis humani ab eorum usu æstimamus. Facile etiam demonstrari potest sensus ac in genere causæ efficientis (ad cujus instar sensus hic consideratur) perfectionem ex perfectione effectus æstimari debere (§. 503. *Ontol.*).

§. 162.

Sensus omnium perfectissimus visus est: tactu perfectior auditus, quoad usum ordinarium: gustus & olfactus imperfectiores ceteris. Non alius sensus plura distincte percipit quam visus. Quoniam itaque sensus unus ceteris perfectior est, quo magis distincte res repræsentat (§. 161.); visus omnino sensuum omnium perfectissimus. Auditu non modo diversitatem sonorum distinguimus, quatenus eos clare, sed confuse percipimus; verum etiam vocum & sermonis distinctas habemus perceptiones, nec non concentuum musicorum. Qualitates tactiles utplurimum confuse; figuras tamen tactu distincte percipimus: vix vero aliud quid occurrit, quod aliter quam confuse percipiat, nisi situm & motus quosdam adhuc excipias magnitudinumque nonnullarum rationem: id quod tamen difficilius succedit quam in visu, nec ubivis, ubi visui idem licet, tactui permissum, ut adeo usus ejus in distinctis perceptionibus non esse soleat nisi visus vicarius. Gustus & olfactus sapores atque odores nonnisi confuse percipiunt. Auditus igitur, & tactus de prærogativa perfectionis inter se contendere poterant, si vicarium visus usum spectes, quem habet tactus; ast auditus tactu perfectior quoad usum ordinarium. E. (§. 161.). Sensuum quoad perfectionem differentia.

Quæ de tactu a nobis dicuntur mirifice illustrantur exemplo artificis cujusdam cœci, quod commemorat *de Piles* in Cursu picturæ Gallice conscripto p. 329.

§. 163.

Linearum ideæ quomodo tactu acquirantur.

Si digitum juxta ductum alicujus lineæ promoveamus; ideam nanciscimur lineæ & quatenus in recta directio digiti constanter eadem manet, in curva continuo mutatur, rectæ a curva differentia distincte percipitur: Quatenus vero repetito sæpius eodem digiti motu juxta ductum lineæ eundem deinceps libere repetere potes, claram, etsi confusam habes lineæ cujusdam curvæ in specie ideam (§. 6. 9. 12. 13. 10. 12. 19. Geom. 31. emp.).

Quilibet, quæ diximus, propria experientia addiscere potest, quamvis attentione opus sit, ne ideas, quas visui debemus, in lineas simul intuentes, vel saltem vi imaginationis easdem nobis repræsentantes, cum iis, quæ a tactu pendent, confundamus.

§. 164.

Curva a plana superficie quomodo tactu distinguatur.

Si manus superficiei cuidam applicatur, ideam planæ habemus, quatenus manus explicata vel digitus exsertus congruit parti, quam tangit, vel quatenus manus aut digitus ita applicatus juxta eandem directionem salvo contactu promoveri potest (§. 36. Geom.): ast curvæ nobis est idea, ubi neutrum succedit.

Cum, quæ curva est superficies, vel convexa sit, vel concava; docendum erit ulterius, quomodo concavum a convexo dignoscat tactus. Et quia curvedo non unica est, sed infinite varia; dispiciendum quoque, quantum ad species curvedinis a se invicem separandas prosit tactus.

§. 165.

Tactu quomodo convexum a concavo dignoscatur.

Si manus contractæ vel digiti incurvati interior superficies corporis superficiei congruit; ideam superficiei convexæ habemus: quodsi id fieri non possit superficiem tamen curvam esse constet, ideam superficiei concavæ habemus, quæ nobis etiam est, ubi convexam digiti superficiem in supremo articulo superficiei congruentem percipimus, quam tangimus, & salva congruentia huc illucve moveri posse experimur.

§. 166

Diversitatem convexitatis quomodo tactus discernat.

Convexitas major vel minor percipitur, prouti manus vel multum, vel parum coarctanda, aut digitus vel multum, vel

vel parum incurvandus, ut parti, quam tangit, congruat; & quatenus digitus in superficie convexa promotus vel longius a plano quodam recedit, antequam ad idem rursus accedere datur, vel breviori intervallo: imo etiam ex diversa directionis mutatione (§. 183. Ontol.).

Cum attentionis gradus exercitatione comparentur (§. 248. *Psychol. empir.*); claritas perceptionum in tactu ab exercitatione pendet, quæ in visu naturalis est. Inde est, quod qui visu pollent, tactus usum non faciant, quem habere potest, etsi subinde visui suppetias ferre valeret, siquidem eundem in potestate haberemus.

§. 167.

Concavitatis differentiam quomodo tactus dijudicet.

Concavitas major vel minor percipitur, prout digitus in superficie concava promotus celeri vel lento gradu directionem mutat.

Quæ de diversitate convexitatis & concavitatis per mutationem directionis digiti in superficie convexa vel cava incedentis diximus; ea unusquisque experiri potest.

§. 168.

Angulum rectilineum quomodo tactus dignoscat.

Ideam anguli rectilinei tactus beneficio habemus, quatenus digitum juxta eandem directionem promoventes contactum exspirare percipimus subito directionem mutaturi, siquidem eundem continuare voluerimus (§. 163. rat. 54. Geom.).

§. 169.

Species angulorum quomodo tactus dijudicet.

Quodsi crus unum anguli fuerit latitudini corporis nostri parallelum; ideam anguli recti habemus, quatenus digitum juxta ductum alterius cruris promotum nec in dextram magis quam in sinistram inclinare ex situ brachii respectu corporis dignoscimus (§. 230. 79. 78. Geom. 31. 38. emp.). Ast anguli acuti habemus ideam, quatenus digitus juxta crus alterum promotus versus sinistram excurrit, vel dum digitus promovetur, brachium non modo extenditur, verum etiam simul ad corpus accedit (§. 66. Geom.) Anguli denique obtusi idea nobis est, quatenus digitus juxta crus alterum promotus versus dextram excurrit, vel dum digitus promovetur, brachium non tantummodo extenditur, verum etiam simul a corpore nostro recedit (§. 66. Geom.).

Primum h. l. notandum est, non exactum requiri latitudinis corporis & cruris unius anguli parallelismum, sed sufficere, ut hoc cum illa ad parallelismum quodammodo accedat. Immo non opus est hoc parallelismo, sed eundem facilitatis tantummodo gratia supponi tenendum porro est, propterea quod plerumque objectum tangibile ante nos constituimus, dum idem tangere decrevimus, vel antè idem consistimus, ubi objectum loco suo dimoveri nequit vel id dimovere nolumus. Etenim qualemcunque crus anguli unum situm habuerit ad corpus, motu brachii constanter dignoscetur angulus rectus ab obliquo & acutus ab obtuso. Denique probe considerandum, quæ nobis in visum facile incurrunt, ea quoque sola attentione mentis non minus facile dignosci, ubi exercitatio accesserit.

§. 170.

Numerus specierum angulorum quomodo tactu dignoscitur.

Quoniam angulus rectus ab obliquis, obliquorum unus veluti acutus ab altero nempe obtuso distinguitur motu brachii, quatenus idem, dum digito excurrente extenditur, vel ad corpus accedit, vel ab eodem recedit, vel neutrum eorum contingit (§. 169.), plures autem motus brachii possibiles non sunt, quod per se intelligitur; *ipso tactu judice nonnisi tres angulorum species, scilicet recti, acuti & obtusi possibiles sunt.*

§. 171.

Situs lineæ unius ad alteram quomodo tactu dijudicemus.

Quoniam ex angulo recto agnoscitur, lineam unam esse ad alteram perpendicularem, ex obliquo vero, quod sit obliqua (§. 78. 80. *Geom.*), anguli autem recti & obliqui tactu a se invicem distinguuntur (§. 169.); *tactu* quoque *situs unius lineæ ad alteram dignoscitur, utrum scilicet una ad alteram sit perpendicularis, an vero obliqua.*

Nimirum situs lineæ unius ad alteram & angulus cum sint connexa; eodem modo beneficio tactus dignoscuntur atque unum ex altero colligitur.

§. 172.

Similia quantum tactu discernantur.

Tactu similia discernimus a dissimilibus, si qua talia tangibilia sunt. Similia enim habent ea, quæ ipsis insunt, communia (§. 195. *Ontol.*). Quamobrem cum in tactum agant, quatenus similia sunt *per hypoth.* & qua tangibilia instar causæ, mutatio vero

vero organo illata instar effectus considerari debeat (§. 886. *Ontol.*), eademque posita actione causæ efficientis idem effectus ponatur (§. 898. *Ontol.*); ab utroque tangibili impressa species eadem est (§ 112.), idea quoque materialis eidem respondens (§. 115.), consequenter & sensualis eadem esse debet (§. 118.). E.

E. gr. Ponamus sedilia retro inclinari, manu ad partem superiorem applicata; idea tibi erit prorsus diversa ab idea rei cujuscunque alterius, quæ simili modo inclinatur; eadem vero erit, quatenus eadem manus applicatione facta, quodcunque eorum retro inclines. Quamobrem beneficio hujus ipsius ideæ sedilia esse agnosces, adeoque entia similia, quæ tangis. Similiter tactu discernimus prunum a fructu alio arboris, atque eatenus tactus beneficio agnoscimus tangiblia essentia similia.

§. 173.

Genera & species rerum num tactus discernat.

Si tactu distinguimus similitudinem, quæ ad genus aliquod, vel speciem aliquam determinandam sufficit, ejus quoque beneficio agnoscimus, ad quodnam genus, ad quamnam speciem individuum aliquod sit referendum (§ 233 sq. *Ont.* 172. *rat.*).

Si exercitium accedat, tactus hac in parte plura præstare valet, quam credideris. Posse vero eundem quoque absque exercitatione plurimum præstare, exempla obvia confirmant.

§. 174.

Tactu quomodo numerus discernatur.

Tactus beneficio numerare res possumus, quarum genus seu speciem tactu distinguimus. Etenim tactus beneficio individua ad idem genus, vel ad eandem speciem referenda discernere licet (§. 173.), atque eatenus intelliguntur unitates eædem (§. 335. 336. *Ontol.*). Continua vero unitatis additione fit numeratio (§. 339. *Ontol.*). E.

Pone nimirum multitudinem prunorum. Quoniam ipso tactu discernis prunum a re quacunque alia (*not.* §. 173.), unum prunum post alterum de multitudine auferendo & in alium locum transferendo numerum eorum inire licet.

§. 175.

Magnitudo quomodo tactu dignoscatur.

Si digitum juxta ductum alicujus lineæ promovemus eadem celeritate, ex duratione motus magnitudinem ejus æstimare licet

licet (§. 31. *Mechan.* 578. 574. *Ont.*). *Subinde quoque eadem palpando innotescit, vel si manu capimus.*

Sufficit nunc ostendisse, quomodo nobis magnitudinis possit esse idea & quod eidem insint, unde magnitudinum ratio intelligi distincte possit. Ceterum exercitatione opus est, antequam digitum eadem celeritate promovere possis, ita ut eadem quoque retineatur celeritas in diversis motibus. Celeritas percipitur, ubi attentionem in eadem defigere didiceris. Atque huc redit exercitium alterum, ut attentione reddatur clara idea celeritatis (§. 237. *Psychol. empir.*), quo diversæ celeritates distingui possint (§. 31. *Psychol. empir.*). Cur vero hæc attentio major sit in cœcis, quam in iis, qui visu pollent, ex natura imaginationis ostendendum.

§. 176.

Quomodo figuræ planæ rectilineæ, curvilineæ & mixtilineæ dignoscantur.

Tactu discernere licet *figuras planas rectilineas* (§. 164. 163. 175. 168 sq. *rat.* 87 sqq. *Geom.*), *curvilineas* (§. 163.) & *mixtilineas* (§. 163.).

§. 177.

Oculi prærogativa præ tactu.

In figuris & magnitudinibus discernendis usus tactus ab usu oculi longo intervallo abest, seu multo minor & restrictior est tactus, quam oculi usus. Oculus enim visu comprehendit, quæ procul a nobis absunt, eorumque figuras & magnitudines distinguit: ast tactus tantummodo in iis terminatur, quæ ipsi adeo propinqua sunt, ut tangi possint, nec mole sua excedunt magnitudinem, ad quam brachium extensum digitum vel manum admovere valet. Præterea quædam adeo minuta sunt, ut in vicinia visu quidem discernantur, tactu tamen commode discerni nequeant, veluti quæ spectant ad structuram folii cujusdam, præsertim floris, quatenus ea in visum incurrit citra anatomiæ opem. Unde patet numerum sensibilium multo esse majorem, quæ visu, quam quæ tactu dignoscuntur, utut tantummodo rationem figuræ ac magnitudinis situsque partium habeas: immo plures quoque esse casus, in quibus objectum tactu discernibile visui patet, quam in quibus tactui obvium est. Præterea visus uno obtutu multa comprehendit & mira celeritate ea, quæ distingui possunt, perlustrat: ast cum tactus pleraque peragat motu digiti

digiti vel manus & insueta requiratur attentio ad eundem motum, ut singulis distinguendis sufficiat idea eidem respondens (§. 163. & sqq.), tactus nonnisi longo tempore expedit, quod visu vel momento absolvitur minimo. E.

CAPUT III.

DE

IMAGINATIONE ET MEMORIA.

§. 178.

Phantasmata animæ sunt repræsentationes compositi in simplici (§. 93. 104. 144 sq. *empir.* 83. *rat.* 139. 142. *empir.*). Phantasmata qualia sint.

§. 179.

Dum imaginamur, compositum aliquod absens in simplici repræsentatur (§. 92 sq. *empir.* 178. *rat.*). Uberior explicatio anterioris.

Atque adeo patet differentia, quæ inter ideas sensuales & phantasmata intercedit. Ideæ sensuales exhibent res compositas præsentes, phantasmata vero absentes.

§. 180.

Phantasmata sunt imagines (§. 178. 85.). Phantasmata sunt imagines.

§. 181.

Phantasmata rerum præteritarum sunt repræsentationes statuum mundi præteritorum. Dum enim phantasma rei cujusdam præteritæ producitur, perceptio quædam totalis producitur, quam antea habuimus, cum res ista una cum aliis tunc præsentibus in organa sensoria ageret (§. 104. *Psychol. empir.*). Enimvero quæ in mundo continuo mutantur, statum mundi absolvunt (§. 705. *Ontol.*). Quamobrem cum præterita in mutabilium numero sint (§. 584. 290. *Ontol.*); status mundi præteriti iisdem continentur. E. Phantasmata rerum præteritarum quid sint.

Fac tibi obvium fieri hominem, quem præterita die dominica vidisti in templo. Illico tibi sese sistit idea templi interioris una cum aliis hominibus, qui tunc adfuerunt, vel multitudine hominum, ubi nemo eorum tibi fuerit notus, vel tuam saltem attentionem in nullum convertisti, cum in templo præsens esses. Præteriit dies dominica, præteriit hora, qua in æde sacra conveniebant loci incolæ cultus divini gratia. Conventus ille desiit nec homo, quem ibi vidisti, ibidem amplius est. Nec sunt ibidem homines ceteri, qui tunc una erant in templo. Immo ipsemet nunc in templo non es, sed plures ante dies jam ex eodem abiisti. Quod igitur tibi repræsentas, non ad præsentem pertinet mundi statum; sed ad præteritum. Aliquem adeo statum mundi præteritum aut, si hoc nimis confidenter tibi dictum videatur, aliquid status præteriti mundi tibi repræsentas.

§. 182.

Idearum sensualium & phantasmatum interior statu.

Singulæ ideæ sensuales & phantasmata rerum præteritarum integrum statum universi, ad quem referuntur, involvunt. Ideæ enim sensuales sunt similes objecto, quod repræsentant (§. 91.), adeoque rebus in universo jam existentibus, dum percipiuntur (§. 67. *Psychol. empir.*). Enimvero in mundo res omnes a se invicem dependent quoad existentiam (§. 58. *Cosmol.*). Ideæ igitur sensuales illam dependentiam rei, quam exhibent, a ceteris omnibus simul involvere debent. Quamobrem cum dependentia importet rationem existentiæ unius in alio (§. 851. *Ont.*), adeoque ea respiciat in aliis, per quæ intelligitur, cur hæc insint huic (§. 56. *Ontol.*), status vero præsens uniuscujusque in hoc mundo existentis intelligatur per status præsentes ceterorum omnium una existentium (§. 205. 206. *Cosmol.*); per ideas nostras exhiberi nequit, nisi quatenus totius universi status una exhibetur, servata quidem ea relatione, quam status præsens rei clare perceptæ requirit. Quoniam vero impossibile est, ut omnes illos status a se invicem distinguamus, præsertim cum elementa sensu prorsus non percipiantur (§. 101.); eosdem quoque clare percipere nequimus (§. 31. *Psychol. empir.*), omnes adeo in unum confundimus. Idea adeo sensualis quæcunque statum totius universi, ad quem refertur, nempe præsentem involvere debet.

Phan-

Phantasmata rerum præteritarum sunt ideæ vi imaginationis reproductæ, quæ antea sensuum beneficio in nobis extitere (§ 93. 104. *Psychol empir.*), adeoque eædem cum sensualibus, quas ante habuimus (§. 95. *Psych. empir.*). Enimvero idea sensualis involvebat statum totius universi tunc temporis præsentem *per demonstrata.* Ergo etiam phantasma statum totius universi tunc temporis præsentem involvere debet.

Legant relegantque & attenta mente volvant revolvantque, quibus hæc videntur paradoxa, quæ de rerum nexu integro capite (§. 1-58. *Cosmol.*), de elementis corporum & horum ex illis ortu duobus capitibus integris (§. 176-301. *Cosmol.*) de natura & essentia animæ (§. 53. & seqq.), atque de sensationibus (§. 83. & seqq.), idea imprimis extensionis ac continui (§. 103.), spatii imaginarii (104. 106.), vis inertiæ (§. 108.) & motricis (§. 110.) dicta sunt.

§. 183.

Tendentia vis animæ.

Anima non modo statum mundi præsentem (§. 182.), *verum etiam præteritos* (§. 117. *emp.* 182. *rat.*) *repræsentare conatur*, consequenter cum vis animæ nonnisi unica sit (§. 57.), eaque universi repræsentativa (§. 63.); *vis universi repræsentativa animæ non modo ad repræsentandum universum quoad statum præsentem, verum etiam ad idem repræsentandum quoad status præteritos tendit.*

§. 184.

Idearum sensualium & phantasmatum interior ratio ulterius explicata.

Singulæ ideæ sensuales & phantasmata rerum præteritarum omnes status mundi anteriores involvunt. Etenim ideæ sensuales vi sensationis in anima existunt (§. 95. *Psych. empir.*). Atque idea sensualis oritur ex confusione mutationum intrinsecarum, quæ in elementis rerum seu substantiis simplicibus contingunt (§. 98.). Enimvero in omni elemento status singuli a se invicem dependent quoad existentiam (§. 199. *Cosm.*). In ideis ergo sensualibus (§. 91.) quoque contineri debet dependentia statuum singulorum in istis elementis a se invicem quoad existentiam, quorum mutationes in unum confunduntur. Jam ista dependentia non intelligitur nisi per status omnes anteriores (§. 851. 56. *Ontol.*). Ideæ igitur sensuali inesse debent repræsentationes omnium statuum anteriorum in iisdem elementis, quorum muta-

 tiones

tiones in eadem in unum confunduntur, & quidem in unum confusæ, propterea quod impossibile omnes illos status a se invicem distingui, præsertim cum elementa sensu prorsus non percipiantur (§. 101.). Constat vero ideas sensuales singulas involvere statum integrum universi, ad quem referuntur (§. 182.). Ergo

De phantasmatibus vide § 93. 104. *empir.* Fuere scilicet in idearum sensualium numero; adeoque eadem involuere debent, quæ sensuales involvebant. Jam vide proxime antecedentia.

§. 185.

Idearum sensualium & phantasmatum ratio adhuc uberius explicata.

Singulæ ideæ sensuales involvunt omnes status mundi futuros & quodlibet phantasma rei præteritæ involvit omnes mundi status, qui respectu illius rei futuri erant. Ideæ enim sensuales vi sensationum in nobis existunt (§. 95. *Psych. empir.*). Quamobrem cum anima, dum sentit, substantiarum simplicium, adeoque elementorum corporum (§. 182. *Cosm.*), mutationes intrinsecas, sed in unum confusas sibi repræsentet (§ 98.); in ideis sensualibus continentur omnes elementorum mutationes intrinsecæ, consequenter status eorum interni (§. 705. 706. *Ont.*), sed in unum confusi, ut neuter ab altero distingui possit. Enimvero status elementorum internus ea lege continuo mutatur, ut præsens contineat rationem sequentis (§. 197. *Cosm.*), consequenter præsens status quidpiam continet, unde intelligitur cur succedat futurus (§ 56. *Ont.*), ut adeo futurus insit præsenti per modum entis potentialis (§ 176. *Ont.*). Et quia ob continuam illam statuum sequentium ex antecedentibus nascentiam status quilibet præsens continet rationem aliquam remotam futuri cujuscunque (§. 197. *Cosm.*); status quilibet futurus in præsente latet per modum alicujus entis potentialis, sed diversi gradus (§. 176. *Ont.*). Et quoniam elementa rerum vi quadam prædita sunt (§. 196. *Cosm.*), qua ad mutationem status continuo tendunt (§. 725. *Ont.*); singulis quoque elementi statibus inest quædam tendentia ad omnes futuros, sed diversi gradus, quemadmodum ipsi status futuri per modum entis potentialis, sed diversi gradus insunt. Quoniam itaque ideæ sensuales objecto, quod repræsentant, similes sunt (§. 91.); in iis quoque status præsentes elementorum, qui repræsentantur, futuros per modum entium potentialium

tialium diversi gradus & virium tendentias ad eosdem diversi itidem gradus continere debent (§. 195. *Ontol.*). Enimvero singulæ ideæ sensuales integrum statum præsentem universi involvunt (§. 182.). E.

De phantasmatibus vid. §. 93. 104. 96. *emp.*).

§. 186.

Ideis nostris seu perceptionibus infinita insunt (§. 182. 184 seq.). Infinitudo nostrarum idearum.

Convenientissimum hoc est principiis Theologiæ naturalis, quorum fide hominem perfectionum divinarum speculum esse debere constat.

Conducit hoc corollarium ad rectius percipiendam differentiam, quæ inter intellectum finitum atque infinitum intercedit non uno modo. Nobis enim pleraque abscondita sunt, quæ in ideis nostris latent, ut eorum, quæ in iis distinguimus, ratio ad ea, quæ discernere nullo modo possumus, sit veluti infinite parvum ad quantitatem ordinariam, vel veluti quantitas quævis data ad infinitam, consequenter ea, quorum nobis conscii sumus pro nihilo habenda sint respectu eorum, quæ discerni non possunt. Ast in Deo, cujus intellectus infinitus est, omnia aperta sunt, nihil absconditum. Unde nobis absentia videntur & procul a nobis remota, quæ Deo præsentia sunt & propinqua. Ceterum si quis vi imaginationis adjuvare voluerit intellectum interiorem rationem idearum concepturum; is ad experimenta optica confugiat, ubi patet visibilia ita in unum confundi posse, ut nullum eorum ab altero distinguatur amplius, & hac confusione oriri non modo ideam confusam ab ideis distincte perceptorum prorsus diversam, verum multa etiam quasi in nihilum recidere, ut non amplius percipiantur, utut ingens eorum numerus confuse perceptibile quid constituat. Pertinent huc imagines, quæ a speculis conicis reflectuntur. Amplum enim spatium in vertice coni & prope eundem in exiguum spatiolum contrahitur, ita ut in illo depicta in speculo confuse quid perceptibile in imagine, quæ in speculo comparet, exhibeant.

§. 187.

Status tam præteriti, quam futuri non singuli eodem modo in idea rei præsentis, vel vi imaginationis reproductæ involvuntur: Similiterque status præsentes singulorum elementorum, qui- Involutio idearum partialium in una confusa.

quibus præsens mundi status constituitur, diverso modo in idea sensuali involvuntur. Fingamus seriem statuum præteritorum ad certum numerum esse redactam, qualis prodiret tempus omne elapsum in minuta secunda aut scrupula quæcunque alia istis minora resolvendo. Quodsi jam hos status spectes tanquam præteritos, evidens est ipsa præteritione eosdem differre, quatenus a præsente diversam sortiuntur distantiam, cum alii aliis citius præterierint. Quamobrem cum ideæ sensuales similes sint objecto, quod repræsentant (§. 91.); status præteriti ita in iisdem involvi debent, ut non negligatur diversa distantiæ uniuscujusque status præteriti a præsenti ratio. Atque adeo jam patet non eodem modo in idea sensuali involvi posse status mundi præteritos. Enimvero status elementorum interni, quibus status aliquis præsens mundi constituitur, ea lege mutantur, ut præsens rationem contineat sequentis, cur nempe sequens ad actum perducatur (§. 197. *Cosm.*), adeoque præterita habent se ad præsens per modum causæ ad causatum (§. 881. *Ontol.*), consequenter pro diversa a præsente distantia causæ erunt continuo remotiores. Ideæ igitur statuum præteritorum ita involvi debent, ut ulterior continuo admittenda sit involutio, quo longius a præsente abest præteritus. Atque ita nascuntur diversi involutionum gradus, qui exprimunt diversos dependentiæ modos præsentis ab antecedentibus.

Ex §. 181. 184. 185. constat, phantasmata rerum præteritarum aliquando fuisse in numero idearum sensualium. Ergo de phantasmatis quoque rerum præteritarum valet, quod de ideis sensualibus evicimus.

Series rerum successivarum, quæ datur in universo (§. 55. *Cosmol.*), per statum præsentem dividitur in duas partes, quarum altera exhibet status præteritos, altera futuros. Quemadmodum itaque in parte præteritorum status unusquisque diversam sortitur distantiam a præsente; ita in parte futurorum diversam status singuli distantiam habent a præsente, ita ut continuo crescat cum numero statuum futurorum. Sicuti igitur in serie præteritorum diversa illa distantia exprimi quoque debet in eorum involutione, ut ideo non uno eodemque modo in idea sensuali

fuali involvantur finguli ftatus præteriti: ita hæc diftantiarum diverfitas in caufa quoque effe debet, ut non uno eodemque modo finguli ftatus futuri in eadem involvantur. Porro res fucceffivæ in mundo adfpectabili omnes inter fe connectuntur (§. 54. *Cofm.*), cumque in numerum præteritorum abeant, quæ antea in numero futurorum erant, nexus futurorum idem prorfus eft, qui præteritorum, confiftens nempe in continua dependentia effectus a caufa. Quemadmodum nimirum in ferie præteritorum continuo afcenditur ad caufam remotiorem, ita in ferie futurorum continuo defcenditur ad effectum remotiorem. Et ficuti in ferie præteritorum ftatus præfens eft effectus continuo remotior, quo altius afcenditur; ita in ferie futurorum ftatus præfens fit continuo caufa remotior. Statui nimirum præfenti convenit dependentia diverfi gradus a fingulis ftatibus præteritis; fingulis autem ftatibus futuris competit dependentia diverfi gradus a præfente, ut ftatus præfens dici poffit gravidus futuri. Ergo Status futuri diverfo modo involvi debent in idea fenfuali.

Jam quod res coëxiftentes attinet, eædem quoque inter fe connectuntur (§. 53. *Cofmol.*), atque adeo in coëxiftendo ratio coëxiftentiæ unius continuo eft in altero (§. 10. *Cosmol.*), ut adeo coëxiftentia eodem modo a fe invicem dependeant (§. 851. *Ontol.*), quo fucceffiva a fe invicem dependent in exiftendo *per demonftrata.* Scilicet non quodlibet immediate dependet ab altero in coëxiftendo, fed etiam mediate, & mediata illa dependentia non eadem eft in eodem fubjecto quoad omnia coëxiftentia, a quibus dependet. Nafcuntur adeo in eodem fubjecto dependentiæ diverfi gradus quoad coëxiftentiam, quemadmodum diverfi gradus dependentiæ quoad exiftentiam in ferie præteritorum & futurorum dantur. Quare cum in ferie fucceffivorum ob diverfam illam dependentiam fenfibilis præfentis ftatus præteriti & futuri non eodem modo in idea fenfuali involvantur *per demonftrata;* nec in ferie fimultaneorum ob diverfam dependentiam in exiftendo dati cujusdam fenfibilis a ceteris coëxiftentibus ftatus præfentes fingulorum elementorum ac inde ortorum corporum (§. 176. *Cosmol.*), quibus præfens

ſens mundi ſtatus continetur, involvi poſſunt in idea ſenſuali eodem modo.

Comparet utilitas hujus propoſitionis in ſequentibus, ubi de evolutione idearum ſermo eſt: idearum enim evolutio ab involutione pendet. Non minor vero comparebit utilitas in Theologia naturali, ubi reddenda ratio eſt, cur cognitio Dei ſit mere intuitiva, creaturæ vero diſcurſiva & ſymbolica.

§. 188.

Involutio idearum a quibus admitti debeat.

Involutio præteritorum & futurorum omniumque præſentium in idea ſenſuali admittenda eſt in omni hypotheſi de elementis rerum materialium, etſi in hypotheſi ſimplicium ſola quemadmodum alia ſufficienter intelligatur. Involutio enim præteritorum ac futurorum omniumque præſentium in idea ſenſuali nituntur nexu rerum coëxiſtentium & ſucceſſivorum in univerſo continuo (§ 182. & ſeqq.). Atqui nexus rerum (§. 52 *Cosmol.*), independenter a doctrina elementorum demonſtratur (§. 53. *Cosmol*). E.

Quoniam tamen nexus rerum materialium a nexu elementorum pendet (§. 205. *Cosmol.*); adeoque in hoc rationem ſui ſufficientem agnoſcit (§. 851. *Ontol.*), conſequenter absque eo ſufficienter intelligi non poteſt (§. 56 *Ontol.*), quemadmodum compoſitio (§. 686. *Ontol.*), vis motrix (§. 295. *Cosmol.*), vis inertiæ (§. 297. *Ontol.*). extenſio & continuitas (§. 224. *Cosmol*) ſine theoria ſimplicium ſufficienter intelligi nequeunt; involutio quoque hæc ſine theoria ſimplicium ſufficienter intelligi nequit.

§. 189.

Differentia imaginum materialium & immaterialium.

Perceptiones ſunt imagines, quas nulla arte humana imitari licet (§. 86. 180. 21. 182. 184 ſq. 187. 186.). Et quoniam horum omnium anima ſibi conſcia non eſt, infinita iſta minime agnoſcit & a ſe invicem diſtinguit, nec infinitam modi exiſtendi varietatem agnoſcit & unamquamque ab altero diſcernit. Status igitur iſti partiales, quibus in unum confuſis naſcitur ſtatus præſens univerſi, ad quem refertur objectum perceptum, naſcuntur etiam ſinguli ſtatus univerſi præteriti atque futuri, nonniſi ob- [illegible] ſcure

ſcure repræſentantur (§ 32 *Pſych. emp.*), ut adeo ex infinita varietate obſcure perceptorum naſcatur aliquid confuſe perceptum, quod perceptioni cuilibet adhærere deprehendimus, quatenus idea ſpatii interminati & temporis præteriti & futuri idea a qualibet perceptione inſeparabilis deprehenditur. Enimvero imagines materiales res intra ſe repræſentant (§. 90.) & intra limites objecti ſui coërcentur, nulla vero arte unquam efficies, ut in imagine materiali exhibeantur quoque omnes objecti dependentiæ ab aliis, unde ejus actualitas reſultat, & omnes cauſalitates, unde actualitas aliorum pendet. E.

Immo natura depingit in imaginibus motum actualem objectorum: id quod nulla arte pictoris effici poteſt, etſi ſatis ſuperque intelligatur, cur naturæ vires non excedat iſtiusmodi repræſentatio. Pertinent huc imagines objectorum in camera obſcura delineatæ (§. 80. *Opt.*), quales etiam in oculo delineari conſtat (§. 61. *Optic.*).

§. 190.

Anima continuo producit ideam totius univerſi, non modo quoad ſtatum præſentem, verum etiam quoad omnes præteritos atque futuros, ſed pro diverſa dependentia ſtatus præſentis a præteritis & futurorum a præſente continuo diverſam (§. 182. 184 ſq.). Mundi idealis ab anima productio.
Enimvero quæ per facultates animæ in eadem poſſibilia deprehenduntur, vi ejusdem actuantur (§. 55.); anima igitur ideæ iſti univerſi exiſtentiam impertitur, adeoque cum vis illa ſit eſſentia & natura ejusdem (§. 66. 67.), per eſſentiam atque naturam ſuam eandem producit (§. 690. *Ontol.*). Jam ſtatus non minus præteriti, quam futuri diverſo modo in idea ſenſuali præſente involvuntur (§. 187.), pro diverſa nimirum dependentia ſtatus præſentis a ſtatibus præteritis & futurorum a præſente (§. 83. *Coſm.*). E.

§. 191.

Anima etiam in ſomno producit ideam totius univerſi, qualem vigilans producit, ſed obſcuram, ſeu totaliter confuſam. Mundi idealis productio in ſomno.
Etenim in ſomno anima quoque habet perceptiones (§. 59.).

Aut igitur actionem, quam vigilans edit, continuat, aut alias edere tenetur. Quoniam vis ipsi nonnisi unica est (§. 57.), qua ad status sui mutationem continuo tendit (§. 56.), neque adeo in eadem fingi potest vis eidem contraria, quæ eandem actionem, quam vigilans continuo edit, continuari impediat; quin eandem continuet dubitandum non est (§. 185.). Enimvero in somno anima est in statu perceptionum obscurarum seu totalium confusarum (§. 59.). E. idea universi tunc obscura est.

Præsens propositio sine probatione admitti poterat: nulla enim adest ratio, cur anima, quæ per essentiam suam ideam totius universi continuo producit, cessare debeat subinde ab actione sua contra vis non impeditæ notionem, & cur a consueta sibi actione nescio ad quas alias digrediatur (§. 59.).

§. 192.

Idealis mundi in anima existentia.

Existit in anima idea hujus universi seu mundi adspectabilis, quæ easdem prorsus subit mutationes, quas mundus adspectabilis subit (§. 185 sq. *rat.* 705. *Ont.*).

§. 193.

Intuitus ideæ universi.

Anima dicitur *intueri ideam universi*, quatenus nonnulla, quæ eidem insunt, clare percipit.

Fingimus nimirum ac si idea universi esset ipse mundus ac anima esset homo eundem intuens (§. 144. 31 *emp.*).

§. 194.

Limitatio intuitus ideæ universi.

Anima integram ideam universi simul intueri nequit. Tunc enim clare perciperet ea omnia, quæ in universo quomodocunque continentur, maxima minima (§. 193.), consequenter omnia a se invicem distingueret eorumque sibi conscia esset (§. 31. *Psychol. empir.* & §. 10. *Psychol. rat.*). Non igitur sibi repræsentaret universum pro situ corporis organici in universo, convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt: quod absurdum (§. 62.), & repugnans essentiæ ac naturæ animæ (§. 66. 67.). E.

§. 195.

Quæ in organum sensorium agunt, immediate percipimus (*§. 62. 125. rat. 133 Cosm.*): *quæ in immediate perceptis involvuntur, nonnisi mediate percipimus* (§. 129 182 sqq.).

Quænam mediate & immediate percipiantur.

Distinctionem perceptionum in mediatas & immediatas sua utilitate non carere, ex sequentibus constabit. Est enim fundamentum cognitionis discursivæ, qua ex iis, quæ cognoscuntur, colliguntur alia incognita.

§. 196.

Quoniam ea, quæ in organum sensorium agunt, motum fibrillis nerveis in organo sensorio imprimunt (§. 133. *Cosmol.*); ea vero, quæ motum fibrillis nerveis imprimunt, clare percipiuntur (§. 125.); *quæ clare percipiuntur, immediate percipiuntur.*

Quod clara perceptio sit immediata.

Atque ideo experimur, nihil a nobis clare percipi, quod non percipiatur immediate.

§. 197.

Quoniam perceptio distincta clara est (§. 38. *Psychol. empir.*); *quæ distincte percipiuntur, immediate percipiuntur.*

Quod distincta perceptio sit immediata.

§. 198.

Mediatæ perceptiones infinite variant habentque gradus infinitos, quibus ab immediatis removentur. Ea nimirum mediate percipiuntur, quæ in perceptionibus immediatis involvuntur (§. 195.). Quæ vero in perceptionibus immediatis involvuntur, non eodem modo involvuntur, sed infinitos admittunt gradus, quibus involuta denuo involvuntur in aliis (§. 187.). E.

Varietas perceptionum mediatarum.

Conducet hoc theorema ad reddendam rationem, cur alia aliis difficilius ex immediate perceptis colligantur, quædam vero a nobis prorsus inde colligi nequeant.

§. 199.

Quæ mediate percipimus, prorsus obscure percipimus (§. 195.). Nobis eorum non conscii sumus, consequenter nihil prorsus eorum agnoscimus atque ab aliis distinguimus. E. (§. 31 seq. *emp.*).

Mediatæ perceptiones quales sint.

§. 200.

Perceptionum totaliter, & partialiter obscurarum differentia.

Perceptiones eorum, quæ prorsus obscure percipiuntur, seu quibus nihil inest, quod clare percipiatur, dicuntur *totaliter obscuræ:* ast perceptiones illas, quibus clare percepta insunt, etsi quædam inexistentia nunc obscure percipiantur alias clare perceptibilia, *partialiter obscuras* appellamus.

§. 201.

Quænam perceptiones totaliter obscuræ.

Quoniam quæ percipiuntur mediate, prorsus obscure percipiuntur (§ 199.); *perceptiones mediatæ totaliter obscuræ sunt* (§. 200.). Adde §. 43. *emp.*

§. 202.

Gradus obscuritatis infiniti.

Jam cum porro perceptiones mediatæ infinitos habeant gradus, quibus ab immediata distant (§. 198.) ex eo vero sint obscuræ, quod sint mediatæ (§. 201.); *infiniti dantur gradus obscuritatis perceptionum mediatarum.*

§. 203.

Mediatæ perceptiones carent apperceptione.

Mediatas perceptiones appercipere non possumus (§. 201. 200. *rat.* 31. *emp.* 10. *rat.* 25. *emp.*). Conf. etiam §. 19.

§. 204.

Quales sint Ideæ sensuales.

Ideæ sensuales sunt perceptiones immediatæ (§. 48. 24. 95. *emp.* 195. *rat.*).

§. 205.

Imaginationis corporeæ existentia.

Si imaginationis vi idea quædam rei antea sensu perceptæ denuo producitur; idea quoque materialis in cerebro reproducitur, quæ ab actione sensibilis in organum sensorium oriebatur. Vim imaginationis & memoriam, quæ sine ista non datur (§. 175. 92 *Psychol. empir.*) morbis lædi extra dubitationem positum est. Necesse igitur esse quidpiam in corpore, quod operationi imaginationis in anima respondeat. Quamobrem cum ideis sensualibus respondeant ideæ materiales in cerebro (§. 113.); facile hinc colligitur easdem ideas materiales in cerebro reproduci debere, quoties ideæ sensuales in anima reproducuntur: ita nimirum apparet eodem modo deficere vim imaginationis, quo vim sensationis deficere supra vidimus (§. 112. 143.).

Quodsi

Quodsi systema harmoniæ præstabilitæ amplectaris, propositionis nostræ palam erit necessitas.

§. 206.

Phantasmatis respondent ideæ materiales in cerebro (§. 93. 117. 205.). Phantasmatum materialium & immaterialium coexistentia.

§. 207.

Phantasmata sunt perceptiones immediatæ (§. 206. 112. 111. 113. 112. rat. 95. emp. 114. rat.). Quoad animam scilicet perinde est, sive idea materialis actione sensibilis in organum externum, sive ab alia quacunque causa producatur. Enimvero si sensibile in organum sensorium agit, idem immediate percipimus (§. 195.). Ergo idem adhuc immediate percipere debemus, quotiescunque alia quacunque de causa idea immaterialis in cerebro oritur, quæ alias actione ejusdem in organum sensorium excitari solet. E. Qualia sint phantasmata.

Experientia satis confirmat phantasmata nobis talia repræsentare objecta, qualia sensu percipiuntur.

§. 208.

Ideæ materiales in motu minus celeri consistunt, si phantasmati, quam si ideæ sensuali respondent (§. 96. empir. 126. rat.). Adde §. 96. *empir.* Diversitas ejusdem ideæ materialis phantasmati & ideæ sensuali respondens.

§. 209.

Si idea materialis phantasmati respondens tanta fieri possit, quanta est, si eadem idea ab ipso sensibili in organon sensorium agente producitur; objectum nobis sensu una cum ceteris, quæ tunc sensu percipimus, percipere videbimur. Nulla enim tunc amplius datur differentia inter ideam materialem phantasmati respondentem & ideam materialem ideæ sensuali convenientem, atque adeo una in locum alterius substitui potest, ut nulla inde in statu cerebri nascatur mutatio (§. 290. *Ont.*), consequenter utraque eadem est (§. 181. *Ont.*). Phantasma igitur ideæ materiali respondens idem est cum idea sensuali (§. 118.), & ideo eandem habet claritatem, quam habitura erat idea sensualis (§. 126.). Anima igitur phantasma ab idea sensuali non amplius distinguet (§ 97. *Psych. empir.*). Confusio phantasmatis & ideæ sensualis.

 Hinc

Hinc reddenda est ratio, quod furiosi & deliri sibi videantur videre, quæ præsentia non sunt: irregulares enim motus, qui a causis præternaturalibus in cerebro producuntur, eam celeritatem acquirunt, quam habituri erant, ubi objectum sensibile sua in organum actione eosdem produceret.

§. 210.

Idearum materialium identitas in confusione phantasmatum cum ideis sensualibus.

Si quis sensu percipere videtur, quæ tantummodo imaginatur; idea materialis phantasmati respondens eandem celeritatem habet, quam haberet, ubi ab objecto sensibili in organum sensorium agente produceretur (§. 97. emp. 125. 111 sq. rat.).

Atque hinc patet ratio, cur visionarii sibi persuadere valeant se quædam videre vel alio sensu percipere, quæ tamen ipsis minime apparent. Per præcipitantiam judicant, qui visionarios ob visiones, quas crepant, in numerum impostorum referunt, qui contra conscientiam aliis imposituri ea jactant, quæ falsa esse ipsimet satis norunt. Nisi enim aliæ adsint rationes, quibus fidem eorum sublestam reddas, visionum falsitas ipsorum fidei nihil derogat, cum fieri possit, ut quis bona fide fallat alios, dum propter ingnorantiam naturæ animæ humanæ ipsemet fallitur.

§. 211.

Unde possibilitas intensionis imaginationis colligatur.

Quoniam effectus major est, si major fuerit ideæ materialis celeritas, quam ubi minor fuerit (§. 886. *Ont.*), effectus vero major a causa majore, minor a minore pendeat, seu, quod perinde est, effectus major nonnisi vi majore, minor autem vi minore producitur (§. 926. *Ont.*). *Si imaginationis vi producta idea materialis eadem celeritate gaudet, quam habet idea materialis ab objecto sensibili in organum producta,* consequenter *si quis sibi sensu percipere videtur, quæ imaginatur, facultate tamen imaginandi a causa nulla præternaturali turbata, vim imaginationis intendi posse inde arguitur* (§. 758. *Ont.*).

Intensitas imaginationis non confundenda est cum ejus extensione, (§. 198. *Psychol. empir.*). In intensitate potissimum respicimus ad majorem phantasmatum claritatem ipsisque respondentium idearum materialium celeritatem.

§. 212.

§. 212.

Quoniam dubitandum non eſt, quin inter eos, qui viſiones ſeu apparitiones ſibi factas jactarunt, fuerint, qui quod imaginabantur ſibi videre viſi ſunt; quin *Imaginatio inſigniter intendi poſſit, dubitandum non eſt.* **Imaginationis intenſitas aſſerta.**

Major imaginationis intenſitas concipi non poteſt, quam ubi ad eum gradum perducitur, ut phantasmata eandem cum ideis ſenſualibus claritatem conſequantur. Quoniam imaginationis intenſitas, præſertim ſi extenſio eidem accedat, plurimum utilitatis nobis affert in rebus cognoſcendis aliisque ad earundem cognitionem perducendis; ſupereſt, ut addamus, quomodo vim imaginationis intendere liceat.

§. 213.

Si vim imaginationis intendere velimus, omnem conatum adhibere debemus, ut attentionem in phantasmata dirigamus, eamque in iisdem defixam detineamus & quæ iisdem inſunt pervideamus ac diſtinguamus (§. 237. 99. 238. empir.). **Quomodo vis imaginationis intendatur.**

Naturæ veluti impetu intenditur imaginandi vis, ubi in iis circumſtantiis conſtituimur, ut ad iſtiusmodi exercitia de iis nequaquam cogitantes adducamur, veluti Mathematicis, ac præſertim Geometris accidere ſolet, qui ab imaginatione ſæpius expectant claritatem evidentiæ defectum ſuppleturam. Ita fervor pietatis in precantibus vel ſacras meditationes foventibus affectuum vi attentionem in phantasmatis, quibus objecta convenientia repræſentantur, defigit defixamque retinet atque ideas alienas arcet, ſicque ad imaginationis intendendæ exercitia tale quid non cogitantes adducit: id quod martyrum exemplo illuſtratur, qui attentione in futura vita defixa cruciatuum ſenſum vicerunt.

§. 214.

Qui vires imaginationis intendere voluerit, is diverſis attentionis gradibus ſibi comparandis ſtudere debet (§. 249. & ſeqq. Pſychol. empir.) *utque ſemel acquiſitos conſervet atque perficiat operam dare tenetur* (§. 255. *Pſych. empir.*). Add. §. 213. *rat.* 248. *emp.* cum 243 ſqq. *empir.* **Media facilitandi vis imaginationis intenſionem.**

§. 215.

§. 215.

Tempus exercitiis intendendæ imaginationis conveniens initio.

Exercitiis, quibus vis imaginationis intenditur, initio impendendum est tempus nocturnum, vel vespertinum, & id inprimis, quo non multa objecta organa sensoria feriunt, vel oculi occludendi, ne lumen illabi possit (§. 102. emp.).

§. 216.

Tempus conveniens in progressu.

Aliquam imaginationis intensitatem consecutus exercitia eam ulterius intendendi etiam interdiu oculis apertis & sensim sensimque inter majores strepitus, vel actiones objectorum in organa sensoria sensim sensimque vehementiores instituere debet (§. 249. emp. 215. 214. rat.).

§. 217.

Intuitus ideæ universi cur legibus adstrictus.

In intuenda idea universi anima certas observare tenetur leges. Quoniam enim integram ideam universi simul intueri nequit (§. 194.), necesse est ut detur ratio sufficiens, cur hanc potius partem intueatur, quam aliam (§. 70. *Ont.*). Quamobrem cum ideam universi intueatur, quatenus nonnulla, quæ in eadem continentur, clare percipit (§. 193.); claræ perceptiones animæ rationes habent sufficientes, cur hæ jam potius animæ inexistant, quam aliæ. Et quia singulis infinita insunt (§. 186.), quæ cum mediate percipiantur (§ 195.) totaliter obscure percipiuntur (§. 201.); non minus necesse est detur ratio sufficiens, cur perceptiones istæ claræ, quibus intuitus ideæ universi absolvitur, hoc potius modo limitentur, quam alio (§. 70. *Ont.*). Intelligibili itaque modo explicari potest, cur anima nunc has potius habeat, quam alias perceptiones claras & cur eædem hoc potius modo limitentur, quam alio (§ 321. *Ont.*). Et quia posita ista ratione sufficiente ponuntur hæ potius perceptiones claræ, quam aliæ eædemque hoc potius modo limitantur, quam alio (§. 118. *Ont.*); determinatio illarum perceptionum, quibus intuitus ideæ universi absolvitur, fit rationi convenienter (§ 113. *Ontol.*), consequenter regulæ dantur, per quas perceptiones istæ, quibus intuitus ideæ universi comprehenditur, adeoque ipse intuitus ideæ universi, utpote cum iisdem idem (§. 181. *Ont.*), explicari potest (§. 475. *Ont.*). Hæ vero regulæ cum & ipsæ ratione sua nitantur (§. 70. *Ont.*); principia dentur necesse est illarum regula-

gularum generalia (§. 866. *Ont.*), consequenter leges perceptionum, quibus intuitus ideæ universi absolvitur (§. 84. *Psych. empir.*).

Leges istiusmodi dari a posteriori evicimus (§. 85. 117. *Psych. emp.*): enimvero hic ostenditur, cur legibus istiusmodi sit opus. Fluunt nimirum ex finitudine naturæ humanæ, quæ ne particulam quidem universi, nedum integrum universum clare percipere valet.

§. 218.

Ad intuitum universi pertinent & ideæ sensuales, & phantasmata clara (§. 182. *rat.* 95. 48. 24. 93. 92. *emp.* 193 *rat.*). Quænam ad intuitum universi referantur.

§. 219.

Igitur *non minus phantasmata, quam ideæ sensuales certis legibus necessario adstringuntur* (§. 218. 217.). Necessitas legum idearum sensualium & phantasmatum.

§. 220.

Lex sensationum aliam se superiorem seu priorem non agnoscit (§. 78. *rat.* 144. 851. *Ontol.*). Prima lex perceptionum.

Unde lex sensationum ponitur posita essentia animæ, neque adeo eadem prior aliqua concipi potest.

§. 221.

Lex sensationum non tollit libertatem (§. 85. *empir.* 151-153. *rat.*). Lex sensationum cur non adversetur libertati.

§. 222.

Lex sensationum libertatem animæ ne restringit quidem. Nec libertatem restringat. Etenim vi legis sensationum eædem dependent a situ corporis in universo ac organorum constitutione (§. 85. *Psych. empir.*). Quamobrem cum in eo essentia atque natura animæ consistat, ut sibi repræsentet hoc universum pro situ corporis organici in universo & convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt (§. 66. 67); alia libertas in sentiendo concipi nequit, quam quæ sese in decernendo situ corporis & circa usum organorum exerit. Atqui lex sensationum in ea nihil immutat (§. 151. & sqq.). E.

Leges morales libertatem hominis restringunt ad unam partem

(*Psychologia rat. contracta.*) X x contra-

contradictionis, cum potentia physica extendatur ad utramque; non tamen ideo dicuntur tollere libertatem, cum nemo non intelliget hac lege nihil in natura hominis immutari. Multo minus igitur libertati adversa censeri potest lex sensationum, cum libertatem ne quidem restringat, sed tantam relinquat, quanta per naturam rerum ipsiusque animæ dari potest. Si quis legem sensationis libertati adversam existimat, quod stante ea sine organis sentire non liceat, nec adeo sensu percipere detur, nisi quæ in organa sensoria agunt & convenienter mutationi, quam organorum constitutio admittit; is libertati humanæ adversum pronunciare tenetur, quod volare & pondus quantumcunque movere nequeat, hoc est, existere desiderat, quæ possibilitate intrinseca destituuntur contra prima philosophiæ principia (§. 132. *Ontol.*).

§. 223.

Legis imaginationis ratio.

Lex imaginationis rationem aliquam in lege sensationis habere debet (§. 92. *emp.* 66 sq. *rat.* 160. *Ont.*).

Ipsa lex imaginationis (§. 117. *Psychol. empir.*), hoc ipsum abunde loquitur.

§. 224.

Legis imaginationis demonstratio.

Si in quid, quod sensu percipimus, attentionem nostram dirigimus; vi imaginationis ea percipere debemus, quæ antea cum eo percepta fuere sensu; seu vis imaginationis reproducere debet ideam totalem, cujus pars erat id, in quod attentionem nostram jam dirigimus. Lex enim imaginationis rationem aliquam habere debet in sensationibus (§. 223.). Quamobrem cum ea sensationum clarior fit ceteris, in quam attentionem nostram dirigimus (§. 237. *Psych. empir.*), ut adeo veluti sola nobis jam præsens existimetur; in ea potissimum ratio quærenda, cur aliquid rei absentis percipiamus. Enimvero anima sibi repræsentare nequit sensibilia nisi convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis accidunt (§. 62.), adeoque nec absentia, nisi convenienter mutationibus, quas antea in organis sensoriis produxerunt, consequenter vi perceptionum præsentium seu sensationum perceptiones rerum antea sensu perceptarum reproducere debet. E.

§. 225.

§. 225.

Quoniam phantasmata præsentia eodem modo insunt phantasmati cuidam alteri per modum partis communis, quo idea sensualis præsens inest phantasmati cuidam, cum, quæ nunc in phantasmatum numero sunt, olim in idearum numero fuerint; *si in quid, quod in phantasmate præsente continetur, attentionem dirigimus; vi imaginationis id quoque percipere debemus, quod antea una cum re per phantasma præsens repræsentata percipiebatur (§. 224).* **Legis imaginationis complementum.**

Nimirum quod de sensatione præsente admittis, idem quoque de phantasmatis præsentibus admitti debere nemo non agnoscit, qui rationem perspicit, cur in priore casu locus sit legi imaginationis. Ceterum si corollarium hoc adjicias propositioni præcedenti, ex qua infertur; lex imaginationis integra habetur. Completur nempe reducendo casum alterum ad primum, ut sub eodem contentus videatur. Inservit autem hæc altera legis imaginationis pars seriei phantasmatum continuandæ, quemadmodum ex ipsa lege patet atque experientia confirmat. Patet jam ratio, cur legem imaginationis generaliter de perceptionibus quibusvis enunciaverimus (§. 117. *Psychol. empir.*).

§. 226.

Idea materialis, quæ ideæ sensuali respondet, reproducit ideam materialem antea cum eadem actione sensibilis in organum sensorium producta (§. 224. 113 206.). **Idearum materialium reproductio.**

§. 227.

Imaginationem materialem seu corpori inexistentem appello facultatem producendi ideas materiales respondentes phantasmatis, seu nulla immediata actione sensibilis in organo sensorio. Quoniam ideis materialibus actione sensibilium in organa sensoria productis una producuntur alia, quæ phantasmatis respondent, seu quæ a nulla actione immediata sensibilis in organa sensoria pendent (§. 226.); *imaginationem materialem dari immateriali contradistinctam, quæ in anima datur (§. 92. Psych. empir.), seu imaginandi quandam facultatem corpori quoque inexistere patet.* **Imaginatio quatenus corpori inest.**

§. 228.

Sedes imaginationis materialis.

Sedes imaginationis materialis in cerebro existit (§. 227. 112.).

Atque hinc est, quod a statu cerebri pendeat, & morbi cerebro infesti eidem quoque insidientur, eandemque turbent, immo corrumpant.

§. 229.

Cur phantasmata pendeant a sensatione.

Nullum phantasma in anima existere potest nisi præcedat quædam sensatio (§. 206. 112. 205 *rat* 304. *Cosm.* 114. *rat.* 65. *emp.*). Vide etiam §. 64. & §. 217 sqq. *rat.*

§. 230.

Idearum materialium & sensualium debilitatio.

Ideæ materiales, quæ sensualibus respondent, successive imminuta celeritate debilitantur: ipsæ autem sensuales continuo fiunt debiliores, donec prorsus extinguantur. Constat experientia, si Solem occasui proximum intuentes oculos subito claudimus, imaginem Solis aliquoties recurrere, sed continuo minus claram, donec tandem prorsus obscura seu nigra appareat, antequam penitus evanescat. Diversæ igitur ideæ sensuales diversa claritate præditæ sibi invicem succedunt, & claritas continuo decrescit, antequam totæ evanescant. Unde patet ideas sensuales in anima decrescente continuo claritate extingui.

Enimvero ideis sensualibus diversis diversæ quoque in cerebro respondent materiales (§. 114.). E. Sicuti ideæ sensuales sibi invicem succedunt; ita etiam ideæ materiales sibi invicem succedere debent: & sicuti illæ claritate differunt, qua continuo decrescente tandem extinguuntur; ita hæ celeritate differre & hac continuo decrescente tandem extingui debent (§. 126.).

§. 231.

Idearum sensualium in phantasmata mutatio.

Ideæ sensuales degenerant in phantasmata (§. 230. rat. 96. 98. empir.) & illis respondentes materiales in materiales, quæ his respondent (§. 230. 208.).

Si objectum quodcunque visu percipias, v. gr. si arborem intuearis, & statim oculos claudas; objectum istud, veluti arborem, tibi adhuc imaginaris. Idea autem, quam tunc habes, eadem prorsus est, quæ

quæ alias est arboris visu alias perceptæ, & cujus nunc minime præsentis tantummodo recordaris.

§. 232.

Quoniam idea sensualis, quæ phantasma rei cujusdam olim sensu perceptæ reproducit, est pars perceptionis cujusdam jam reproductæ; evidens est *idea sensuali præsente degenerante in phantasma vi imaginationis eidem sociari, quæ antea, cum in numero idearum sensualium existeret, sociata fuere (§. 231.), adeoque motum in cerebro exceptum per amplius spatium diffundi, per quod scilicet diffundebatur, cum antea in eodem existeret.* Ratio legis imaginationis mechanica.

Atque adeo propius apparet ratio legis imaginationis, quæ multo adhuc clarior foret, siquidem structura cerebri nobis magis explorata esset, ut luculenter constaret, quomodo motus ille per spatium amplius diffundi possit, propterea quod antea hoc modo diffundebatur. Non minus autem in cerebro, quam in anima evidens est, quod lex imaginationis cum lege sensationis hoc pacto connectatur, quemadmodum eam connexam esse debere constat (§. 223.).

§. 233.

Quomodo objectum aliquod sensu percipitur; idea tam materialis, quam ei respondens sensualis continua productione conservatur. Ponamus e. gr. nos intervallo temporis dato, veluti durante uno scrupulo primo, oculis immotis aliquod contueri objectum, puta arborem. Sumamus tempusculum minutissimum, quo visu percipitur arbor. Patet illo tempusculo & motu ad cerebrum usque propagato (§. 111.) produci in cerebro ideam arboris materialem (§. 112), & in anima cooriri ideam sensualem (§. 113.). Enimvero nec ideæ sensuales, nec materiales per se subsistunt, sed illæ imminuta continuo claritate in phantasmata, hæ vero decrescente continuo celeritate in ideam materialem phantasmati respondentem degenerant (§. 231.). Quamobrem si utræque evanescere non debent, reproducendæ sunt, antequam decrementum claritatis ipsique respondens decrementum celeritatis (§. 125.) fuerit perceptibile. Quamdiu vero arborem immotis oculis intuemur, lumen ab eodem in oculos illapsum con- Modus conservandi ideam sensibilis.

 tinuo

tinuo eodem modo agit in nervos opticos, atque adeo eadem continuo est species impressa (§. 112.). Quamobrem eadem quoque continuo producitur idea materialis (§. 115.) eademque sensualis (§. 118.).

Motus fibrillis nerveis impressus non potest tardior fieri, quia continua actione sensibilis in organon instauratur, antequam decrementum fuerit perceptibile: quemadmodum chorda, quæ continuata actione huc illucque trahitur, motum acquisitum eundem tuetur.

§. 234.

Medium eam conservandi.

Si ergo ideam sensualem conservare volueris, objectum per totum illud spatium temporis ad organon applicare, veluti visibile oculis directe opponere teneris (§. 233. 113. 111.).

§. 235.

Reproductionis idearum conservatricium tempus.

Idea materialis sensuali respondens jam in eam, quæ phantasmati respondet, degenerat, dum sensualis conservatrix reproducitur: similiterque in anima idea sensualis, qua ad conservationem opus est, reproducitur, dum sensualis præsens in phantasma jam degenerat. Idea enim materialis, quæ sensuali respondet, consistit in motu ex organo sensorio ad cerebrum usque propagato (§. 112.). Quoniam motus non fit nisi in tempore (§. 649. *Ontol.*); tempusculo aliquo opus est, quo motus fibrillis nerveis impressus ad cerebrum usque propagatur (§. 111.). Quamobrem cum idea materialis in cerebro statim degenerare incipiat in eam, quæ phantasmati respondet, ubi primum ad illud propagatus fuit motus fibrillis nerveis in organo impressus (§. 231.); dum motus repetita actione sensibilis per nervos sensorios ad cerebrum propagatur, idea materialis præsens in eam degenerat, quæ phantasmati respondet. Ergo (§. 233.).

Jam nulla in anima existit idea sensualis, nisi in cerebro existat idea materialis, cui ista respondet (§. 113. 114.). Sed idea materialis anterior jam in eam degenerat, quæ phantasmati respondet, dum idea materialis sensualis conservatrix reproducitur *per demonstrata*. Ergo

§. 236.

§. 236.

Quoniam igitur ideæ olim sociæ materialis existentis una reproducuntur, dum, quæ sensuali respondet, in phantasma abit (§. 232.); *Imaginatio quoque operatur, etsi ideæ sensuales conserventur.* **Cur imaginatio operetur idea sensuali conservata.**

Atque hac potissimum de causa propositionem præcedentem præmisimus, ne quis in dubium vocare posset, quæ de ratione legis imaginationis paulo ante (*not.* §. 232.) observavimus.

§ 237.

Dum idea, in quam dirigitur attentio, in phantasma abit; ideæ sociæ phantasma compositum complentes appercipiuntur pro gradu attentionis conservatæ (§. 237. 235. 245. 251. emp. 70. Ont. 237. emp.): quamdiu vero idea sensualis phantasmatis productrix & ad eam attentio conservatur; phantasma, in quod sensualis degenerat, non appercipitur (§. 233. rat. 99. emp.). **Apperceptio phantasmatis.**

Ponamus, tibi obvium fieri hominem, quem in templo vidisti. Dum attentionem tuam omnem in eundem dirigis; idea templi interioris, in quo eundem vidisti, una reproducitur, quæ per legem imaginationis facile in ideam exterioris degenerat. Ideæ templi tibi magis conscius es quam hominis in eo sedentis, quamdiu eundem contueris & attentionem tuam a phantasmate templi, quod eundem hominem quasi in templo sedentem exhibet, in ideam sensualem ejusdem quasi retrahi observas, cum perdifficile sit ad ideam sensualem & phantasma simul eodem gradu conservare attentionem: quæ enim ratio est, ut plerumque statim evanescere videatur phantasma. Ceterum me non monente percipitur; phantasma, in quod abierat idea sensualis, interire, dum sensualis redintegratur, quia materialis idea respondens sensuali & phantasmati eundem in cerebro locum occupat.

§. 238.

Quoniam vero *idea sensualis* non reproducitur, ubi in phantasma abit, actione in organum sensorium impedita (§. 81. *Psych. empir.*); *phantasma, in quod abit, una cum ideis sociis phantasma compositum complentibus una appercipitur, actione sensibilium in organum sensorium impedita*, veluti *clausis oculis, si sensibile fuerit visibile.* **Modus phantasma productum appercipiendi.**

§. 239.

§. 239

Interitus ideæ materialis phantasticæ in redintegratione sensualis.

Idea materialis respondens phantasmati, in quod abiit sensualis (§. 112. 230 seq.), interit, dum redintegratur sensualis. Quodsi organi sensorii erga sensibile situ immutato idea sensualis redintegratur; idea materialis eidem respondens denuo producta (§. 233), eundem quoque locum occupare debet, quem occupabat in cerebro primum producta motu iisdem fibrillis nerveis impresso ad eundem quoque cerebri locum propagato (§. 111.). Quamobrem cum motus, in quo consistit idea materialis phantasmati respondens, in locum ideæ sensualis succedenti, nonnisi celeritate differat a motu, in quo consistit idea materialis actione sensibilis in organon sensorium redintegrata, hæcque celeritas priori major sit *per demonstrata*, adeoque differentia in gradu constituta (§. 156. *Cosmol.*) minor in majore tanquam pars in toto contineatur (*§. 750. Ontol.*) atque hinc ad totum pertineat (*§. 341. Ontol.*); impossibile omnino est, ut idea materialis phantasmati, in quod sensualis abierat, respondens adhuc subsistat, dum sensualis redintegratur. E. interit (§. 541. *Ont.*).

Nimirum si quis admitteret, phantasmati & ideæ sensuali respondentes ideas materiales simul subsistere posse; is affirmaret idem mobile eodem momento & majore, & minore celeritate moveri: id quod manifeste contradictorium (§. 30. *Ontol.*), neque admitti potest (§. 28. *Ontol.*).

§. 240.

Phantasmatis propagatio.

Si phantasma rei, quam nunc sensu percipimus, una appercipere debemus, idea materialis primum producto respondens sui diffusione aliam producere debet, cui phantasma illud respondet. Quoniam enim idea materialis, quæ sensuali primum productæ, sensibili in organum agere incipiente, degenerat in ideam materialem, quæ phantasmati ejusdem objecti respondet (§. 231.) eidemque sociantur ideæ materiales, quæ alias, cum idem sensibile perciperemus, sive numero, sive genere aut specie, prout attentio nostra in numericas, vel genericas aut specificas differentias dirigitur (§. 104. 105. *Psychol. emp.*), eidem sociatæ fuerant (§. 232.); primi phantasmatis compositi, quod idea

idea ſenſuali ad evaneſcentiam vergente oritur (§. 230.), phantasma ſenſibilis ſic ortum eſt pars, eique reſpondens idea materialis eundem locum occupat, quem occupat ideæ ſenſuali conveniens. Enimvero ſi ſenſibile & ejus phantasma una percipitur; illi & huic reſpondentes ideæ materiales una in cerebro exiſtere debent (§. 113. 206.) adeoque, cum in motu diverſæ celeritatis conſiſtant (§. 208.), eundem in cerebro locum occupare nequeunt. Neceſſe igitur eſt ut ex motu, in quo prima idea materialis phantasmati primo reſpondens conſiſtebat, naſcatur motus, in quo conſiſtit ſecunda idea materialis phantasma ſenſibilis juxta ſenſibile exhibens, conſequenter idea materialis phantasmati primum producto reſpondens ſui diffuſione aliam producit, cui phantasma alterum reſpondet, quod ſenſibilis phantasma una cum ipſo ſenſibili apperceptibile exhibet.

§. 241.

Si qua idea materialis ſæpius fuerit producta, vel diu conſervata; cerebrum reproductionis facilitatem contrahit (§. 112. 233.). Conſtat a poſteriori eam eſſe corporis noſtri naturam, ut motuum continua, vel ſæpius iterata productione contrahatur facilitas motuum eorundem reproducendorum. E. **Facilitas reproductionis idearum materialium cerebro acquiſita.**

§. 242.

Si idea aliqua materialis vel immaterialis diu conſervatur; ſæpius reproducitur (§. 233.). **Æquipollentia diuturnæ conſervationis & frequentis productionis idearum.**

§. 243.

Quamdiu itaque *ſpectatur idearum iterata productio, unum idemque eſt, ſive idea aliqua ſæpius producatur ſive diu conſervetur.* Si enim diu conſervatur, ſæpius producitur, quamvis productiones iteratæ continua ſerie ſeſe invicem excipiant (§ 242.). Unde porro conſequitur, *quamdiu idearum iterata productio ſpectatur, diuturnam earundem conſervationem & frequentem iterationem ſibi mutuo ſubſtitui poſſe, ſalvis iis, quæ inde ſequuntur* (§. 181. *Ontol.*). **Quando ea locum habeat.**

§. 244

Ideæ materiales rerum cogitarum quomodo in cerebro existunt.

Ideæ materiales semel sensu perceptis vel nostro arbitrio vi imaginationis formatis respondentes non actu insunt cerebro (§. 233. 111.); *sed tantummodo potentia, seu quoad possibilitatem actu inexistendi, absente licet objecto.*

Si ideæ istæ vel sæpius fuerint productæ, vel diu conservatæ, cerebrum contrahit facilitatem eas reproducendi (§. 241.). Possibile igitur est, ut juxta legem imaginationis producantur occasione sensibilis in organum sensorium agente (§. 229. 219. *Psychol. rat.* & § 117. *Psychol. empir.*). E. Insunt cerebro quoad possibilitatem actu inexistendi, absente licet objecto.

§. 245.

Facultas producendi ideas rerum, quas habuimus, num sit quid actuale.

Facilitas producendi ideas rerum, quas antea habuimus, in actuali quadam mutatione consistit (§. 241.).

§. 246.

Status cerebri in somnio.

In somnio simplici ideæ materiales continuo aliæ ex aliis nascuntur; in composito vero in qualibet ipsius parte (§. 123. *emp.* 206. 113. *rat.* 125. 124. *emp.*).

Nempe cum somnium nova sensatione interrumpitur, idea materialis, quæ sensuali respondet, non nascitur ex idea materiali, quæ dabatur in cerebro, præcedente; verum ab actione sensibilis in organum resultat. Unde in somnio composito nonnullæ ideæ nascuntur ex motu in organo existente, non vero ex eo, qui datur in cerebro. Motus vero in organo species impressa est, non idea materialis, quæ in motu in cerebro consistit (§. 112.).

§. 247.

Status organorum sensoriorum in somnio.

Dum dormimus, fibrillæ nerveæ, quæ dantur in organis sensoriis, in eo statu sunt, ut ab actione sensibilis in organon non facile is motus iisdem imprimi possit, qui speciem impressam constituit (§. 923. *Ont.* 111. 126. 59. *rat.*).

§. 248.

Status cerebri in somno.

Dum dormimus, cerebri status adhuc idem est, ut ideæ materiales istiusmodi in eodem excitari possint, quales in eodem exci-

excitantur dum vigilamus (§. 121 seq. empir. 246. 219. 226. 225. 206. rat.).

Experientia loquitur, ideas materiales, quæ in cerebro somniantium excitantur, esse istiusmodi, quales vi imaginationis in nobis produci constat, dum oculis clausis imaginationi luxurianti attendimus vigilantes. Enimvero quod non semper somniemus, etsi cerebrum sit ad somnium aptum, id quidem inde est, quod nullum phantasma in anima existere possit, nisi quædam præcedat sensatio (§. 229.), consequenter nec in cerebro nascantur ideæ materiales illis respondentes (§. 206.), nisi præcedat aliqua idea materialis actione sensibilis in organon excitata (§. 113.); is autem in somno organi sensorii status sit, ut fibrillis nerveis non facile is motus imprimi possit, qui speciem impressam constituit (§. 247.).

§. 249.

Perceptiones ordinatas appello, quæ repræsentant res constante ordine sibi invicem succedentes. *Inordinatas* dico, quæ repræsentant res nullo ordine sibi invicem consequentes. Perceptionum ordinatarum & inordinatarum discrimen.

§. 250.

Dum somniamus, anima est in statu perceptionum distinctarum (§. 14.) inordinatarum (§. 128. emp. 475. 487. 485. Ontol. 249. rat.). Status animæ in somnio.

Præsens propositio accipi potest pro definitione somnii respectu animæ.

§. 251.

Dum vigilamus, anima est in statu perceptionum distinctarum (§. 14.) ordinatarum (§. 76. Cosmol. 67. 59. empir. 249. rat.). Status animæ dum vigilamus.

Præsens propositio statum vigilantis a ceteris, quos anima habere potest, ita separat, ut definitionis loco servire possit, ubi alteri explicare debes, quid sit vigilare quoad animam.

§. 252.

Fibrillæ nerveæ in organis sensoriis ipso usu reducuntur ad eum statum, in quo motus ad cerebrum propagabilis a sensibilibus iisdem Variatio status fibrillarum sensoria

rum unde pendeat.

iisdem imprimi nequit consueta facilitate; non usu autem reducuntur in statum pristinum. Dum enim vigilamus, sensibilia in organa sensoria agentia continuo percipimus. Fibrillis adeo nerveis continuo imprimitur motus, qui inde ad cerebrum propagatur (§. 111.). Enimvero dum dormimus, fibrillæ nerveæ organorum sensoriorum in eo sunt statu, ut actione sensibilis species (§. 247.), adeoque motus ad cerebrum propagabilis non facile imprimi possit (§. 112.). Quare cum somnus sua veluti sponte sequatur, ubi per aliquem temporis tractum vigilavimus, ut ex statu vigilantis nascatur, fibrillæ nerveæ in organis sensoriis continuato per aliquem temporis tractum usu reducuntur ad eum statum, in quo motus ad cerebrum propagabilis eadem facilitate iisdem non amplius imprimi potest, quo ante imprimebatur.

Enimvero somno per aliquod temporis spatium continuato nos iterum evigilamus. Quamobrem cum somno durante nihil eorum, quæ nobis præsentia sunt, conscii simus, (§. 119. *Psychol. empir.*); motus quoque fibrillis nerveis nullus imprimitur ad cerebrum propagandus (§. 111.), adeoque fibrillarum nervearum in organis sensoriis durante somno nullus usus est. Enimvero dum evigilamus, redit status pristinus. Ergo fibrillæ nerveæ in organis sensoriis, ubi ineptæ factæ fuerint ad recipiendum motum a sensibili, qui ad cerebrum propagari possit, non usu reducuntur ad eum statum, in quo ipsis a sensibilibus motus ad cerebrum propagabilis imprimi potest.

§. 253.

Somni finis seu necessitas.

Somno** ergo **opus est, ut fibrillæ nerveæ in organis sensoriis ad munia sua obeunda ineptæ redditæ reficiantur, seu ad eadem denuo apta efficiantur (§. 119. emp. 111. 252. rat.).

§. 254.

Cur clausis oculis in lecto decumbendum.

Quia usus oculi continuus est, quamdiu per diem vigilamus, etiam cum sensus ceteri vel prorsus feriantur, vel parum occupantur; in organis autem sensoriis fibrillæ nerveæ reficiuntur non usu (§. 252.); ***plurimum conducit si, dum noctu non dormimus, oculos claudimus.***

§. 255.

§. 255.

Ex eadem ratione *conducit, si dormire non valentes actiones sensibilium ab organis sensoriis, quantum fieri potest, arceamus.* **Cur & a ceteris organis sensibilia arcenda.**

Hinc loca eligimus ab omni strepitu remota, quem etiam eo, quo dormiendum, tempore metuere licebat. Curandum præterea, ne corpus calorem vel frigus sentiat. Gustus enim & olfactus per se feriantur, nullis sensibilibus præsentibus. Ast molestum percipimus eum corporis statum, ubi causæ intrinsecæ faciunt, ut quasdam corporis nostri partes sentiamus. Quodsi in lecto decumbentes sensus propemodum omnes prorsus feriantur, ut imaginationi tantummodo aliquæ partes relinquantur, quæ nimirum nec ipsa inquietatur; vigilias nobis non adeo obesse deprehendimus, quam ubi organa sensoria nimis fuerint occupata. Taceo nos quoque in somnum facilius incidere, ubi sensus obstacula non objiciunt, nec difficultates facessit imaginatio.

§. 256.

In anima status perceptionum clararum & obscurarum, seu totalium distinctarum & confusarum alternare debent. Etenim opus est, ut somnus & vigiliæ alternent (§. 253.). Enimvero quando vigilamus, anima est in statu perceptionum distinctarum (§. 14.), totalium scilicet (§ 45. *Psych. empir.*), seu partialium clararum (§. 44. *Psych. empir.*): quando vero dormimus, eadem est in statu perceptionum obscurarum, seu totalium confusarum (§. 59.). Quamobrem cum ideæ sensuales ideis materialibus in cerebro coëxistant (§. 113.); in anima status perceptionum clararum & obscurarum, seu totalium distinctarum & confusarum alternare debent. **Alternatio statuum animæ.**

Apparet adeo necessitas, cur anima non semper in statu perceptionum distinctarum esse possit: neque enim vi essentiæ ac naturæ suæ alius esse potest status animæ, quam qualem admittit status corporis (§. 66. 67.). Si quis hinc difficultates nectere velit adversus statum animæ a corpore separatæ; eidem satisfaciemus inferius, ubi de immortalitate animæ acturi sumus. Difficultates enim nascuntur ex eo, quod anima vi essentiæ suæ in operationibus suis a corpore pendeat.

§. 257.

Cur sensus sint valde limitati.

Sensus omnes necessario valde limitati sunt, seu pauca admodum objecta sensu simul clare ac distincte percipere licet (§. 111. 125. 127. *rat.*). Enimvero non modo in tactu, gustu & olfactu immediatus requiritur sensibilis atque organi contactus (§. 71. 72. 73. *Psych. empir.*), & visibile lumen in oculum immittere (§. 69. *Psych. empir.*), sonus vero in aurem illabi debet, ut conveniens unicuique organo sensibile percipiatur (§. 70. *Psych. empir.*); verum etiam ipsa nervorum magnitudo (quemadmodum ex Anatomicis manifestum est) non fert, ut fibrillis diversis nerveis motus satis celeres a diversis sensibilibus simul imprimantur. E. Vide §. 255. *Optic.* 193. *rat.* 300. *Ont.*

§. 258.

Cur facultas imaginandi admodum limitata.

Facultas imaginandi admodum limitata est, hoc est, *phantasmata nonnisi numero pauca simul produci possunt* (§. 206. 112. 205. 127. 111. *rat.* 93. *emp.*).

Dum somniamus, imaginamur (§. 112. *Psychol. empir.*). Constat vero, nos per somnium objecta, quæ percipimus, nobis videre videri, neque plura simul distincte percipere, quam quæ si actu præsentia essent uno obtutu comprehenderemus. Experientia itaque non modo propositionis præsentis veritatem confirmat; verum etiam limitationis modum definit, scilicet *quod eodem modo limitetur facultas imaginandi, quo limitatur facultas sentiendi,* neque adeo *phantasmatum simultaneorum majorem esse numerum quam sensibilium, quæ uno obtutu comprehendere valemus.* Atque hinc est, quod cum in somnio cesset discrimen claritatis inter phantasmata & ideas sensuales intercedens (§. 96. 101. *Psychol. empir.*), quo illa ab his distinguimus, dum vigilamus (§. 97. *Psychol. empir.*), nihil prorsus sit in phantasmate totali, quo idem ab idea aliqua sensuali totali in somnio distinguere possis.

§. 259.

Campus perceptionum quid dicatur.

Campum perceptionum dico multitudinem perceptionum simultanearum.

In Opticis *Campum visionis* appellare solemus amplitudinem spatii, quod uno obtutu oculus comprehendit.

§. 260.

§. 260.

Quoniam multitudo eorum, quæ sensu aliquo simul percipi possunt, determinari nequit, nisi etiam ratio habeatur distantiæ, e qua objectum sensibile in organum aliquod adhuc agere potest; *in campo perceptionum determinando ratio quoque habenda est distantiæ, e qua organum sensorium a sensibili aliquo adhuc affici potest.*

Quodnam in eo determinando observandum.

Ita si campum auditus determinare volueris, non modo definiendum, quotnam diversos diversorum corporum sonorum sonos simul auditu perceptos a se invicem discernere possis; verum etiam ad quantam distantiam sonorum excitatorum maximum adhuc clare percipere valeas.

§. 261.

Quoniam contactum immediatum sensibilis atque organi requirit gustus atque tactus (§. 72. & 73. *Psych. empir.*); *in definiendo campo gustus atque tactus ratio tantummodo habetur multitudinis sensibilium.*

Differentia quæ inter sensus diversos intercedit.

Nimirum non repugnat, præsertim quoad tactum, quem per totum corpus diffusum esse constat, ut plura objecta simul in organum sensorium agant citra confusionem; repugnat tamen, ut in distans agant, propterea quod actio eorundem immediata est, cetera vero sensibilia mediante quodam corpore alio in organum agunt.

§. 262.

Perceptionum immediatarum campus determinatus est & intra arctos admodum limites continetur. Omnes perceptiones immediatæ aut ideæ sensuales claræ atque distinctæ, aut phantasmata clara atque distincta sunt (§. 195. 207. 196 sq. *rat.* 65. 59. 92. *empir.*). Enimvero pauca admodum sensibilia clare ac distincte sensu simul percipiuntur (§. 257.) ac nonnisi pauca phantasmata simul produci possunt (§. 258.). E. (§. 259.).

Campus perceptionum immediatarum.

Quam arcti sint campi hujus limites non rectius comprehendere licet, quam ubi non modo totum spatium, quod integrum universum occupat, tibi repræsentaveris; verum etiam una cogitaveris materiæ diversitatem in spatio nobis imperceptibili atque varietatem motuum in

isto

isto spatiolo tempusculo quantumcunque exiguo dato. Vide Dissertationem de Notione intellectus divini per opera naturæ illustratam.

§. 263.

An campus visionis extendi possit.

Anima campum perceptionum immediatarum ultra suos terminos producere nequit, seu eum majorem efficere non potest.

Patet ex demonstratione propositionis præcedentis, campum perceptionum mediatarum ideo arctos admodum habere limites, quod ampliores non admittat sentiendi atque imaginandi facultas (§. 262.). Enimvero sensuum limites pendent a constitutione organorum (§. 257.), consequenter ab eo, quod vis repræsentativa animæ pendeat a mutationibus, quæ in organo contingunt (§. 62.), atque adeo animæ essentiales sunt (§. 66.) & hinc in se immutabiles (§. 300. *Ont.*) Anima igitur eas producere nequit. Jam vero campus phantasmatum eadem amplitudine gaudet, qua campus idearum sensibilium (*not.* §. 258.). E.

§. 264.

Finitudo animæ.

Anima est substantia (§. 48.) *finita* (§. 192. 194. 182. 257. 181. 258. 204. 207. 263. 182. 184 sq. *rat.* 837. *Ont.*).

§. 265.

Finitudo num animæ essentialis.

Finitudo animæ essentialis est, seu ad essentiam ipsius pertinet (§. 66. *rat.* 143. *Ont.* 62. *rat.* 837. *Ont.*).

Nempe finitudo realis animæ consistit in impossibilitate omnes perceptiones simul habendi, quæ in tota serie, quæ per omnem vitam in eadem locum habent, continentur.

§. 266.

Principium reductionis ad absurdum.

Fieri non potest, ut finitudo animæ mutetur (§. 265. *rat.* 300. *Ontol.*), consequenter nec *fieri potest*, ut, quæ finitudini repugnant, consequenter *quæ enti infinito propria sunt, eidem unquam conveniant:* id quod etiam ex incommunicabilitate attributorum sequitur (§. 45.).

§. 267.

An visu armato campus visionis fiat amplior.

Si visu armato percipimus, quæ nudo percipere non poteramus, aut armato distincte percipimus, quæ nudo nonnisi confuse perci-

percipiuntur; campus visionis ultra suos terminos non producitur. Visus armatur vel telescopio, vel microscopio.

Cum visibilia, quæ nudo oculo videri nequeunt, per telescopia videantur, vel quod nimis exigua aucta magnitudine exhibeantur, vel quod lumen debile a fortiori separetur; in neutro autem casu amplietur campus visionis per telescopium (§. 24. 71. *Optic.* 259. *rat.*; adde §. 66. *Optic.* de eo, quando per telescopium aliquid distincte percipimus): Evidens est, campum visionis ultra suos terminos non produci, ubi oculus telescopio armatus videt, quæ nudus assequi nequit.

Ponamus jam porro nos per microscopium videre animalculum nudo oculo inconspicuum. Quoniam microscopia augent magnitudinem objectorum; eodem prorsus modo patet, rationem differentiæ visus armati atque nudi non aliam esse, quam quod per microscopium visi imago datam retinæ partem occupet, quæ in oculo nudo in puncto individuo consistebat. Unde porro ut ante colligitur, hoc ipso campum visionis ultra terminos visus nudi minime produci, si per microscopium videntur, quæ nudo oculo videri nequeunt.

Si per microscopium aliquid distincte videtur, imago majorem retinæ partem occupat, adeoque constat, per microscopia non augeri campum visionis.

Ceterum ipsa experientia docet, telescopia & microscopia campum visionis intra terminos arctiores constringere, tantum abest ut ultra consuetos extendant: cujus etiam rationes ex Opticis sunt manifestæ. Et quamvis in campo perceptionum determinando etiam habenda ratio sit distantiæ, ad quam v. gr. visus extenditur (§. 260.); telescopia tamen campum visionis non extendunt, quoniam haud quaquam efficiunt, ut visus longius exporrigatur, sed tantummodo ut distincte assequatur, quæ sine hac armatura vel confuse, vel prorsus obscure percipit. Neque einim telescopium radios a visibili in oculum allicit, a quo eodem remoto nulli ad eundem pertingerent; sed tantummodo hoc præstat, ut radii in plures fibrillas nerveas agant, quæ alias vix in unam agunt, aut ut soli in quasdam fibrillas agere possint, qui alias cum radiis ab aliis objectis propagatis simul in easdem agunt.

tinuo eodem modo agit in nervos opticos, atque adeo eadem continuo est species impressa (§. 112.). Quamobrem eadem quoque continuo producitur idea materialis (§ 115.) eademque sensualis (§. 118.).

Motus fibrillis nerveis impressus non potest tardior fieri, quia continua actione sensibilis in organon instauratur, antequam decrementum fuerit perceptibile: quemadmodum chorda, quæ continuata actione huc illucque trahitur, motum acquisitum eundem tuetur.

§. 234.

Medium eam conservandi.

Si ergo ideam sensualem conservare volueris, objectum per totum illud spatium temporis ad organon applicare, veluti visibile oculis directe opponere teneris (§. 233. 113. 111.).

§. 235.

Reproductionis idearum conservatricium tempus.

Idea materialis sensuali respondens jam in eam, quæ phantasmati respondet, degenerat, dum sensualis conservatrix reproducitur: similiterque in anima idea sensualis, qua ad conservationem opus est, reproducitur, dum sensualis præsens in phantasma jam degenerat. Idea enim materialis, quæ sensuali respondet, consistit in motu ex organo sensorio ad cerebrum usque propagato (§. 112.). Quoniam motus non fit nisi in tempore (§. 649. *Ontol.*); tempusculo aliquo opus est, quo motus fibrillis nerveis impressus ad cerebrum usque propagatur (§. 111.). Quamobrem cum idea materialis in cerebro statim degenerare incipiat in eam, quæ phantasmati respondet, ubi primum ad illud propagatus fuit motus fibrillis nerveis in organo impressus (§. 231.); dum motus repetita actione sensibilis per nervos sensorios ad cerebrum propagatur, idea materialis præsens in eam degenerat, quæ phantasmati respondet. Ergo (§. 233.).

Jam nulla in anima existit idea sensualis, nisi in cerebro existat idea materialis, cui ista respondet (§. 113. 114.). Sed idea materialis anterior jam in eam degenerat, quæ phantasmati respondet, dum idea materialis sensualis conservatrix reproducitur *per demonstrata*. Ergo

§. 236.

§. 236.

Quoniam igitur ideæ olim sociæ materialis existentis una reproducuntur, dum, quæ sensuali respondet, in phantasma abit (§. 232.); *Imaginatio quoque operatur, etsi ideæ sensuales conserventur.* **Cur imaginatio operetur idea sensuali conservata.**

Atque hac potissimum de causa propositionem præcedentem præmisimus, ne quis in dubium vocare posset, quæ de ratione legis imaginationis paulo ante (*not.* §. 232.) observavimus.

§ 237.

Dum idea, in quam dirigitur attentio, in phantasma abit; ideæ sociæ phantasma compositum complentes appercipiuntur pro gradu attentionis conservatæ (§. 237. 235. 245. 251. emp. 70. Ont. 237. emp.): quamdiu vero idea sensualis phantasmatis productrix & ad eam attentio conservatur; phantasma, in quod sensualis degenerat, non appercipitur (§. 233. rat. 99. emp.). **Apperceptio phantasmatis.**

Ponamus, tibi obvium fieri hominem, quem in templo vidisti. Dum attentionem tuam omnem in eundem dirigis; idea templi interioris, in quo eundem vidisti, una reproducitur, quæ per legem imaginationis facile in ideam exterioris degenerat. Ideæ templi tibi magis conscius es quam hominis in eo sedentis, quamdiu eundem contueris & attentionem tuam a phantasmate templi, quod eundem hominem quasi in templo sedentem exhibet, in ideam sensualem ejusdem quasi retrahi observas, cum perdifficile sit ad ideam sensualem & phantasma simul eodem gradu conservare attentionem: quæ enim ratio est, ut plerumque statim evanescere videatur phantasma. Ceterum me non monente percipitur; phantasma, in quod abierat idea sensualis, interire, dum sensualis redintegratur, quia materialis idea respondens sensuali & phantasmati eundem in cerebro locum occupat.

§. 238.

Quoniam vero *idea sensualis* non reproducitur, ubi in phantasma abit, actione in organum sensorium impedita (§. 81. *Psych. empir.*); *phantasma, in quod abit, una cum ideis sociis phantasma compositum complentibus una appercipitur, actione sensibilium in organum sensorium impedita*, veluti *clausis oculis, si sensibile fuerit visibile.* **Modus phantasma productum appercipiendi.**

§. 239.

§. 239

Interitus ideæ materialis phantasticæ in redintegratione sensualis.

Idea materialis respondens phantasmati, in quod abiit sensualis (§. 112. 230 seq.), interit, dum redintegratur sensualis. Quodsi organi sensorii erga sensibile situ immutato idea sensualis redintegratur; idea materialis eidem respondens denuo producta (§. 233), eundem quoque locum occupare debet, quem occupabat in cerebro primum producta motu iisdem fibrillis nerveis impresso ad eundem quoque cerebri locum propagato (§. 111.). Quamobrem cum motus, in quo consistit idea materialis phantasmati respondens, in locum ideæ sensualis succedenti, nonnisi celeritate differat a motu, in quo consistit idea materialis actione sensibilis in organon sensorium redintegrata, hæcque celeritas priori major sit *per demonstrata*, adeoque differentia in gradu constituta (§. 156. *Cosmol.*) minor in majore tanquam pars in toto contineatur (*§. 750. Ontol.*) atque hinc ad totum pertineat (*§. 341. Ontol.*); impossibile omnino est, ut idea materialis phantasmati, in quod sensualis abierat, respondens adhuc subsistat, dum sensualis redintegratur. E. interit (§. 541. *Ont.*).

Nimirum si quis admitteret, phantasmati & ideæ sensuali respondentes ideas materiales simul subsistere posse; is affirmaret idem mobile eodem momento & majore, & minore celeritate moveri: id quod manifeste contradictorium (§. 30. *Ontol.*), neque admitti potest (§. 28. *Ontol.*).

§. 240.

Phantasmatis propagatio.

Si phantasma rei, quam nunc sensu percipimus, una appercipere debemus, idea materialis primum producto respondens sui diffusione aliam producere debet, cui phantasma illud respondet. Quoniam enim idea materialis, quæ sensuali primum productæ, sensibili in organum agere incipiente, degenerat in ideam materialem, quæ phantasmati ejusdem objecti respondet (§. 231.) eidemque sociantur ideæ materiales, quæ alias, cum idem sensibile perciperemus, sive numero, sive genere aut specie, prout attentio nostra in numericas, vel genericas aut specificas differentias dirigitur (§. 104. 105. *Psychol. emp.*), eidem sociatæ fuerant (§. 232.); primi phantasmatis compositi, quod idea

idea sensuali ad evanescentiam vergente oritur (§. 230.), phantasma sensibilis sic ortum est pars, eique respondens idea materialis eundem locum occupat, quem occupat ideæ sensuali conveniens. Enimvero si sensibile & ejus phantasma una percipitur; illi & huic respondentes ideæ materiales una in cerebro existere debent (§. 113. 206.) adeoque, cum in motu diversæ celeritatis consistant (§. 208.), eundem in cerebro locum occupare nequeunt. Necesse igitur est ut ex motu, in quo prima idea materialis phantasmati primo respondens consistebat, nascatur motus, in quo consistit secunda idea materialis phantasma sensibilis juxta sensibile exhibens, consequenter idea materialis phantasmati primum producto respondens sui diffusione aliam producit, cui phantasma alterum respondet, quod sensibilis phantasma una cum ipso sensibili apperceptibile exhibet.

§. 241.

Facilitas reproductionis idearum materialium cerebro acquisita.

Si qua idea materialis sæpius fuerit producta, vel diu conservata; cerebrum reproductionis facilitatem contrahit (§. 112. 233.). Constat a posteriori eam esse corporis nostri naturam, ut motuum continua, vel sæpius iterata productione contrahatur facilitas motuum eorundem reproducendorum. E.

§. 242.

Æquipollentia diuturnæ conservationis & frequentis productionis idearum.

Si idea aliqua materialis vel immaterialis diu conservatur; sæpius reproducitur (§. 233.).

§. 243.

Quando ea locum habeat.

Quamdiu itaque *spectatur idearum iterata productio, unum idemque est, sive idea aliqua sæpius producatur sive diu conservetur.* Si enim diu conservatur, sæpius producitur, quamvis productiones iteratæ continua serie sese invicem excipiant (§ 242.). Unde porro consequitur, *quamdiu idearum iterata productio spectatur, diuturnam earundem conservationem & frequentem iterationem sibi mutuo substitui posse, salvis iis, quæ inde sequuntur* (§. 181. *Ontol.*).

§. 244.

Ideæ materiales rerum cogitarum quomodo in cerebro existunt.

Ideæ materiales semel sensu perceptis vel nostro arbitrio vi imaginationis formatis respondentes non actu insunt cerebro (§. 233. III.); *sed tantummodo potentia, seu quoad possibilitatem actu inexistendi, absente licet objecto.*

Si ideæ istæ vel sæpius fuerint productæ, vel diu conservatæ, cerebrum contrahit facilitatem eas reproducendi (§. 241.). Possibile igitur est, ut juxta legem imaginationis producantur occasione sensibilis in organum sensorium agente (§. 229. 219. *Psychol. rat.* & §. 117. *Psychol. empir.*). E. Insunt cerebro quoad possibilitatem actu inexistendi, absente licet objecto.

§. 245.

Facultas producendi ideas rerum, quas habuimus, num sit quid actuale.

Facilitas producendi ideas rerum, quas antea habuimus, in actuali quadam mutatione consistit (§. 241.).

§. 246.

Status cerebri in somnio.

In somnio simplici ideæ materiales continuo aliæ ex aliis nascuntur; in composito vero in qualibet ipsius parte (§. 123. *emp.* 206. 113. *rat.* 125. 124. *emp.*).

Nempe cum somnium nova sensatione interrumpitur, idea materialis, quæ sensuali respondet, non nascitur ex idea materiali, quæ dabatur in cerebro, præcedente; verum ab actione sensibilis in organum resultat. Unde in somnio composito nonnullæ ideæ nascuntur ex motu in organo existente, non vero ex eo, qui datur in cerebro. Motus vero in organo species impressa est, non idea materialis, quæ in motu in cerebro consistit (§. 112.).

§. 247.

Status organorum sensoriorum in somnio.

Dum dormimus, fibrillæ nerveæ, quæ dantur in organis sensoriis, in eo statu sunt, ut ab actione sensibilis in organon non facile is motus iisdem imprimi possit, qui speciem impressam constituit (§. 923. *Ont.* 111. 126. 59. *rat.*).

§. 248.

Status cerebri in somno.

Dum dormimus, cerebri status adhuc idem est, ut ideæ materiales istiusmodi in eodem excitari possint, quales in eodem exci-

excitantur dum vigilamus (§. 121 seq. empir. 246. 219. 226. 225. 206. rat.).

Experientia loquitur, ideas materiales, quæ in cerebro ſomniantium excitantur, eſſe iſtiusmodi, quales vi imaginationis in nobis produci conſtat, dum oculis clauſis imaginationi luxurianti attendimus vigilantes. Enimvero quod non ſemper ſomniemus, etſi cerebrum ſit ad ſomnium aptum, id quidem inde eſt, quod nullum phantasma in anima exiſtere poſſit, niſi quædam præcedat ſenſatio (§. 229.), conſequenter nec in cerebro naſcantur ideæ materiales illis reſpondentes (§. 206.), niſi præcedat aliqua idea materialis actione ſenſibilis in organon excitata (§. 113.); is autem in ſomno organi ſenſorii ſtatus ſit, ut fibrillis nerveis non facile is motus imprimi poſſit, qui ſpeciem impreſſam conſtituit (§. 247.).

§. 249.

Perceptiones ordinatas appello, quæ repræſentant res conſtante ordine ſibi invicem ſuccedentes. *Inordinatas* dico, quæ repræſentant res nullo ordine ſibi invicem conſequentes. **Perceptionum ordinatarum & inordinatarum diſcrimen.**

§. 250.

Dum ſomniamus, anima eſt in ſtatu perceptionum diſtinctarum (§. 14.) inordinatarum (§. 128. emp. 475. 487. 485. Ontol. 249. rat.). **Status animæ in ſomnio.**

Præſens propoſitio accipi poteſt pro definitione ſomnii reſpectu animæ.

§. 251.

Dum vigilamus, anima eſt in ſtatu perceptionum diſtinctarum (§. 14.) ordinatarum (§. 76. Coſmol. 67. 59. empir. 249. rat.). **Status animæ dum vigilamus.**

Præſens propoſitio ſtatum vigilantis a ceteris, quos anima habere poteſt, ita ſeparat, ut definitionis loco ſervire poſſit, ubi alteri explicare debes, quid ſit vigilare quoad animam.

§. 252.

Fibrillæ nerveæ in organis ſenſoriis ipſo uſu reducuntur ad eum ſtatum, in quo motus ad cerebrum propagabilis a ſenſibilibus iisdem **Variatio ſtatus fibrillarum ſenſoria**

rum unde pendeat.

iisdem imprimi nequit consueta facilitate; non usu autem reducuntur in statum pristinum. Dum enim vigilamus, sensibilia in organa sensoria agentia continuo percipimus. Fibrillis adeo nerveis continuo imprimitur motus, qui inde ad cerebrum propagatur (§. 111.). Enimvero dum dormimus, fibrillæ nerveæ organorum sensoriorum in eo sunt statu, ut actione sensibilis species (§. 247.), adeoque motus ad cerebrum propagabilis non facile imprimi possit (§. 112.). Quare cum somnus sua veluti sponte sequatur, ubi per aliquem temporis tractum vigilavimus, ut ex statu vigilantis nascatur, fibrillæ nerveæ in organis sensoriis continuato per aliquem temporis tractum usu reducuntur ad eum statum, in quo motus ad cerebrum propagabilis eadem facilitate iisdem non amplius imprimi potest, quo ante imprimebatur.

Enimvero somno per aliquod temporis spatium continuato nos iterum evigilamus. Quamobrem cum somno durante nihil eorum, quæ nobis præsentia sunt, conscii simus, (§. 119. *Psychol. empir.*); motus quoque fibrillis nerveis nullus imprimitur ad cerebrum propagandus (§. 111.), adeoque fibrillarum nervearum in organis sensoriis durante somno nullus usus est. Enimvero dum evigilamus, redit status pristinus. Ergo fibrillæ nerveæ in organis sensoriis, ubi ineptæ factæ fuerint ad recipiendum motum a sensibili, qui ad cerebrum propagari possit, non usu reducuntur ad eum statum, in quo ipsis a sensibilibus motus ad cerebrum propagabilis imprimi potest.

§. 253.

Somni finis seu necessitas.

Somno ergo *opus est, ut fibrillæ nerveæ in organis sensoriis ad munia sua obeunda ineptæ redditæ reficiantur, seu ad eadem denuo apta efficiantur (§. 119. emp. 111. 252. rat.).*

§. 254.

Cur clausis oculis in lecto decumbendum.

Quia usus oculi continuus est, quamdiu per diem vigilamus, etiam cum sensus ceteri vel prorsus ferientur, vel parum occupantur; in organis autem sensoriis fibrillæ nerveæ reficiuntur non usu (§. 252.); *plurimum conducit si, dum noctu non dormimus, oculos claudimus.*

§. 255.

Ex eadem ratione *conducit, si dormire non valentes actiones sensibilium ab organis sensoriis, quantum fieri potest, arceamus.* Cur & a ceteris organis sensibilia arcenda.

Hinc loca eligimus ab omni strepitu remota, quem etiam eo, quo dormiendum, tempore metuere licebat. Curandum præterea, ne corpus calorem vel frigus sentiat. Gustus enim & olfactus per se feriantur, nullis sensibilibus præsentibus. Ast molestum percipimus eum corporis statum, ubi causæ intrinsecæ faciunt, ut quasdam corporis nostri partes sentiamus. Quodsi in lecto decumbentes sensus propemodum omnes prorsus feriantur, ut imaginationi tantummodo aliquæ partes relinquantur, quæ nimirum nec ipsa inquietatur; vigilias nobis non adeo obesse deprehendimus, quam ubi organa sensoria nimis fuerint occupata. Taceo nos quoque in somnum facilius incidere, ubi sensus obstacula non objiciunt, nec difficultates facessit imaginatio.

§. 256.

In anima status perceptionum clararum & obscurarum, seu totalium distinctarum & confusarum alternare debent. Etenim opus est, ut somnus & vigiliæ alternent (§. 253.). Enimvero quando vigilamus, anima est in statu perceptionum distinctarum (§. 14.), totalium scilicet (§. 45. *Psych. empir.*), seu partialium clararum (§. 44. *Psych. empir.*): quando vero dormimus, eadem est in statu perceptionum obscurarum, seu totalium confusarum (§. 59.). Quamobrem cum ideæ sensuales ideis materialibus in cerebro coëxistant (§. 113.); in anima status perceptionum clararum & obscurarum, seu totalium distinctarum & confusarum alternare debent. Alternatio statuum animæ.

Apparet adeo necessitas, cur anima non semper in statu perceptionum distinctarum esse possit: neque enim vi essentiæ ac naturæ suæ alius esse potest status animæ, quam qualem admittit status corporis (§. 66. 67.). Si quis hinc difficultates nectere velit adversus statum animæ a corpore separatæ; eidem satisfaciemus inferius, ubi de immortalitate animæ acturi sumus. Difficultates enim nascuntur ex eo, quod anima vi essentiæ suæ in operationibus suis a corpore pendeat.

§. 257.

Cur sensus sint valde limitati.

Sensus omnes necessario valde limitati sunt, seu pauca admodum objecta sensu simul clare ac distincte percipere licet (§. 111. 125. 127. *rat.*). Enimvero non modo in tactu, gustu & olfactu immediatus requiritur sensibilis atque organi contactus (§. 71. 72. 73. *Psych. empir.*), & visibile lumen in oculum immittere (§. 69. *Psych. empir.*), sonus vero in aurem illabi debet, ut conveniens unicuique organo sensibile percipiatur (§. 70. *Psych. empir.*); verum etiam ipsa nervorum magnitudo (quemadmodum ex Anatomicis manifestum est) non fert, ut fibrillis diversis nerveis motus satis celeres a diversis sensibilibus simul imprimantur. E. Vide §. 255. *Optic.* 193. *rat.* 300. *Ont.*

§. 258.

Cur facultas imaginandi admodum limitata.

Facultas imaginandi admodum limitata est, hoc est, *phantasmata nonnisi numero pauca simul produci possunt* (§. 206. 112. 205. 127. 111. *rat.* 93. *emp.*).

Dum somniamus, imaginamur (§. 122. *Psychol. empir.*). Constat vero, nos per somnium objecta, quæ percipimus, nobis videre videri, neque plura simul distincte percipere, quam quæ si actu præsentia essent uno obtutu comprehenderemus. Experientia itaque non modo propositionis præsentis veritatem confirmat; verum etiam limitationis modum definit, scilicet *quod eodem modo limitetur facultas imaginandi, quo limitatur facultas sentiendi*, *neque* adeo *phantasmatum simultaneorum majorem esse numerum quam sensibilium, quæ uno obtutu comprehendere valemus.* Atque hinc est, quod cum in somnio cesset discrimen claritatis inter phantasmata & ideas sensuales intercedens (§. 96. 101. *Psychol. empir.*), quo illa ab his distinguimus, dum vigilamus (§. 97. *Psychol. empir.*), nihil prorsus sit in phantasmate totali, quo idem ab idea aliqua sensuali totali in somnio distinguere possis.

§. 259.

Campus perceptionum quid dicatur.

Campum perceptionum dico multitudinem perceptionum simultanearum.

In Opticis *Campum visionis* appellare solemus amplitudinem spatii, quod uno obtutu oculus comprehendit.

§. 260.

§. 260.

Quodnam in eo determinando observandum.

Quoniam multitudo eorum, quæ sensu aliquo simul percipi possunt, determinari nequit, nisi etiam ratio habeatur distantiæ, e qua objectum sensibile in organum aliquod adhuc agere potest; *in campo perceptionum determinando ratio quoque habenda est distantiæ, e qua organum sensorium a sensibili aliquo adhuc affici potest.*

Ita si campum auditus determinare volueris, non modo definiendum, quotnam diversos diversorum corporum sonorum sonos simul auditu perceptos a se invicem discernere possis; verum etiam ad quantam distantiam sonorum excitatorum maximum adhuc clare percipere valeas.

§. 261.

Differentia quæ inter sensus diversos intercedit.

Quoniam contactum immediatum sensibilis atque organi requirit gustus atque tactus (§. 72. & 73. *Psych. empir.*); *in definiendo campo gustus atque tactus ratio tantummodo habetur multitudinis sensibilium.*

Nimirum non repugnat, præsertim quoad tactum, quem per totum corpus diffusum esse constat, ut plura objecta simul in organum sensorium agant citra confusionem; repugnat tamen, ut in distans agant, propterea quod actio eorundem immediata est, cetera vero sensibilia mediante quodam corpore alio in organum agunt.

§. 262.

Campus perceptionum immediatarum.

Perceptionum immediatarum campus determinatus est & intra arctos admodum limites continetur. Omnes perceptiones immediatæ aut ideæ sensuales claræ atque distinctæ, aut phantasmata clara atque distincta sunt (§. 195. 207. 196 sq. *rat.* 65. 59. 92. *empir.*). Enimvero pauca admodum sensibilia clare ac distincte sensu simul percipiuntur (§. 257.) ac nonnisi pauca phantasmata simul produci possunt (§. 258.). E. (§. 259.).

Quam arcti sint campi hujus limites non rectius comprehendere licet, quam ubi non modo totum spatium, quod integrum universum occupat, tibi repræsentaveris; verum etiam una cogitaveris materiæ diversitatem in spatio nobis imperceptibili atque varietatem motuum in isto

isto spatiolo tempusculo quantumcunque exiguo dato. Vide Dissertationem de Notione intellectus divini per opera naturæ illustratam.

§. 263.

An campus visionis extendi possit.

Anima campum perceptionum immediatarum ultra suos terminos producere nequit, seu eum majorem efficere non potest.

Patet ex demonstratione propositionis præcedentis, campum perceptionum mediatarum ideo arctos admodum habere limites, quod ampliores non admittat sentiendi atque imaginandi facultas (§. 262.). Enimvero sensuum limites pendent a constitutione organorum (§. 257.), consequenter ab eo, quod vis repræsentativa animæ pendeat a mutationibus, quæ in organo contingunt (§ 62.), atque adeo animæ essentiales sunt (§. 66.) & hinc in se immutabiles (§. 300. *Ort.*) Anima igitur eas producere nequit. Jam vero campus phantasmatum eadem amplitudine gaudet, qua campus idearum sensibilium (*not.* §. 258.). E.

§. 264.

Finitudo animæ.

Anima est substantia (§. 48.) *finita* (§. 192. 194. 182. 257. 181. 258. 204. 207. 263. 182. 184 sq. *rat.* 837. *Ont.*).

§. 265.

Finitudo num animæ essentialis.

Finitudo animæ essentialis est, seu ad essentiam ipsius pertinet (§. 66. *rat.* 143. *Ont.* 62. *rat.* 837. *Ont.*).

Nempe finitudo realis animæ consistit in impossibilitate omnes perceptiones simul habendi, quæ in tota serie, quæ per omnem vitam in eadem locum habent, continentur.

§. 266.

Principium reductionis ad absurdum.

Fieri non potest, ut finitudo animæ mutetur (§. 265. *rat.* 300. *Ontol.*), consequenter nec *fieri potest*, ut, quæ finitudini repugnant, consequenter *quæ enti infinito propria sunt, eidem unquam conveniant:* id quod etiam ex incommunicabilitate attributorum sequitur (§. 45.).

§. 267.

An visu armato campus visionis fiat amplior.

Si visu armato percipimus, quæ nudo percipere non poteramus, aut armato distincte percipimus, quæ nudo nonnisi confuse perci-

percipiuntur; campus visionis ultra suos terminos non producitur. Visus armatur vel telescopio, vel microscopio.

Cum visibilia, quæ nudo oculo videri nequeunt, per telescopia videantur, vel quod nimis exigua aucta magnitudine exhibeantur, vel quod lumen debile a fortiori separetur; in neutro autem casu amplietur campus visionis per telescopium (§. 24. 71. *Optic.* 259. *rat.*; adde §. 66. *Optic.* de eo, quando per telescopium aliquid distincte percipimus): Evidens est, campum visionis ultra suos terminos non produci, ubi oculus telescopio armatus videt, quæ nudus assequi nequit.

Ponamus jam porro nos per microscopium videre animalculum nudo oculo inconspicuum. Quoniam microscopia augent magnitudinem objectorum; eodem prorsus modo patet, rationem differentiæ visus armati atque nudi non aliam esse, quam quod per microscopium visi imago datam retinæ partem occupet, quæ in oculo nudo in puncto individuo consistebat. Unde porro ut ante colligitur, hoc ipso campum visionis ultra terminos visus nudi minime produci, si per microscopium videntur, quæ nudo oculo videri nequeunt.

Si per microscopium aliquid distincte videtur, imago majorem retinæ partem occupat, adeoque constat, per microscopia non augeri campum visionis.

Ceterum ipsa experientia docet, telescopia & microscopia campum visionis intra terminos arctiores constringere, tantum abest ut ultra consuetos extendant: cujus etiam rationes ex Opticis sunt manifestæ. Et quamvis in campo perceptionum determinando etiam habenda ratio sit distantiæ, ad quam v. gr. visus extenditur (§. 260.); telescopia tamen campum visionis non extendunt, quoniam haud quaquam efficiunt, ut visus longius exporrigatur, sed tantummodo ut distincte assequatur, quæ sine hac armatura vel confuse, vel prorsus obscure percipit. Neque einim telescopium radios a visibili in oculum allicit, a quo eodem remoto nulli ad eundem pertingerent; sed tantummodo hoc præstat, ut radii in plures fibrillas nerveas agant, quæ alias vix in unam agunt, aut ut soli in quasdam fibrillas agere possint, qui alias cum radiis ab aliis objectis propagatis simul in easdem agunt.

§. 268.

Sensus quando acuantur.

Sensus acui dicitur, si efficitur, ut clare aut distincte percipiat, quæ antea obscure vel confuse percipiebat.

De visu vulgata locutio est; sed potest etiam ad ceteros sensus applicari.

§. 269.

Differentia acuminis intrinseci & accidentalis.

Est vero *acumen sensus* vel intrinsecum, vel accidentale. *Intrinsecum* est, ubi a causa interna pendet, ut clare ac distincte percipiatur, quod naturali constitutione organi nonnisi obscure vel confuse percipiebatur. *Accidentale* vero est, quod a causa quadam externa pendet.

§. 270.

Visus per microscopia & telescopia acuitur.

Quoniam experientia constat, per telescopia atque microscopia videri, quæ visui sese subducunt nudo, & per illa distincte apparere, quæ nudus oculus nonnisi confuse cernebat; ideo patet, *telescopiis ac microscopiis acui visum (§. 268.)*. Quoniam vero ratio cur hoc oculo accedat, a telescopio vel microscopio, adeoque a causa quadam externa (§. 881. *Ont.*) petenda; *acumen visus, quod per telescopia & microscopia habet, non nisi accidentale est (§. 269.)*.

§. 271.

Visus presbytarum & myopum quomodo acuatur.

Similiter cum constet presbytas, hoc est, eos, qui remota distincte, vicina confuse vident, per perspicilla distincte videre vicina, & contra myopes, hoc est, eos, qui remota confuse, vicina distincte vident, per vitra concava distincte spectare remota; *visus presbytarum perspicillis convexis; myopum perspicillis concavis acuitur* (*§. 268.*). *Acumen vero hoc non est nisi accidentale* (*§. 270.*).

§. 272.

Specula concava visum acuunt.

Similiter cum specula concava augeant magnitudinem objectorum non procul ab eorum superficie distantium, atque hoc ipso efficiatur ut videamus, quæ oculo nudo distingui a nobis minime poterant; *speculis quoque concavis visum acui claret (§. 268.); acumen hoc vero accidentale est.*

§. 273.

§. 273.

Et quoniam per tubos ſtentoreophonicos obtinetur, ut ſonus percipiatur, qui alias propter diſtantiam nimiam percipi nequit; immo idem evenit, ſi orificium tubi anguſtius auri applicetur, ac hoc inprimis in caſu ſonus diſtincte percipitur, qui alias non ſatis diſtincte percipi poteſt; *tubo ſtentoreophonico acui auditum palam eſt* (*§. 268.*). **Auditus quomodo acuatur.**

§. 274.

Acumen, quod auditui eſt tubi ſtentoreophonici uſu, accidentale eſt (*§. 851. 881. Ont. 269. rat.*). **Quale ſit illud acumen.**

§. 275.

Quoniam conſtat, ubi microſcopiis objecta fuerimus contemplati, nos poſthac nudo oculo diſtinguere, quæ antea non cernebamus; hic vero ratio viſionis diſtinctæ in ſequentibus non amplius a microſcopio, ſed & a facultate per microſcopia contracta pendet, *microſcopiorum uſu acumen viſus intrinſecum acquiri poteſt* (*§. 269.*). **Acumen viſus intrinſecum microſcopiorum uſu acquiſitum.**

§. 276.

Patet per experientiam, *ſi quis diu multumque in diſtincte contemplandis ſenſibilibus verſetur, his ipſis exercitiis acui viſum, immo ſenſus quoque alios.* Quoniam vero in hoc caſu ratio acuminis a cauſa interna pendet (§. 851. 881. *Ontol.*); *acumen exercitiis diſtinctarum contemplationum acquiſitum intrinſecum eſt.* **Acumen ſenſuum intrinſecum exercitio comparandum.**

Atque hoc acumen unusquisque ſibi acquirere debet, cum pendeat a perfectione intellectus, cui perficiendo pro virili ipſa lege naturali obligamur.

§. 277.

Confuſa ideæ reproductæ recognitio eſt apperceptio ideæ reproductæ ut bis in diverſis perceptionum ſeriebus exiſtentis. Aſt *diſtincta ideæ reproductæ recognitio* eſt judicium de eo, quod ideam aliquam jam antea habuerimus. **Recognitionis modus duplex.**

§. 278.

Duæ ergo *dantur memoriæ* (*§. 175. empir.*) *ſpecies, quarum* **Memoriæ quot ſpecies.**

rum altera est facultas res confuse recognoscendi; altera vero facultas res distincte recognoscendi (§. 277. rat. 682. Log.).

§. 279.

Memoriæ divisio.

Memoria sensitiva est facultas ideas reproductas & res per eas repræsentatas confuse recognoscendi. *Intellectualis memoria* est facultas ideas reproductas distincte recognoscendi. Memoria sensitiva dici etiam potest *animalis*.

Sensitivam appello, quæ a sensu ortum trahit; quemadmodum intellectualem, quæ ab intellectu pendet. Illa vero ideo animalis dici poterat, quia homini cum animantibus brutis communis.

§. 280.

Memoria sensitiva in quo consistat.

Memoria animalis seu sensitiva in apperceptione ejusdem ideæ tanquam in diversis perceptionum seriebus contentæ consistit (§. 279. 277.).

Nimirum eadem idea bis producitur, sive vi sensus & imaginationis simul, sive vi imaginationis solius, sed cum ideis sociis. Video arborem proceram in horto & in mentem venit alia olim visa in silva. Sensui debetur idea arboris in horto; imaginationi vero idea arboris in silva. Illius idea horti socia est; hujus vero idea silvæ. Sociæ sunt ideæ objectorum aliorum in horto & silva simul perceptorum. Quatenus ideæ utriusque arboris & idearum, quæ utrique sociæ sunt, nobis conscii sumus, adeoque omnes simul appercipimus (§. 25. *Psych. empir.*), memoria nobis tribuitur. Vi imaginationis phantasma producimus rei sensu nunquam perceptæ. Alia vice verba cum alio miscentibus reproducitur idea ejusdem phantasmatis, cujus nobis conscii sumus una cum aliis perceptionibus, quas tunc simul habuimus. Ad phantasma istud attentis imaginatio idem quoque sistit cum ideis sociis, quæ tunc nobis erant, cum primum idem formaremus. Habemus adeo idem phantasma bis productum, sed cum diversis ideis sociis, vi imaginationis solius.

§. 281.

Memoria intellectualis in quo consistat.

Memoria intellectualis consistit in judicio, quod eandem ideam jam ante habuerimus (§. 279. 277.).

Non opus est, ut idea reproducta semper sit numero eadem; sed eam quoque specie vel genere eandem esse posse nemo non novit (§. 105. *emp.*).

§. 282.

§. 282.

Memoria intellectualis supponit sensitivam, seu actus sensitivæ præcedere debet actum intellectualis (§. 281. rat. 173 sq. 25. emp. 280. rat.).

Dependentia memoriæ intellectualis a sensitiva.

§. 283.

Si actus memoriæ intellectualis ex actu sensitivæ sequi debet, necesse est, ut in ideam eandem, quæ nobis bis objicitur, & diversas ideas socias eidem junctas attentionem nostram dirigamus easque una cum illa inter se conferamus (§. 280 sq. rat. 343. 237. emp.).

Quomodo actus memoriæ intellectualis sequatur ex sensitiva.

§. 284

Quodsi ergo ratio attentionis deficit, ex actu memoriæ sensitivæ non sequitur actus memoriæ intellectualis (§. 70. Ontol. 283. rat.).

Quando actus memoriæ intellectualis ex sensitiva non sequatur.

§. 285.

Si judicia vocabulis efferre suevimus, actus memoriæ intellectualis multo facilius sese exerit (§. 350. 353. empir. 281. rat.).

Quando memoria intellectualis promtior.

§. 286.

Si vocabulis efferimus judicium, quo judicamus, nos ideam aliquam jam antea habuisse, idea hac in posterum reproducta, judicium istud symbolicum seu enunciatio una producitur (§. 273. emp.).

Judicii symbolici reproductio.

§. 287.

Per se distincta est perceptio, quæ successive nascitur. Per se vero distincta non est, sed operatione mentis talis, quæ tota simul nascitur. Si vocabulum aut enunciationem ex aliquot vocabulis compositam percipimus; perceptio ejus oritur successive & per se est distincta. Dum enim vocabulum pronunciatur, syllabæ singulæ, ex quibus componitur, successive pronunciantur. Quamobrem cum singulis syllabis respondeant singuli soni, qui ad aurem deferuntur; necesse est sonum syllabæ præcedenti respondentem aut, si mavis, eam constituentem citius ad aurem deferri sono altero, qui syllabæ proximæ sequenti respondet.

Quænam per se distincte percipiantur.

ſpondet. Agunt igitur diverſis ſyllabis convenientes ſoni ſucceſſive in organum auditus, adeoque & ſucceſſive in mente oriuntur perceptiones illorum ſonorum. Idem multo magis valet de enunciatione. Jam cum perceptiones appercipiamus, utpote earum nobis conſcii; ſingulæ ſyllabæ uniuscujusque vocabuli ſigillatim percipiuntur. Enimvero cum vocabula ea celeritate pronuncientur, ut ſonus ſyllabæ primæ nondum præterierit, dum ſonus ultimæ accedit, ac ideo quoque perceptiones ſyllabarum ita appercipiantur, ut dum ſyllabam ultimam percipimus, apperceptio anteriorum adhuc duret, perceptiones ſingularum ſyllabarum hoc modo quaſi reuniuntur in unam, ut totum vocabulum ſimul percipere nobis videamur. Quoniam itaque diſtincte percipimus, ſi eorum, quæ in re diverſa inſunt, diſcrimen in ſenſum incurrat, & ſingula primum ſigillatim contemplemur, deinde ordinem ac nexum eorum meditemur (§. 652. *Log.*), vocabula vero talia ſint, ut nonniſi ſingulæ, ex quibus conſtant, ſyllabæ primum ſigillatim & mox tamen totum vocabulum quaſi ſimul percipiatur; vocabula quoque diſtincte per ſe percipi patet. Patet vero idem de omni ſenſibili ſucceſſive percepto valere, atque adeo in genere claret, quæ ſucceſſive percipiuntur, per ſe diſtincte percipi. *Quod erat unum.*

Ponamus porro nos viſu percipere viſibile aliquod, veluti arborem. Dico arborem per ſe diſtincte non percipi, ſed mentis demum operatione diſtinctam evadere perceptionem. Quando enim arborem videmus, radii a partibus omnibus ſimul in oculum incidunt & in diverſas retinæ fibrillas ſimul agunt, conſequenter omnes partes arboris ſimul uno obtutu percipiuntur. Quodſi ergo arborem diſtincte percipere volueris, neceſſe eſt, ut ſigillatim contempleris truncum, ramos, ſurculos, folia & deinde eorum inter ſe nexum conſideres (§. 652. *Log.*). Quoniam igitur hic requiritur, ut ſucceſſive animum ad ſingulas partes advertas, utque hoc facias temetipſum ad id determines; objectum, quod ita repræſentatur, ut diſtincte perceptibile ſit, mentis demum operatione diſtincte percipitur. *Atque ex hoc etiam patet alterum.*

Nimi-

Nimirum in successive nascentibus perceptionibus attentio nostra per se trahitur in singulas partiales perceptiones; in iis autem, quæ totæ simul nascuntur, attentio ad hanc vel istam partem in specie non dirigitur per se, sed mentis nostræ arbitrio, quod rationem determinantem extra actum perceptionis & apperceptionis requirit.

§. 288.

Vocabula ac inde compositam orationem facilius & clarius imaginamur, quam visibilia (§. 287. rat. 94. emp.). Cur vocabula facilius imaginemur, quam visibilia.

§. 289.

Vocabula multo magis clarius atque facilius imaginamur, quam odores, sapores & qualitates tactiles, quæ solo tactu percipiuntur (§. 103. emp. 288. rat.). Cur vocabula qualitatibus sensibilibus facilius imaginemur.

§. 290.

Vocabulorum dantur ideæ materiales duplices, tum quatenus auditu (§. 111 sq.), tum quatenus visu percipiuntur. Vocabulorum ideæ materiales duplices.

Si vocabulum aliquod scriptum visu percipitur, figuræ literarum & earundem ordo aut, si mavis, successio visu percipitur. Lumen nimirum a literis singulis in oculum illapsum singulas literas in retina delineat (§. 62. *Optic.*) & sic diversis fibrillis nerveis diversæ motum imprimunt, qui cum ad cerebrum propagatur (§. 111.), singularum literarum in cerebro nascuntur ideæ materiales (§. 112.), quæ adeo simul sumtæ constituunt ideam materialem integri vocabuli, quatenus visu percipitur.

§. 291.

Dantur etiam ideæ vocabulorum materiales, quatenus conatum ad loquendum percipimus, dum sonum eorum imaginamur, seu tacite nobis loquimur, aut tacite legimus. Dum vocabulorum sonum imaginamur, ea pronunciandi conatum in nobis observamus: quem non alium esse ab eo, quo ad movenda organa loquelæ opus habemus, inde liquet, quod in somnio conatus iste degeneret in actum, tumque actu loquamur. Necesse igitur est, ut tot diversi sint conatus, quot sunt literæ diversæ, ex quibus vocabulum componitur. Perceptio igitur totius vocabuli Tertia idea vocabuli materialis.

cabuli componitur ex succeſſivis conatibus iſtis partialibus. Enimvero perceptiones iſtæ ſunt in numero earum, quæ ad tactum pertinent, conſequenter in numero idearum ſenſualium (§. 95. *Pſychol. empir.*). Atqui ſingulis ideis ſenſualibus ſingulæ reſpondent ideæ materiales (§. 114.). E.

§. 292.

Cur vocabula aliis facilius memoriæ mandentur.

Vocabula memoriæ facilius mandantur, quam ſenſibilia alia (§. 288 ſq. rat. 117. 173. 178. emp.). (Idem patet ex §. 287. *rat.* & 200. *emp.*) *& hæc beneficio vocabulorum eidem facilius mandantur, quam abſque eorum ſubſidio (§. 273. emp.).*

§. 293.

Vocabula cur facilius memoria retineantur.

Vocabula memoria facilius retinentur, quam ſenſibilia alia & beneficio vocabulorum alia facilius retinentur, quam abſque eorum ſubſidio. Eodem modo oſtenditur, quo præcedens demonſtrata fuit propoſitio. Vide modo de *primo* §. 287. *rat.* 200. *emp*, & de *ſecundo* § 273. 230. 181. *emp.*

Huc trahi poteſt exemplum hominis inter urſos educati & alterius a nativitate ſurdi, quorum uterque ſermonis uſus compos factus nihil eorum recordatus, quæ ante eundem perceperat, quemadmodum nos nihil eorum recordamur, quæ in prima infantia ante expeditum ſermonis uſum ſenſu percipimus.

§. 294.

Memoriæ ſenſitivæ quid reſpondeat in corpore.

Memoriæ ſenſitivæ in corpore non reſpondet niſi facilitas reproducendi ideas materiales, quam cerebrum contrahit. Ex §. 280. 44. *rat.* 23. 25. *emp.* 112. 206. *rat.* diſcis, nil eſſe in corpore, quod apperceptioni reſpondeat. Jam vero anima eandem ideam tanquam in duabus perceptionum ſeriebus contentam appercipere nequit, niſi idea v. gr. viſibilis nunc ſenſu producta vi quoque imaginationis cum ideis alio tempore ejusdem ſociis reproducatur & reproducta, quam diu opus eſt, conſervetur. Quamobrem cum ad hoc præſupponatur facilitas reproducendi ideas materiales (§. 240.) ipſo uſu cerebro contracta (§. 241.), nec ideæ materiales conſerventur niſi continua productione (§. 233.), patet, quod volumus.

§. 295.

§. 295.

Actui memoriæ intellectualis in corpore respondent ideæ materiales vocabulorum, quibus exprimitur judicium, quod ideam aliquam jam ante habuimus (§. 281. 290.).

Actus memoriæ intellectualis in corpore.

Ita si videns arborem proceram judicat: istiusmodi arborem jam alias vidi in silva; singulis hisce vocabulis singulæ respondent ideæ materiales, quæ successive nascuntur, quemadmodum vocabula successive memoriam subeunt.

§. 296.

Memoria intellectualis in cerebro est potentia producendi ideas materiales respondentes vocabulis, quibus effertur judicium, quod ideam aliquam jam habuerimus (§. 279. 281. *rat.* 29. *empir.* 295. *rat.*).

Memoria intellectualis in corpore.

§. 297.

Memoria lædi dicitur, quando ad functiones suas, seu ad eliciendum actum inepta redditur. Vid. exemplum §. 205.

Memoria quando læditur.

Læsionis hujus multi dantur gradus. Ita dum antea facile quid memoriæ mandabamus, nunc difficulter idem facere licet. Cum antea diu quid memoriæ impressum retineremus, nunc statim ejus obliviscimur, quod vix memoria tenebamus. Immo cum multarum rerum memoriam haberemus; nunc nullius earum reminisci possumus. Suppono autem postremum non tribuendum esse oblivioni, cui etiam antea quid tradere poteramus; sed potius causæ cuidam alteri statum præternaturalem producenti, quem Medici appellare solent (vid. §. 182 seqq. *emp.*).

§. 298.

Memoria a causis materialibus lædi potest (§. 294. 296. *rat.* 273. *emp.* 286. *rat.*). Quamobrem cum ista reproductionis idearum materialium facilitas in actuali quadam mutatione consistat (§. 245.), quæ iterata ideæ materialis ejusdem (§. 241.), adeoque motus fibrillis nerveis a sensibili in organo impressi & ad cerebrum propagati (§. 111.) productione contrahitur, qualiscunque tandem ea fuerit, a causa materiali pendet, seu talis est, ut motu eodem sæpius repetito substantiæ cerebri seu fibrillis, ex

Causæ memoriam lædentes.

quibus ea constat, nerveis induci possit. Sed quod a causis materialibus beneficio motus producitur, a causis quoque materialibus eodem motu mediante vel prorsus destrui, vel ex parte tolli potest. E. Illa quoque contracta ideas materiales reproducendi facilitas vel prorsus destrui, vel ex parte tolli potest.

§. 299.

Cur morbi & senectus eam lædant.

Quoniam morbi acuti motus irregulares in cerebro producunt, immo alii quoque morbi capitis idem faciunt, ac senescente homine nervis quoque & consequenter cerebro induci mutatio solet, quamvis non eadem in hominibus singulis; *mirum non est, quod memoria vi morborum acutorum atque capitis, immo ipsa senectute sæpius lædatur.*

§. 300.

Auxilium reminiscentiæ a vocabulis petitum.

Vocabulorum usus reminiscentiam juvat (§. 273 sq. 230. *emp.*).

§. 301.

Subsidium reminiscentiæ facilitandæ.

Ut ergo *eorum, quorum meminisse interest, facile reminiscamur, non modo ea attente perlustrare, sed & singula beneficio nominum, immo judiciorum symbolicorum, memoriæ imprimere ac de convenientia nominis rei cum iis, quæ eidem insunt, judicium interponere tenemur* (*§.300. rat. 230. emp.*).

Nunc nemo miratur, cur qui sermonis usu destituti fuerant, ubi ejus compotes facti, status sui præteriti reminisci minime potuerint, quando de eodem interrogabantur. Obiter monemus elucescere hinc usum doctrinæ criticæ de etymologiis vocabulorum, quæ alias sterilis videtur.

§. 302.

Reminiscentiæ quid in corpore respondeat.

Reminiscentiæ in corpore nihil respondet præter ea, quæ imaginationi & memoriæ in eodem respondent (*§. 230. 92. 104. 175. emp.*).

Per ea, quæ §. 206. 294. 296. habentur, reminiscentiæ actus explicari debent.

§. 303.

§. 303.

Oblivio, quatenus a corpore pendet, consistit in impotentia ideas materiales, quæ productæ aliquando fuerant in cerebro, reproducendi (§. 215. *emp.* 294. 296. 282. *rat.*). Oblivio in corpore quid sit.

§. 304.

Si rei sensu semel perceptæ iterum meminisse non possumus; oblivio consistit in privatione facilitatis ideam ejus materialem reproducendi, quam cerebrum contrahere potuisset (§. 294. *rat.* 175. 215. *emp.* 28. *Ont.*). Idem patet ex §. 303. Oblivionis subitæ ratio.

§. 305.

Si quid memoria tenemus, idemque oblivioni posthac tradimus; oblivio consistit in amissione facilitatis reproducendarum idearum materialium, quam cerebrum habuerat (§. 294. 303. 245.). Oblivionis supervenientis ratio.

§. 306.

Si cujus fibrillæ nerveæ, ex quibus cerebrum constat, ita fuerint dispositæ, ut mutatio ista, in qua facilitas reproducendi ideas materiales, quæ semel eidem inextiterunt, paucis actibus induci, nec semel inducta, actibus licet eandem inducentibus minime repetitis, longo temporis spatio cesset; is bonam memoriam habet (§. 245. *rat.* 186 *sq. empir.* 241. 243. 294. *rat.* 188 *seq. empir.*). Memoriæ bonæ ratio.

Generalis hæc notio satisfaciet inferius in doctrina de commercio inter mentem & corpus; eadem quoque loco notionis directricis esse potest in Physica.

§. 307.

Fibrillæ nerveæ, ex quibus nervi atque cerebrum constat, in omnibus hominibus non sunt eædem (§. 182. 186 *sq.* 184. 188 *sq. emp.* 306. 112. *rat.* 190. *emp.* 170. *Ont.* 306. *rat.*). Diversitas fibrillarum nervearum in diversis subjectis asserta.

§. 308.

Quoniam fibrillæ considerari possunt instar chordarum, vel filamentorum; res autem materiales non admittunt discrimen intrinsecum, nisi ratione quantitatis ac qualitatis (§. 454. *Ontol.*); *fibrillæ* quoque *nerveæ in diversis subjectis nonnisi ma-* Diversitas in quo consistat.

gnitudine & qualitatibus differre possunt, &, si magnitudine differunt, vel longitudine, vel crassitie, vel utraque simul differre debent.

Quid horum obtineat, & quænam sint illæ qualitates, quibus fibrillæ nerveæ differunt; in Physica discutiendum.

§. 309.

Bonitas memoriæ cur mutetur.

Si quacunque de causa qualitates istæ mutentur, bonitas quoque memoriæ (§.306. rat. 190. emp. 307 sq. rat.) variari debet (§.118. Ontol.).

§. 310.

Fibrillæ nerveæ quando variari intelligantur.

Si gradus bonitatis memoriæ variantur, variari quoque debent qualitates fibrillarum nervearum, ex quibus nervi sensorii atque cerebrum constant (§.309. rat. 118. Ont.).

§. 311.

Casus specialis.

Si memoria læditur (§. 297. *rat.* 189 sq. *emp.*), *qualitates fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum atque nervi sensorii constant, variantur* (§. 310. *rat.*).

§. 312.

Memoria naturalis in corpore in quo consistat.

Memoria naturalis, quatenus inest corpori, consistit in dispositione naturali fibrillarum nervearum ad contrahendam facilitatem reproductionis idearum materialium certo productionum numero (§. 205. 179. 195. *emp.*). Naturaliter igitur rei nullius memoria nobis actu inest, sed tantummodo possibile est ut insit. Quamobrem cum memoria sensitiva (quatenus scilicet rei cujusdam memoriam actu habemus, non tantum habere possumus) consistat in facilitate reproducendi ideas materiales, quam cerebrum contraxit iteratis actibus (§. 294.); naturaliter tantummodo possibile est, ut fibrillæ nerveæ acquirant facilitatem reproductionis ideæ alicujus materialis (§. 426. *emp.*).

§. 313.

Memoria naturalis unde pendeat.

Memoria naturalis a qualitate, longitudine & crassitie fibrarum pendet (§. 851. Ontol.). Vide §. 70. 56. 454. *Ontol.*

§. 314.

§. 314.

Quoniam facilitas reproductionis idearum materialium, in qua memoria sensitiva consistit (§. 294.), actualem quandam mutationem cerebro inducit (§. 245.); *iterata idearum materialium productione per qualitates fibrillarum nervearum, a quibus memoria naturalis pendet* (§. 313.), *facta mutatio ut explicari possit opus est, seu vi illarum nerveis fibrillis accidere potest.* Unde desumenda ratio explicandæ memoriæ actualis.

§. 315.

Qui bonam habet memoriam, non ideo necessario magnam habet (§. 189. 192. *empir.*). An memoria bona & magna sint necessario simul.

§. 316.

Qui magnam memoriam habet, bonam quoque habet (§. 192. 178. 186 sq. 188 sq. *empir.*). Nexus memoriæ magnæ cum bona.

Experientia propositionem confirmat, quatenus videmus integras a nonnullis paginas posse recitari, ne verbulo quidem immutato; ubi nonnisi semel attente perlectæ fuerint.

§. 317.

Memoria magna peculiarem requirit fibrillarum nervearum constitutionem (§. 294. 111 sq. 315. *rat.*), *non tamen repugnantem ei, quæ memoriæ bonæ convenit* (§. 316.). Memoria magna quid in corpore supponat.

§. 318.

Si in genere rem consideres, non repugnat memoriam medicamentis posse roborari; hoc est, medicamentis effici posse, ut memoria evadat melior atque major (§. 313. 306. 317. 309.). Enimvero fibrillæ nerveæ res materiales sunt, adeoque cum rerum materialium a causis materialibus mutentur qualitates, & medicamenta in causarum materialium numero esse nemo non agnoscat; si rem in genere spectes, non repugnat medicamentis qualitates fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum constat, variari posse. E. An memoria medicamentis roborari possit.

Propositio præsens a posteriori certa videtur. Quodsi tamen rationis trutina rem expedire jubeamur, nonnisi subdubitanter de eadem pronunciare licet. Neque enim a nobis ex principiis hactenus stabilitis demonstrari potest, memoriam roborari iis medicamentis, quibus vulgo

vulgo hæc virtus tribuitur. Ita constat, coriandro hanc tribui virtutem medicam, quod memoriam roboret. Enimvero si quis a priore idem evincere vellet, is & nosse deberet, quænam fibrillarum nervearum qualitates & quomodo sint immutandæ, ut memoria reddatur melior vel ut impediatur, ne fiat deterior, & quænam insint coriandro qualitates, ad illas immutandum aptæ. Nemo non videt horum omnium, quæ hic præsupponuntur, demonstrationem a Physico expectandam esse & cui perspecti sunt Physicæ progressus, is nec ignorabit, certam eorum demonstrationem hactenus nondum dari posse. Non tamen ideo in dubium vocamus, quæ certa experientia nituntur; sed ea hic in medio relinquimus tanquam ad Physicam specialissimam spectantia.

§. 319.

An memoria medicamentis lædi possit.

Si in genere rem consideres non repugnat, memoriam vi medicamentorum lædi posse (§§. 298. 312.).

Ex antecedenti propositione patet ratio, cur præsentis certam dare probationem non liceat, sed in levi aliqua probabilitate sit subsistendum. Si non tanquam a veritate aliena rejicere velis, quæ de virtutibus medicis tradunt rei herbariæ scriptores; admittere quoque debes, quemadmodum confectio anacardina est præstans remedium memoriam & meliorem, & majorem efficiendi, ita eandem dosi nimia sumtam, vel promiscue quibuslibet datam furoris causam existere.

§. 320.

Lapsus memoriæ differentia.

Si memoria labitur, aut idea rei, cujus meminimus, salvis sociis mutata reproducitur, aut illa salva hæ mutatæ reproducuntur (§. 207. 226. 174. 221. *empir.*). Quamobrem necesse est, ut aut idea rei, cujus meminimus, salvis sociis mutata reproducatur, quo ex his illius identitatem colligamus; vel ut ideæ sociæ non mutata idea rei, cujus meminimus, mutatæ reproducantur, quo ex hac illarum identitas inferatur (§. 174. *Psych. emp.*).

§. 321.

Errores a lapsu memoriæ pendentes circa res facti.

Lapsu memoriæ incidimus in errores, quod res talis fuerit, qualis non fuerat, vel quod eidem coëxtiterint, quæ non coëxtiterunt (§. 320. *rat.* 39. 478. 593. *Log.*).

Ita aberramus a veritate, si imaginatio nobis sistit Titium veste rubra

bra indutum, qui tunc, quando eum videbamus, viridi indutus erat, atque ideo judicamus: Titium veste rubra fuisse indutum, cum eum videremus. Similiter erramus, si imaginatio nobis sistit plantam exoticam in horto Titii, quam videramus in horto Mevii, ac ideo judicamus, plantam istiusmodi exoticam, qualem nunc conspicimus, esse quoque in horto Mevii. Erramus hic in rebus facti: cum enim imaginatio nobis præsentia sistat sensu olim percepta & beneficio memoriæ hæc recognoscentes judicemus, nos ea ante sensu percepisse; præsens propositio potissimum ad res facti spectat.

§. 322.

Errores a lapsu memoriæ pendentes circa veritates universales.

Lapsu memoriæ incidimus in errorem; si memoria nobis suggerit propositionem tanquam negativam, quam affirmativam eidem mandavimus, vel contra tanquam affirmativam, quam negativam eidem infiximus; vel si suggerit tanquam categoricam, quæ conditionata erat, vel etiam conditionatam seu hypotheticam sub aliena conditione (§. 320. *rat.*). Quamobrem cum propositionibus, quibus veritates universales enunciantur, tanquam ex vocabulis constantibus (§. 196. *Log.*), respondeant ideæ ex ideis illorum vocabulorum compositæ (§. 290. 113.); ideæ istæ mutatæ reproduci debent, quando memoria labitur. Quodsi vocabula supponantur nota, ut ipsa quoad syllabas mutationem patiantur, fieri nequit, qualis contingere solet, ubi nomen aliquod peregrinum audivimus, quod satis meminisse non possumus, adeoque non aliæ mutationes accidere possunt, quam ut vel vocabula quædam adjiciantur, quæ abesse debebant, vel quædam absint, quæ adesse debebant, vel quædam mutentur in alia. E. Vide iterum §. 210. *empir.*

§. 323.

Errores ex lapsu memoriæ quomodo serpant.

Quoniam etiam in errorem incidimus, si in syllogismo propositionem quandam memoriæ lapsu pro vera accipiamus, quæ falsa est (§. 604. *Log.*) &, si hac conclusione erronea porro utamur tanquam præmissa in aliquo syllogismo, vera argumentandi forma in errores ulteriores incidimus (§. 596. *Log.*); *ex lapsu memoriæ vera argumentandi forma continuo serpunt errores, quamdiu non advertitur, qui lapsu memoriæ commissus primum fuerat.*

§. 324.

Quando lapsus memoriæ facilis.

Si quorum diu non meminimus, lapsum memoriæ facile committimus, ubi eadem in eandem nobis revocamus (§. 217. 216. *empir.*). Enimvero ubi, ejusmodi impotentia ideas rerum reproducendi contracta, rem nobis in memoriam revocare conamur, ideas istas reproducere nitimur (§. 228. *Psychol. empir.*). Quamobrem accidere potest, ut quorundam idea particularis adhuc reproducatur, ceteris non reproductis, aut in eorum locum aliis substitutis prout fert occasio (§. 110. & *sqq. Psychol. empir.*). Jam vide §. 207. *empir.*

§. 325.

Cur in somnio meminerimus rerum tam vigilando, quam somniando perceptarum.

In somnio meminimus rerum, quas vigilantes percepimus (§. 122. 219. *rat.* 127. 117. 174. 226. *empir.*)*: subinde quoque rerum, quas alias somniantes percepimus.*

Enimvero si vocabulis efferimus judicium, quo judicamus, nos ideam aliquam jam habuisse; idea hac in posterum reproducta, enunciatio ista una producitur (§ 286.). Quamobrem in somnio quoque, quod lege imaginationis conservatur (§. 123. *Psych. empir.*), enunciatio ista una reproduci debet. Quamobrem si evigilantes de phantasmate aliquo judicaverimus, quod nobis per somnium occurrerit, atque idem in somnio denuo nobis objiciatur, in ipso quoque somnio reproduci debet judicium, quod istud, quod jam nobis in somnio succurrit, alias somniaverimus. E. (§. 226. *emp.*).

§. 326.

Somnium naturale quodnam sit.

Si somnium initium a sensatione capit & per phantasmatum successionem continuatur; naturale est (§. 65 *sq. emp.* 57. 61. 63. 69. *rat.* 93. *emp.* 61. *rat.*).

§. 327.

Inversio propositionis præcedentis.

Si naturale somnium est, initium capere debet per legem sensationis & continuari per legem imaginationis (§. 123. *empir.* 219. *rat* 85. 123. *emp.* 219. *rat.* 117. *emp.*).

§. 328.

Somnium quando supernaturale.

Si somnium a sensatione nulla initium capit, supernaturale erit, utut per legem imaginationis continuetur. Tunc enim sine

prævia

prævia ſenſatione phantasmata primum, a quo ſomnium initium capit, oritur: quod naturaliter fieri nequit (§. 229.). E. (§. 509 ſq. *Coſm.*).

§. 329.

Alia ſomnii naturalis ſpecies.

Si ſomnium per legem imaginationis non continuatur; ſupernaturale erit (*§. 326. rat. 509 ſq. Coſm.*).

§. 330.

Status cerebri in ſomnio ſupernaturali.

In ſomnio ſupernaturali ſingulis phantasmatis reſpondent ideæ materiales in cerebro, ſupernaturales & ipſæ. Etenim in ſomnio ſupernaturali quæ nobis objiciuntur, eorum nos meminimus ubi evigilavimus & ubi cum aliis de eodem colloquendi offertur occaſio. Enimvero ſi rei cujusdam meminimus, reproducendi ideas materiales phantasmatis reſpondentes facilitas fibrillis nerveis, ex quibus cerebrum conſtat, ineſſe debet (§. 294.). Quamobrem cum ideæ materiales in cerebro reproduci nequeant, niſi ante in eadem jam fuerint productæ (§. 241.); dum ſupernaturaliter in anima producuntur phantasmata per ſomnium, iisdem quoque coëxiſtere debent ideæ materiales in cerebro. Enimvero per ſe patet naturaliter tum in cerebro ideas materiales oriri minime poſſe, alias enim ipſis quoque coëxiſterent naturaliter phantasmata in anima (§. 206.). E.

§. 331.

Somnium ſupernaturale quale ſit.

Somnium ſupernaturale miraculum eſt (*§. 510. Coſm. 71. 330. 327 ſq. rat.*).

§. 332.

Naturaliter qualia ex ſomnio ſupernaturali oriantur.

Ex ſomnio ſupernaturali oriuntur tam in anima, quam in corpore naturaliter, quæ alias naturaliter oriri minime poterant. Ponamus enim, nos, dum evigilamus, ſomnii meminiſſe. Quoniam rei meminimus, ſi ideæ, quas ante habuimus, reproducuntur & reproductæ recognoſcuntur (§. 226. *Pſychol. empir.*), cum ideas, ex quibus ſomnium conſtat, habuerimus eædemque iſtiusmodi ſint, quales alias naturaliter ſenſuum primum, deinde imaginationis ope producuntur; nullum quoque dubium eſt, quin iſtarum idearum reproductio naturalis ſit. Reproducuntur adeo ideæ claræ ac diſtinctæ, quæ alias iſto tempo-

re reproductæ minime fuissent & quarum adeo loco naturaliter productæ fuissent aliæ. Quodsi sermonis usus nobis fuerit familiaris, non potuerimus somnii supernaturalis meminisse, quin tacita mentis loquela ideas istas verbis indigitemus & ubi cum aliis de eodem loquendi occasio offertur, eadem verba clara voce efferamus. In utroque igitur casu tam in anima, quam in corpore mutationes naturaliter contingunt, quæ alias non contigissent & quarum adeo loco contigissent aliæ. Quodsi jam porro somnium supernaturale in actiones hominis influit; multo jam major sese offert eorum numerus, quæ & animæ, & corpori naturaliter jam accidunt, alias vero minime accidissent, ut opus non sit plura eam in rem addi. Adde §. 531 sq. *Cosm.*

§. 333.

Cur quæ imaginamur pingi & sculpi possint.

Quicquid per modum visibilis imaginari possumus, idem etiam arte pictoria & sculptoria repræsentare valemus. Quando enim quid imaginamur, phantasma ejusdem in anima producitur (§. 93. *Psych. empir.*), adeoque eidem respondet idea materialis (§. 206.). Cum idea materialis sit motus quædam species in fibrillis nerveis ex eo enatus, qui organi sensorii fibrillis nerveis a sensibili impressus ad cerebrum usque propagatus fuit (§. 112.); possibile est motum istiusmodi a causis materialibus excitari posse. Atqui arte pictoria & sculptoria repræsentari possunt res materiales, quæ, ubi existerent, motum quendam more rerum aliarum materialium fibrillis nerveis in organo sensorio visus imprimerent. E.

§. 334.

Cur partem sensibilis unam absque altera imaginari possimus.

Ut partem unam sensibilis absque altera imaginemur, per imaginationem materialem fieri potest. Sensibilium partes sensu distinguimus, si a diversis eorundem partibus diversis fibrillis nerveis motus imprimitur (§. 127.), consequenter motus hi diversi ad cerebrum propagati (§. 111.) diversas singularum partium ideas materiales in cerebro constituunt (§. 112.). Quoniam itaque motus hi diversi non propter contiguitatem fibrillarum, sed propter simultaneas in easdem impressiones coëxistunt; non necesse est ideas materiales singularum partium sensibilis coëxistere, sed unam absque altera existere posse non repugnat. Quamobrem

obrem cum ſenſibile imaginemur, quando imaginatio materialis producit ideas materiales, nulla actione ſenſibilis in organo ſenſorio facta (§. 227.); ut idea materialis partes unius absque idea materiali alterius producatur, non repugnat.

Quod hic de imaginatione oſtenditur, de ipſo ſenſu manifeſtum eſt. Ponamus enim objecti cujusdam partem tegi ab objectis aliis, ita ut nonniſi radii ab una objecti parte in oculum incidere poſſint. Quodſi oculi ſitus ſit fixus, radii ab iſta parte adhuc in eandem partem retinæ incidunt, in quam ante incidebant, & iisdem fibrillis nerveis motum imprimunt, quibus eum ante imprimebant. Quoniam itaque motus idem ab iisdem fibrillis ad cerebrum propagatur, qui ante propagabatur, a fibrillis vero ceteris utpote non amplius tactis lumine, quod a ceteris viſibilis partibus propagatur, nullus amplius ad cerebrum pertingit; idea utique materialis partis viſibilis excitatur absque ideis materialibus partium reliquarum (§. 112.).

§. 335.

Si partem ſenſibilis peculiari vocabulo indigitare ſuevimus; ope ideæ materialis vocabuli reproducere licet ideam materialem illius partis absque ideis partium ceterarum (§. 273. emp.), idemque verum eſt de ideis immaterialibus, ſeu phantasmatis (§. 113. 206. rat.). Quomodo partis unius ideam absque ideis partium ceterarum viſibilis reproducere liceat.

Hæc ita ſequuntur ex lege imaginationis, nec experientia refragatur.

§. 336.

Si rem quandam frequenter percepimus ſive ſenſu, ſive imaginatione; partem quandam ejus imaginaturis tota ejusdem idea vel maxime invitis recurrit (§. 117. emp. 241. 245. rat.). Quandonam partem rei absque ceteris imaginari difficile.

Per præcipitantiam vero judicant, qui ab iſtiusmodi exemplis, qualia nobis plurima obvia eſſe debent, concludunt, idem univerſaliter in omni caſu obtinere debere. Apparet adeo neceſſitas connubii rationis & experientiæ.

§. 337.

Si partem quandam objecti præciſis ceteris non minus, quam totum æque facile nobis imaginari velimus; partem objecti nomi- Quomodo partem objecti ſine ceteris imaginandi

facilitatem contrahamus.

nomine suo indigitatam a toto avulsam cum rebus quibuscunque aliis nobis imaginari sæpius tenemur (§. 335. rat. 117. comp. 241. rat.), objectum vero totum nomine suo itidem insignitum alio tempore cum rebus ab istis diversis. De *objecto toto* idem eodem modo ostendi potest.

Ponamus ideam cervi utpote sæpius a te conspecti, & cujus frequenter quoque meministi, tibi esse familiarem, ut statim recurrat, quoties de eo cogitandi quæcunque offertur occasio. Quodsi jam cornua cervi absque ejus capite ac reliquo corpore imaginari volueris; propositioni præcedenti convenienter idea totius cervi animo sese præsentem sistit. Ubi ergo posthac cervi cornua absque capite & corpore reliquo commode imaginari volueris, ut nullum cum imaginatione certamen sit ineundum, nec verendum, ne forsan in eodem succumbas; imaginare tibi sæpius cornua cervi humi jacentia in cœmeterio, in quo nunquam vidisti cervum; cervum vero tanquam in sylva huc illuc currentem: Ipsa experientia te docebit, posse hisce ideis sociis ideam cornuum cervi ab idea totius cervi separari atque separatam teneri, quamdiu attentionem non ita defigis in idea principali, veluti cornua cervi, ut eandem quasi totam ab ideis sociis retrahas: id quod legi imaginationis convenienter fieri claret.

§. 338.

Medium tollendi difficultatem partis imaginandæ absque ceteris.

Si frequenter nobis imaginemur partem quandam suo nomine insignitam tanquam a toto avulsam cum rebus aliis quibuscunque, diversis tamen ab iis, cum quibus totum imaginari solemus; hoc ipso difficultas partem aliquam absque reliquis imaginandi tollitur (§. 337.).

§. 339.

Quomodo medium istud facilitetur.

Ideam partis absque ceteris reproducendi facilitatem tibi comparaturus juxta propositionem præcedentem (§ 337.), *verbis enuncia judicium de conjunctione ideæ partis cum ideis rerum reliquarum* (§. 292 sq.).

§. 340.

Quomodo imaginatio materialis

Ut perceptiones partiales diversorum entium compositorum combinemus & subjecto tribuamus modum in eo sensu nondum perce-

perceptum, ei tamen non repugnantem; imaginationi materiali minime repugnat (§. 334 sq. *rat.* 117. *emp.* 290. 206. 227. *rat.*). combinare valeat ideas a se invicem separatas.

Beneficio vocabulorum hæc idearum diversarum combinatio arbitraria magis in potestatem nostram reducitur, quam absque his fieri poterat: ut adeo nobis facile persuadeamus homines usu sermonis expertes ab hac imaginationis operatione maxime esse remotos. Neque mirum videri debet, cur vocabulorum ope uniantur diversarum partium ideæ materiales: cum enim ideæ istæ in cerebro non sint unitæ ex eo, quod sensu simul fuerint perceptæ, necesse est, ut beneficio vocabulorum ad simultaneam perceptionem perducantur & hac mediante uniantur.

§. 341.

Phantasmatum divisio (§. 139. *emp.* 334. *rat.*) *& compositio* (§. 142. *emp.* 340. *rat.*) *imaginationi materiali non repugnat.*

Phantasmatum divisio & compositio an imaginationi materiali repugnet.

§. 342.

Si sensu confuse percepta vocabulis indigitare sueveris & ea subjecto cuidam pro arbitrio tribuas; fingere datur, quod alias vix ac ne vix quidem fingi poterat. Quæ sensu confuse percipiuntur, veluti qualitates pleræque sensibiles, ea difficulter, nec satis clare imaginamur (§. 94. *Psychol. empir.*), adeoque eorum ideæ materiales difficulter quoque producuntur (§. 206.) & motus, in quo idea materialis consistit (§. 112.), admodum tardus est (§. 126.), consequenter cum aliis ideis materialibus difficulter, immo vix ac ne vix quidem una produci & hoc pacto ad constituendam ideam unius subjecti uniri possunt. Ad fingendum itaque, an sit quod sensu nondum percepimus, vix ac ne vix quidem confuse percepta adhiberi possunt, si in earum perceptionibus acquiescas (§. 94. *Psych. emp.*). Jam vide de vocabulis §. 94. *empir.* 290. 206. 112. 126. *rat.* 144. *emp.*

Vocabulorum usus quoad difficulter imaginabilia in fingendo.

Quod vero hac ratione fictiones extendi possint usque ad impossibilia, jam alibi dictum est (§. 146. *Psychol. empir.*): ubi etiam ea adjecimus, quæ ad confusionem entis ficti cum reali evitandam, consequenter profluentes ex hoc fonte errores avertendum, notanda veniunt (§. 147. *Psych. emp.*).

§. 343.

Quomodo phantasmatum compositio facilitetur.

Si vocabulis enunciemus, quæ subjecto cuidam inesse debent, ac postmodum ipsis respondentes ideas in memoriam revocare studemus; phantasmata per compositionem ac divisionem aliorum composita facilius producere licebit (§. 288 sq.). Vocabula, quæ aliquam enunciationem ingrediuntur, non ita inter se cohærent, quemadmodum partes entis alicujus compositi, sed varie nunc cum his, nunc cum aliis junguntur; vocabula ergo facilius componere valemus, quam ideas ipsis respondentes, consequenter facilius est verbis enunciare, quæ subjecto alicui inesse volumus, quam subjectum ipsum partialibus ideis in unam coagmentatis sibi repræsentare. Enimvero cum ad vocabula attentis recurrant etiam ideæ rerum ipsis indigitatarum (§. 273. *Psych. emp.*); ad vocabula eo fine attenti, ut eædem recurrant, eas reproducere, consequenter in memoriam revocare studemus (§. 228. *Psych. emp.*). Quoniam itaque id facientibus occurrit phantasma, quod per divisionem ac compositionem aliorum producere intendebamus, patet quod volumus.

Fingendum tibi propone animal, cui sit caput cervinum, truncus equi, cauda leonis, pedes sint caprini & aures leporinæ. Nemo non in se experiri poterit, hæcce vocabula in formam enunciationis compositæ coacervari posse, utut idea phantasmatis animo nondum obversetur: quo facto ejus subsidio producere licebit phantasma istiusmodi animal exhibens.

§. 344.

Quando libertas animæ influat in actum imaginationis.

Si attentionem dirigis in quidpiam sensu perceptum, a quo eandem avertere poteras; phantasma inde ortum a libertate animæ pendet quoad actum. Dubio enim tunc caret, quod attentionem in eam rem dirigere libere velis (§. 941. *Psych. emp.*). Necesse igitur est, ut ea etiam velis, quæ ex hac attentione necessario consequuntur. Quoniam itaque eadem posita phantasma necessario producitur, quod per legem imaginationis inde pendet (§. 224.). E. Phantasma hac ratione ortum a libertate animæ pendet.

§. 345.

Quoniam phantasmata perinde ex phantasmatis, ac ex ideis sensualibus oriuntur (§. 117. *Psych. emp.*); *si attentionem dirigis in phantasma, a quo eam avertere poteras; phantasma inde ulterius ortum a libertate animæ pendet* (§. 344.). Alius casus.

§. 346.

Si attentionem in idea aliqua sensuali, vel phantasmate aliquo conservas cum eam inde retrahere posses, phantasma in utroque casu inde ortum a libertate animæ pendet (§. 344.). Adhuc alius casus.

§. 347.

Si vocabulorum ope phantasma aliquod in te excitare studes; ejus productio a libertate animæ pendet. Attentionem enim non modo in vocabula dirigis, quam inde avertere poteras; verum etiam vocabulorum ideas & phantasma sæpius una reproduxisti eo fine, ut illorum idea reproducta hoc quoque recurrat, cum idem omittere poteras (§. 344. *rat.* 941. *emp.*). Casus quartus.

Priori de causa pendet a libertate productio phantasmatis immediate; posteriori autem de causa mediate.

§. 348.

Si per operationes mentis elicis ea, quæ ad constituendum aliquod phantasma concurrere debent; ejus productio a libertate animæ pendet. Etenim phantasmatis productionem intendis & ut hanc consequaris, operationes mentis adhibes, quas omittere poteras. E. (§. 941. *Psych. emp.*). Casus quintus.

Perpende aliquod figuræ hieroglyphicæ exemplum, veluti animæ apud *Comenium* aut Diaboli sub forma monachi Franciscani apparentis & considera, quales sint mentis operationes, quibus productio illius phantasmatis tribuenda; statimque videbis, quam multæ hic concurrant actiones animæ liberæ.

§. 349.

Si phantasma repræsentat rem sensu perceptæ libere; ejus quoque reproductio, etsi non libere facta, adhuc tamen a libertate pendet. Fieri enim poterat, ut rem istam sensu minime perciperes (§. 941. *Psych. emp.*). Quodsi ergo impedivisses, ne eam perci- Casus sextus.

ciperes, vel ab ea percipienda, quemadmodum poteras, abstinuisses; vi imaginationis idea ejusdem reproduci minime poterat (§. 117. *Psych. emp.*). Ratio igitur, cur produci posthac possit, a libertate animæ petenda (§. 56. *Ontol.*), atque adeo possibilitas reproductionis ab eadem pendet (§. 851. *Ont.*).

§. 350.

Memoria quomodo a libertate pendeat.

Si quid memoriæ mandamus (§. 178 sq. 941. 108. 213 sq. 226. emp.), vel diu eadem retinere studemus (§. 181. emp.); ut ejus facile meminisse, non autem oblivisci possimus, a libertate animæ pendet.

§. 351.

Oblivio quando a libertate animæ pendeat.

Si quas ideas, quarum reproductio in potestate tua est, longo tempore reproducere nolis; oblivio a libertate animæ pendet. (§. 941. 217. *emp.*).

§. 352.

Alius casus.

Si quis attentionem ab objecto, quod percipit, statim avertit, cum eam in eodem retinere posset (§. 941. 179. 178. 215. *emp.*), *vel ejus, quod semel percepit, ideam reproducere negligit, cum reproducere posset* (hoc eodem modo patet, quo prius); *oblivio a libertate animæ pendet.*

§. 353.

Quando idearum absentia a libertate nostra pendeat.

Si sensationes negligimus, quæ in potestate nostra sunt, vel ex decreto animæ easdem impedimus; absentia idearum, quas nobis acquirere poteramus, a libertate nostra pendet (§. 941. emp.). Vide etiam §. 151 sq. *rat.*

Ceterum hactenus tradita principia non contemnendum in Moralibus usum habent, ubi disquiritur, quantum homini actiones suæ sint imputandæ.

§. 354.

Intuitus ideæ universi a libertate animæ dependentia.

Intuitus ideæ universi non uno modo a libertate animæ pendet, aut, si mavis, *ejus directiones sæpius in animæ potestate sunt (§. 192 seq. rat. 31. 65. 92 seq. empir. 151 seqq. 344 sqq. rat.).*

Sen-

Sensationes pariter ac phantasmata, quibus intuitus universi continetur, eadem vi animæ (§. 60.), qua sibi universum repræsentat (§. 63.), adeoque per essentiam & natura ipsius producuntur (§. 66. 67.) & in utrisque anima certis necessario adstringitur legibus, ut pro arbitrio suo in hisce perceptionibus nihil variare ipsi integrum sit (§. 219.). Enimvero cum ideam integram universi non simul intueri possit (§. 194.), circa directionem vis illius libertati ejus quidpiam relictum, ut nimirum ad has potius tendat, quam ad alias æque possibiles per leges sensationis atque imaginationis.

§. 355.

Lex imaginationis non tollit libertatem (§. 224 sq. 151 sqq. 344 sqq.). **Lex imaginationis libertati non adversa.**

§. 356.

Lex imaginationis libertatem animæ ne quidem restringit (§. 224 sq.). Jam lex sensationis libertatem animæ ne quidem restringit (§. 222.). Quamobrem nec lex imaginationis ideo libertatem animæ restringere potest, quatenus sensationes supponit. Porro cum phantasmata a libertate animæ pendeant, quatenus pendent a directione attentionis in perceptionem aliquam præsentem (§. 344. 345.); nec lex imaginationis libertatem hominis restringit, quatenus supponit directionem attentionis in perceptionem aliquam præsentem. Quoniam vero essentiæ ac naturæ animæ conveniens est, ut lex imaginationis sensationes præsupponat (§. 229. 224.), & attentionem in perceptionem aliquam præsentem requirat (§. 224. 225.); tanta in phantasmata per legem istam animæ libertas est, quantam essentia ac natura ejus permittit. Quare cum lex imaginationis nihil in ea immutet, eandem nullo modo restringit. **An lex imaginationis libertatem restringat.**

CAPUT IV.

DE

ATTENTIONE ET INTELLECTU.

§. 357.

Attentioni quid in corpore respondeat.

Si attentionem in sensibile aliquod dirigimus, aut idea materialis ejusdem celerior (§. 237. *emp.* 112. 125. *rat.*), *aut ideæ materiales ceterorum, quæ simul percipiuntur, tardiores fieri, aut idea illa hisce mutatis continuo ac subito conservari debet.* Quoniam motus aliquis celerior fieri potest ceteris, vel si ceterorum celeritate non variata ejus augetur celeritas, vel si hac manente eadem, illa minuatur; motus, in quo idea materialis sensibilis consistit, ad quod attendimus, aut celerior fieri, aut reliquorum ideæ materiales tardiores evadere debent. Quodsi ideæ quædam prorsus evanescant, motus, in quo consistunt, extinguitur; ejus vero motus, quæ ipsis coëxistens conservatur, continuo reproducitur (§. 233.). Quamobrem cum perinde sit, ac si motus aliqui alio manente eodem fierent infinite tardi, & attentioni locus sit, ubi ideæ coëxistentes materiales tardiores efficiuntur, reliquæ celeritate manente eadem *per demonstrata;* si attentionem anima in sensibile quoddam dirigit, accidere quoque potest, ut idea aliqua ceteris eidem coëxistentibus continuo variatis conservetur.

§. 358.

Cur ad visibile attenti oculum eidem directe obvertimus.

Si attentionem in visibile dirigimus, oculum eidem directe obvertimus (§. 277. *emp.*). Enimvero nemo non in se ipso experitur, quod in iis, quæ simul percipiuntur, illud clarius ac distinctius ceteris percipiatur, quod oculo directe objicitur. E.

Dicitur autem *oculus directe obverti objecto,* si radii inde in oculum illabentes sint ad centrum pupillæ perpendiculares, vel prope ad perpendiculum accedant.

§. 359.

Quoniam itaque oculum objecto directe obvertimus, si radii ab eodem in eum illapsi ad pupillæ centrum sint perpendiculares, vel prope ad perpendiculum accedant (*not.* §. 358.), atque adeo aliter fieri nequit, quam ut oculus nonnisi exiguæ parti directe objiciatur; *attentio quoque nonnisi ad exiguam visibilis partem dirigi potest.*

Cur attentionis ad visibilia arctus sit limes

§. 360.

Quo majorem attentionem adhibemus ad visibile, eo minor est pars, ad quam dirigitur (§.358.). Quamobrem cum unicum tantummodo sit punctum, a quo radius perpendiculariter in centrum pupillæ incidit (§.213. *Geom.*); etsi radii ad sensum perpendiculares pro perpendicularibus habeantur, ad physicum tamen punctum accedere debet, quod maximam præ omnibus claritatem habet, seu oculo directe objicitur. Quamobrem cum eo majorem attentionem adhibeamus, quo magis ea, quæ claritate distinguuntur, a se invicem discernere conamur (§.237. *Psychol. emp.*); eo minorem visibilis quoque partem respicit attentio, quo majorem adhibemus.

Idem uberius confirmatur.

Sane si attentionem adhibemus maximam, quam ad literam aliquam scriptam afferre possumus; non integram complectimur simul, sed ejus ductum in varias quasi partes dividimus & ad minutissimam partem eandem dirigimus.

§. 361.

Quoniam oculus eidem directe obvertitur, in quod attentionem dirigimus (§. 358.), *si nulla adsit ratio, cur attentionem nostram alio dirigamus, eandem ea visibilis pars in se quasi trahit, quæ oculo directe objicitur, aut, ubi accuratis contemplationibus non sumus adsueti, illud visibile, quod cum pluribus in oculum simul incurrens eidem maxime directe objicitur.*

Quodnam visibilium attentionem in se trahat & quando id fiat.

§. 362.

Si attentionem ad visibile conservare volueris; oculum ad ipsum directum conservare debes (§.358.).

Conservationi attentionis ad visibile quid in corpore respondeat.

§. 363.

Attentio ad visibile quando a libertate animæ pendeat.

Quodsi ex decreto animæ oculum visibili directe obvertis vel directe obversum in hoc situ detines: attentio a libertate animæ pendet (§. 941. emp. 358. 362. rat.).

§. 364.

Phantasmatis a libertate animæ dependentia.

Si ex decreto animæ oculum visibili directe obvertis, vel in hoc situ retines; occasione ejusdem tibi occurrens phantasma a libertate animæ pendet (§. 363. 344. 346. 224.).

§. 365.

Attentione in phantasma visibilis directæ quid in corpore respondeat.

Si in phantasma visibilis attentionem dirigis, vel eandem in eodem conservas; in casu priore oculum eidem directe obvertere conaris, in posteriore eundem conatum continuas (§. 358. 362.).

§. 366.

Casus specialis.

Quodsi vocabula tanquam scripta tibi repræsentas, phantasmata, quibus repræsentantur, inter visibilium phantasmata locum habent (§. 290.). Quamobrem *si vocabula tanquam scripta imaginaris, attentioni in eadem directæ respondet conatus oculum iis directe obvertendi, & conservationi attentionis ad eadem continuatio ejusdem conatus.*

§. 367.

Ratio attentionis in formali perceptionum differentia sita.

Si diversis sensibus plura simul percipimus, nec ulla adest ratio, cur alio attentionem dirigamus; eandem ad id dirigimus, quod clarius percipitur (§. 70. *Ont.*). Enimvero quæ diversis sensibus simul percipiuntur, quatenus ut sensu percepta spectantur, præcisis iis, quæ repræsentant, non differunt nisi gradu claritatis (§. 30. 31. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum attentio non alio tendat, quam ut unum ceteris clarius percipiamus (§. 237. *Psychol. empir.*); alia ratio directionis attentionis dari nequit nisi major perceptionis claritas (§. 118. *Ont.*).

Exempli loco esse potest, si exquisitum quendam dolorem percipimus, qui clarius percipitur ceteris, quæ videmus, vel audimus.

§. 368.

Ratio perceptionis in materiali differentia perceptionum sita.

Si plura simul sensu percipiuntur, nec ulla adest ratio, cur alio attentionem dirigamus; eandem ad id dirigimus, quod cum iis, quæ jam alias percepimus, parum similitudinis habet.

Ex

Experientia propositionem præsentem clarissime confirmat. Si quid enim nobis occurrit insolitum; id attentionem statim in se trahit.

§. 369.

Si diversa objecta simul in diversa organa sensoria agunt; id, cujus idea materialis celerior, attentionem in se trahit (§. 112. 125. 367.).

Cur attentionem in se trahant ea, quorum idea materialis celerior.

§. 370.

Quoniam idea materialis celerior, si motus in organo sensorio fibrillis nerveis impressus celerior fuerit (§. 112), motus autem celerior vi majore imprimitur; *si diversa objecta simul in diversa organa sensoria agunt; quod vi majore seu fortius in organum sensorium agit, id attentionem in se trahit.*

Quænam sensibilia attentionem in se trahant.

Ita sonus vehemens, qui aures ferit, a visibilibus attentionem in se trahit, quæ simul in oculum incurrunt.

§. 371.

Si qua ex re voluptatem percipimus; in ea attentionem nostram defigimus & defixam in eadem retinemus. Si enim ex re aliqua voluptatem percipimus, attentionem in ea defixam consideramus tanquam medium voluptatis percipiendæ (§. 937. *Ontol.*), utpote voluptatem percipientes, quatenus nobis conscii illius sumus: id quod attentione obtinetur (§. 237. *Psych. emp.*). E. (§. 591. *emp.*).

Cur attentio ad ea conservetur, quæ voluptati sunt.

Est nimirum voluptas, quam ex re percipimus, stimulus, quo impellimur ad attentionem, quatenus stimulus est ad facienda ea, quæ voluptatis istius nos compotes reddunt, seu ad fruitionem ejus perducunt. Ita si quis ex forma puellæ voluptatem percipit, videns virginem, quam forma commendat, oculos in eandem convertit & immotos tenet: id quod attentionis in eam directæ indicium est (§. 358.).

§. 372.

Si quis ex re quadam tædium percipit; ab ea attentionem avertit (§. 592. 582. *empir.*). Quamobrem aversionem attentionis consideramus tanquam medium id obtinendi, ne rei istius amplius nobis conscii simus (§. 937. *Ontol.* & §. 237. *Psychol. empir.*). E.

A quibusnam attentionem avertamus.

§. 373.

Medium conservandi attentionem.

Si attentio ad rem quandam conservanda; idea ejus sensualis, vel phantasma conservandum (§. 237. *empir.*).

§. 374.

Quid attentionis conservationi in corpore respondeat quoad phantasmata.

Quoniam attentionem ad phantasma conservare non possumus, nisi idem conservetur (§. 373.), phantasma autem continua reproductione conservatur, non minus ac eidem respondens idea materialis (§. 242.); dum conservatur attentio, continuum adhibemus ideam materialem producendi conatum. *Conservationi* adeo *attentionis in anima continuus respondet ideam materialem producendi conatus in cerebro.*

Conatus hic non semper sortitur effectum suum: subinde enim prodit phantasma ab eo, quod conservare intenderamus diversum (§. 172. *Psychol. empir.*).

§. 375.

Item quoad visibilia.

Conservationi attentionis ad visibile in corpore respondet continuus oculum in eodem situ fixum seu ad idem visibile eodem modo directum servandi conatus (§. 373. *rat.* 69. *empir.*).

§. 376.

Nec non quoad phantasmata visibilia.

Quoniam phantasma visibilis producentes nobis videre videmur objectum, quod repræsentat; eundem quoque adhibemus conatum, præsertim si oculos claudimus, ut majorem claritatem consequatur perceptio (§. 102. *Psychol. empir.*), oculum quasi in re per phantasma extra nos repræsentata defixum detinendi. Quamobrem *si ad phantasma visibilis conservatur attentio, conatus in corpore continuus sese exerit oculum in re, quam repræsentat, defixum detinendi.*

§. 377.

Cur ad unum attenti a ceteris attentionem avocemus.

Si attentio ad unum, quod cum aliis simul percipitur, dirigitur; eandem a ceteris avertere studemus (§. 245. 251. 426. 240. *empir.*).

Inde est, quod ad phantasmata attentionem allaturi impediamus, ne objecta externa in organa sensoria agant (§. 239. *Psychol. empir.*).

§. 378.

§. 378.

Directioni adeo *attentionis in sensibile aliquod aut phantasma ejusdem semper jungitur conatus avertendi attentionem a ceteris simul perceptis, aut, ubi id fieri non posse intelligitur, intendendi aciem sensus in sensibile, quod attentione nostra dignamur.*

Directioni attentionis quid jungatur.

Ita oculos deprimimus & humi quasi defixos detinemus, ne visibile quod, præsertim illustre, eosdem feriat, ubi ad sonos, quos auditu percipimus, vel verba loquentis attenti esse volumus. Similiter oculum in visibile aliquod dirigentes, quod attente perlustrare intendimus, palpebris adductis impedimus, ne plura visibilia in oculos incurrant. Claudimus oculos non modo ad phantasmata (§. 239 *empir.*), verum etiam ad objecta alio sensu percepta attenti, præsertim ubi eorum perceptio debilior (§. 76. *Psychol. empir.*), adeoque minus clara quam perceptiones visibilium (§. 75. *Psychol. empir.*).

§. 379.

Quoniam ad impediendum attentionem ad objecta simul cum eo percepta, in quod eam dirigere volumus, varii motus in corpore requiruntur (*not* §. 378); *directioni attentionis in mente conatus isti in corpore junguntur.* Enimvero quatenus aversionem attentionis ab objectis ceteris appetimus; *iidem conatus in corpore respondent appetitionibus in mente.*

Directioni attentionis quænam in corpore jungantur.

§. 380.

Si super visibili reflectimus, oculum successive aliis aliisque visibilis partibus directe obvertimus (§. 257. emp. 358. rat.).

Quid reflexioni super visibili in corpore respondeat.

§. 381.

Si super phantasmate visibilis reflectimus; oculum successive ad alias aliasque ejusdem partes directe obvertere conamur (§. 257. emp. 365. rat.).

Quid reflexioni super phantasmate visibilis.

Usus harum de reflexione propositionum erit inferius, ubi judicium ferendum, num inter modificationes animæ ac corporis constans harmonia dari possit, si in corpore mechanice fiant omnia. Habent quoque in universum propositiones omnes, quæ definiunt mutationes in

in corpore modificationibus animæ respondentes, usum prorsus eximium in arte conjectandi hominum cogitationes eorumque mores.

§. 382.

Quid in genere reflexioni in corpore respondeat.

Si super sensibili quocunque reflectimus; in corpore continuantur conatus avertendi organa sensoria a ceteris sensibilibus ac impediendi, quantum datur, ne in eadem agant, aut saltem ne adeo fortiter agant (§. 257. emp. 379. rat.).

§. 383.

Medium efficiendi reflexionem & magis distinctam & minus molestam.

Si super sensibili aliquo reflectentes, verbis exprimimus judicia intuitiva de iis, quæ in eodem distinguimus; reflexio & magis distincta (§. 351. 257. 38. emp.), & minus molesta est (§. 532. 511. 518. 38 sq. emp.).

§. 384.

Medium facilitandi reflexionem.

Si per vocabula exprimimus judicia intuitiva de iis, quæ in sensibili, super quo reflectimus, distinguimus a se invicem; reflexio facilitatur (§. 37 sq. rat. 257. emp.).

§. 385.

Principium reflectendi super successivis.

Si super successivis reflectimus; ea, quæ se invicem consequuntur, consideramus tanquam partes, ex quibus componitur ens successivum (§. 569 sq. 341. 531. Ont.).

In successivorum numero sunt facta hominum non minus, quam naturæ, utpote quæ non actionibus singularibus terminantur, sed magnum eorum, quæ se invicem consequuntur, numerum involvunt. Pertinent huc quoque modificationes animæ, quæ plerumque successivis continentur, nec reflexionem admittunt, nisi quatenus ad ea, quæ sibi invicem succedunt, attentionem afferimus.

§. 386.

Cur in reflexione objectum præsens esse debeat.

Si super sensibili aliquo vel actibus animæ reflectendum; illud organo sensorio præsens esse debet (§. 257. emp. 233. 242. rat. 96. 94. 172. 95. 77. 59. emp.), hi vero in eadem excitandi & tamdiu iterandi, donec reflexio fuerit absoluta.

Quoniam actuum animæ seu eorum, quæ in ipsa contingunt, nobis non sumus conscii, nisi dum in nobis contingunt; ideo eorum in anima præsentia respondet ideæ sensuali continua actione

actione sensibilis præsentis in organum sensorium conservatæ. Quamobrem cum hæc tamdiu ab objecto præsente producenda, donec reflexio fuerit absoluta; actus quoque, seu modificationes animæ tamdiu præsentes esse, adeoque cum ex successivis constent, nec diu durent, tamdiu iterari debent, donec reflexio fuerit absoluta.

§. 387.

Intellectus ratio sufficiens in vi repræsentativa universi, quæ animæ competit, continetur (§. 63. rat. 65. emp. 125. 127. rat. 256. 31. 38 271 emp. 290. 114. 288 sq. 223 sq. 280. rat. 273. 284. emp 10. 12. rat. 262. 266. 275. 29. emp. 56. Ont.). Intellectus ratio sufficiens num in vi repræsentativa universi contineatur.

Quoniam anima sibi repræsentat universum, quatenus sensibilia in organa sensoria agunt, eatenus possibile est ut ad distinctas rerum in universali notiones perveniat. Id patet ei clarissime, qui ea, quæ ad sensum, imaginationem & memoriam attentionemque nostram spectant, in anterioribus rite percepit. Quamobrem cum intellectus animæ natura insit, quatenus possibile, ut ad distinctas rerum notiones perveniat; per vim repræsentativam universi, qualis inest animæ, intelligitur, quod intellectus ei tribuendus sit.

§. 388.

Intellectus est attributum animæ (§. 387. 66. rat. 118. Ont. 202. Log. 143. 113. 146. Ont.). Intellectus attributum animæ.

Sumitur nimirum vocabulum intellectus pro facultate animæ (§. 275. *Psychol. empir.*), atque adeo per essentiam animæ tantummodo concipitur possibile, ut ad notiones distinctas perveniat (§. 29. *Psychol. empir.*). Id vero non obstat, quo minus intellectus in numerum attributorum animæ referatur, cum constet, istiusmodi possibilitates in attributorum numero esse (§. 164. *Ontol.*). Quemadmodum enim ea, quæ de anima prædicari possunt, vel actu insunt, vel per modum potentiæ, quatenus scilicet possibile, ut insint actu; ejus attributa vel insunt per modum actus, vel denotant possibilitatem inexistentiæ ejus, quod eidem non repugnat.

§. 389.

Absolute necessarium est, ut animæ humanæ competat intellectus (§. 304. Ont.). Cur animæ necessario competat.

Hinc & videmus hominibus inter bruta educatis non deesse intellectum, quatenus nempe pro facultate animæ sumitur. Semper enim possibile manet, ut ad distinctas rerum notiones perveniant; etsi dum inter bruta brutorumque more vivunt, ad eam actu non perveniant. Unde ex brutorum consortio ad humanum translati ad eam actu perveniunt.

§. 390.

Immutabilitas intellectus.

Intellectus immutabilis est, hoc est, *fieri non potest, ut intellectus ab anima separetur, vel ejus loco quidpiam eidem accedat, quod sit ab eo diversum* (§. 389. *rat.* 313. *Ont.*).

Nunquam impossibile est absolute, ut anima res sibi distincte repræsentet, utut fieri possit, ut defectu attentionis ac inde pendentis reflexionis ad distinctas notiones non perveniat, quemadmodum accidit hominibus inter bruta educatis & cum iis degentibus. Enimvero ubi cum hominibus degunt ipsorumque exemplo ad attentionem indeque pendentem reflexionem atque sermonis, cognitionis universalis instrumenti, usum perducuntur; intellectus quoque antea veluti sepulti, nunc resuscitati operationes sese produnt, manifesto indicio intellectum, quatenus natura inest, per brutorum consortium non fuisse mutatum, hoc est, non impossibile fuisse factum, ut ad universalem cognitionem eamque distinctam perveniat, qui tamdiu fortuna sic ferente eadem caruit. In mente captis vel furiosis minor difficultas est. Etenim hi intellectus operationes manifesto satis produnt, etsi imaginatione ac memoria corrupta (§. 298.) intellectus quoque a vero aberret. Utuntur mente capti, utuntur furiosi operationibus intellectus, sed male: perversus vero usus non minus ostendit eum inesse, quam verus. Abutuntur iisdem sæpissime, qui eidem excolendo plurimum operæ impenderunt, hocque abusu in deliramenta incidunt veritati dissimillima, ut nihil sit tam absurdum, quin statuatur ab aliquo eruditorum.

§. 391.

Gradus intellectus quomodo determinatus evadat.

Intellectus in se considerati gradus indeterminatus est, tam objectivus, quam formalis (§. 275-277. *empir.* 112. *Ont*); *ipso tamen usu determinatur, ut major vel minor dici possit altero* (§. 276. sq. *empir.* 113. *Ont.*).

§. 392.

§. 392.

Notiones universales generum & specierum vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedunt (§. 268. 326. 328. 269. 271. *empir.*). Enimvero in antecedentibus ostendimus vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, ita sensu atque imaginatione repræsentari objecta, ut a nobis clare ac distincte percipi possint (§. 62. 125. 127. 206.): ab eadem quoque pendere reflexionem patet ex iis, quæ de attentionis directione, conservatione ac reflexione dicta sunt. Immo per hanc ipsam vim possibile, ut ea, quæ percipimus, vocabulis tanquam nominibus propriis indigitemus (§. 290. *Psychol. rat.* & §. 273. *Psychol. empir.*). Nullus adeo ad notiones universales acquirendas requiritur actus, qui vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, superet. E.

Notiones universales vim animæ repræsentativam non excedunt.

Ostendendum hic nobis est rationem sufficientem operationum intellectus in vi repræsentativa universi contineri, qualem animæ inesse evicimus (§. 4.). Enimvero ratio illa redditur ex hac vi vel immediate, vel mediate. Ita immediate ex ea deduximus, quarumnam rerum anima habere possit sensationes, & quales eædem esse queant. Ast mediate inde derivavimus, quæ ad directionem & conservationem attentionis ac inde dependentem reflexionem spectant. Quando itaque ostenditur operationem intellectus, qualis est notio, non supponere in anima nisi ideas sensuales vel phantasmata, nec præterea requiri, quam attentionem & reflexionem; hoc ipso pacto evincitur, eandem rationem sufficientem in vi repræsentativa universi, qualis in anima supponitur, habere, consequenter eandem vim non superare. Redditur nimirum ratio ex vi ista mediate: absonum vero foret, ut immediate inde redderetur. Idem tenendum est de operationibus intellectus reliquis.

§. 393.

Quoniam notio est prima intellectus operatio (§. 52. *Log.*); *prima intellectus seu mentis operatio vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedit* (§ 392.).

Prima intellectus operatio vim animæ non superat.

Vis hæc duplici modo considerari potest, vel quatenus est essentia animæ, vel quatenus est natura ejusdem (§. 66. 67.). Atque adeo vi propositionis præsentis per vim illam non modo intelligitur, quod istius-

modi operatio intellectus conveniat animæ, verum etiam quod anima eandem edore valeat. Pendet scilicet hæc operatio tum quoad possibilitatem, tum quoad actum a vi ista, neque actus aliam præterea requirit causam externam.

§. 394.

An ideæ materiales notiones in cerebro exhibeant.

Notioni nihil respondet in corpore, quatenus in cerebro existunt ideæ materiales rerum, super quibus reflectendo formantur notiones. Quatenus enim ideæ materiales in cerebro existunt, eidem in anima ideæ sensuales (§. 113.), & phantasmata coëxistunt (§. 206.). Enimvero positis in anima ideis sensualibus ac phantasmatis nondum ponuntur notiones, cum præterea requiratur reflexio (§. 268. *Psychol. empir.*), quæ cum in successiva directione attentionis ad alias aliasque perceptiones partiales in totali contentas consistat (§ 257. *Psych. empir.*), vi naturæ attentionis (§ 237. *Psychol. empir.*), in actu apperceptionis fundatur (§. 235. *Psychol. empir.*). Sed vero actui apperceptionis in corpore nihil respondet (§. 44. *Psych. rat.* & §. 23. *Psych. emp.*). E.

Nihil equidem in notionibus rerum continetur, quod non mechanice repræsentetur in ipsarum ideis materialibus, non tamen ideo notiones ipsæ mechanice repræsentantur. Neque enim sufficit ideas inesse, quæ notionem ingrediuntur; sed præterea requiritur, ut actu mentis a ceteris separentur & tanquam subjecto alicui sola inexistentia spectentur; id vero est, quod mechanice repræsentari nequit, nisi ad symbolicas repræsentationes recurras, quemadmodum in propositione sequente ostenditur.

§. 395.

Notio generis vel speciei quomodo in corpore repræsentetur.

Si tam ea, quæ pluribus communia sunt, singula suis nominibus indigitentur, quam subjectum illorum nomine peculiari indigitetur eorundemque inexistentia vocabulo aliquo significetur; notio speciei vel generis cujuscunque in corpore per ideas materiales illorum vocabulorum repræsentatur (§. 290. *rat.* 25. *empir.* 113. *rat.*).

Equidem cum in cognitione intuitiva directioni attentionis & conservationi tam ejusdem, quam idearum, super quibus fit reflexio, locus sit (§ 326. *Psychol. empir.*), hisque actibus animæ respondeant quoque

que motus in corpore, seu conatus saltem eosdem producendi, quemadmodum in superioribus pluribus propositionibus ostendimus; notionis quoque formationi, hoc est, actibus mentis quædam in corpore respondent, ut corpus eo momento non prorsus ferietur, dum anima super suis perceptionibus reflectit: non tamen ideo ipsa notio in cerebro mechanice repræsentatur, propterea quod non repræsentantur singula, quæ notionem ad eam constituendam ingrediuntur, quemadmodum fieri debet, ubi ipsa notio mechanice repræsentanda, & in cognitione symbolica actu fieri ex propositione præsente patet. Sane si menti non inesset actus apperceptionis, cui nihil in corpore respondere potest; nec notio in cognitione intuitiva absolvi posset, sed semper ad symbolicam ex necessitate recurrendum esset, quemadmodum nunc utilitatis gratia contingit.

§. 396.

Quoniam notiones quantumlibet abstractæ eodem prorsus modo symbolice exprimi possunt, quo infimæ, quæ ab ipsis individuis abstrahuntur ad species infimas constituendas; *notiones quantumlibet abstractæ per vocabulorum ideas materiales, quibus singula communia horumque subjectum & inexistentia indigitatur, in cerebro mechanice repræsentantur.*

Abstractorum in corpore mechanica repræsentatio.

§. 397.

Similiter cum per vocabula, tanquam signa artificialia (*not.* §. 958. *Ont.*), adeoque vim significandi ab arbitrio hominum habentia (§. 958. *Ont.*), non minus ea, quæ notionem abstractam rerum immaterialium, quam materialium ingrediuntur, atque subjectum illarum determinationum designari possint; *notiones* quoque *rerum immaterialium, quantumlibet abstractæ, per vocabulorum ideas materiales, quibus singula communia horumque subjectum & inexistentia indigitatur, in cerebro mechanice repræsentantur.*

Notiones rerum immaterialium in corpore.

§. 398.

In cognitione symbolica prima mentis operatio cum secunda confunditur. Vide de prima mentis operatione §. 331. 283. *empir.* Enimvero si hæc nomina tantummodo nude proferantur, non constat, utrum per ea plura entia a se invicem distincta & quo-

Cur in symbolica cognitione intellectus operatio prima confundatur cum secunda.

& quorum nullum ad alterum refertur indigitare, an vero ſubjectum aliquod, cui nonniſi pluribus communia inſunt, & hæc ipſa communia, quæ eidem inſunt, ſignificare volueris. Neceſſe igitur eſt, ut per vocabula quoque exprimatur inexiſtentia pluribus communium in uno quodam ſubjecto. Atat! ubi effers vocabula, quibus denotantur ſubjectum, ea, quæ eidem inſunt, & horum inexiſtentia ſeu nexus cum ſubjecto, ſeu ubi ea, quæ tanquam a re diverſa ſpectamus, porro tanquam eidem inexiſtentia, vel ad eam quocunque modo ſpectantia conſideramus, actum judicii affirmativi abſolvimus (§. 350. 351. *Pſych. empir.*), quem ſecundam eſſe intellectus operationem conſtat (§. 52. *Log.*). E.

Ponamus tria in tabula delineata eſſe rectangula triangula, quæ uno obtutu comprehendere potes. Quodſi jam attentionem ſucceſſive dirigis in altitudines, baſes, hypothenuſas, angulum rectum, angulum obliquum ad baſin & alterum obliquum ad verticem & horum tibi tanquam tribus iſtis figuris communium conſcius es; notionem triangulorum rectangulorum habes. Enimvero ſi jam ore profers vocabula ſequentia: *triangulum rectangulum*, *altitudo*, *baſis*, *hypothenuſa*, *angulus rectus*, *obliquus angulus ad verticem*, *obliquus angulus ad baſin*; exinde nondum intelligitur, an vocabulum triangulum rectangulum deſignet aliquod ſubjectum in communi, cui quæ per cetera vocabula indigitantur inſunt. Quamobrem ubi ex verbis prolatis idem palam fieri debet, neceſſe eſt, ut ceterorum inexiſtentiam ſignifices dicendo v. gr. *Triangulum rectangulum eſt figura, cujus altitudo & baſis intercipiunt angulum rectum, hypothenuſa vero cum utroque efficit angulum obliquum ad verticem & ad baſin.* Enimvero hoc pacto notio eodem modo effertur, quo judicium affirmativum enunciatur. Atque ita prima mentis operatio cum ſecunda confunditur.

§. 399.

Cur definitiones habeant formam enunciationis.

Definitiones per modum judicii alicujus affirmativi ſymbolice efferuntur, ſeu formam enunciationis habent & in numerum propoſitionum identicarum referuntur (§. 149. 211. *Log.*).

§. 400.

Differentia intrinſeca notio-

In cognitione ſymbolica notio formam tantummodo externam

ternam judicii refert (*§. 398.*), *ab eodem tamen vi significandi differt.* Vocabulum, quo denotatur subjectum determinationum communium, in notione significat subjectum cum ipsis hisce determinationibus, quæ prædicati locum tueri videntur; ast in judicio prædicatum non refertur ad determinationes, quæ ingrediuntur notionem subjecti (§. 39. 40. *Log.*), sed significat vocabulum, quo denotatur subjectum, subjectum aliquod determinationum diversarum ab iis, quæ ingrediuntur notionem prædicati (*§. cit.*). E. nis & judicii in cognitione symbolica.

E. gr. Si dicas: Triangulum est figura tribus lineis terminata; vocabulum trianguli non significat nisi figuram tribus lineis terminatam, ita ut ipsum cum pluribus eundem habeat significatum. Enimvero si dixeris: Triangulum habet tres angulos; vocabulum triangulum significat figuram tribus lineis terminatam, non vero simul significat tres angulos, qui figuræ tribus lineis terminatæ tribuuntur, neque adeo hic cum pluribus eundem habet significatum, quæ prædicatum cum copula exprimunt.

§. 401.

Cur per solam reflexionem & abstractionem notiones non fiant completæ & determinatæ.

Per solam reflexionem & abstractionem notiones universales completæ ac determinatæ non constituuntur (§. 257. 282. 281. 280. *emp.*). Notionem universalem, quæ per solam reflexionem & abstractionem formatur, ingrediuntur, quæ pluribus communia cognoscimus & cum aliis diversis subjecto alicui inexistere posse agnoscimus. Enimvero inde nondum constat, utrum communia ista contineant, nec plura, nec pauciora, quam quæ ad res ejus generis, vel speciei agnoscendas & a rebus alterius generis vel speciei distinguendas sufficiunt, an vero quædam adsint, quæ abesse debebant, aut absint, quæ adesse debebant. Ignoratur adeo, utrum completæ ac determinatæ sint, nec ne (§. 91. 121. *Log.*).

§. 402.

Judicia intuitiva non excedunt vim repræsentativam.

Judicia intuitiva non excedunt vim repræsentativam universi, qualis in anima datur. De judicio affirmativo vid. initio §. 343. 331. *empir.* 393. *rat.* Porro si ad id, quod rei inest, & rem ipsam, quam percipimus, simul attentionem nostram dirigimus, nobis conscii sumus, id, quod tanquam diversum nos modo spectasse

a re

a re meminimus, eidem inexiſtere vel alio quodam modo ad idem referri. Enimvero cum quæ ad idearum ſenſualium atque phantasmatum productionem, nec non memoriam ſpectant, vim repræſentativam animæ non excedant; ideo nec eandem excedit, quod quid tanquam rei perceptæ inexiſtens aut quocunque alio modo ad idem referendum ſpectemus.

De iudicio negativo, vbi prædicatum ſubiecto ſimpliciter repugnat, vide §. 343 *empir.* Non alia igitur ad hunc judicii actum requiruntur, quam ut ſubjecta duo ſimul percipias & quid, quod uni inexiſtit, tanquam ab utroque diverſum, uni autem inexiſtens, alteri non inexiſtens conſideres. Enimvero nemo non novit, ſenſu ac imaginatione duo entia ſimul percipi poſſe, conſequenter hanc ſimultaneam perceptionem vim repræſentativam univerſi, qualis in anima eſt, non excedere.

De iudicio negativo, ubi prædicatum ſubiecto non ſimpliciter repugnat, vide §. 346 *empir.* Actus igitur judicandi in hoc caſu a præcedente non niſi in eo differt, quod duo ſubjecta, quæ ſimul repræſentantur, ſint ejusdem ſpeciei, cum antea eſſent diverſæ; id quod quoad vim repræſentativam univerſi nullam inducit mutationem. Immo ſi prædicatum, quod de ſubjecto negatur, ſubjecto alterius ſpeciei quoque ineſſe poſſit; ſubjectum utrumque ejusdem eſſe ſpeciei opus non eſt (§. 347. *Pſych. empir.*), adeoque actus judicii negativi in caſu præſente prorſus coincidit cum præcedente. E.

§. 403.

Judiciorum in cerebro repræſentatio.

Judicia per ideas materiales vocabulorum in cerebro repræſentari poſſunt (§. 52. Log. 350. emp. 290. rat.).

§. 404.

Cur id ſemper fiat, ubi ſermonis uſu pollemus.

Quoniam judicia, ſi vocabulis efferuntur, magis diſtincta ſunt, quam in cognitione intuitiva (§. 351. *Pſychol. empir.*); *ſermoni adſueti non judicare ſolemus absque vocabulis*, ſeu *judicia ſymbolice ſemper efferre ſolemus.* Quamobrem cum porro conſtet, judicia ſymbolice expreſſa ſeu verbis elata, hoc eſt, enunciationes per ideas materiales vocabulorum in cerebro repræſentari poſſe (§. 403.); *ſermonis uſu ubi pollemus, judicia quoque*

que per materiales vocabulorum ideas in cerebro omnia repræsentari solent.

§. 405.

Ratiocinium vim repræsentativam universi non excedit. Vide §. 354 sqq. *empir.* 393. 218. 224 sq. 280. 334 sqq. 340 sqq. *rat.* de ratiocinio categorico. Ratiocinium vi animæ superius.

De syllogismo hypothetico modi ponentis vide §. 385 sq. *empir.* Constat Ergo tribus propositionibus, quarum una aliquid esse vel non esse judicamus, quod intuitivum plerumque judicium est, aut ante cognitum in memoriam nobis revocatum; altera nobis in memoriam revocatur, quod eam alias cognoverimus, scilicet quod si hoc sit, vel non sit, etiam aliud esse vel non esse debeat; tertia denique ex anterioribus formatur, auferendo ex secunda primam, quæ ipsi inest, ut sic tertia relinquatur, consequenter per divisionem idearum formatur. Eodem igitur, quo ante, modo patet ratiocinium hypotheticum in modo ponente vim repræsentativam universi non excedere. De syllogismo hypothetico modi tollentis vide §. 387. *empir.* Denuo igitur ratiocinium tribus constat propositionibus. Prima est judicium intuitivum, quo judicamus hoc non esse; altera est judicium aliquod præteritum, quod beneficio præsentis in memoriam revocatur; tertia denique est judicium per divisionem idearum formatum. E. Obtinet, quod volumus.

De ratiociniis disiunctivis (§. 389. *emp.*) idem valet, quod hactenus asseruimus.

§. 406.

Ratiocinia primitiva appello, quæ ex aliis se prioribus ortum minime ducunt, seu quæ in alia simpliciora resolvi non possunt. *Derivativa* vero, quæ ab aliis se prioribus ortum trahunt, seu in alia simpliciora resolvi possunt. Ratiociniorum primitivorum & derivativorum differentia.

Ita syllogismi categorici sunt primitivi: neque enim dantur syllogismi alii ipsis priores, unde ortum suum trahant, seu in quos tanquam se simpliciores resolvi possint, cum ex essentia atque natura hominis veluti sponte sua fluant (§. 354. & seqq. *Psychol. empir.*). Syllogismi hypothetici sunt primitivi ex ratione eadem (§. 385. & seqq. *Psych. empir.*).

empir.). Neque obstat hypotheticos ad formam categoricorum reduci posse (§.387. 389. *Log.*): etenim quæstio jam non est de eo, an syllogismus aliquis ad aliam formam reduci possit, sed num ex alio tanquam se priori derivetur. Enimvero Sorites sive categoricus, sive hypotheticus syllogismus derivativus est, cum ex pluribus syllogismis, vel categoricis, vel hypotheticis in unum contractis oriatur (§. 439. 443. *Log.*).

§. 407.

Quotnam syllogismi primitivi dentur.

Syllogismi primitivi non dantur nisi categorici, hypothetici & disjunctivi. Propositiones sunt vel categoricæ, vel hypotheticæ (§.213. 215. *Log.*). Ex categoricis componuntur syllogismi categorici (§. 356. *Log.*), ex hypotheticis & categoricis hypothetici (§.378. *Log.*). Inter propositiones compositas præter hypotheticam locum habent copulativæ (§.312. *Log.*), & disjunctivæ (§.313. *Log.*). Jam cum in propositione copulativa subjecto eidem tribui possint sigillatim singula prædicata, ut ab eodem removeri, ubi negativa fuerint; vel utrique subjecto sigillatim possit tribui idem prædicatum (§. 312. *Log.*); ubi propositiones copulativæ, quæ formam categoricarum non mutant, ingrediuntur syllogismum, is formam syllogismi categorici non mutat, etsi pro multitudine subjecti vel prædicati in plures syllogismos categoricos resolvi possit, adeoque inde syllogismus primitivus peculiaris formæ non oritur (§. 406.). Si propositio disjunctiva ingreditur syllogismum, syllogismus disjunctivus oritur (§. 390. *Log.*). E.

§. 408.

Consequentiæ immediatæ num vim repræsentativam universi excedant.

Argumentatio per consequentias immediatas non excedit vim repræsentativam universi, qualis in anima datur. Vide §.411 sqq. *emp.* & videbis non nisi talia assumi, quorum rationem in anterioribus ex vi repræsentativa universi, qualis in anima est, dedimus.

§. 409.

Idem specialius ostenditur.

Ratio, cur per consequentiam immediatam ratiocineris, desumta est ab istiusmodi actibus, qui a vi repræsentativa universi animæ inexistente proficiscuntur. Ratio enim, cur per consequentiam immediatam ratiocinamur, continetur hoc theoremate: si de

si de propositione data judicia logica formes & perspecta fuerint theoremata de propositionibus se mutuo ponentibus; ex propositione data tanquam præmissa inferes conclusionem (§. 411. *Psychol. empir.*). Propositio data, quatenus ejus tibi conscius es, hic sese habet per modum rei sensu perceptæ, adeoque si judicium logicum de eadem formas, veluti de propositione: *omnis homo est mortalis*, eam esse universaliter affirmantem, seu hic quid affirmari de omni (scilicet individuo ad aliquam speciem pertinente), perinde est ac si judicium super re percepta reflectendo formares. Quodsi jam perspecta fuerint theoremata de propositionibus se mutuo ponentibus, veluti in casu præsente, quod posita universali ponenda etiam sit quævis subalternans (§. 422. *Log.*), scilicet quosdam homines esse mortales; beneficio termini communis, qui est propositio universalis, idem tibi in memoriam revocas (§. 117. *Psychol. empir.*). Atque hinc infers: etiam in hoc casu ponendam esse subalternantem, scilicet quosdam homines esse mortales. Nihil igitur hic occurrit, quod non locum habeat in syllogismo categorico (§. 364. & sqq. *Psychol. empir.*). Jam conf. §. 407. 405. *rat.*

§. 410.

Judicia discursiva non excedunt vim repræsentativam universi, qualis in anima datur (§. 50. 330. *Log.* 405. *rat.*). Judicia discursiva num vim repræsentativam excedant.

Porro judicia discursiva quoque sunt, quæ per consequentiam immediatam inferuntur cum consequentiæ immediatæ numero ratiociniorum accenseantur (§. 430. *Log.*). Jam vid. §. 408.

§. 411.

Judicia, quæ per modum intuitivorum formantur in continuatione ratiociniorum, vim repræsentativam universi non excedunt (§. 463. *Log.* 410. 402. *rat.*). Num eam excedant judicia ad concatenationem necessaria.

Quoniam in syllogismorum concatenatione nihil occurrit, quod difficultatem movere poterat præter hæc judicia (§. 463. *Log.*); abunde jam patet in omni demonstratione ac probatione concatenationem syllogismorum vim animæ minime excedere, quam tanquam essentiam ac naturam ipsi vindicavimus (§. 66. 67.).

§. 412.

Nullum judicium eandem excedere.

Nullum omnino datur judicium, quod vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, excedat, vel ab ea proficisci nequeat (§. 50. 463. *Log.* 402. 410. *rat.*).

§. 413.

Nullam quoque operationem mentis eadem superiorem esse.

Immo patet nunc, *nullam dari mentis seu intellectus operationem, quæ vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, excedat*, seu, quod perinde est, *non aliam in anima vim supponendam esse, quam qualis est repræsentativa universi, ut omnibus operationibus intellectus sufficiat.* (De prima vide §. 393. *rat.* de secunda §. 412. de tertia §. 405. 408.).

§. 414.

Ratiociniorum in corpore repræsentatio mechanica.

Ratiocinia in cerebro per ideas materiales vocabulorum, quibus efferuntur judicia illorum compositionem ingredientia, repræsentantur (§. 368. *emp.* 315. *Log.* 290. 113. 206. *rat.*).

Idem patet ex §. 49. *Log.* 403. *rat.*

§. 415.

Eandem semper fieri quoties ratiocinamur.

Quoniam ratiocinia in cognitione symbolica sunt magis distincta, quam in intuitiva (§. 369 *Psychol. empir.*), immo ratiociniorum in cognitione intuitiva ea est difficultas, ut eadem pro lubitu elicere nisi plurimum exercitatus non valeat, quemadmodum perpendentibus, quæ de hisce ratiociniis (§. 354. & seqq. *Psychol. emp.*), & de judiciis in cognitione intuitiva absolvendis diximus (§ 343. *Psych. emp.*), abunde constabit; in ratiocinando cognitionem symbolicam intuitivæ præferre solemus, adeoque *omnia nostra ratiocinia per ideas materiales vocabulorum in cerebro repræsentari solent* (§. 414.), *seu nunquam ratiocinamur, quin ratiocinii quoque in cerebro mechanica fiat repræsentatio.*

§. 416.

Mechanica operationum mentis in cerebro repræsentatio.

Omnes operationes mentis seu intellectus per ideas vocabulorum materiales in cerebro repræsentantur (§. 395. 397. 403. 415. *rat.* coll. §. 51. *Log.*).

§. 417.

Signorum ideæ materiales.

Signa qualiacunque, quibus ad res denotandas loco vocabulorum

bulorum utimur, perinde ac hæc suas habent ideas materiales. Qualiacunque enim excogitentur signa, talia esse debent, quæ sensu percipi possunt. Quamobrem eodem prorsus modo demonstratur, iisdem competere ideas materiales quo supra evicimus dari ideas materiales vocabulorum, tum quatenus visu, tum quatenus auditu percipiuntur (§. 290.).

§. 418.

Si ad res denotandas vocabulorum locoutamur signis aliis; illarum ideæ per signorum ideas materiales repræsentantur. Qualiacunque enim fuerint signa ista, perinde ac vocabula suas habent ideas materiales (§. 417.). Atqui per vocabulorum ideas materiales rerum iisdem denotatarum ideæ in cerebro repræsentantur (§. 395. & seqq.), & signa alia in locum vocabulorum, quæ artificialia signa sunt (§. 272. *Psych. empir.*), surrogari possunt (§. 958. *Ontol.*). E. Ulterius expenditur.

§. 419.

Anima etiam in somnio operationes intellectus edere potest, veluti judicare & ratiocinari. Dum enim somniamus, res, quas percipimus, imaginamur (§. 122. *Psychol. empir.*), cumque tum temporis nullæ nobis sint ideæ sensuales (§. 121. *Psych. emp.*), nisi quando forte phantasmatum series sensatione quadam interrumpitur (§ 124. *Psych. emp.*), phantasmata clariora sunt, quam ubi sensationibus coëxistunt (§. 101. *Psych. emp.*), ut res absentes nobis videantur præsentes (§. 127. *Psych, emp.*). Quæ igitur ratio est, dum vigilamus, resque præsentes sensu percipimus, ut in ea, quæ percipimus, attentionem nostram dirigamus atque super iis reflectamus; eadem quoque ad hos actus adesse debet in somnio, consequenter in somnio quoque attentionem in ea, quæ percipimus, dirigimus & super iis reflectimus (§. 118. *Ontol.*). Quamobrem cum attentio & reflexio ad formandas notiones sufficiat in cognitione intuitiva (§. 326. *Psychol. empir.*); in somnio quoque prima mentis operatio quoad cognitionem intuitivam sese exerere potest. Et quoniam in cognitione symbolica ea tantummodo vocabulis tanquam nominibus suis indigitantur, quæ reflectendo in ideis rerum distinguimus (§. 328 *Psychol. empir.*), vocabula vero nota in memoriam revocantur lege imaginationis (§. 273. *Psych. emp.*), An intellectus in somnio operari possit.

quæ in ſomnio tota occupata eſt (§. 123. *Pſychol. empir.*); ideo nihil obſtat, quo minus prima mentis operatio in ſomnio etiam in cognitione ſymbolica abſolvatur.

Eadem porro attentio & reflexio ſufficit, ut de iis, quæ percipimus, judicemus (§. 343. & ſeqq. *Pſychol. empir.*). Quare cum vtrique in ſomnio locus ſit; quin in ſomnio judicare, cumque nec ſermonis uſus nobis in eodem denegetur, judicia quoque vocabulis exprimere valeamus, dubitari nequit. E. (§. 52. *Log.*).

Denique ad ratiocinandum requiritur, ut de re percepta judicemus, & beneficio hujus judicii aliud nobis in memoriam revocemus, indeque idearum compoſitione ac diviſione judicium quoddam formetur (§. 354. & ſeqq. *Pſychol. empir.*). Judicia de rebus perceptis formari poſſunt, quemadmodum modo evicimus. Immo vidimus locum quoque eſſe iis, quæ debentur imaginationi atque memoriæ. Unde dubitari nequit, quin etiam in ſomnio nobis in memoriam revocare poſſimus propoſitionem ope præſentis. Et quia ad formandum judicium per idearum diviſionem ac compoſitionem ſufficit attentio atque reflexio, quemadmodum ex ipſis terminis intelligitur (§. 139. 142. 257. *Pſychol. empir.*), utrique autem in ſomnio eſt locus *per demonſtrata;* in ſomnio quoque ex præmiſſis concluſio inferri poteſt. E. (§. 52. *Log.*).

Idem probatur a poſteriori. Etenim ſingulas operationes mentis in nobis experimur, quando ſomniamus.

Defendimus (§. 123. *Pſych. emp.*), omne ſomnium a ſenſatione initium capere & per phantaſmatum ſucceſſionem, adeoque ſecundum legem imaginationis continuari (§. 93. *Pſychol. empir.*). Hic vero oſtendimus, in ſomniis quoque ratiociniis eſſe locum & eorum beneficio diſcurſum longum in ſomniis continuari. Somnia igitur quoque per leges ratiocinandi continuari videntur, nequaquam per ſolam imaginationis legem. Sed vero quando continuationi ſomnii locus eſt, de objectis nobis ſermo eſt, quæ tanquam præſentia ſpectamus; non autem de noſtris cogitationibus, quæ occaſione illorum objectorum oriuntur.

§. 420

§. 420.

Si memoria læditur, anima ad ratiocinandum inepta redditur (§. 294. 245. *rat.* 175. 173. 354 sqq. *empir.*). Cur memoria læsa ratiocinatio lædatur.

§. 421.

A causis materialibus, veluti vi morborum acutorum atque capitis, immo ipsa senectute anima ad ratiocinandum inepta fieri potest (§. 298 sq. 420.). Cur ratiocinandi habitus a causis materialibus & senectute lædatur.

Videmus hinc subinde senes ad ratiocinandum adeo impotentes fieri, ut puerascere ideo dicantur. Non tamen omnibus senectus adeo nocua est, cum plurimi senectute adeo vegeta sint, ut memoria ipsorum non labefactetur, nec vis imaginandi languescat: quo etiam in casu mentis operationibus funguntur senes absque ulla difficultate. Ceterum cum cerebri mutatio, in qua facilitas ista idearum materialium reproducendarum consistit, nondum satis explorata sit, neque etiam satis constet, quale esse debeat cerebrum, ut phantasmata materialia habeant celeritatem convenientem; propositionem quoque præsentem nondum satis determinate enunciare licet.

§. 422.

Quoniam memoriæ sensitivæ, quæ intellectualem præcedit (§. 282.), in corpore non respondet, nisi facilitas reproducendi ideas materiales, quam cerebrum contrahit (§. 294.); *si memoria læditur*, adeoque ad actiones suas inepta redditur (§. 297.), *cerebrum læditur* & vicissim *si cerebrum læditur, memoria lædi*, consequenter *& anima ad ratiocinandum inepta reddi potest* (§. 420.). Memoriæ & ratiocinationis læsio ex læsione cerebri.

§. 423.

Imbecillitas judicii est impotentia judicandi ex defectu notionum universalium ad judicia discursiva requisitarum. Imbecillitas judicii.

Requiri notiones universales ad judicia discursiva, quæ tanquam notæ, immo familiares præsupponuntur, ex omni theoria ratiociniorum patet (§. 354. & seqq. *Psychol. empir.*), per quæ judicia discursiva inferuntur (§. 50. *Log.*).

§. 424.

§. 424.

Judicii a memoria dependens labefactio.

Si memoria læditur, judicium fit imbecille, seu *anima ad judicandum inepta redditur* (§. 420. *rat.* 50. *Log.* 423. *rat.*).

§. 425.

Specialior ratio.

Judicium a causis materialibus, veluti vi morborum acutorum atque capitis, immo sæpius ipsa senectute efficitur imbecille (§. 298 sq.).

§. 426.

Eadem ulterius expensa.

Similiter quia læso cerebro memoria lædi potest (§. 422.); ideo quoque *læso cerebro judicium fieri potest imbecille* (§. 424.).

Ita constat ex contusionibus capitis sæpius obtundi judicii aciem & homines ideo dici obtusi ingenii, quod hanc vel istam capitis contusionem fuerint experti. Immo inde metus est, quo vulgo corripiuntur homines, ne capitis vulnera vel contusiones lædant operationes mentis atque memoriam. Neque infrequenter redditur ratio, cur quidam ad judicandum adeo sint hebetes, quod in prima ætate caput ipsorum a parentibus vel præceptoribus frequenter fuerit percussum.

§. 427.

Notiones generum & specierum quomodo nobis sint.

Notiones generum ac specierum non habemus, nisi quatenus individua seu singularia percipimus, & eorum, quæ in nobis sunt, nobis conscii sumus (§. 55. *Log.* 233 *sq.* 195. *Ont.*).

Idem quoque unusquisque in se experiri potest. Nemo enim v. gr. hominem in genere percipere potest, nisi quatenus ea, quæ omnibus hominibus communia sunt, perspicit in uno vel aliquot individuis.

Facile apparet propositionem præsentem etiam intelligendam esse de accidentibus. Etsi enim in cognitione symbolica ea per modum substantiarum consideremus, quemadmodum ex nominum impositione apparet; hoc tamen non obstante eadem percipere nunquam possumus, ubi ad cognitionem intuitivam reditur, nisi quatenus substantiæ cuidam inexistunt. Ita colorem rubrum non percipis, nisi tibi repræsentes corpus aliquod, quod eodem tinctum apparet, veluti globum rubrum, aut vestem rubram, aut nubes rubentes.

§. 428.

§. 428.

Si communia singularium, quæ notionem universalem ingrediuntur, vocabulis vel aliis signis indigites; hæc non intelliguntur nisi quatenus communia ista in individuis percipis (§. 271. empir. 952. Ontol. 427. rat.). Vocabula quomodo intelligantur.

Inde est, quod exemplis illustratæ definitiones ac propositiones intelligantur, quæ solo vocabulorum sono percepto non satis intelligi poterant. Dum enim ad exempla animum advertimus, ea, quæ verbis denotantur, in singularibus percipimus.

§. 429.

Notiones universales non habemus, nisi quas aut a rebus sensu perceptis, vel iis, quorum nobis in nobismetipsis conscii sumus, abstraximus, aut in talia resolvere valemus, quæ in individuis percepimus (§. 427 sq.). Modus perveniendi ad notiones universales.

Notiones universales ad intellectum spectant. Quamobrem si hoc sensu intelligatur, quod vulgo dicitur: nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensu; tanquam verum admitti potest. Enimvero qui ex iis, quæ modo evicimus, inferunt, ideas omnes ac pendentes inde notiones universales in animam tanquam receptaculum vacuum inferri a sensu; ea inferunt, quæ inde minime sequuntur.

§. 430.

Si definitiones ac propositiones ab aliis repertas intelligere voluerimus, aut res ipsas, ad quas pertinent, aliquando sensu nos percepisse, aut ea, quæ per vocabula indigitantur, sigillatim in subjectis aliis sensu percepisse opus est. De *definitionibus* vide §. 150. 176. *Log.* 230. *Ont.* 149. *Log.* 428. *rat.* de *propositionibus* confer §. 239. 494. 315. 115. *Log.* 429. *rat.* Definitiones ac propositiones quando penitus intelligantur.

Docentes hinc perspiciunt, quousque notiones sint resolvendæ, ut nihil assumatur, quod non intelligi possit a discente, vel ubi id fieri non possit, ut admoneatur, quid fieri ab ipso necesse sit, ut quæ docentur, penitus perspiciat. Nec minus discentes ipsimet convincuntur, quod privato studio ruminaturi, quæ ex ore docentis hauserunt, singula tandem ad talia revocare debeant, quæ sensu ab ipsis aliquando percepta in memoriam sibi revocare valent. Discunt quoque, quænam a

ſe ſenſu percepta præſupponantur, antequam ſatis intelligere valeant, quæ proponuntur.

§. 431.

Quando vocabula imperfecte intelligamus.

Si quis tantummodo ſenſu percepit ea, quæ ad notionem generis ſpectant rei vocabulo aliquo indigitatæ; is vocabulum iſtud non plene intelligit (§. 428. *rat.* 241. *Ont.*), *intelligit autem iſtud tanto minus, quanto genus iſtud eſt remotius* (§. 242. *Ont.*) *& quo minus completa notio eſt* (§ 91. *Log.*).

§. 432.

Quomodo non plene intellecta poſthac plene intelligantur.

Si qua vocabula non plene intelligimus; ea memoria retenta plene intelligere adhuc datur, ubi iisdem denotata ſenſu percipimus, aut eorum nobis in nobismetipſis conſcii ſumus, vel notionem ſymbolice expreſſam in talia reſolvere diſcimus, quæ ſenſu percepta fuere, vel quæ in nobismetipſis experti fuimus. Etenim ſi quod vocabulum non plene intelligitur, id quidem inde eſt, quod non rem ipſam eodem denotatam, ſed ea tantummodo, quæ ad notionem generis ſpectant, in aliis ſenſu perceperimus, neque notionem ſymbolice expreſſam, quæ vocabulo iſti reſpondet, in talia, quæ ſenſu percepta fuere, reſolvere valeamus (§. 431.). Quodſi ergo poſthac ſenſu adhuc percipimus vel rem ipſam, vel ea, in quæ notio ejusdem reſolvi poteſt; nil amplius obſtat, quo minus vocabulum iſtud plene intelligatur.

Addiſci igitur quædam in ſpem plenæ intelligentiæ non prorſus abſonum eſt. Conducit ſane pueros, immo diſciplinarum tyrones multa addiſcere, quæ plene non intelligunt, modo tenaciter memoriæ infigantur, quæ ipſis olim profutura ſunt & ad plenam intelligentiam reduci poterunt, ubi uſui eſſe debent. Et ſane id fieri etiam ab iis, qui ſibi intelligere videntur, quæ nondum plene intelligunt, experientia loquitur. Inde eſt, quod audias Juris cultores aſſerentes, jura tum demum intelligi, ubi ad uſum in foro transferuntur.

§. 433.

Quando non plene intellecta in diſciplinis ſatisfaciant.

Si non plene intellectis adhærent quæ plene intelliguntur, hisque effici poſſit, ut illa ſenſu percipiamus, vel, ubi ad animam ſpectant, ea in nobismetipſis experiamur; in diſciplinis ſatisfaciunt, quæ non plene intelliguntur (§. 432. *rat.*). Quamobrem cum in diſciplinis traditas definitiones ac propoſitiones non

non alio fine discamus & memoriæ infigamus, quam ut iisdem ad formanda judicia discursiva uti queamus (§ 356. 360. 361. *Psych. empir.*), neque alius earundem usus sit, ubi ad praxin morum ac negotia humana iisdem uti voluerimus; quæ non plene intelliguntur in disciplinis satisfaciunt, ubi plene intellecta iisdem adhærent, quorum ope illis respondentia ut sensu percipiantur, vel ut eadem in nobis experiamur, effici potest.

Casum specialem habemus in scriptura sacra, ubi eadem loquitur de spiritualibus hominis mutationibus, quæ non plene intelliguntur, antequam eas in nobismetipsis experimur. Sufficit itaque in ea tradi plene intellecta, quæ nobis ad istas mutationes subeundas sufficiunt.

§. 434.

Quodsi ergo *quis operam non dat, ut quæ in disciplinis non plene intellexit, vel sensu percipiat, vel in semetipso experiatur, cum per ea, quæ didicit, hoc facere posset; is sua, non docentis aut scribentis culpa, imperfectam habet cognitionem.* Cujusnam culpa sit, si quis ex disciplinis imperfectam haurit cognitionem.

Hinc luculenter apparet necessitas in rebus practicis juxta theoriam ipsi praxi studendi. Philosophia ideo moralis non plene intelligetur, quantumcunque studii in ea explicanda posuerit philosophus, nisi quis eorum, quæ docentur, veritatem in semetipso experiri nitatur. Immo etiam Theologiæ capita practica nunquam plene intelliget, nisi qui veritatum revelatarum notiones ex seipso haurire potest.

§. 435.

Anima ex statu præsente, quam percipit, ratiocinando colligit præteritum (§. 343 empir. 70 56. 118. Ont. 360 sq. empir. 49. Log.) atque futurum (§. 70. 56. Ont. 343. 360 sq. emp. 49. Log.). Quomodo status præteritus atque futurus ex præsente colligatur.

Idem confirmatur a posteriori. Si intuemur poma, quibus arbor abundat initio autumni; inde colligimus, quod vere multis superbiverit floribus, propterea quod experientia edocti noverimus, non modo singula poma prodiisse ex totidem floribus, verum etiam multos flores decidere, nec poma omnia ad maturitatem pervenire solere, ut adeo nobis exploratum sit, numerum florum verno tempore constanter multum excedere numerum pomorum autumnali tempore observandorum. Patet adeo ex statu arboris, qualem conspicimus tempore autumnali,

colligi statum ejusdem, qualis fuerit tempore vernali mediante dependentia status autumnalis a vernali nobis in genere perspecta. Et ubi distincte exponitur motus, quo ex contemplatione status autumnalis ad perceptionem vernalis pervenitur; eundem in ratiocinio consistere palam est. Similiter si autumni initio videmus gemmas arborum, veluti piri, & gravidas a ceteris distinguimus, quantus sit gemmarum gravidarum numerus judicamus, indeque colligimus, quod futuro vere pirus abundatura sit floribus, propterea quod experientia edocti noverimus, flores ex gemmis gravidis prorumpere & eorum plures progerminare ex una, ut adeo nobis certum sit, verno tempore constanter numerum florum plurimum excedere numerum gemmarum gravidarum, quæ tempore autumnali in arboribus conspiciuntur. Patet itaque ex statu arboris, qualis conspicitur tempore autumnali, colligi statum ejusdem, qualis verno tempore futurus, mediante dependentia status vernalis ab autumnali in genere nobis perspecta. Quodsi denuo distincte exponatur modus, quo ex contemplatione status autumnalis ad perceptionem vernalis pervenitur, eundem in ratiocinio consistere manifestum est.

§. 436.

Coëxistens unum quomodo ex altero innotescat.

Ex uno existente, quod percipitur, ratiocinando colliguntur coëxistentia alia (§. 70. 56. Ont. 224 sq. rat. 365. empir. 49. Log.).

Idem quoque a posteriori probatur. Ex eo, quod pluit, ratiocinando colligitur per foramen tecti aquam pluvialem destillare in ædificium. Percipiens pluviam judicas, quod vehementer pluat, & memoria tibi suggerit phantasma foraminis in tecto, ut adeo judicium fiat compositum, quod pluat & in tecto sit foramen. Quoniam tibi jam antea innotuit, per foramen tecti destillare aquam pluvialem in ædificium, non sine ejusdem detrimento; in memoriam tibi revocas judicium aliquod præteritum, cui universalis quædam notio respondet. Quamobrem cum inde colligis aquam pluvialem magna copia nunc destillare in ædificium; ratiocinando utique quidpiam, quod coëxistit, ex uno existente colligitur, aut, si mavis ex duobus coëxistentibus,

bus, pluvia nempe ac foramine in tecto, colligis tertium coëxistens destillationem aquæ pluvialis vel ejus defluxum in ædificium. Colligis autem tertium coëxistens ex duobus coëxistentibus (quæ tamen, si velis, hic pro uno existente haberi possunt), quia hæc continent id, unde intelligitur tertium, adeoque ex eo, quod ratio sufficiens coëxistentis in existentibus, quæ sensu ac imaginatione percipis, continetur.

§. 437.

Cur ex re præsente colligatur præteritum, futurum ac præsens aliud.

Ex præsente præteritum atque futurum & ex uno existente coëxistentia alia colliguntur, quatenus unum in altero rationem sufficientem habet, cur sit (§. 435 sq.).

§. 438.

Idem ulterius expenditur.

Ex præsente præteritum atque futurum & ex uno existente alia coëxistentia colliguntur, quatenus tam successiva, quam coëxistentia inter se connectuntur (§. 10. Cosm. 437. rat.).

§. 439.

Ratio cur eorum, quæ ad universum pertinent, unum ex altero colligatur.

Quæ ex perceptionibus claris ratiocinando colliguntur; ea in iisdem involvuntur (§. 435 sq. 184 sq. 182).

§. 440.

Evolutio perceptionum.

Si ex statu præsente colliguntur ratiocinando præteritus ac futurus & ex uno existente coëxistentia alia; perceptiones mediatæ ex immediatis evolvuntur (§. 439. 195. 204. 207. 195.) & ad immediatas reducuntur.

De ultimo notetur: Si ex statu præsente futurus vel præteritus, aut ex uno existente aliud coëxistens ratiocinando colligitur; propositio, quæ per modum conclusionis infertur, constat vocabulis non intelligendis, nisi quatenus omnibus simul respondent aliquando sensu percepta (§. 428.). Quamobrem vel ideam quandam vi imaginationis producere debemus, quibus ea simul insunt, quæ vocabulis istis indigitantur, vel plurium rerum eadem vi producendæ sunt ideæ, quibus sigillatim insunt vocabulis istis indigitata. Perceptionem itaque mediatam ad phantasma aliquod (§. 93. *Psych. emp.*), adeoque ad perceptionem immediatam reducimus (§. 207.).

§. 441.

Evolutionis continuatio.

Quoniam mediatæ perceptiones infinite variant habentque gradus infinitos, quibus ab immediatis removentur (§. 198.); *evolutio quoque perceptionum mediatarum ex immediatis nunc pluribus ratiocinis opus habet, nunc paucioribus.*

§. 442.

Impossibilitas illimitati intuitus ideæ universi.

Anima integram ideam universi ne successive quidem intueri potest (§. 193. 196. 186. 195. 440.).

Nemo igitur novit, quæ perceptionibus suis insint, cum mediate percepta non appercipiantur (§. 203.), adeoque eorum omnium, quæ in idea universi ab anima nostra continuo producta (§. 190) involvuntur (§. 195.), nobis conscii minime simus, immo ne conscii quidem fieri possimus (§. 25. *Psychol. empir.*).

§. 443.

Necessitas limitationis intuitus universi.

Quoniam anima integram ideam universi nec simul (§. 194.), nec successive intueri potest (§ 442.) igitur *prorsus impossibile est, ut anima integram ideam universi simul intueatur*, seu, *quæ in eadem continentur clare* (§. 193.), consequenter *immediate percipiat* (§. 196.). Quamobrem & *impossibile, ut anima evolutione ideæ universi, quæ in ea involvuntur, ad immediatam perceptionem reducat* (§. 439.)

Ex demonstratione impossibilitatis intuendi integram ideam universi, sive simul, sive successive id fieri debere ponatur, elucescit, quod nec eandem quidem integram intueri possit, si tantummodo spectetur, qualis unico momento existit, adeoque quatenus statum universi quendam momentaneum refert. Qui magnitudinem universi ex principiis astronomicis & multitudinem minimorum ex observationibus microscopicis atque principiis cosmologicis æstimare noverit ac modum, quo ex perceptione data deducuntur cetera, dum mediatas perceptiones ad immediatas reducere conamur (§. 435. 436.); is demonstrabit, quæ forsan absque demonstratione admittere non vult nimia scrupulositate abusus.

§. 444.

Fundamentum cognitionis universalis.

Cognitio universalis possibilis, quia determinationes essentiales diversis entibus communes insunt (§. 247. 254. *Ontol.* 354. *emp.*

emp. 269. 268. *Ont.* 177 - 179. 254 ſq. 212. 214 213. 215. *Log.* 360 ſq. 318. *emp.*).

§. 445.

Veritates univerſales connectuntur vi ſimilitudinis eſſentialis, dependentiæ rei a ſeipſ. (§. 232 - 234. 241 ſq. 247 ſq. 159. 158. 146. 115. 56. 118. *Ont.* 10. *Coſm.* 143. 851. *Ont.* 254. 480. *Log.*) *& mutuæ dependentiæ rerum a ſe invicem quoad modificationes* (§. 160. 704 851. 235. 160. *Ont.* 255. 480. *Log.*). Cur veritates univerſales connectantur.

Quod ita ſufficienter explicaverimus omnem nexum veritatum univerſalium, haud difficulter perſpicit, qui notionem entis univerſalis ex Ontologia probe cognitam atque perſpectam habet. Etenim quæ rebus inſunt, aut in eſſentialium, aut attributorum, aut modorum numero ſunt: ad attributa enim vel modos referuntur modorum poſſibilitates, prout vel remotæ, vel proximæ fuerint. Quamobrem cum omnem nexum expendat propoſitio, quæ in eſſentialibus, attributis atque modis fundatur; nexum quoque veritatum univerſalium, qui rebus ipſis ineſt, omnem explicat.

§. 446.

Veritatem propoſitionis perſpicimus per nexum cum veritatibus aliis univerſalibus & demonſtratio eundem palam facit (§. 484. *Log.* 115. *Ontol.* 515. 377. 508. *Log.* 56. *Ontol.* 469. 349. *Log.* 10. *Coſmol.*). Veritas propoſitionis quomodo perſpiciatur.

Liquet hinc ſimul veritas principii generalis, *veram eſſe propoſitionem, quæ cum veritatibus aliis connectitur*, hoc eſt, ideo potius tanquam vera, quam tanquam falſa admittenda eſt, quia aliæ propoſitiones veræ ſunt, ut his poſitis & ipſa ponatur. Liquet etiam Mathematicos, qui non admittunt niſi demonſtrata, veritatem propoſitionis perſpicere per nexum cum aliis. Et ſcientiæ non alius finis eſt, quam ut veritatum univerſalium nexus perſpiciatur (§. 564. *Log.*).

§. 447.

Demonſtratio palam facit veritates univerſales, cum quibus alia quædam connectitur (§. 522 ſq. *Log.*). Veritates univerſales quomodo detegantur, cum quibus data connectitur.

§. 448.

Quoniam conſtat, unam eandemque propoſitionem diverſis Diverſitas

illarum veritatum in eodem casu.

versis sæpius modis demonstrari posse; *eadem propositio cum aliis veritatibus universalibus diversis immediate connectitur.*

§. 449.

Falsitas quomodo perspiciatur.

Falsitatem propositionis perspicimus per repugnantiam cum veritate aliqua universali (§. 446.).

§. 450.

Quomodo idem fiat mediate

Falsitas propositionis mediate perspicitur per nexum cum falsa, seu ea, quæ veritatibus universalibus repugnat (§. 524 Log. 417. 420. rat.).

§. 451.

Ens quodnam rationale sit.

Rationale ens dicitur, quod ratione præditum est; Seu quod facultate nexum veritatum universalium perspiciendi præditum est (§. 483. *emp.*). Et quoniam facultas nudam potentiam activam dicit (§. 29. *Psychol. empir.*), adeoque ratio naturaliter per modum potentiæ animæ inest; *ens rationale est, quod ad veritatum universalium nexum perspiciendum per essentiam & naturam suam aptum est*, consequenter cum ex actualitate possibilitas colligatur (§. 170. *Ontol.*), *si quis nexum veritatum universalium actu perspicit, rationalis esse intelligitur.*

§. 452.

Usus rationis quid sit.

Usus rationis est potentia actus eliciendi ad intuitum nexus veritatum universalium necessarios.

Usus rationis inest per modum potentiæ proximæ, ita ut anima actus illos elicere possit, seu nexum veritatum universalium actu intueri valeat, quando voluerit, vel occasio ita tulerit. Differt adeo ratio ab usu rationis, quomodo potentia remota a proxima differt.

§. 453.

Cur ratio vim repræsentativam universi non excedat.

Ratio in vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, rationem sufficientem habet, seu eandem non excedit (§. 483. 29. *empir.* 452. 446. *rat.* 469. 327. *Log.* 405. 408. 411. *rat.* 463. *Log.* 118. *Ontol.*).

§. 454.

§. 454.

Anima per essentiam & naturam suam rationalis est (§. 66 sq. 454. *rat.* 118. *Ont.*). Rationalitas homini essentialis.

Ratio attributum animæ est (§. 146. *Ontol.*), atque adeo eidem constanter inest (§. 150. *Ontol.*), ut adeo ab eadem separari non possit, etsi usum ejus suspendi vel auferri non sit impossibile. Rationalitas ergo homini essentialis est, quod notandum, ne quis sibi persuadeat furiosos ex rationalibus factos fuisse irrationales. Sane non minus delirant homines, qui noxiis erroribus se atque alios fallunt ac in multa damna præcipites dant: hoc tamen non obstante manet ipsis ratio, ut ad saniorem mentem reduci possint, delirio isti voluntario renunciantes.

§. 455.

Usus rationis sese exerit ratiocinando (§. 452. 446. *rat.* 469. 327. *Log.*). Dependentia usus rationis a ratiocinando.

Ideo tertia mentis operatio a ratione nomen traxit.

§. 456.

Usus rationis supponit omnes mentis operationes (§. 455. *rat.* 49. 39. 51. *Log.*). Dependentia a ceteris mentis operationibus.

§. 457.

Usus rationis supponit notiones universales determinatas (§. 455. *rat.* 370. 374. *empir.* 149. 176. 491 sq. *Log.* 374. *emp.*) *& quo plures in promptu sunt, eo amplior est, & prout eas magis familiares* (§. 354. 360 sq. *empir.*) *quis experitur, eo promptius sese exerit.* Quænam usus rationis supponat.

Ponamus e. c. aliquem animo suo comprehensam tenere amplissimam Jurisprudentiæ naturalis theoriam, ut non facile occurrat casus, qui per eam non decisus detur. Ponamus porro omnem istam theoriam esse ipsi adeo familiarem, ut vix ei offeratur casus, quin jam ejus decisio ipsi occurrat. Ecquis non videt, eum principiis istis ad decidendos casus prompte uti, ut adeo rationalem se probet in singulis istis casibus, nec longa deliberatione opus demum sit.

§. 458.

Usus rationis homini non connascitur; sed demum acquiritur (§. 457. 429 sq.). Usus rationis cur non connascatur.

§. 459.

Cur infantes usu rationis destituantur.

Quoniam *infantes* non habent, nisi quod ipsis connascitur, seu per essentiam atque naturam inest; *usu* quoque *rationis destituuntur*, *eumque demum acquirere debent* (§. 458.).

Hinc reddi potest ratio, cur infantes videantur fœtibus brutorum stupidiores. Brutis enim paucissimæ sunt actiones, ad victum quærendum, se tuendum & generandum necessariæ, ad quas per mechanismum corporis determinantur, nec universali opus habent cognitione. At hominis actiones multifariæ sunt, quarum determinatio in utramlibet contradictionis partem in ipsius potestate est, quas vero secundum rationem determinare debet. Unde homo hærere debet circa determinationem istarum actionum, quamdiu nullas sibi acquisivit notiones universales, vi quarum eædem determinantur.

§. 460.

Cur etiam adulti.

Qui rationis usum acquirere negligit, nec ejus compos fieri potest (§. 458. 457.).

Hinc patet cur inter bruta educati rationis usu destituantur.

§. 461.

Dependentia usus rationis ab usu sermonis.

Usu sermonis facilitatur (§. 455 sq. *rat.* 369. 351. 342. *emp.*) *atque amplificatur* (§. 284 sq. *empir.* 491. *Log.* 457. *rat.*) *usus rationis: absque sermonis usu rationis usus vix conceditur* (§. 326. *empir.* 149. *Log.* 374. *empir.* 176. *Log.* 356. 343. 360 sq. 348. 370. *emp.* 455. *rat.*).

Facit huc exemplum juvenis inter ursos educati, quod describit *Bernhardus Connor* in Evangelio Medici art. 13. p. m. 133. & seqq. Quamdiu inter ursos degebat homo, nullus loquelæ usus ei fuit, etsi vocis organa non destituerentur naturali illa dispositione, quæ ad loquelam requiritur: ea enim deficiente fieri non potuisset, ut postea inter homines loquelam didicisset. Quamdiu deerat loquela seu sermonis usus, nec ignotæ eidem actiones a ratione pendentes imitationi esse poterant; nullis quoque operationibus intellectus locus erat, nullum rationis indicium sese præbebat. Unusquisque etiam in seipso experietur, quam sit difficile mentis elicere operationes absque vocabulorum usu, siquidem vim sibi ipsi inferre voluerit ad abstinendum a vocabulis,

bulis, dum notionem universalem formare, dum judicare, dum ratiocinari intendit, veluti dum de negotio aliquo deliberat.

Facultates superiores quasi sepultæ sunt, ut ne vestigium quidem ipsarum appareat, quamdiu nisi per commercium cum hominibus aliis excitentur. Quamobrem cum absque sermonis usu commercium istud propemodum nullum sit; absque eo facultates superiores ad agendum ne excitantur quidem, nedum exercentur, quantum ad rationis usum sufficit. Unde patet non naturam, sed hominem hominem efficere rationalem.

§. 462.

Usus rationis in corpore sese exerit per ideas materiales vocabulorum (§. 455. 415.). Quid usui rationis in corpore respondeat.

Seduxit hoc Materialistas, ut sibi persuaderent, actus rationales non repugnare mechanismo corporis, cum ea, quæ sunt animæ, ab iis, quæ ad corpus spectant, non satis discernerent. Ceterum apparet, ex eo quidem, quod anima sit rationalis, recte concludi ejus immaterialitatem, non tamen unica, illatione. Nimirum redeundum est ad impossibilitatem apperceptionis in materia: unde nos in superioribus eandem deduximus (§. 44.).

§. 463.

Ad usum rationis memoria requiritur (§. 455. *rat.* 354 sqq. *empir.*). Adde §. 457. *rat.* Usus rationis a memoria dependentia.

§. 464.

Si memoria læditur, usus rationis imminuitur, immo prorsus amittitur (§. 455. 420.). Usus rationis quomodo imminuatur & amittatur.

§. 465.

A causis materialibus, veluti vi morborum acutorum atque capitis, immo ipsa senectute usus rationis imminui, immo prorsus tolli potest (§. 298 sq. 464.). Cur a causis materialibus & senectute imminuatur & tollatur.

§. 466.

Læso cerebro usus rationis imminui, immo prorsus tolli potest (§. 422. 464.). Usus rationis ex læsione cerebri sublatus.

§. 467.

Theoriæ definitio.

Per *Theoriam* hic intelligimus veritatum universalium complexum.

Completa complectitur veritates universales ad statuendum de aliqua re in quolibet casu sufficientes: *incompleta* vero comprehendit quasdam saltem, sed quæ ad statuendum de re aliqua non sufficiunt in omni casu.

§. 468.

In quibusnam ratione destituamur.

Si cui deficit rei cujusdam theoria; quoad eam usu rationis destituitur (§. 467. 457.).

§. 469.

Cur in quibusdam concessus usus rationis denegetur in aliis.

Ergo aliquis usu rationis pollere potest in aliquo veritatum genere, etsi eodem destituatur in alio.

§. 470.

Nemo in omnibus usu rationis pollet.

Nemo hominum in omnibus usu rationis pollere potest (§. 457.).

§. 471.

Ratio summa quænam.

Ratione summa præditum est ens, quod omnium veritatum universalium nexum perspicit (§. 488. emp.).

§. 472.

Homini non convenit.

Anima humana ratione summa prædita esse nequit (§. 470 sq.).

§. 473.

Ingenium num excedat vim repræsentativam universi.

Ingenium vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedit (§. 476. *emp.* 195 *Ont.* 237. 257. 248. 255. 263. *emp.* 357 sqq. *rat.*).

§. 474.

Dependentia ingenii a constitutione cerebri.

Ingenium a cerebro pendet. Ingenioso enim imaginatio vivax (§. 479. *Psych. emp.*). Quoniam itaque imaginationi immateriali, quæ in anima datur, materialis quoque imaginandi facultas in corpore respondet (§. 227.), ob continuam scilicet phantasmatum atque idearum materialium coëxistentiam (§. 206.), & imaginationis hujus materialis sedes in cerebro existit (§. 228.); imagi-

imaginatio vivax rationem sufficientem in cerebro habet (§. 56. *Ontol.*), quatenus scilicet ex iis, quæ in cerebro sunt, intelligitur, cur imaginatio vivax sit, adeoque a cerebro pendeat (§. 851. *Ontol.*). Pendet igitur quoque ab eodem ingenium. Porro qui ingenio pollet, idem & memoria pollet (§. 480. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum bonitatis memoriæ ratio in fibrillis nerveis, ex quibus cerebrum constat, contineatur (§. 306. *Psychol. rat.* & §. 56. *Ontol.*). Bonitas memoriæ a cerebro dependet (§. 851. *Ont.*); atque adeo denuo patet a cerebro quoque dependere ingenium.

Vivax imaginatio est, si phantasmata producta multum claritatis habent (§. 478. *emp.*). Enimvero claritas ideæ sensualis pendet a celeritate motus, in quo idea materialis eidem respondens consistit (§. 126. *rat.*), consequenter & claritatis phantasmatum ratio, quæ sunt ideæ sensuales reproductæ (§. 104. *emp.*), aut ex iis derivatæ (§. 140. 143. *empir.*), est celeritas motus, in quo phantasmatis respondentes ideæ materiales consistunt (§. 206. *rat.*). Ex statu itaque cerebri ratio reddi potest imaginationis vivacis. Nimirum alia est fibrillarum nervearum, ex quibus cerebrum contextum est, constitutio in iis, qui imaginationem vivacem habent; alia in aliis, quibus minus vivax est.

§. 475.

Læso igitur *cerebro ingenium lædi potest (§. 474.).* Cur læso cerebro lædi queat ingenium.

§. 476.

Quæ memoriam lædunt, ingenio quoque noxia sunt (§. 480. empir.).

Constat ingravescente ætate, qua memoriæ vis atque imaginationis vivacitas perit, ingenii quoque vim decrescere solere, ita ut ad ea opera, quæ ingenii sunt, se minus aptos experiantur. Ita senes ad pangenda carmina ingenii venas sibi deficere sentiunt. Læsio ingenii cur cum læsione memoriæ connexa.

§. 477.

Ingenii vis a causis materialibus imminui vel prorsus destrui potest, immo tale quid effici potest vi morborum acutorum atque ipsa senectute (§. 298 sq.). Causæ ingenium lædentes.

§. 478.

Ars inveniendi vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedit. Arte inveniendi a priori ex notionibus Ars inveniendi num vim repræsentativam animæ excedat.

nibus determinatis seu veritatibus universalibus cognitis eruuntur veritates incognitæ (§. 461. *Psych. emp.*), & quidem per ratiocinia (§. 460. *Psych. emp.*), operationibus mentis ingenio subinde suppetias ferente (§ 481. *Psych. emp.*). Jam vide §. 392. 402. 410. 405. 473.

Ars inveniendi a posteriori veritatem incognitam eruit vel ex observationibus, vel experimentis (§. 457. *Psych. emp.*), adeoque ex factis naturæ (§. 456. *Psych. emp.*), quæ sensu percipimus, vel in mente nostra ad nos spectantia appercipimus (§. 436. *Psych. empir.*). Notiones universales completæ ac determinatæ non per solam reflexionem atque abstractionem constituuntur (§. 401.), adeoque præter primam mentis operationem opus quoque ceteris (§. 639. & sqq. *Log.*). Atqui nulla mentis operatio vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, excedit (§. 413.). E.

§. 479.

Quid arti inveniendi in corpore respondeat.

Ars inveniendi in corpore consistit in excitatione idearum materialium in cerebro operationibus animæ convenienter facta.

De invenienda veritate a priori vide §. 460. 481. *emp.* 395. 397. 416. 474. *rat.* de inventione vero a posteriori conf. §. 436. *emp.* 639 sqq. *Log.* 113. 416. *rat.*

FINIS
SECTIONIS I. PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS.



PSYCHO-

PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS

PARS II.

PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS

SECTIO II.

DE FACULTATE APPETENDI.

CAPUT I.

DE APPETITU SENSITIVO ET AFFECTIBUS.

§. 480.

In omni perceptione præsente adest conatus mutandi perceptionem (§. 61. *rat.* 725. *Ontol.*). Conatus mutandi perceptionem.

§. 481.

Conatus mutandi perceptionem præsentem dicitur *Percepturitio.* Quamobrem cum in omni perceptione præsente adsit conatus mutandi perceptionem (§. 480.); *in omni perceptione adest percepturitio.* Percepturitio quid sit & ejus existentia.

§. 482.

Quoniam sensationes sunt perceptiones (§. 65. *Psychol. empir.*); *in sensatione præsente etiam adesse debet percepturitio, seu conatus eandem mutandi* (§. 481.). Idem etiam ex ipsa essentia atque natura animæ demonstratur (§. 63. *rat.* 65. *empir.* 725. *Ont.* 481. *rat.*). Percepturitio in sensationibus.

§. 483.

Corpus nostrum percipimus, quatenus organis sensoriis qua talibus mutationem inducere valet (§. 62. *rat.* 24. *emp.*). Quatenus corpus nostrum percipimus.

§. 484.

Cur anima sibi conscia dependentiæ actionis sensibilium a situ corporis.

Anima sibi conscia est, actionem sensibilium in organa nostra sensoria a situ corporis nostri pendere (§. 483. rat. 104. emp.).

§. 485.

Dependentia mutationis sensationis a mutato corporis situ.

Anima sibi conscia est, sine mutatione situs corporis ad objectum aliquod non mutari sensationem. Mutatur autem *situs corporis ad sensibile vel motu objecti, quod jam percipitur, aut alterius, quod percipi debet; sive motu corporis aut partium ejus, veluti capitis aut oculorum, sive utroque pro varietate circumstantiarum diversimode variato simul* (§. 482. rat. 65. emp. 484. rat.).

Probe expendendi sunt modi, quibus situs corporis ad objectum sensibile mutari potest, ut idem in aliquod organum agere possit, quo clare ac distincte percipiatur. Hæc enim differentia prodest ad explicandos motus corporis harmonicos appetitionibus atque aversionibus animæ respondentes.

§. 486.

Sensationis prævisæ gratia qualis motus corporis intendatur.

Quoniam *anima* sibi conscia est, sine mutatione situs corporis ad aliquod objectum non mutari sensationem (§. 485.); *si sensationem mutare intendit, situm corporis quoque mutare intendere debet, &, ubi sensationem futuram quomodocunque prævidet, eam intendere debet mutationem situs corporis sui, sine quo sensatio ista fieri non potest.*

§. 487.

Quomodo nobis innotescat ille motus.

Quoniam quicquid cognoscimus, vel a posteriori cognoscimus, vel a priori (§. 435. Psych. empir.); *Quali opus sit mutatione situs corporis nostri, vel partis cujusdam ejus, sensationis futuræ gratia, vel a posteriori, seu sensuum duce* (§. 436. Psychol. empir.), *vel a priori, seu vi intellectus* (§. 438. Psychol. empir.), *aut operationum ejusdem* (§. 439. Psych. emp.) *cognoscere debemus.* Experientia autem convincimur, *nos id potissimum a posteriori cognoscere, antequam de theoria cogitemus.*

Theoriam tamen non esse impossibilem, nemo vel Opticæ gnarus ignorat. Constat enim lumen propagari per lineas rectas. Quamobrem cum nihil videatur sine lumine, si radii luminis a visibili in oculum illabi debent, necesse est, ut a puncto radiante per pupillam recta in oculum

oculum duci possit. Ab hoc principio pendet omnis situs corporis respectu visibilis, quod contueri volueris. In Opticis demonstratur, cur remota videantur minora & obscuriora, atque hinc conficitur, quæ ad distantiam nimiam obscurius ac confuse videntur, ea vel oculo propius esse admovenda, vel oculum iisdem propius admoveri debere, prout vel necessitas postulaverit, vel occasio tulerit. Ab hoc principio pendent motus locales, vel corporis, vel visibilis, quod clare ac distincte, quantum datur, videri volueris Constat lumen a speculis eo ordine reflecti, quo a visibili, ut beneficio radiorum reflexorum conspiciatur, quod alias ob situm corporis videri nequit. Atque hinc deducuntur situs corporis nostri & objectorum visibilium respectu speculi, ut videre possimus, quæ alias absque speculorum auxilio videre non poteramus. Exemplo esse potest, si ægrotus in lecto decumbens videre velit, quinam in conclave intret, cum januam videre non possit.

§. 488.

Perceptionem prævidere dicimur, quatenus nobis conscii sumus nos eam habere posse. **Perceptionis prævisio quid sit.**

Ita si quis nobis narrat, monstrum quoddam spectandum alicubi exhiberi; nobis conscii sumus, nos monstrum istud videre, adeoque perceptionem ejus habere posse: perceptionem itaque monstri istius prævidemus.

§. 489.

Si perceptioni prævisæ idea voluptatis jungitur; perceppturitio in eam dirigitur, si jungitur idea tædii vel molestiæ, ab eadem avertitur (§. 481. 70. Ont.). Jam si res in se spectatur, quæcunque tandem sit, ea nos minime tangit, adeoque tamdiu nobis perinde est, sive perceptio ejus producatur, sive non producatur, consequenter percepturitio nec in prævisam dirigitur, nec ab eadem avertitur. Necesse igitur est, ut si alterutrum fieri debeat, eadem ad nos referatur & pro diverso ejusdem ad nos respectu vel dirigatur in ejus perceptionem percepturitio, vel ab eadem avertatur. Jam si res ad nos referuntur, aut voluptatem nobis parere, aut molestiam creare possunt; idque mediate vel immediate: aliter enim animam afficere nequeunt. Facile itaque intelligitur, cum alterutra ratio directionis, altera **Directio & aversio percepturitionis quam habeat rationem.**

ratio aversionis percepturitionis esse debeat, voluptatem esse rationem directionis, molestiam vero aversionis, seu nos conari producere aliquam perceptionem, quod ex ea voluptas nobis nascatur; conari autem impedire, quo minus producatur, quod in nobis tædium pariat. E.

§. 490.

Perceptiones quænam prævideri possint.

Perceptiones prævisæ vel sensationes, vel phantasmata sunt. Quoniam enim non dantur entia alia, nisi singularia & universalia (§. 227. 230. *Ontol.*), perceptiones quoque prævisæ non repræsentant nisi vel ens singulare, vel universale. Jam singularia vel præsentia sunt, dum ea percipimus, vel absentia. Nunc conf. §. 65. 59. 92 sq. *empir.*

In cognitione intuitiva universalia percipiuntur plurium individuorum simultanea repræsentatione (§. 326. *Psych. empir.*), immo ubi notionem entis in universali jam acquisivimus, repræsentatione nonnisi unius (§. 327. *Psychol. empir.*). Atqui individuorum perceptiones vel ad sensationes, vel ad phantasmata referenda. E. universalium quoque perceptiones prævisæ in cognitione intuitiva vel sensationes, vel phantasmata sunt. Denique in cognitione symbolica universalia per vocabula (§. 269. 271. 328. *Psychol. empir.*), vel alia signa repræsentantur. Enimvero vocabula, tanquam soni articulati (§. 271. *Psych. empir.*), in numero audibilium (§. 70. *Psych. emp.*), adeoque sensibilium sunt (§. 68. *Psychol. empir.*). E.

Quodsi dubites phantasmata, præsertim symbolice repræsentata, prævideri posse; haud difficulter idem probatur. Etenim ponamus succurrere nobis nomen rei antea visæ; cum ideam ejus etsi absentis vi imaginationis reproducere valeamus (§. 273. *Psych. emp.*), hæc vero in phantasmatum numero sit (§. 93. *Psych. emp.*); evidens est nos ad nomen istius rei attentos conscios nobis esse, quod ideam istam habere possimus, atque adeo ideam prævisam in phantasmatum numero esse posse.

§. 491.

Modus producendi perceptionem prævisam.

Si anima sensationem prævisam producere conatur, ceteras omnes intermedias producere tenetur, sine quibus ad eam pervenire nequit

nequit (§. 84. *rat.* 65. *emp.* 61. 118. *rat.*). Quamobrem si fieri nequit, ut sensibile in organum agat nisi successive alia aliaque objecta in organa sensoria agant, consequenter si successive aliæ aliæque perceptiones vi eiusdem producantur (§. 948. *Psychol. empir.*); anima quoque omnes hasce perceptiones intermedias producere tenetur, antequam prævisæ in eadem sit locus. E.

§. 492.

Si anima perceptionem prævisam producere conatur, ad ejus dependentiam a statu quodam corporis sui attendit (§. 485. *rat.* 904. *emp.* 484. *rat.* 851. *Ont.*). Perceptionis prævisæ dependentia a statu corporis.

Ita si perceptionem horti cujusdam prævides eamque producere conaris visu scilicet eundem percepturus; vi imaginationis te una cum horto præsentem animæ sistis.

§. 493.

Si anima sensationem prævisam producere conatur, corpus successive eos obtinere debet situs, a quibus perceptiones intermediæ pendent, sine quibus ad illam pervenire nequit (§. 491. *rat.* 948. *emp.*). Sensationis prævisæ productio quantum a corpore pendeat.

§. 494.

Quoniam anima corpus quoque organicum suum percipit (§. 483.), adeoque sibi repræsentat (§. 24. *Psychol. empir.*), sibique conscia est dependentiæ actionis sensibilium in organa sua sensoria a situ corporis sui in universo (§. 484.); *successive corpus suum aliis aliisque sensibilibus præsens sibi repræsentare debet, antequam in sensationem prævisam incidat.* Quantum a perceptione ejusdem.

Hinc & accidit, ut modum perveniendi a perceptione præsente ad prævisam nobis vi imaginationis repræsentaturi, nosmetipsos nobis videre videamur quasi per spatia inter duos terminos interjecta transeuntes & continuo objecta alia aliaque spectantes.

§. 495.

Directio percepturitionis seu conatus mutandi perceptionem præsentem in perceptionem prævisam est id, quod *Appetitus* dicitur. Unde etiam eum definire licet per tendentiam ad Appetitus quid sit.

perceptionem prævisam. Quodsi appetitum saltem tanquam possibilem in anima spectare eumque in facultatum numerum referre malis: dici poterat, quod sit facultas dirigendi percepturitionem in perceptionem prævisam.

Atque adeo jam intelligitur, quo sensu appetitus dicatur inclinatio animæ ad objectum sensibile (§ 579. *Psych. emp.*). Etenim dum conatus mutandi perceptionem præsentem, adeoque determinandi intuitum ideæ huius universi (§. 193.), dirigitur in prævisam, ut ad eam tendat; anima ad objectum inclinatur.

§. 496.

Aversatio quid sit.

Directio percepturitionis seu conatus mutandi perceptionem præsentem in partem contrariam perceptionis prævisæ est id, quod *Aversatio* dici solet. Unde etiam eam definire licet per conatum impediendi, ne perceptioni prævisæ in nobis sit locus. Quodsi eam tantummodo tanquam possibilem in anima spectare, adeoque in numerum facultatum referre malis; dicendum est, quod sit facultas dirigendi percepturitionem in contrarium perceptionis prævisæ.

Atque ideo jam intelligitur, quo sensu aversatio dicatur reclinatio ab objecto sensibili (§. 581. *Psych. empir.*). Etenim dum conatus mutandi perceptionem præsentem dirigitur in contrarium perceptionis prævisæ; anima ab objecto eadem repræsentato reclinari dicitur.

§. 497.

Appetitus sensitivus a vi repræsentativa universi derivatus.

Appetitus sensitivus ex vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, enascitur. Etenim si perceptioni rei prævisæ iungitur idea voluptatis, percepturitio in eam dirigitur (§. 489.), consequenter appetitus enascitur (§. 495.), cumque ex eo judicetur bonum, quod perceptione prævisa repræsentatur, quia voluptatem inde percipi posse nobis conscii sumus, notione boni erronea acquiescimus, idem nonnisi confuse percipientes (§. 561. *Psychol. empir.*); consequenter appetitus, qui enascitur, sensitivus est (§. 580. *Psychol. empir.*). Jam cum perceptio aliqua prævideatur, quando nobis constat, nos eam habere posse (§. 488.), de eo autem, quod plane non percipimus, non constet, nos idem percipere posse; necesse est, ut aliquid ejus percipiamus,

cipiamus, quod nos percipere posse conscii nobis sumus. Quoniam vero sensu percipere non possumus, quod præsens non est (§. 84); ideo vi imaginationis idem repræsentare nobis debemus. Et quoniam idea voluptatis perceptioni prævisæ jungitur, quatenus vi imaginationis una producitur (§. 117. *Psych. empir.*), & memoria nobis suggerit, nos voluptatem ex re perceptione prævisa repræsentata percepisse (§. 175. *Psychol. empir.*); appetitus ex actionibus sensuum, imaginationis atque memoriæ enascitur. Jam vide §. 62. 183. 280.

§. 498.

Aversatio sensitiva ex vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, nascitur (§. 489. 496. *rat.* 573. 581. *emp.*). Mutatis mutandis valet demonstratio ad præcedentem §. allata. Aversatio sensitiva ab eadem vi derivata.

§. 499.

Voluptati extraordinarius quidam motus sanguinis & fluidi nervei in corpore respondet (§. 608. 614. 611. *emp.*). Motus scilicet iste fluidi nervei atque sanguinis, qui in gaudio præsertim adesse deprehenditur, jamjam incipere debet, ubi anima voluptatem percipit, ad majorem gradum postea evehendus, ubi voluptas ad majorem gradum evehitur in gaudium degenerans, vel in eam degenerans, quæ unicuique affectui jucundo propria. Voluptati quid in corpore respondeat.

Ex vultu & gestu, immo etiam verbis, quæ proferimus, atque voce nemo non intelligit, nos voluptate perfundi. Vernacula dicere solemus: Es siehet heute einer recht vergnügt aus, quasi voluptatem in ipso corpore præsentem videremus.

§. 500.

Molestiæ sive tædio itidem extraordinarius quidam motus sanguinis ac fluidi nervei respondet (§. 609. 619. 611. *emp.*). Nunc sub debita mutatione valent de tædio, quæ §. 499. de voluptate dicebantur) *sed diversus ab eo, qui voluptatis comes est* (§. 511. 518. *emp.*). Tædio quænam in corpore respondeant.

Ipsum vulgus ex vultu, gestu, & voce, atque verbis colligit, quod quis tædio afficiatur. Unde vernacula dicere solemus: Er siehet gantz verdrüslich aus.

Quem-

Quemadmodum vero gradus voluptatis atque tædii plurimum variant; ita quoque motus sanguinis & fluidi nervei gradu differre debet, prout majorem aut minorem gradum voluptatis ac tædii comitatur.

§. 501.

Appetitioni quidnam in corpore respondeat.

Appetitioni animæ respondent motus corporis & organorum ipsius, quibus obtinetur is ejus in universo situs, in quo perceptioni prævisæ locus esse potest (§. 495. 486. ration. 953. empir.).

§. 502.

Aversioni in corpore quid respondeat.

Aversioni animæ respondent conatus impediendi motus corporis & organorum ipsius, quibus obtinetur illius situs ad prævisam perceptionem necessarius, ubi vi ad eosdem impellimur (§. 496. 485. *rat.* 961. *emp.*), *atque motus contrarii, quibus impeditur, ne perceptioni prævisæ sit locus* (§. 484. *rat.*), *nisi eam cessare constet, omissis motibus ad situm corporis ad eandem requisitum necessariis* (§. 485 sq. *rat.*).

Plures casus præter eos, quos expendimus, non posse occurrere attendentibus patet. Etenim quando quid aversamur, aut tantummodo omittendæ sunt actiones externæ, ne ejus compotes reddamur, aut actionibus externis opus est, ut idem impediatur. Casus prior in alios plures non abit: in posteriori vero aut actiones externæ ad impediendam perceptionem prævisam per se necessariæ sunt, quatenus scilicet impossibile ut absque iis evitetur, aut saltem impossibile videtur, eam absque istis evitari posse; aut opponendæ sunt vi in casu nudæ omissionis actionum externarum, qua aliis nos ad actiones externas perceptioni prævisæ actuandæ sufficientes impellere conantur.

§. 503.

Appetitioni & aversioni quid respondeat in corpore & utramque prodat.

Appetitioni (§. 495. 489. 499.) *& aversioni* (§. 496. 489. 500.) *diversi in corpore sanguinis ac fluidi nervei motus respondent, & vultus, gestus atque vox utramque produnt* (§. 499 seq.).

Etsi autem eo usque non proficere soleamus, ut harmonicas vultus, gestus ac vocis cum appetitionibus ac aversionibus

animæ

animæ mutationes agnoscere & a se invicem discernere valeamus; id tamen non impossibile esse docet antiqua praxis in judiciis Sinarum olim recepta, qui ex vultu, gestu ac voce colligebant, utrum reus in judicio quæsitus veritati consentanea, an aliena respondeat. Qui enim quæsitus a veritate aliena respondet, veritatis confessionem aversatur, atque adeo vultus, gestus ac vox prodere debet istam aversionem, siquidem ex vultu, gestu ac voce eam conjectare velis. Ceterum cum istæ mutationes pendeant a voluptate vel molestia, quam anima percipit, atque adeo majores minoresve esse debeant pro majore minoreve gradu voluptatis vel molestiæ; observari imprimis poterunt, ubi anima voluptate majore impellitur ad appetendum, vel majore molestia retrahitur ad aversandum. Præterea cum nemo non in semetipso experiatur, si qua consuetudine adducti appetimus, vel aversamur, rationem determinantem appetitionis & aversionis non amplius clare percipi, quemadmodum percipiebatur, ubi prima vice quid appetebamus, vel aversabamur; mutationes quoque vultus, gestus ac vocis minores & vix conspicuæ evadunt, ubi appetendi & aversandi consuetudo adest, nisi vultus quoque, gestus atque vox aliquam contraxit consuetudinem utrique adhærentem. Quamobrem consultius est, ut prima experimenta capiamus in iis casibus, in quibus quid prima vice appetimus, vel aversamur, vel ubi longa deliberatio instituitur, antequam actus appetendi vel aversandi sequatur.

§. 504.

Affectus sunt conatus vehementiores producendi perceptiones prævisas, vel impediendi, quo minus producantur (§. 603. *emp.* 495 sq. *rat.*). Affectus in quonam consistant.

§. 505.

Conatus vehementiores producendi perceptiones prævisas sunt affectus jucundi (§. 504. 495. *rat.* 608. *emp.*); *conatus impediendi, quo minus producantur, sunt affectus molesti* (§. 496. *rat.* 609. *emp.*); *conatus vehementiores producendi perceptiones prævisas juncti aliis impediendi, quo minus quædam producantur, sunt affectus mixti* (§. 610. *emp.*). Affectuum differentia intrinseca.

§. 506.

An affectus vi repræsentativa universi fiunt superiores.

Affectus tam molesti, quam jucundi atque mixti ex vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, enascuntur (§. 609. 608. 610. emp. 498. 497. rat).

Pendent adeo affectus ab essentia atque natura animæ, neque adeo possibile est, ut eradicentur, nisi naturam & essentiam humanam tollere velis: id quod fieri non posse constat (§. 300. *Ont.*). Est tamen animæ imperium quoddam in affectus, quemadmodum in omnem appetitum sensitivum, quo impeditur, ne noceant, & quo hic ad consensum cum appetitu rationali reducatur, quemadmodum ex iis constabit, quæ de libertate dicentur.

§. 507.

Vehementia appetitus in affectibus jucundis unde fit.

In affectibus jucundis vehementia conatus enascitur ex multiplicitate tendentiarum ad diversas perceptiones prævisas (§. 605. 593. 591. emp. 505. rat.).

§. 508.

Confusus appetitus in affectibus jucundis.

In affectibus jucundis adest appetitus confusus (§. 507. 495. rat. 39. emp.).

§. 509.

Vehementia aversationis in affectibus molestis unde fit.

In affectibus molestis vehementia conatus enascitur ex multiplicitate conatuum impediendi diversas perceptiones prævisas (§. 605. 594. 592. emp. 505. rat.).

§. 510.

Confusa aversio in affectibus molestis.

In affectibus molestis adest aversio confusa (§. 509. 496. rat. 39. emp.).

§. 511.

Vehementia in affectibus mixtis unde.

In affectibus mixtis conatus vehementia nascitur ex multiplicitate conatuum perceptiones prævisas alias producendi, alias impediendi (§. 610. emp. 507. 509. 505. rat.).

§. 512.

Actus appetitus sensitivi in affectibus mixtis.

In affectibus mixtis confusus quidam actus in appetitu sensitivo oritur, qualis in affectibus simplicibus locum non habet (§. 610. emp. 508. 510. rat.).

Idea

Idea hujus actus, quatenus confusa est, affinitatem habet cum idea colorum. Dum enim colores percipimus, figurarum ac molium exiguarum motuumque multiplicium luminis perceptiones confunduntur in unum, cumque motus, figuræ ac moles particularum res prorsus diversæ sint, haud quaquam tamen actu mentis a se invicem distinguantur, idea colorum ineffabilis est, ita ut alteri intrinsecas, quas percipimus, determinationes enunciare haud valeamus. Similiter dum actum appetitus sensitivi appercipimus, seu ejus nobis conscii sumus, perceptiones prævisas complures ac a se invicem differentes ipsisque respondentes appetitiones atque aversiones simul appercipimus, quæ omnes in unum confusæ ideam actus appetitus ineffabilem ut ante gignunt. Idem quoque obtinet in appetitionibus atque aversionibus confusis, quorum illæ in affectibus jucundis (§. 508.), hæ autem in molestis locum habent (§. 510.). Quemadmodum autem Physica inservit perceptionibus confusis rerum naturalium ad distinctas reducendis, ut innotescant, quænam eidem insint, ita Psychologia rationalis in evolvendis ideis confusis, quarum ope anima seipsam cognoscit, occupatur, ut ad distinctam animæ cognitionem perveniatur: quæ sane cognitio maximam utilitatem spondet in praxi morali. Influunt enim confusæ perceptiones, appetitiones atque aversiones in actiones humanas, quas rationi conformiter ubi dirigere volueris, plurimum prodest nosse, quænam in istis contineantur.

§. 513.

Dum anima affectibus commovetur, conatibus producendi vel impediendi perceptiones prævisas convenientes motus in corpore observantur (§§. 603. emp. 501 sq. 504. rat.).

Quales motus in corpore affectibus respondeant.

Jam evicimus (§. 611. *emp.*), dum anima affectibus commovetur, sanguinem ac fluidum nerveum in corpore motu extraordinario agitari: sed præsens propositio ab ista plurimum differt: inservit enim ad motus diversis affectibus respondentes pro geniorum diversitate discernendos. Quamobrem cum ex eo, quod sanguis ac fluidum nerveum in corpore motu extraordinario agitetur, tantummodo in genere intelligatur, animam affectu agitari; præsens propositio affectuum speciebus dignoscendis inservit: id quod usus maximi est in ea philosophiæ moralis parte, quam artem conjectandi hominum mores dicimus.

§. 514.

Cur commotio sanguinis ac fluidorum in corpore confusa affectibus respondeat.

Affectibus animæ confusa sanguinis ac fluidorum in corpore commotio respondet (§. 507. 509. 511. 513.). Non fieri potest, ut motus contrarii una producantur, sanguinis ergo ac fluidorum motus in corpore confunditur, atque hoc pacto affectibus animæ confusa sanguinis ac fluidorum in corpore commotio respondet.

§. 515.

Appetitus sensitivi definitio realis.

Appetitus sensitivus est conatus producendi perceptionem prævisam, quatenus determinatur per ideam boni confusam isti adhærentem (§. 495. *rat.* 580. *emp.* 113. *Ont.*).

Habemus itaque definitionem appetitionis sensitivæ realem (§. 191. *Log.*). Ponamus te intueri vinum generosum vitro infusum & antea ex vini odore ac sapore voluptatem percepisse. Dum animum ad idem advertis, vi imaginationis resuscitatur idea saporis ac odoris grati ac inde porro memoriam subit voluptas ex utroque percepta (§. 109. 110. *Psychol. empir.*), & te alio tempore ex odore ac sapore grato voluptatem percepisse judicas (§. 281.). Eandem adeo voluptatem denuo perceptutus ad ideas saporis & odoris denuo producendas tendis. Et in hac tendentia ad perceptionem prævisam, determinata per memoriam voluptatis ex odore ac sapore percipiendæ appetitio sensitiva consistit. Quoniam in appetitu sensitivo non requiritur distincta boni cognitio; ideo nec opus est, ut tibi sigillatim omnium actuum mentis sis conscius, qui in determinationem actus appetendi influunt: sufficit ostendi posse, quod nonnisi iisdem præviis sequatur appetitio, nec absque iis intelligatur ejus genesis. Adhæret autem idea boni confusa per memoriam voluptatis.

§. 516.

Aversionis sensitivæ definitio realis.

Aversio sensitiva est conatus impediendi ne perceptioni prævisæ in nobis sit locus, quatenus determinatur per ideam mali confusam isti adhærentem (§. 496. *rat.* 582. *emp.* 113. *Ontol.*).

Habemus adeo aversionis sensitivæ definitionem realem (§. 191. *Log.*), quæ definitionem appetitionis in genere non supponit. Ponamus

mus te auditu percipere, quale sit vinum vitro infusum, & antea ex amaro ejus sapore molestiam percepisse. Dum ad vini qualitatem animum advertis, vi imaginationis resuscitatur idea saporis amari ac inde porro memoriam subit molestia, quam ex eo percepisti (§. 109. 110. *Psychol. empir.*) & te alio tempore ex sapore amaro molestiam percepisse judicas (§. 281.). Ne igitur eandem molestiam denuo percipias, saporis perceptionem in te impedire conaris. Saporis perceptio est ea, quam prævisam dicimus, & per memoriam molestiæ inde perceptæ idea mali confusa eidem adhæret.

CAPUT II.

DE

APPETITU ET AVERSATIONE RATIONALI, SEU DE VOLUNTATE ET NOLUNTATE.

§. 517.

Appetitio rationalis sive Volitio est conatus producendi perceptionem prævisam, quatenus determinatur per notionem boni distinctam, quæ cum perceptione ista cohæret (§. 880. *emp.* 495. 880. *emp.* 113. *Ont.*). Volitionis definitio realis.

Volitionis hic habemus definitionem realem, non supposita definitione reali appetitionis in genere (§. 191. *Log.*).

§. 518.

Aversio rationalis seu Nolitio est conatus impediendi perceptionem prævisam, quatenus determinatur per notionem distinctam mali, quæ eidem adhæret (§. 881 seq. *emp.* 496. *ration.*). Aversionis rationalis genesis.

Habemus adeo definitionem realem aversionis rationalis seu nolitionis, quæ definitionem aversionis in genere non supponit.

§. 519.

Voluntatis & noluntatis dependentia a vi universi repræsentativa.

Appetitus & aversatio rationalis sive voluntas & noluntas vim universi repræsentativam non excedit (§. 517.). Dirigitur adeo per notionem boni distinctam vis perceptiva animæ, seu universi repræsentativa, ad certam perceptionem, quam se habere posse sibi conscia est (§. 488.). Notio boni distincta est determinata quædam propositio universalis, qua ad perceptionem prævisam applicata prodit judicium discursivum, quo bona intelligitur perceptio prævisa, seu, quod perinde est, res eadem repræsentata. Quamobrem cum nullum judicium (§. 412.), immo nulla mentis operatio vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, excedat (§. 413.); directio conatus mutandi perceptionem præsentem in aliam per notionem boni distinctam, vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedit. E.

De aversatione rationali vide §. 518. 488. & mutatis mutandis huc voca, quæ modo de appetitu rationali dicebantur.

§. 520.

Determinatio naturalis facultatis appetitivæ.

Anima per essentiam & naturam suam bonum appetit, malum aversatur (§. 62. 66 sq. 488. 480. *rat.* 56 70. *Ont.* 554. 565. 558. 569. *emp.* 495. *rat.* 559. *emp.* 496 *rat.* 569 sq. *emp.*).

Ceterum per propositionem præsentem intelligitur, *ipsam rationem determinantem appetitus esse vi repræsentativæ universi, qualis in anima datur, convenientem.*

§. 521.

Voluntatis determinatio naturalis.

Quoniam anima quoque id appetit, quod vult (§. 880. *Psychol. empir.*), & aversatur, quod non vult positivo actu (§. 882. 884. *Psychol. empir.*); *anima* quoque *per essentiam suam atque naturam vult bonum, & non vult actu positivo malum* (§. 520.).

§. 522.

Lex appetitus & aversationis vi repræsentativæ universi conveniens.

Et quia lex appetitus est hæc propositio: quicquid nobis repræsentamus tanquam bonum quoad nos, id appetimus (§. 904. *Psychol. empir.*); lex vero aversationis hæc altera: quicquid nobis repræsentamus tanquam malum quoad nos, id adversamur

(§. 907.

(§. 907. *Psychol. empir.*); *lex appetitus & aversationis animæ essentialis atque naturalis est* (§. 520.), consequenter *in vi repræsentativa universi, qualis in anima datur, rationem sui sufficientem agnoscit* (§. 66. 67.).

§. 523.

In unaquaque anima series perceptionum diversa est a serie perceptionum animæ cujuscunque alterius. Homines aut eodem tempore vivunt, aut diverso. Ponamus duos homines eodem modo nasci ac interire. Quoniam omnes mutationes animæ a sensatione originem ducunt (§. 64.); si perceptiones omnes successive animæ inexistentes eædem esse debent, omnes quoque sensationes eædem esse debent. Quamobrem cum sensationes per essentiam atque naturam animæ a situ corporis in universo pendeant (§. 65. *Psychol. empir.* & §. 66. 67. *Psychol. rat.*); si in duabus animabus eadem perceptionum series esse debet, necesse est, ut corpora momentis singulis per omnem utriusque hominis vitam eundem prorsus habeant situm: quod fieri non potest.

Seriei perceptionum diversitas in diversis animabus.

Sint porro duo homines diverso tempore nati, & ponamus, eos singulis momentis vitæ suæ, a prima nativitate usque ad momentum mortis eundem prorsus in universo habere situm. Quoniam in universo nullum corpus alteri simile est, sive corpora, quæ inter se conferuntur, eodem tempore existant, sive diverso (§. 246. *Cosmol.*); fieri quoque haud quaquam potest, ut diversis temporibus idem spatium repleatur iisdem corporibus & omnia corpora reliqua, quæ ab homine in eodem constituto percipi possunt, sint prorsus eadem. Quamobrem cum sensationes pendeant a mutationibus, quæ organis sensoriis inducuntur a corporibus (§. 65. *Psychol. empir.*), diversa autem corpora easdem mutationes inducere nequeant eodem modo ad corpus organicum, quod ad animam spectat, relata; sensationes quoque in duabus istis animabus eædem sese mutuo constanter excipere nequeunt. Immo idem multo magis patet, si ponamus, duos istos homines momentis iisdem a nativitate computatis in diversis spatiis consistere & diversum ad corpora circumjecta situm obtinere. Quoniam vero mutationes ceteræ omnes, quæ in anima contingunt, a sensatione originem ducunt (§. 64.) per leges

leges in anterioribus explicatas; si sensationes fuerint diversæ, nec perceptiones ceteræ eædem esse poterunt.

Constat monstra bicorporea diversas a prima statim nativitate prodidisse appetitiones ac aversiones: quod non modo inde est, quod organa sensoria non fuerint ad eadem objecta simul relata, verum etiam a diversitate naturali facultatum mentis, quas in omnibus non esse easdem prorsus, sed licet genere eædem sint, suo tamen modo adhuc differre constat. A posteriori veritas propositionis præsentis multo clarius patet. Constat enim homines non nasci in eodem loco eodem momento, nec iisdem præditos esse inclinationibus ac dispositionibus naturalibus, multo minus eorum corpora eundem constanter ad eadem sensibilia habere situm. Unde nemo non intelligit, sensationes diversas esse debere eodem tempore in diversis hominibus. Illustrationis causa vide §. 198. *Cosmol.*

§. 524.

Diversitas seriei appetitionum & aversionum in animabus.

Quoniam appetitiones ex perceptionibus nascuntur & ad eas tendunt (§. 480. 495.); si perceptionum series diversa fuerit, appetionum quoque series diversa esse debet. Et idem eodem modo intelligitur de aversionibus. Quamobrem cum in unaquaque anima series perceptionum diversa sit a serie perceptionum animæ cujuscunque alterius (§. 523.); *in unaquaque anima series appetitionum & aversionum diversa est a serie appetitionum & aversionum, quæ datur in anima quacunque altera.* Unde patet, quod de elementis demonstravimus (§. 198. *Cosmol.*), adhuc luculentius, *unamquamque animam continere seriem perceptionum ac appetitionum atque aversionum, quæ diversa est a serie alterius cujuscunque animæ.*

§. 525.

Independentia appetitus a modo dependentiæ sensationum a corpore.

Appetitiones & aversiones eodem modo dependent a sensationibus, quocunque tandem modo sensationes a corpore dependeant (§. 64.). Quoad appetitum adeo & aversationem perinde est, quæcunque tandem fuerit sensationis præsentis causa, seu quæcunque fuerit ratio, cur positis hisce ideis materialibus in corpore ponantur hæ sensationes in anima (§. 114. *rat.* 851. *Ontol.*).

Propo-

Propositio præsens maximæ utilitatis est in momentis hypothesium, quas ad commercium inter corpus & animam explicandum excogitarunt philosophi, expendendis, præsertim ubi per indirectum aliquam impugnare volueris. Quodsi appetitio & aversio supponerent certam sensationum, unde pendent, a corpore dependentiam; sine ea intelligi minime possent: att nemo non novit, se probe capere posse, cur quid velit, vel nolit, aut cur quid appetat, vel aversetur, etsi nesciat quomodo sensationes a corpore dependeant, immo si vel maxime per errorem de eo statuat.

§. 526.

Libertas animæ independens est a modo, quo ad sensationes suas pervenit, seu a dependentia sensationum a corpore (§. 942. 941. *empir.* 495 sq. *rat.* 542. 518. *empir.* 64. *rat.* 851. *Ontol.*).

Libertatis independentia a dependentia sensationum a corpore.

§. 527.

Libertas influit in seriem perceptionum, seu ad eas determinandas concurrit. De volitione vide §. 517. *rat.* 113. *Ont.* 942. *emp.* de nolitione conf. §. 518. *rat.* 113. *Ont.* 942. *emp.*

Libertatis influxus in seriem perceptionum.

Quandonam sensationes, consequenter etiam ceteræ omnes, quæ hinc pendent mutationes (§. 64.), a libertate quoad actum pendeant, supra jam demonstravimus (§. 151. 152. 153.), & de sensationibus dicta etiam ad phantasmata facile transferuntur: id quod unusquisque in seipso quovis momento experiri potest.

§. 528.

Anima libera est, quia ratione prædita. Vide §. 941. 937. 542. 558. 898. *empir.* 517. *rat.* 554. *empir.* de eo, quando vult. Supponuntur adeo veritates universales, quæ ratiocinando ad appetibile propter inhærentem qualitatem seu relationem ad alia applicantur (§. 356. 360. & sqq. *Psychol. emp.*): quod vero rationis est (§. 494. *Psychol. empir.*). E. (§. 502. *Psychol. empir.*).

Anima cur sit libera.

De eo, quando non vult, vid. §. 518. *rat.* 937. 542. 569. 566. *empir.* Supponuntur hic denuo veritates universales, quæ ratiocinando ad aversabile propter inhærentem qualitatem seu

relationem ad alia applicantur (§. 356. 360. & seqq. *Psychol. empir.*): quod vero rationis est (§. 494. *Psychol. empir.*). E. (§. 502. *Psychol. empir.*).

§. 529.

Vis repræsentativa universi sufficiens Psychologiæ rationalis principium.

Ex vi repræsentativa universi situ corporis organici in universo materialiter, mutationibus organorum sensoriorum formaliter limitata ratio reddi potest omnium eorum, quæ de anima observantur. De sensationibus vide §. 67. *empir.* 78. *rat.* de imaginatione & memoria §. 181. 183. 92. *rat.* 175. *empir.* de intellectu §. 387. 413. *rat.* de ingenio §. 473. de arte inveniendi §. 478. de appetitu & aversatione sensitiva §. 497 sq. de rationali §. 519.

Nemo desideraverit, ut omnium eorum, quæ ad animam spectant, ratio immediate ex vi repræsentativa universi reddatur. Quemadmodum vero, quando phænomenorum corporis ratio ex structura ejus reddenda, ratio quoque habenda est regularum motus; ita similiter ad leges sensuum, imaginationis, intellectus & appetitus recurrendum, ubi ex vi repræsentativa universi ratio reddenda eorum, quæ ad animam spectant.

SECTIO III. DE COMMERCIO INTER MENTEM ET CORPUS.

CAPUT I. DE SYSTEMATIS EXPLICANDI COMMERCIUM INTER MENTEM ET CORPUS IN GENERE.

§. 530.

Systema explicandi commercium

Per *Systemata explicandi commercium inter mentem & corpus* intelligimus hypotheses philosophorum, quas excogitarunt

rum ad reddendam rationem commercii inter animam & corpus intercedentis. mentis cum corpore quid dicatur.

§. 531.

In systematis quoque *explicandi commercium inter mentem & corpus sumi possunt, quæ num revera ita sese habeant, demonstrari nondum potest, ut inde ratio reddatur eorum, quæ de hoc commercio indubia experientiæ fide constant, & hoc pacto via sternatur ad certam illius commercii rationem tandem inveniendam* (§.119 sq. *Disc. præl.*). Quænam in systematis istis sumi possunt eorumque usus.

Legi & ad præsens institutum applicari possunt, quæ de hypothesibus philosophicis in Horis subsecivis A. 1730. Trim. vern. num. I. p. 177. & seqq. disseruimus.

§. 532.

Si quod affertur systema explicandi commercium menti cum corpore intercedens, ex quo necessaria consequentia fluunt, quæ experientiæ indubitatæ contrariantur, non experientiæ, sed systematis falsitas inde concludenda (§. 119. *Disc. prælim.* 530. *rat.*). Falsitas istiusmodi systematis unde concludatur.

§. 533.

Si ex systemate aliquo explicandi commercium inter animam & corpus colligitur, quod propositioni cuidam veræ contradicit; systematis falsitas inde apparet (§. 527. 524. *Log.* 530. *rat.*). Alius modus eandem concludendi.

§. 534.

Si ex systemate aliquo explicandi commercium mentis cum corpore necessaria consequentia fluant errores; ideo quod inde fluant autori ejusdem imputari non possunt (§. 530.). Quodsi ergo contingat assumtum esse falsum, necessaria consequentia inde fluent quæ impossibilia (§. 96. *Ontol.*) seu falsa sunt (§. 478. *Log.*). Quoniam tamen autor systematis nondum sumit, absolute ipsum esse verum, sed tantummodo probabiliter judicat verum esse posse, ita tamen ut non excludatur formido oppositi; nulla quoque ratio est, cur affirmes, ipsum erroribus istis tanquam cum systemate suo necessario connexis necessario assentiri, propterea quod systemate posito admittendi quoque sunt isti errores. An errores ex systemate fluentes autori ejus imputari possint.

§. 535.

In imputandis erroribus proximus ad malitiam gradus.

Ergo *multo minus imputari poterunt errores, quos ex eodem fluere opinantur acumine sufficiente destituti (§. 534.).*

§. 536.

Libertatis a systemate de commercio inter mentem & corpus independentia.

Salvo quocunque Systemate de commercio inter mentem & corpus libertas defendi, & negari potest (§. 530. rat. 962. 949. 955. emp. 525 sq. rat.).

Experientia quoque propositionem præsentem confirmat. Constat enim, cum Systema influxus physici promiscue reciperetur, alios libertatem asseruisse, alios eandem impugnasse.

§. 537.

Suppositum commune omnium systematum.

In omni systemate de commercio mentis cum corpore supponendum, perceptiones rerum sensibilium in anima & motus voluntarios in corpore eo modo oriri ac si anima & corpus in se mutuo influerent, hoc est, ac si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore, & corpus vi sua produceret perceptiones rerum sensibilium in anima. Systema enim non alio fine conditur, quam ut inde ratio reddatur eorum, quæ de commercio animæ cum corpore experimur (§ 530.), consequenter cur anima objecta sensibilia percipiat, dum mutationem organis sensoriis inducunt, & motus corporis oriantur, quamprimum anima eos vult (§. 962. *Psychol. empir.*). Atqui ex §. 948. *emp.* coll. §. 898. *Ont.* perceptiones rerum sensibilium videntur effectus actione corporis in anima producti, atque adeo perceptiones rerum sensibilium in anima eo modo oriuntur, ac si corpus in animam ageret seu in eandem influeret.

Atque ex §. 953. *emp.* coll. §. 898 *Ont.* motus voluntarii in corpore videntur effectus actione animæ producti & cessationes motuum effectus pares videntur, atque adeo motus voluntarii in corpore oriuntur & cessant eodem modo, ac si anima vi sua eosdem produceret ac sisteret, consequenter in corpus ageret seu in idem influeret. E.

§. 538.

Num systemata influant in philosophiam practicam.

In gratiam systematis commercium inter mentem & corpus explicandi in philosophia practica nihil immutandum. Usus, qui per

per ſyſtema aliquod obtineri debet, exſtat §. 531. *rat.* 948. 953. *emp.* Enimvero cum in philoſophia practica principia pſychologica tantummodo applicentur ad praxin moralem atque civilem; ibidem ſufficit coëxiſtentiam perceptionum & mutationum in organis ſenſoriis, nec non motuum corporis & volitionum ac nolitionum animæ manifeſtam eſſe, conſequenter non aliud ſupponendum, quam mutationes animæ ac corporis harmonicas eodem modo fieri ac ſi anima & corpus in ſe mutuo influerent. In philoſophia itaque practica ſyſtemate nullo opus eſt, quo ad explicandum commercium inter animam atque corpus utuntur philoſophi, cumque in omni ſyſtemate ſupponendum ſit, perceptiones rerum ſenſibilium in anima ac motuum voluntariorum in corpore ita oriri, ac ſi corpus & anima in ſe mutuo influerent (§. 537.), in gratiam quoque iſtiusmodi ſyſtematis nihil prorſus in philoſophia practica immutandum.

§. 539.

Per *harmoniam mentis & corporis* intelligimus explicabilitatem perceptionum animæ per mutationes in corpore contingentes & motuum voluntariorum in corpore per volitiones ac nolitiones animæ, vel etiam appetitiones atque averſiones ſenſitivas ejusdem. *Explicabilitas* vero iſta in hoc conſiſtit, quod ex iis, quæ in corpore contingunt, intelligatur, cur tales jam ſint animæ perceptiones, ex appetitionibus vero ac averſionibus ſive ſenſitivis, ſive rationalibus, cur iſtiusmodi jam in corpore fiant motus ſpontanei, vel voluntarii, conſequenter quod ratio perceptionum ex iis, quæ in corpore fiunt, ratio autem motuum voluntariorum ac ſpontaneorum ex iis, quæ in anima accidunt, reddi poſſit (§. 56. *Ontol.*).

Harmonia mentis & corporis quid dicatur.

§. 540.

Datur harmonia mentis & corporis. Vide §. 85. *emp.* 62. 66 ſq. 111-113. 539. de ſenſationibus; §. 183. 182. *rat.* 93. *empir.* 206. 208. 126. *rat.* 92. 67. 59. *emp.* 539. *rat.* de imaginationis actibus; de memoria ſenſitiva & intellectuali vero confer §. 294. 296.

Harmoniæ animæ atque corporis exiſtentia.

296. 539. *rat.* de operationibus denique intellectus vide §. 416. 539. *rat.*

De appetitionibus & aversationibus sensitivis de volitionibus & nolitionibus lege §. 501 - 503. 513 seq. *rat.* 953. *emp.* 539. *rat.*

Propter hanc harmoniam nunc anima corporis, nunc corpus animæ interpres est, ita ut ex modificationibus animæ nunc colligantur modificationes corporis, nunc vero ex modificationibus corporis modificationes animæ, prouti aliæ aliis magis conspicuæ sunt, aliæ vero aliis magis latent.

§. 541.

Num harmonia mentis & corporis sit hypothesis.

Harmonia mentis & corporis hypothesis philosophica non est (§. 540. *rat.* 119. *Disc. præl.*).

§. 542.

Quid a systematis explicandi commercium animæ & corporis supponatur.

Omne systema explicandi commercium inter animam atque corpus intercedens supponit harmoniam mentis & corporis (§. 531. *rat.* 948. 959 sq. *emp.* 539. *rat.*).

§. 543.

Ratio harmoniæ animæ ac corporis unde reddenda.

Systema explicandi commercium inter mentem atque corpus quodcunque eo fine conditur, ut harmoniæ animæ ac corporis ratio reddi possit (§. 531. *rat.* 959 sq. 962 *empir.* 539. *rat.*).

§. 544.

Cur systemati explicandi commercium animæ ac corporis libertati inimica admisceri possint.

Si quis in Systemate explicandi commercium inter mentem atque corpus sumit, quæ libertati adversa sunt; is ea in favorem erroris de dependentia volitionum ac nolitionum a perceptionibus animæ eidem admiscet, cum abesse possent ac deberent (§. 536. *rat.* 941. *emp.*)

Ponamus e. c. esse nonneminem, qui cum fatalem omnium rerum necessitatem statuat, numerum actualium intra numerum possibilium coarctat & Deo rerum omnium supremo autori libertatem in creando adimit. Quodsi jam commercium deducat cum Cartesianis a modificationibus animæ & corporis harmonicis divina virtute immediate factis, atque adeo sumat, Deum ex necessitate naturæ suæ nonnisi harmonice modificare posse animam atque corpus; is systemati

ti *Cartesiano* admiscet, quæ libertati Dei atque hominum adversa sunt, nec ad systema spectant. Neque enim necesse est adimi vel Deo, vel animæ, multo minus utrique, omnem in agendo libertatem, ut ratio commercii per hoc systema pateat. Sufficit enim sumere, Deum modificare animam in gratiam corporis & corpus in gratiam animæ: utrum vero id faciat libere, an ex naturæ necessitate, de eo hic non est quæstio. Similiter sufficit sumere, Deum motus in corpore producere volitionibus animæ harmonicos, non autem jam quæstio est, num ista animæ volitio, in cujus gratiam Deus motus istos producit, sit libera. Non igitur systemati imputandum est, quod vitio ejus tribuendum, qui idem amplectitur.

§. 545.

Nullum systema explicandi commercium inter mentem atque corpus scripturæ sacræ adversum esse potest (§. 530. 537.), nisi eidem admisceantur errores, qui abesse & possunt & debent (vid. illustrationis causa §. 544.). An possit SS. contradicere.

Nimirum tum demum fieri posset, ut systema aliquod ad explicandum commercium inter mentem atque corpus excogitatum, scripturæ sacræ contradiceret, si eadem alicubi rationem redderet commercii istius, hoc est, distincte explicaret, undenam sit, ut positis mutationibus in organis sensoriis atque hinc pendentibus ideis materialibus in cerebro ponantur in anima perceptiones & vicissim positis animæ appetitionibus ponantur motus spontanei ac voluntarii in corpore. Enimvero nullus monstrari potest scripturæ locus, in quo hæc doceantur. Neque etiam finis scripturæ sacræ postulat, ut commercii animæ cum corpore intercedentis exponatur ratio, quemadmodum nemo non videt.

§. 546.

Theologi adeo *non interest, quodnam de commercio inter mentem ac corpus systema defendat philosophus (§. 545.)*; cumque non inutile sit systemata quæcunque excoli & in foro philosophico de iisdem disputari *(§. 531.)*, *Theologus* etiam *philosopho suam statuendi libertatem illæsam relinquere potest.* Theologi officium circa ista systemata.

§. 547.

§. 547.

An vis repraesentativa universi conveniat omni systemati commercii.

In omni systemate explicandi commercium animae & corporis supponendum, essentiam atque naturam animae in vi repraesentativa universi pro situ corporis organici in universo convenienter mutationibus, quae in organis sensoriis contingunt, consistere (§. 532 sq. 63. 66 sq.).

§. 548.

An eidem contraria systemati commercii admisceri possint.

Quoniam fieri potest, ut *systemati alicui explicandi commercium animae & corporis* admisceantur errores, qui ab eodem abesse possunt atque debent (§. 544.); *nec repugnat eidem admisceri, quae doctrinae de essentia & natura animae* supra stabilitae *adversantur, ubi quis de eadem perperam sentit.*

Vulgo anima quasi nudis facultatibus instructa consideratur, quae cum in nuda agendi potentia consistant, excitatione opus habent, antequam sequi possit actio. Huic igitur hypothesi consentanea suis etiam systematis de commercio inter animam atque corpus intercedente admiscent, nulla tamen urgente necessitate, sed hypothesium tantummodo connectendarum gratia.

§. 549.

An theoria anterior psychologiae rationalis systema aliquod commercii supponat.

Theoria psychologiae rationalis vi repraesentativae universi situ corporis organici materialiter, mutationibus organorum sensoriorum formaliter limitatae superstructa ab omni systemate explicandi commercium animae atque corporis independens est, nec in ullius gratiam quicquam in eadem immutandum (§. 63. 547.).

§. 550.

Materialistarum de animae & corporis harmonia sententia.

Materialistae nullam harmoniam animae atque corporis admittunt (§. 33. 35.): *Idealistae vero non admittunt nisi apparentem* (§ 36 sq. 540.).

Patet igitur Idealistas propius accedere ad veritatem, quam Materialistas, & ab eorum hypothesi nihil periculi imminere Psychologiae rationali. Integram enim Idealista retinere potest ac debet, qualem ante dedimus, nisi quod semper supponat, quae de modificationibus corporis harmonicis traduntur, non revera ita sese habere, sed tantummodo

modo apparere propter ideam corporis quam habemus. Non fallit hypothesis Idealistarum in eo, quod ideam corporis nostri organici habeamus & quod vi hujus ideæ cognoscamus modificationes corporis harmonicas modificationibus animæ, minime vero has ideo intelligamus, quod corpora revera existant: in eo tantummodo a vero aberrant, quod cognitionis nullum sit objectum reale.

§. 551.

Materialistæ (§. 33. 35. 531. 543.) *& Idealistæ* (§. 36. 531. 543.). *Nullo opus habent systemate explicandi commercium inter mentem & corpus.* Utrumque etiam patet ex §. 550. 543. *rat.* 6. *Ont.* Cur Materialistæ & Idealistæ nullo opus habeant systemate commercii.

§. 552.

Philosophi est investigare systema explicandi commercium inter mentem & corpus (§. 25. *Disc. præl.* 4. 530. 543. *rat.*). An philosopho incumbat systematis de commercio investigatio.

§. 553.

Tria hodie in philosophia occurrunt systemata explicandi commercium, quod inter animam atque corpus intercedit, scilicet systema influxus, systema causarum occasionalium & systema harmoniæ præstabilitæ. Sane usque ad tempora *Cartesii* systema influxus physici in scholis philosophorum solum erat, quod docebatur. *Cartesii* autoritate accessit systema causarum occasionalium. *Leibnitius* denique addidit systema harmoniæ præstabilitæ. Si quis in diversis istis systematis quandam partem probat, aliam rejicit, & ad diversa spectantia miscet: eum in præsente non moramur. Quot dentur systemata explicandi commercium inter mentem & corpus.

§. 554.

Qui profitetur se ignorare rationem commercii animæ atque corporis; ei nullum de hoc commercio systema est (§. 530.). An detur systema ignorantiæ de commercio animæ & corporis.

§. 555.

Systema explicandi commercium animæ atque corporis possibile est. Commercium animæ atque corporis dari admisso Dualismo certum est (§. 39. *Psychol. ration.* & 961. 962. *Psychol. empir.*). Idealistæ enim & Materialistæ, qui Monistæ sunt (§. 34. 37.), Possibilitas systematis de commercio evicta.

37.), nullo systemate habent opus (§. 551.). Quoniam itaque eorum omnium, quæ sunt, ratio reddi potest, cur sint potius quam non sint (§. 70. *Ontol.*); necesse est rationem quoque dari commercii, quod inter animam atque corpus intercedit. Jam vide §. 530. *rat.*

§. 556.

Fallax systema de commercio.

Qui explicandi commercii inter animam & corpus intercedentis causa sumit, animam in corpus & vicissim corpus in animam agere, modum tamen agendi ignorari affirmat; ei nullum de hoc commercio systema est (§. 949. 955. *emp.*).

§. 557.

Dissensus circa commercium animæ & corporis apparens sublatus.

Qui profitetur se ignorare rationem commercii animæ & corporis & qui ejus explicandi causa sumit mutuas corporis & animæ in se invicem actiones, modum tamen agendi ignotum pronunciat; idem revera sentiunt (§. 949. 955. *emp.*).

Unde mirum non est, quod utrique nullum sit systema explicandi commercium animæ atque corporis: sed uterque in iis subsistat, quæ experientia magistra de hoc commercio nobis innotuerunt.

CAPUT II.

DE

SYSTEMATE INFLUXUS PHYSICI.

§. 558.

Influxus physicus quid sit.

Substantia una dicitur *physice influere* in alteram, si quædam realitas, quæ inerat uni substantiæ, transfertur in alteram, cui ante non inerat.

Istiusmodi influxus vulgo admittitur in motu corporum. Etenim dum corpus A incurrit in corpus B quiescens & idem ad motum concitat, post conflictum minorem vim habet quam ante eundem & ex adverso

verso corpus B, quod in quiete vi istiusmodi carebat, post conflictum aliqua præditum est. Videtur itaque pars quædam vis motricis per conflictum ex corpore A in corpus B transfusa & hæc vis motricis ex uno corpore in alterum transfusio influxus physicus dici solet.

§. 559.

Hinc *corpus* nostrum organicum *physice influere* dicitur *in animam*, quatenus ex corpore quædam in animam transfertur realitas, quæ cum ante corpori inesset, nunc insit animæ. Et vicissim *anima physice influere* dicitur *in corpus*, quando in eandem transfert quandam realitatem, quæ ante non inerat. **Influxus physicus mutuus corporis & animæ in se invicem quid sit.**

§. 560.

Systema influxus physici dicitur, quo commercium inter mentem & corpus explicatur per influxum physicum corporis in animam & animæ in corpus, seu, quod perinde est, per actionem corporis in animam, qua corpus in animam influit, & per actionem animæ in corpus, qua anima in corpus influit. **Systema influxus quid sit.**

§. 561.

Influxionista dicitur, qui systema influxus physici defendit. **Influxionistæ definitio.**

§. 562.

Qui explicandi commercii inter animam & corpus intercedentis causa sumit, corpus in animam ac vicissim animam in corpus agere, modum tamen agendi ignorari, Influxionista non est (*§. 558. not. 560 seq.*) Idem patet §. 556 sq. 553. 561. **Cum influxionistis quinam non confundendi.**

§. 563.

Aristotelico-Scholastici sunt Influxionistæ. Aristotelici enim & *Scholastici* causam in genere definiunt per principium per se influens esse in aliud substantive. Jam in actione consistit causalitas causæ efficientis (§. 886. *Ontol.*). Unde actionem vocant influxum agentis in terminum & eam causam efficientem actu & formaliter influentem facere affirmant. Præterea animæ tribuunt actionem in corpus & animam considerant tanquam motuum **Aristotelico-Scholastici num sint Influxionistæ.**

causam efficientem, eique propterea facultatem locomotivam tribuunt: de quo nemo dubitat. Similiter iidem corpori tribuunt actionem in animam, qua producuntur perceptiones sensibilium, atque propterea corpori tribuitur vis agendi in animam. Quamobrem admittunt animam in corpus, corpus in animam agere influendo seu per physicum influxum. E. (§. 560 sq).

§. 564.

Num systema influxus sit hypothesis philosophica.

Systema influxus physici hypothesis philosophica est (§. 560.). Enimvero actio animæ in corpus & vicissim corporis in animam experientia probari nequit (§. 949. 955. *Psychol. empir.*), neque ullus a priori ex natura corporis atque animæ, aut ex principiis aliis eam demonstravit, multo minus hucusque probatum est, vel in genere omnem actionem substantiæ unius in alteram vel in specie actionem animæ in corpus & corporis in animam per influxum physicum fieri. E. (§. 119. *Disc. præl.*).

§. 565.

Quanam vi corpus & anima instructa sint in systemate influxus physici.

In systemate influxus physici anima vi quadam prædita est movendi corpus, seu producendi motum organorum corporis appetitionibus atque aversionibus suis convenientem & corpus præditum est vi quadam producendi perceptiones rerum sensibilium in anima (§. 560. *rat.* 962. 953. 948. *emp.* 717. 723. *Ont.*).

§. 566.

Anima num corpus moveat & quo modo ipsa percipiat.

Juxta systema igitur *influxus physici anima movet corpus vel organa corporis & cerebrum producit perceptiones rerum sensibilium in organa sensoria agentium;* quia scilicet perceptiones rerum sensibilium seu sensationes ideis materialibus in cerebro coëxistunt (§. 113.).

§. 567.

Influxus animæ in corpus qualis sit.

Si anima physice influit in corpus, vis quædam animæ transit in corpus & in eo abit in motricem (§. 559.). Quamobrem cum juxta systema influxus physici anima moveat organa corporis (§. 566), movens autem in mobile transfert vim motricem, dum idem ad motum concitat; anima quoque juxta istud systema vim motricem in corpus transferre debet, quæ ante non inerat. Enim-

Enimvero vis motrix, quæ in motu locali deprehenditur, corporea est seu talis, quæ in corporibus tanquam compositis locum habet, nec in anima, quæ substantia simplex est (§. 48.), locum habere potest. Quoniam itaque ex anima in corpus ea forma transire nequit, qualis in corpore deprehenditur; necesse est, ut, dum in corpore recipitur, in motricem abeat.

§. 568.

Qualis sit influxus physicus corporis in animam.

Si corpus physice influit in animam, vis quædam motrix transit ex corpore in animam & in eadem transformatur in aliam (§. 559.). Quamobrem cum juxta systema influxus physici corpus vi sua producat perceptiones rerum sensibilium in anima (§. 565.), seu ideas sensuales (§. 95. *Psychol. empir.*); ideæ autem sensuales ideis materialibus coëxistant (§. 113.), & hæ quidem in motu quodam ex nervo sensorio, cui ab objecto sensibili impressus fuerat, ad cerebrum propagato consistant (§. 112.), cui vis motrix adhæret ipsis evanescentibus & ipsa evanescens; quod ex corpore in animam transfunditur aliud quid esse nequit, nisi hæc ipsa vis motrix. Enimvero vis motrix istiusmodi est, quæ animæ tanquam substantiæ simplici parum convenit. Necesse igitur est, ut, dum ex corpore in animam transit, in aliam transformetur.

§. 569.

Effectus vis ex corpore in animam influentis.

Si corpus physice influit in animam, vis ex corpore in animam transiens dirigit vim animæ & gradum ejus determinat in intuenda idea universi, ut scilicet data claritate percipiantur quæ in organa sensoria agunt, seu, animam determinat, ut legem sensationum observet. Anima enim vi quadam prædita est (§. 53.), qua actuantur omnia, quæ per facultates ejus in eadem possibilia intelliguntur (§. 55.). Vide eum in finem §. 61. *rat.* 65 sq. 959. *emp.* Jam anima continuo ad status sui mutationem tendens (§. 56.), vi sibi essentiali (§. 66.) & naturali (§. 67.), continuo producit ideam totius universi (§. 190.), sed eam integram simul intueri (§. 194.), adeoque omnia, quæ eidem insunt, clare percipere nequit (§. 195.); necesse igitur est, ut, si corpus physice influit in animam, vis ex corpore in animam transiens eandem determinet ad clare percipiendum ea, quæ mutationem organis

ſenſoriis inducunt, conſequenter ipſam in intuenda idea univerſi dirigit (§. 193.). Et quia claritas idearum ſenſualium a celeritate motus nervis ſenſoriis impreſſi pendet (§. 125.); majore vi ex corpore in animam transfuſa perceptio clarior eſt, minore autem in eandem transeunte minor, conſequenter vis ex corpore in animam tranſiens vis animæ determinat gradum, ut dato claritatis gradu ſenſibile percipiat. Jam cum lex ſenſationis requirat, ut hoc, quod in organum ſenſorium agit, ſenſibile clare percipiatur, & hoc potius claritatis gradu quam alio (§. 85. *Pſych. empir.*), nempe qui reſpondet gradui celeritatis motus fibrillis nerveis in organo impreſſi (§. 125.), & ad cerebrum usque propagati (§. 111. 113.); animæ vis vi ex corpore in eam transeunte determinatur ad legem ſenſationum obſervandam (§. 113. *Ont.*).

§. 570.

Influxus phyſici neceſſitas.

Quoniam vis ex corpore in animam tranſiens vim ejusdem determinat ad obſervandam legem ſenſationis (§. 569.); *influxus phyſicus neceſſarius videtur ad intuitum ideæ univerſi ſeu mundi adſpectabilis in anima exiſtentis & easdem mutationes ſubeuntis, quas mundus adſpectabilis ſubit (§. 192.).*

Patet itaque per theoriam ſuperiorem de anima novum quoddam robur acquirere ſyſtema influxus phyſici. Etenim cum anima ideam integram totius mundi adſpectabilis continuo producat (§. 190.), quam integram ſimul intueri nequit (§. 194.), ac ideo legem ſenſationis obſervare teneatur (§. 217.); per ſe non determinata videtur ad legem ſenſationis in intuenda idea univerſi obſervandam, conſequenter principium aliquod determinans requiritur: quale cum ſit influxus phyſicus (§. 569.), ejus inde colligitur neceſſitas, anima ſcilicet a corpore recipiente, quod in ſe non habet. Quodſi demonſtrari poſſit animam ad quamlibet perceptionem claram per ſe indifferentem non alio modo in intuitu univerſi dirigi poſſe, quam corpore in animam influente; cum directionis adeſſe debeat ratio ſufficiens (§. 70. *Ontol.*), influxus phyſicus foret demonſtratus.

§. 571.

Influxus phyſici animæ effectus in corpore.

Si anima in corpus phyſice influit, fluidum nerveum dirigit ad influendum per nervos ſenſorios in muſculos, quibus motus in corpore perficitur (§. 567.).

§. 572.

Quoniam in corpore sano nervi sensorii quovis momento ita sunt dispositi, ut fluidum nerveum ad musculos per eos derivari possit, & fluidum nerveum, quod in cerebro est, per se indifferens est ad influendum in omnes nervos sensorios, quos ex cerebro per totum corpus propagari ex Anatomia constat; necesse est, ut adsit principium quoddam determinans directionem fluidi nervei, ut in nervos sensorios fluat ad eos musculos tendens, quibus perficitur motus nutui animæ conveniens (§. 70. *Ontol.*). Quamobrem cum vi animæ in corpus influente fluidum nerveum dirigatur ad influendum per nervos sensorios in musculos, quibus motus in corpore perficitur (§. 571.); *influxus physicus videtur ad motus spontaneos ac voluntarios in corpore determinandos necessarius.* Necessitas influxus physici in corpore.

§. 573.

Influxus physici nullam habemus notionem (§. 567. 569.). Quamobrem qui influxus physici notionem habet, is notionem habere debet & transfusionis virium ex una substantia in alteram, & vis perceptivæ in motricem ac motricis in perceptivam transmutationis, nec non variationis directionis & gradus vis perceptivæ notionem habere debet vel confusam, vel distinctam. Atqui quid observes, legi potest §. 949. 955. *emp.* Cum vero notiones confusæ a sensu ortum ducant, consequenter experientiæ debeantur (§. 634. *Log.*); nullam quoque notionem confusam transfusionis virium ex una substantia in alteram, neque ullam transmutationis vis perceptivæ in motricem & vice versa motricis in perceptivam, multo minus aliquam variationis directionis atque gradus vis perceptivæ per infusam motricem habemus. Influxus physici notionem nullam habemus.

Porro nemo fuit hactenus, qui modum explicare potuerit, quo vis motrix ex corpore in animam transfunditur ibique in perceptivam mutatur, ac per eandem vis animæ essentialis directio atque gradus mutatur, & quo vis animæ in corpus transfunditur atque in eo in motricem transformatur. Atqui hunc modum nosse debebas, si de notione distincta harum rerum gloriaris (§. 87. *Log.*).

Quo-

Quoniam itaque nec distinctam, nec confusam habemus notionem eorum, quæ notionem influxus physici ingredi debent, obscuræ vero notioni hic locus esse nequit, prout per ipsam ejus definitionem claret (§. 79 *Log.*); ideo nullam influxus physici corporis in animam & animæ in corpus notionem habemus.

Idem quoque a posteriori probatur. Quodsi vero distinctam istius influxus notionem tibi habere videris, eam aliis explica.

Quod neque experimur, neque a priori demonstrare possumus, ejus nullam habemus notionem, notionum quippe realitate vel a priori, vel a posteriori evincenda. Eorum adeo, quæ influxum physicum ingrediuntur, consequenter ipsius influxus physici, notionem nullam habemus.

§. 574.

Influxus physici inexplicabilitas.

Influxus physicus intelligibili modo explicari a nobis nequit (§. 573.).

§. 575.

Influxus physici incertitudo unde constet.

Influxus physicus non potest rejici tanquam falsus, quod ejus nullam habeamus notionem, seu eam nec a posteriori, nec a priori probare valeamus; recte tamen ideo pro incerto habetur. Tanquam falsum enim rejiciendum esset, cujus ideam nullam habemus, seu quod nec experimur, nec demonstrare valemus, consequenter quod utrum confictum, an possibile sit, ignoramus. Quod absurdum est.

Enimvero quamdiu nobis nondum constat, an vis motrix ex corpore in animam, vis animæ in corpus ex anima transire ac illa in perceptivam, hæc in motricem mutari possit, tamdiu ignoramus, utrum influxus physicus possibilis sit, an impossibilis, consequenter an verus sit, an falsus (§. 518. *Log.*). Pro incerto igitur recte habetur (§. 535. *Log.*).

§. 576.

Vis motricis per influxum physicum extinctio.

Si corpus physice in animam influit, vis aliqua motrix, quæ materiæ cuidam inhærebat, in gratiam animæ perit (§. 568. 112 sq.).

§. 577.

Si anima physice influit in corpus, vis aliqua motrix oritur, quæ antea nulli materiæ inhærebat in gratiam animæ (§. 567.). Vis motricis per influxum physicum ortus.

Nemo in dubium vocat, motu novo producto in mundo materiali absque corporum conflictu, vim motricem produci. Quodsi ergo vi animæ producatur motus, inerit materiæ ad motum concitatæ aliqua vis, quæ in eandem ex materia alia non fuit derivata, adeoque ab anima demum producta.

§. 578.

Si anima in corpus & corpus in animam physice influit; in toto universo non semper conservatur eadem virium vivarum quantitas (§. 577. 576. rat. 357. Cosm.). Influxus physici cum conservatione virium vivarum pugna.

§. 579.

Influxus physicus ordini naturæ adversus (§. 578 rat. 487. 558 sq. 303. Cosm. 851. Ont.). Influxus physicus naturæ ordini repugnans.

§. 580.

Quoniam influxionista non est, qui explicandi commercii inter animam & corpus intercedentis causa sumit, corpus in animam & vicissim animam in corpus agere, modum tamen agendi ignorari (§. 562.), vel actionem corporis in animam & vicissim animæ in corpus fieri per influxum negat (§. 561.); ejus quoque *sententia de actione mutua corporis atque animæ in se invicem citra influxum physicum ordini naturæ adversa non est, propterea quod influxus physicus eidem adversatur (§. 579.).* Idem patet ex §. 557. Cautio adhibenda ne contra influxum physicum dicta perperam applicentur.

Sunt hodie bene multi, qui influxum physicum cum mutua actione corporis & animæ in se invicem nobis ignota confundunt sumentes istiusmodi actionem tanquam experientia claram per vitium subreptionis (§. 949. 955. *Psychol. empir.* & §. 638. *Log.*), quamvis ultro fateantur sese nescire, qualis sit ista actio & quomodo fiat. Quamobrem quæ contra influxum physicum in medium afferuntur, ea perperam sibi dicta putant, cumque revera idem sentiant cum illis, qui rationem commercii animæ atque corporis se ignorare profitentur (§. 557.), in iis ac-

quiescentes quæ experientia discimus, inde inferunt naturæ ordini adversa dici, quæ in natura rerum fieri pro explorato habere debemus.

§. 581.

Influxus physicus notioni virium contrarius.

Systema influxus physici notioni virium adversum. Vis motrix enim phænomenon est substantiatum (§. 300. *Cosmol.*), adeoque substantiæ instar apparet (§. 299. *Cosmol.*), consequenter substantia non est. Quamobrem fieri non potest, ut vis motrix ex corpore in animam transfundatur. Quoniam itaque vi influxus physici vis quædam motrix ex corpore in animam transit (§. 568.); systema influxus physici notioni virium adversum.

Notio virium supponit notionem elementorum, tanquam substantiarum simplicium (§. 180. 181. *Cosmol.*). Quamobrem vel hinc concluditur, systema influxus physici notioni quoque elementorum repugnare.

§. 582.

Qualis sit influxus physicus.

Si influxum physicum animæ in corpus & corporis in animam tanquam rationem commercii inter mentem atque corpus alleges, qualitas occulta est (§. 567 sq.). Influxum adeo physicum nobis imaginamur tanquam transfusionem virium ex una substantia in alteram, adeoque tanquam animæ ac corporis quandam qualitatem (§. 455. *Ontol.*). Enimvero cum nullam actionem animæ in corpus & corporis in animam (§. 949. 955. *Psych. empir.*), adeoque nec transfusionem virium ex una substantia in alteram observemus; a posteriori non constat influxum physicum dari. Quoniam vero nullam ejus habemus notionem (§. 573.), nec a priori ejus possibilitas evinci potest, quin potius cum ordini naturæ (§. 579.) & notioni virium adversetur (§. 581.), omni prorsus probabilitate destituitur, quod insit, & rectius inde quod non insit colligitur; minime sane intelligitur, quod influxus physicus mutuus animæ ac corporis in se invicem substantiis istis insit, adeoque sumitur tanquam qualitas ratione sufficiente destituta (§. 56. *Ontol.*). F. (§. 189. *Cosmol.*).

§. 583.

Influxus physicus animæ in corpus & corporis in animam terminus inanis est (§. 573. rat. 37. Log.).

Influxus physicus cur sit terminus inanis.

§. 584.

Systema influxus physici in Psychologia rationali nullum habet usum (§. 573.). Per systema igitur influxus physici coexistentiæ illius, consequenter commercii animæ ac corporis (§. 962. *Psychol. empir.*), rationem reddere nequis (§. 56. *Ontol.*). Atqui vide §. 4. 530. *rat.*

Inutilitas influxus physici in Psychologia rationali.

§. 585.

Systema influxus physici in philosophia quoque practica & Theologia nullum habet usum (§. 962. *emp.*). In Theologia & Philosophia practica non alius esse potest theoriæ de commercio animæ atque corporis usus, quam ubi quæritur, quid fieri debeat, ut anima percipiat, quæ ipsam percipere volumus, & quid vicissim faciendum, ut membra corporis totumque corpus eo moveatur modo, quo moveri ea volumus, vel ne moveantur eo modo, quo eadem moveri nolumus. Quoniam perceptio, qua sensibile in organum agens repræsentatur, eo ipso momento oritur, quo idem in organum sensorium rite constitutum agit (§. 948. *Psychol. empir.*); si quid ab anima percipi volueris, curandum tantummodo est, ut in organum sensorium agat, quod quandonam fiat, experientia obvia magistra didicerunt omnes. Minime igitur opus est, ut ad ortum perceptionis ex idea materiali in cerebro quicquam conferas (§. 113.). Quamobrem si influxus physicus corporis in animam vel maxime verus esset, adeoque vis quædam motrix ex corpore in animam transiret in eadem transformanda (§. 568.); nihil tamen a te fieri posset, immo nec deberet, quo transitus iste juvaretur, cum in ideam materialem sensibilis, quæ in cerebro existit, nulla tibi sit potestas, nisi quatenus mutatio, quæ organo sensorio inducitur, potestati tuæ subjicitur, ab eadem vero tantummodo pendeant ideæ materialis actualitas & qualitates. Quoniam vero istius transitus ne ullam quidem habemus notionem (§. 573.), sed is sine mente sonus est (§. 583.); ne somniare quidem licet de transitu vis motricis ex idea materiali in cerebro existente in ani-

Inutilitas systematis influxus physici in philosophia practica & theologia.

mam juvando, ut perceptioni animæ insint, quæ absque isto adjumento non inessent. E.

Similiter quoniam organorum quorundam corporis motus statim consequitur, quando anima eosdem vult, tamdiu durant, quamdiu anima eosdem vult, & exemplo sistuntur, quamprimum anima eosdem non vult (§. 953. *Psychol. empir.*); si efficere volueris, ut quædam corporis organa certo quodam modo moveantur, vel etiam totum corpus aliquo transferatur, curandum tantummodo erit, ut anima motum istum sive organi alicujus, sive corporis totius velit. Minime igitur opus est, ut ad ortum motus in corpore ex volitione animæ quicquam conferas. Quamobrem si influxus physicus animæ in corpus vel maxime verus esset, adeoque vis quædam animæ in corpus transiret ibidem in motricem transformanda (§. 567.): nihil tamen a te fieri posset, immo nec deberet, quo transitus iste juvaretur, cumque transitus hujus nullam habeamus notionem (§. 573.), sed sit hactenus sine mente sonus (§. 583.); ne somniare quidem datur de eodem juvando, ut ad nutum animæ sequatur motus, non ita secuturus absque nostro auxilio. E.

§. 586.

Inutilitas omnis systematis in philosophia practica & theologia.

Quoniam demonstratio propositionis præcedentis mutatis mutandis ad quodvis aliud systema de commercio inter mentem atque corpus intercedente applicari potest; in genere liquet, *nullum systema explicandi commercium animæ ac corporis in philosophia practica & Theologia aliquem habere usum.*

Atque hinc patet ratio, cur scriptura sacra non doceat veram commercii animæ atque corporis rationem: quam a nobis ignorari passus non fuisset Deus, siquidem ejus cognitio homini apprime necessaria esset. Vid. §. 538.

§. 587.

An systema influxus physici experimento subjici possit.

Systema influxus physici experimento subjici nequit (§. 558. 568 seq. 567.). Experimento definiturus, utrum influxus physicus detur, nec ne, inquirere deberet, num perceptionibus animæ aliquid insit, unde ostendi potest eas potius vi corporis

poris in animam influente, quam aliquo quocunque modo produci, vel efficere teneretur, ut transitum vis motricis in animam vel ejus transformationem perciperet, & quoad alteram hujus influxus partem motus spontaneos & voluntarios attenta mente perpendere opus haberet, num quibusdam saltem aliquid inesse deprehendatur, unde deduci potest eas vi animæ in corpus transfusa potius produci, quam alio quocunque modo, vel denique necesse esset, ut transitum vis animæ in corpus aut ejus transformationem perciperet. Enimvero in omni systemate, adeoque quæcunque tandem commercii animæ ac corporis detur ratio (§. 530.), supponendum perceptiones rerum sensibilium in anima & motus voluntarios in corpore eo modo oriri ac si anima & corpus in se mutuo influerent, hoc est, ac si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore & corpus vi sua produceret perceptiones rerum sensibilium in anima (§. 537.). Perceptionibus igitur nil inesse potest, unde deducatur, an vi potius corporis, quam alio quocunque modo producantur, nec motibus corporis & organorum ipsius inesse quicquam potest, unde ostendi queat, eos potius vi animæ, quam alio quocunque modo produci, nemine scilicet in dubium vocante, nisi experientiæ manifestæ contradicere velit, perceptiones tales esse, ut possint censeri effectus vi corporis producti, & motus quoque voluntarios tales deprehendi, ut non repugnet eos esse effectus vi animæ productos. Enimvero nullam corporis in animam (§. 949. *Psychol. empir.*), nullam animæ in corpus actionem (§. 955. *Psych. emp.*) observamus, quantamcunque attentionem & quantumcunque acumen ad observandum afferamus, cum præter coexistentiam mutationum harmonicarum corporis & animæ nil quicquam percipiatur (*§. §. cit.*). Multo minus igitur observare licet, num actionibus istis talia insint, unde transitum virium ex una substantia in alteram & earum transmutationem colligere licet. Nullo autem modo apparet, unde quis spem concipere debeat fore, ut ipsum transitum virium earumque transformationem immediate percipiat. E. Adde §. 579.

§. 588.

Systema influxus physici omni probabilitate destituitur (§. 579.). **Systematis influxus improbabilitas.**

579.). Probabile vero non est, Deum autorem rerum sapientissimum, ita constituisse naturæ ordinem, ut in gratiam animæ continuo sit turbandus.

Idem patet ex §. 567 seq. 581. *rat.* coll. §. 56. *Ont.*

Qui exceperunt, legem (§ *579.* allatam) esse corporum in se invicem agentium, nil vero obstare, quo minus corpori in animam & animæ in corpus agendi præscripta sit lex alia; argumenti contra influxum physicum allati vim non satis perceperunt. Neque enim hic ad naturæ legem de conservanda eadem virium vivarum quantitate provocatur, quatenus modum agendi corporibus in se invicem præscribit, sed quatenus ordinem naturæ determinat. Ecquis urgeret eundem agendi modum observari debere a corpore in animam vel ab anima in corpus agente, quem corpori in sui simile agenti præscriptum ab autore naturæ deprehendimus, nisi contrario agendi modo naturæ ordo perturbaretur? Exceptio igitur ista, utut omni specie non destituta, si rem arduam obiter consideres, scopum minime ferit.

CAPUT III.
DE
SYSTEMATE CAUSARUM OCCASIONALIUM.

§. 589.

Systematis causarum occasionalium definitio.

Systema causarum occasionalium dicitur, quo commercium inter mentem & corpus explicatur per modificationes harmonicas immediate a Deo factas, seu per voluntatem Dei generalem & certis legibus liberrime adstrictam.

Systema hoc *Cartesio* debetur autori Princ. part. 2. artic. 36. & seqq. Idem systema excoluit *Malebranchius* Dialog. 4. de Metaphysica & religione §. 18. & sqq. & Dial. 7. §. 2. & seqq. it. in Tract. de inquirenda veritate lib. 3. part. 2. c. 3. & in Dilucidationibus ad istum locum, atque *Cordemoi* in Differt. 4. de distinctione corporis & mentis pag. 83. & *Sturmius*

mius in Physica electiva Tom. 1. p. 161. & sqq. Sunt etiam, qui systema causarum occasionalium *systema assistentiæ* appellare solent.

§. 590.

Causæ occasionales dicuntur, quæ vi agendi propria destituuntur, Deo tamen agendi occasionem præbent. Causæ occasionalis definitio.

Opponitur causa occasionalis causæ physicæ, quæ vi agendi propria instructa est.

§. 591.

In systemate causarum occasionalium Deus modificat animam in gratiam corporis & corpus in gratiam animæ producendo scilicet ideas sensuales hasce non alias, quia hæ ideæ materiales non aliæ in cerebro existunt, & producendo motus hosce non alios in corpore, quia anima hos, non alios appetit, sive vult. Vide de uno §. 589. 114. 113. & de altero conf. §. 589. *rat.* 955. *emp.* Quomodo Deus animam & corpus modificet in systemate causarum occasionalium.

§. 592.

Quoniam in systemate causarum occasionalium Deus hasce producit ideas sensuales in anima, quia hæ in cerebro existunt ideæ materiales, & hos in corpore motus, quia hæ animæ insunt volitiones (§. 591), anima destituitur vi activa, qua motus in corpore producitur, & tantummodo per volitiones suas Deo istos producendi occasionem præbet; corpus vero destituitur vi activa, qua perceptiones animæ producere valet, & tantummodo per ideas materiales in cerebro productas Deo occasionem præbet illas producendi. *Sunt* igitur *in systemate causarum occasionalium anima & corpus mutationum harmonicarum tantummodo causæ occasionales* (§. 590.). Quales causæ sint corpus & anima in hoc systemate.

§. 593.

In systemate causarum occasionalium modificationes harmonicæ animæ & corporis a nuda voluntate Dei pendent (§. 592. 590. *rat.* 851. *Ont.*). Mutationum harmonicarum animæ & corporis causa.

§. 594.

Quoniam modificationes harmonicæ animæ & corporis a nuda voluntate Dei pendent (§. 593.), neque adeo hisce ideis materialibus in cerebro hæ ideæ sensuales in anima respondent, quam An ideæ sensuales sint materialium socia arbitraria.

quam quia Deus earundem coëxiſtentiam continuam voluit: ideo hinc porro inferunt *Carteſiani* citra omnem oppoſiti formidinem, *ideis iisdem materialibus in cerebro alias quoque ideas ſenſuales in anima reſpondere potuiſſe, quam quæ nunc reſpondent*, v. gr. ut appareret nigrum, quod nunc videtur album, & ut dulce ſit, quod nunc tanquam amarum percipimus, vel ut voluptatem pareret, quod nunc dolorem cauſatur & ita porro.

Illatio hæc præcipitantiæ tribuenda: neque enim ideo neceſſarium eſt, ut arbitrario jungantur ideæ ſenſuales ideis materialibus, quia liberrima Dei voluntate junguntur, poſſunt enim Deo eſſe rationes ideis ipſis intrinſecæ, ob quas potius has ſibi mutuo jungit quam alias, quemadmodum deinceps oſtendemus.

§. 595.

Occaſionaliſta quinam dicatur.

Occaſionaliſta dicitur, qui ſyſtemate cauſarum occaſionalium in explicando commercio inter animam ac corpus intercedente utitur, tum etiam qui corpora in motus communicatione ac conſervatione inſtar cauſarum occaſionalium conſiderat.

§. 596.

Quinam Occaſionaliſta eſſe nequeat.

Atheus & de Dei exiſtentia dubitans Occaſionaliſta eſſe nequit (§. 593. 595.).

Ex neceſſario inter ſyſtema cauſarum occaſionalium & exiſtentiam Dei nexu Occaſionaliſtæ exiſtentiam Dei demonſtrare ſolent, quemadmodum fecit *Sturmius* in Specimine Theoſophiæ, hoc eſt, cognitionis de Deo naturalis, quod Tomo primo Phyſicæ electivæ ſeu hypotheticæ ſubjungitur, prop. 7. quippe qua evincit, quod Dei exiſtentiam animæ rationalis unio cum corpore organico clariſſime comprobet.

§. 597.

Quomodo in ſyſtemate cauſarum occaſionalium anima in corpus agat.

Si in ſyſtemate cauſarum occaſionalium eadem virium quantitas conſervanda; Deus in gratiam animæ non novum ſpirituum animalium motum producere, ſed tantummodo eorundem in motu jam conſtitutorum directionem immutare debet, ut influant in nervos motorios ad muſculos ſeu organi motores tendentes. Quoniam virium

virium quantitas pendet a celeritate motus (§. 481. *Cosmol.*), ubi spiritus animales seu fluidum nerveum influunt in nervos motorios, quando ad nutum animæ organum aliquod corporis moveri debet, non tum demum aliquam celeritatem acquirere debent, quam nondum habent, sed necesse est eam retineant, quam habent. Quamobrem cum corpus quiescens ad motum concitetur, ubi celeritatem acquirit, quam antea non habebat (§. 653. *Ontol.*), & novum accipiat motus incrementum, ubi celeritas ejus augetur (§. 398. *Cosm.*), Deus autem in systemate causarum occasionalium ad nutum animæ producat motum organorum corporis (§. 591.): si in eodem systemate eadem virium vivarum quantitas in universo conservari debet, Deus motum spirituum animalium vel fluidi nervei in gratiam animæ novum non producere, nec eum, qui jam inest, augere debet. Quia tamen spiritus animales ea, qua jam feruntur, celeritate in nervos motorios influere debent; necesse, est ut eorum directio immutetur. E.

Cum motus quantitas similiter a celeritate pendeat, qua mobile fertur (§. 398. *Cosmol.*); si in systemate causarum occasionalium eadem motus quantitas conservari debet, Deus quoque in gratiam animæ nonnisi directionem spirituum animalium immutare tenetur, qui in nervos motorios influunt ad organum movendum deferendi. Constat *Cartesium* in ea fuisse opinione, quod in universo eadem conservanda sit motuum quantitas. Constat porro eundem in philosophiam introduxisse causas occasionales. Quamobrem actionem animæ in corpus aliter explicare non potuit, quam ut Deus in gratiam animæ immutet directionem spirituum animalium, qui in nervos motorios influere debent. Enimvero etsi verum sit eandem virium vivarum quantitatem in universo constanter conservari (§. 487. *Cosmol.*) non tamen semper conservatur eadem motus quantitas (§. 402. 464. 465. *Cosmol.*). Posterius repertum fuit ab *Hugenio*, antequam prius detegeret *Leibnitius*, vera virium vivarum mensura reperta. Quamobrem *Malebranchius* cum agnosceret, non opus esse, ut eadem motus quantitas in universo conservetur; in explicanda actione animæ in corpus sumsit motum spirituum animalium a Deo produci, qui in nervos motorios influunt. Neque vero existimandum est, quasi *Cartesius* animæ tribuerit vim immutandi

leritatis motus fibrillis nervi sensorii in organa impressi (§. 125.), & ad cerebrum usque continuati (§. 111. 113.); anima determinatur a Deo ad legem sensationum observandam (§. 113. *Ontol.*).

§. 599.

Juxta systema causarum occasionalium Deus hasce constituit leges: 1. Quoties eadem in cerebro oritur idea materialis, toties in anima eadem oriri debet idea sensualis per mutationem in organo sensorio factam seu ideam materialem in cerebro explicabilis, & quamprimum idea materialis in cerebro existit, idea quoque sensualis in anima eidem coëxistere debet. 2. Quoties animæ eadem est motus cujusdam per organorum constitutionem possibilis volitio, toties quoque idem in corpore oriri debet motus, & quamprimum ista volitio in anima existit, eidem quoque motus in corpore coëxistere debet (§. 593. 542. 539. 589.). **Leges modificationum harmonicarum animæ ac corporis.**

§. 600.

Quoniam vi theoriæ superioris Deus tantummodo dirigit vim animæ & gradum illius determinat in intuenda idea universi, seu animam ad observandum in isto intuitu legem sensationis determinat (§. 598.); Deus vero hanc constituit legem, ut iisdem ideis materialibus eædem coëxistant sensuales sintque hæ per istas explicabiles (§. 599.): ideo dicendum est, *Deum ad conservandam idearum sensualium per materiales in cerebro explicabilium cum iisdem coëxistentiam constituisse, quod in intuenda idea universi vim animæ dirigere & gradum ejus determinare*, seu *animam ad observandum in isto intuitu legem sensationis determinare velit.* **Lex prima commercii accuratius enunciata.**

Hoc pacto Deo tanquam autori rerum supremo non ipsæ animæ tribuuntur actiones, sed tantummodo actionum istarum directio, ut sint ordini rerum a se intento consentaneæ. Nimirum Deus concurrens ad actiones animæ id addit, quod per naturam suam ipsamet præstare nequit. Cum integram universi ideam constanter producat (§. 190.), quam tamen propter finitudinem intueri integram non potest (§. 194.):

Deus determinare debet intuitum, ne anima perpetuo quasi sopore corripiatur.

§. 601.

Lex altera commercii accuratius enunciata.

Similiter quia Deus, ubi eadem virium quantitas conservanda, spiritus animales salvo, quem habent, motu tantummodo dirigit ad influendum per nervos motorios in musculos organorum motores (§. 597.); hanc vero constituit legem, quod motus voluntarii volitionibus animæ coëxistere debeant, ad quos ipsæmet tendunt (§. 599.): ideo dicendum est, *Deum ad conservandam volitionum animæ ac motuum harmonicorum coëxistentiam in corpore constituisse, quod spiritus animales dirigere velit ad influendum per nervos motorios in musculos organorum motores, quorum motum anima voluerit.* Vid. not. §. 600.

Spiritus animales in se spectati indifferentes sunt ad influendum in hunc, vel alium nervum motorium. Harmonici ut sint motus volitionibus animæ, data hac volitione in hos influere debent nervos motorios, non in alios. Directionem determinare nequit anima, determinanda igitur a Deo est, ne corpus motibus voluntariis, quibus opus habet, destituatur. Quodsi ergo utramque legem accuratius enunciatam pensites, naturæ animæ ac corporis supremus rector Deus est, quæ sine ipsius directione nil agere potest.

§. 602.

Æquipollentia systematum influxus & causarum occasionalium

Juxta systema causarum occasionalium Deus ita modificat animam in gratiam corporis, ac si corpus in animam influeret, seu vi sua perceptiones rerum sensibilium produceret (§. 591. 598. 566. 569.), *& corpus vicissim in gratiam animæ, ac si anima in corpus influeret, seu vi sua motum corporis produceret* (§. 591. 597. 566. 571).

Atque hoc modo liquet, quod in omni systemate supponendum esse supra evicimus, scilicet perceptiones rerum sensibilium in anima & motus voluntarios in corpore eo modo oriri, ac si anima & corpus in se mutuo influerent (§. 537.), in systemate quoque causarum occasionalium supponi: huic enim supposito convenienter concipiuntur leges, quas Deus sibimet ipsi in concursu ad modificationes harmonicas animæ atque corporis constituit.

§. 603.

§. 603.

An in systemate causarum occasionalium perpetua fiant miracula.

In systemate causarum occasionalium modificationes animæ in gratiam corporis & modificationes corporis in gratiam animæ factæ perpetua sunt miracula; si rigorose loqui volueris (§. 591. 598. 597. 70. 71. rat. 510. Cosm. coll. *§. 344. Log.): Quodsi tamen per naturam corporis & animæ eas harmonicas fieri non posse supponas & quæ salva theoria superiori de anima & theoria cosmologica de viribus corporum in systemate isto obtinet, virium directionem ad concursum Dei ordinarium referas, quod vero Deus ad supplendum naturæ defectum secundum concursum ordinarium præstat miraculosum dicere nolis; modificationes quoque harmonicæ animæ & corporis ut minime miraculosæ dicantur ferendum omnino est* (§. 597 sq.).

Quodsi scilicet effectus operationum Dei in creaturas, quæ ad concursum ordinarium spectant, miraculorum numero eximere velis; vocabulum miraculi in sensu strictiori sumis, quam a nobis sumitur (§. 510. *Cosmol.*). Quamobrem cum definitiones nominales arbitrariæ sint, nec cuiquam invito obtrudi possint; ferendum omnino est, ut directio animæ in intuenda idea universi & directio spirituum animalium ad influendum in nervos motorios miraculosa non dicatur.

§. 604.

Miracula quando systemati occasionalistarum objici possint.

Quodsi ostendi non possit possibile esse, ut harmonia animæ ac corporis per naturam harum substantiarum obtineatur; miracula adversus systema causarum occasionalium urgeri nequeunt: ubi vero evinci potest, harmoniam istam per naturam animæ atque corporis subsistere posse, contra idem eadem urgeri possunt. Quamdiu enim ostendi nequit, harmoniam animæ ac corporis per naturam utriusque substantiæ subsistere posse, haud prorsus improbabile videtur, id fieri non posse. Quamobrem ubi modificationes supernaturales ordinarias, quæ ordini naturæ convenienter fiunt, supponis ad explicandum ea, quæ per naturam animæ atque corporis explicari haud quaquam posse probabile videtur; ea in re culpandus non es. Miracula igitur tanquam difficultas, qua laboret systema causarum occasionalium urgeri non possunt. *Quod erat unum.*

Enimvero ubi ostendi potest, quomodo harmonia animæ ac corporis per naturam utriusque substantiæ subsistat; nulla necessitas urget, ut, neglectis causis secundis, ad causam primam provoces & per operationes Numinis supernaturales explices, quod per naturam animæ ac corporis explicari potest. In hoc igitur casu perpetua miracula, per quæ harmonia animæ & corporis subsistit juxta systema causarum occasionalium, recte urgentur tanquam difficultas, qua systema istud laborat. *Quod erat alterum.*

§. 605.

An per systema causarum occasionalium Deus & natura confundantur.

Si animæ tribuatur vis agendi & corpori vis motrix propria, & Deo virium istarum in gratiam modificationum harmonicarum directio; Deus & natura non confunduntur. Vide §. 67. 60. 598. de animæ vi agendi. Non magis confunditur natura animæ cum Deo, quam confusio quædam inde metuenda, quod Deus per concursum ordinarium naturam agentem sustentat.

De corporis vi motrice conf. §. 145. 142. *Cosm.* 597. *rat.* & quæ modo dicta sunt de vi animæ.

§. 606.

Systematis causarum occasionalium pugna cum principio rationis sufficientis.

Systema causarum occasionalium contrariatur principio rationis sufficientis. Vide §. 591. 598. 193. *rat.* 31. 25. *emp.* 56. *Ont.* de perceptione; & §. 591. 597. *rat.* 56. *Ont.* de motu organorum corporis ad nutum animæ.

Cum vero per systema causarum occasionalium explicari debeat commercium inter animam & corpus intercedens (§. 589.), adeoque dependentia perceptionum animæ ab ideis materialibus in cerebro & motuum voluntariorum in corpore a volitionibus animæ (§. 952. *Psychol. empir.*), utraque vero dependentia ratione sufficiente per naturam corporis atque animæ destituatur; systema utique causarum occasionalium principio rationis sufficientis contrarium (§. 71. *Ontol.*).

§. 607.

Systema causarum occasionalium naturæ ordini adversum.

Systema causarum occasionalium ordini naturæ adversum. Lex enim naturæ est, quod status centri gravitatis corporum in se invicem agentium non mutetur ab eorum actionibus in se invicem,

vicem, seu semper idem conservetur, quatenus scilicet centrum gravitatis ante & post conflictum in eadem recta movetur & versus eandem plagam tendit (§. 500. & seqq. *Cosmol.* vel §. 600. *Mechan.*), consequenter quod summatim eadem conservetur directio. Jam vero in systemate causarum occasionalium mutatur directio spirituum animalium in gratiam animæ vi voluntatis Numinis (§. 597.), adeoque absque conflictu corporum, directione nova ex motu anteriore non nascente. Systema igitur hoc legibus & consequenter ordini naturæ (§. 559. 303. *Cosmol.* 851. *Ont.*) repugnat.

Quodsi spirituum animalium motum a Deo in gratiam animæ produci sumis, quemadmodum faciunt Occasionalistæ virium vivarum conservationem vel ignorantes, vel non admittentes, cum ea tamen in numero legum motus contineatur (§. 487. *Cosm.*); eadem de causa systema causarum occasionalium ordini naturæ adversatur, ob quam systema influxus physici eidem adversari probavimus (§ 579.).

§. 608.

Systema causarum occasionalium probabile non est. Est enim ordini naturæ adversum (§. 607.). Probabile vero non est, autorem rerum sapientissimum ita constituisse naturæ ordinem, ut in gratiam animæ continuo sit turbandus. Conf. *not.* §. 588.

Systematis causarum occasionalium improbabilitas.

§. 609.

Per systema causarum occasionalium non negatur Deum posse agere in animam & corpus, quia anima & corpus physice influendo in se invicem agere nequeant (§. 591. 598. 597. 588.), nec ex eo, quod anima in corpus agere nequit, inferri potest, nec Deum in corpora vel animas agere posse.

An actio Dei in creaturas tollatur per systema causarum occasionalium vel negatam animæ in corpus actionem.

Insunt, ut adhuc de posteriori membro dicamus, in Deo, quibus anima humana caret, ut adeo simpliciter de Deo negari non possint, quæ de anima negantur. Sane inest Deo potentia creatrix. Constabit vero, nihil non esse possibile, quod in ideis divinis continetur, consequenter etiam quaslibet modificationes animarum & rerum materialium possibiles esse. Ecquis ergo dubitare poterit, potentiam istam creatricem sufficere ad modi-

modificandas pro arbitrio creaturas jam existentes? Jam nemo non ultro fatetur, potentiæ creatricis divinæ nobis nihil inesse, ita ut ne minimo quidem pulvisculo non existenti actualitatem conferre valeamus. Quamobrem quod ob defectum potentiæ creatricis in anima de eadem negatur, idem de Deo quoque negandum esse, quia de anima negatur, perperam infertur.

§. 610.

An per systema causarum occasionalium libertas tollatur.

Si animæ omnis adimitur vis activa & Deus in eadem producit omnes perceptiones ac appetitiones & aversiones; libertas voluntatis salva esse posse non videtur: quodsi vero Deus animæ vim tantummodo dirigit in percipiendo, vel si perceptione sensibilis ad præsentiam ideæ materialis producta ipsamet deinde agit & appetitiones suas elicit; per systema causarum occasionalium libertati nihil præjudicatur. Etenim si Deus in anima omnes producit perceptiones ac appetitiones & aversiones; anima in omnibus suis modificationibus sese habet mere passive, etiam in appetendo & aversando. Neque sufficit, ut appetitiones & aversiones a Deo ea lege producantur, qua producerentur ab anima, si sese ipsa libere determinaret ad appetendum vel aversandum: tum enim Deus equidem libere produceret appetitiones & aversiones, in anima vero eædem tantummodo liberæ apparerent, non forent. Vide §. 941. *emp.* *Quod erat primum.*

Quodsi anima vi activa prædita, unde omnes ipsius actiones consequuntur, cum modus, quo appetitio vel aversio nascitur ex perceptione præsente, non pendeat a modo, quo perceptio in anima oritur, perinde quoque est sive hæc sine directione Dei, sive per directionem Dei enata fuerit. Quamobrem quia libertas respicit modum, quo appetitio vel aversio ex perceptione præsente nascitur (§. 941. *Psychol. empir.*); quod Deus dirigat vim animæ in producendis ideis claris seu in intuitu ideæ universi nil quicquam obstat, quo minus libere perveniat ad suas volitiones & nolitiones. *Quod erat secundum.*

Idem eodem prorsus modo patet, si perceptione sensibilis ad præsentiam ideæ materialis in cerebro a Deo producta anima ipsamet vi propria appetitiones vel aversiones inde elicit, potentia agendi vi perceptionis a Deo productæ ad agendum excitata,

citata, cum quoad dependentiam appetitionum & aversionum a perceptione perinde sit, sive vis agendi animæ constanter insit, sive eidem demum a Deo excitata perceptione conferatur. *Quod erat tertium.*

§. 611.

Systema causarum occasionalium non in solo explicando commercio inter mentem & corpus subsistit, sed ad communicationes quoque motuum in actionibus corporum explicandis extenditur. Neque id systemati huic proprium est, cum etiam cetera ad has transferantur. Quamobrem accidit, ut Autores in expendendis systematis explicandi commercium animæ ac corporis, hoc est, actiones mutuas corporis atque animæ in se invicem, ad ea etiam descendant, quæ ad corporum in se invicem actionem spectant. Sed de his aliquando in physicis uberius. Cur non plura de systemate causarum occasionalium dicantur.

CAPUT IV.

DE

HARMONIA PRÆSTABILITA.

§. 612.

S*ystema harmoniæ præstabilitæ* dicitur, quo commercium animæ & corporis explicatur per seriem perceptionum atque appetitionum in anima & seriem motuum in corpore, quæ per naturam animæ ac corporis hormonicæ sunt, seu consentiunt. Definitio systematis harmoniæ præstabilitæ.

§. 613.

In systemate harmoniæ præstabilitæ anima vi sibi propria producit omnes suas perceptiones & appetitiones continua serie (§. 66 sq. 190 sqq. 194. 193. *rat.* 31. 25. *empir.* 217. 78. 223. 193. 264. 495. sq. 520. *rat.* 904 907. *empir.*). Quomodo perceptiones & appetitiones producantur in anima juxta systema harmoniæ præstabilitæ.

Systema harmoniæ præstabilitæ theoriæ superiori nihil superaddit, nisi quod per ipsum definiatur, vim animæ non dirigi a principio externo, quemadmodum in systemate influxus physici (§. 569.), & causa-

rum occasionalium fieri debet (§. 598.); sed ipsammet animam eandem dirigere, ita ut sit totius perceptionis, quam habet, causa sufficiens.

§. 614.

An existentia mundi materialis ad ejus repraesentationem in anima sit necessaria.

Quoniam in systemate harmoniae praestabilitae anima vi propria producit omnes perceptiones & appetitiones independenter ab omni principio externo; praesentia idearum materialium in cerebro ad eas producendas nihil prorsus confert, adeoque *perceptiones & appetitiones in anima eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret, consequenter etiam anima eodem, quo nunc, modo sibi repraesentaret hoc universum, etiamsi mundus adspectabilis non existeret.*

§. 615.

Motuum voluntariorum mechanica productio.

In systemate harmoniae praestabilitae vi mechanismi corporis ex ideis materialibus sensibilium nascuntur motus volitionibus & appetitionibus animae respondentes citra ullam determinationem extrinsecam immediatam. Quoniam in anima omnes mutationes a sensatione originem ducunt (§. 64.), si objectum appetibile sensui praesens non fuerit, idea ejus vi cujusdam ideae sensualis per legem imaginationis produci debet (§. 117. *Psychol. empir.*). Quoniam vero non appetimus nisi quod bonum videtur, nec aversamur, nisi quod videtur malum; necesse porro est, ut vel vi imaginationis & memoriae, vel vi operationum intellectus, prout vel sensitiva (§. 580. 582. *Psychol. empir.*), vel rationalis fuerit appetitio aut aversio (§. 880. 881. *Psychol. empir.*), objectum nobis repraesentetur vel bonum, vel malum, & hinc appetitioni, vel aversioni convenientes motus corporis aut organorum ipsius decernantur (§. 486.). Jam ex ideis materialibus sensibilium in cerebro, quae ab impressionibus a sensibilibus in organa sensoria factis pendent (§. 112.), nascuntur ideae materiales phantasmatis (§. 231. & sqq.), seu ideae vi imaginationis productae (§. 93. *Psych. emp.*), adeoque idea materialis objecti appetibilis ex motu naturaliter in cerebro existente vi mechanismi cerebri secundum motus regulas nascitur. Jam quaecunque perceptiones ad hoc requirantur, ut objectum repraesentetur tanquam bonum vel

vel malum, cum vel ab operationibus imaginationis pendeant, vel operationibus intellectus debeantur, singulis phantasmatis (§. 206.), seu ideis vi imaginationis productis (§. 93. *Psychol. empir.*), singulis itidem intellectus operationibus ideæ materiales in cerebro (§. 416.), consequenter motus in corpore (§. 112.), immo ipsi attentioni continuus ideam materialem in cerebro producendi (§. 374.), vel organum sensorium immotum conservandi conatus respondent. Quamobrem qui appetitioni & aversioni ex istis perceptionibus, quibus objectum vel ut bonum, vel ut malum repræsentatur, enatæ respondent motus corporis & organorum ipsius (§. 501. 502.), ex aliis motibus in cerebro existentibus nascuntur, adeoque naturaliter. Quoniam itaque ad hoc, ut isti motus nascantur, nullo principio externo opus est, cujusmodi requirebatur (§. 567. 571. & §. 597.); citra determinationem ullam extrinsecam motus voluntarii in corpore per mechanismum corporis ex aliis motibus in eodem naturaliter præexistentibus oriuntur.

§. 616.

Corporis ab anima independentia quoad motus voluntarios.

Quoniam *motus volitionibus animæ respondentes in systemate harmoniæ præstabilitæ* vi mechanismi corporis ex motibus ab impressionibus in organa sensoria factis citra ullam determinationem extrinsecam ab anima pendentem consequuntur (§. 615.); *eodem, quo nunc modo adhuc consequerentur, etiamsi anima non existeret, nisi quod nobis eorundem minime conscii essemus.*

§. 617.

Quale corpus possibile supponat harmonia præstabilita.

In systemate igitur *harmoniæ præstabilitæ supponitur possibile esse corpus, in quo series quædam motuum per impressiones objectorum externorum in organa sensoria conservari potest, ut singuli continuo consentiant singulis perceptionibus atque appetitionibus & aversionibus animæ eodem prorsus ordine sese invicem consequentes, quo animæ modificationes sese invicem excipiunt.*

§. 618.

Quomodo per harmoniam præstabilitam harmonia animæ & corporis subsistat.

Ex serie motuum in corpore ratio reddi potest, cur perceptiones & appetitiones in anima jam oriantur & cur tales potius sint, quam aliæ; & vicissim *ex serie perceptionum & appetitionum*

mum in anima reddi potest ratio, cur jam in corpore oriantur motus & cur tales potius, quam alii. Etenim in anima datur series perceptionum & appetitionum (§. 612.), vi propria productarum (§. 613.), citra ullam realem animæ a corpore dependentiam (§. 614.), & in corpore datur series quædam motuum (§. 612.), vi mechanismi ex se invicem nascentium & ab impressionibus in organa sensoria a sensibilibus factis pendentium (§. 617.), citra ullam dependentiam realem corporis ab anima (§. 616.). Quoniam earum una alteri constanter consentit (§. 612.); nulla in anima datur perceptio vel appetitio, quin aliquis ipsi in serie motuum respondeat motus, nec vicissim aliquis in serie motuum datur motus, quin eidem in serie perceptionum & appetitionum aliqua respondeat perceptio & appetitio, utut nulla supponatur animæ ac corporis in se invicem actio. Atque adeo per naturam & essentiam animæ & corporis intelligitur, cur perceptiones & appetitiones in anima & motus quidam in corpore eodem tempore contingant, consequenter in anima & corpore continetur ratio sufficiens continuitatis temporis, quo perceptiones & appetitiones in anima & utrisque consentientes motus in corpore contingunt (§. 56. *Ontol.*). Ex modificationibus adeo animæ ratio reddi potest motuum in corpore & ex motibus in corpore modificationum animæ, scilicet cur dato hoc in corpore motu detur jam hæc in anima perceptio vel appetitio, & vicissim cur data hac in anima perceptione vel appetitione detur jam hic in corpore motus (§. 42. *Cosmol.*).

Jam cum perceptionibus singulis, sive ideæ sensuales fuerint (§. 114.), sive phantasmata (§. 206.), singulæ respondeant ideæ materiales, ita ut talis sit idea sensualis, vel phantasma tale, quia talis est idea materialis (§. 118.), adeoque talis in cerebro motus (§. 112.), & idem quoque obtineat in motibus, qui operationibus mentis respondent (§. 416.); ex perceptione in serie perceptionum ratio reddi potest, cur talis jam sit in motuum serie motus, & vicissim ex motu in serie motuum præsente, cur talis jam sit in serie perceptionum perceptio. Et quia motus, quos appetit anima, in eadem repræsentantur (§. 929. *Psych. emp.*), & per has adeo perceptiones appetitiones specificantur; ex motibus in serie motuum reddi potest ratio, cur talis jam sit in serie perceptionum

onum

onum & appetitionum appetitio, & vicissim ex appetitione in serie perceptionum atque appetitionum ratio dari potest, cur talis jam sit in corpore motus: quemadmodum de duabus substantiis harmonice modificatis citra influxum realem unius in alteram jam alibi generaliter demonstravimus (§. 43. *Cosmol.*). E.

§. 619.

Quomodo eorumquæ in anima sunt, ratio reddatur ex corporis mutationibus & mutationum in corpore ex iis, quæ in anima accidunt.

Quoniam ideæ materiales, quibus respondent sensuales, pendent ab impressionibus a sensibilibus in organa sensoria factis (§. 111. 112.), & motus voluntarii, qui respondent appetitionibus animæ, a motibus fluidi nervei in nervos motorios influentis, quibus illi producuntur; nobis vero actionis sensibilium in organa & motuum voluntariorum conscii sumus: *ex mutationibus in organis sensoriis contingentibus reddi solet ratio, cur jam has potius, quam alias habeamus ideas sensuales, & ex appetitionibus animæ, cur hi jam potius contingant motus voluntarii, quam alii.*

§. 620.

An per harmoniam præstabilitam commercium animæ & corporis intelligibili modo explicetur.

Ergo *in systemate harmoniæ præstabilitæ commercium inter animam & corpus intercedens per ipsam animæ & corporis naturam intelligibili modo explicatur (§. 618. rat. 56. Ont. 962. Psych. empir.).*

Atque hæc est prærogativa systematis harmoniæ præstabilitæ præceteris. Etenim in systemate influxus physici sumuntur, quorum nullam habemus notionem, ut inde explicemus commercium inter animam atque corpus intercedens (§. 573.). In systemate causarum occasionalium recurritur ad potentiam Dei infinitam, ut reddatur ratio eorum, quæ in natura rerum occurrunt. Utrumque in philosophia alias improbatur, quæ non fert, ut in numerum causarum naturalium referantur qualitates occultæ & neglectis causis secundis ad causam primam provocetur, quando effectuum naturalium quæruntur causæ.

§. 621.

Æquipollentia systematum influxus & harmoniæ præstabilitæ.

In systemate harmoniæ præstabilitæ ideæ sensuales ideis materialibus ita coëxistunt, ac si corpus in animam influeret, seu vi sua illas produceret (§. 612 sq. 615. 112. 566. 569.), & vicissim motus voluntarii in corpore ita coëxistunt volitionibus animæ, ac si ani-

si anima in corpus influeret, seu vi sua motum corporis produceret (§. 612. 566. 571.). Vide denuo §. 537.

§. 622.

An in systemate harmoniæ præstabilitæ omnia fiant naturaliter.

In systemate harmoniæ præstabilitæ omnia fiunt naturaliter. De anima vide § 613. 57. 60. 63. *rat.* 70. *Ont.* 69. *rat.* de corpore lege §. 75. *Cosmol.* 112. 615. *ration.* 513. *Cosmol.* 949. 955. 962. *empir.*

§. 623.

An in ea perpetua fiant miracula.

In systemate harmoniæ præstabilitæ nihil fit per miraculum (§. 509 sq. *Cosm.* 622. *rat.*).

§. 624.

Quomodo harmonia animæ ac corporis præstabilita.

Deus harmoniam præstabilivit, quatenus animæ junxit corpus, in quo existere potest series motuum perceptionibus & appetitionibus animæ consentientium, & cum fecit rerum materialium nexum, ut motus isti ad actum perducantur per continuas in organa sensoria impressiones extrinsecus factas (§. 613 sq. 617.). Hoc igitur corpus Deus animæ junxit, utque motus in eodem eo ordine se invicem actu consequantur, quo animæ modificationes sese excipiunt, nexum rerum materialium talem effecit, qualem requirunt externæ in organa sensoria impressiones, quibus motuum series conservatur. Hoc pacto Deus in systemate harmoniæ præstabilitæ effecit, ut per essentiam & naturam animæ atque corporis totiusque mundi materialis harmonia animæ & corporis subsistat (§. 539.) consequenter harmoniam præstabilivit.

Atque ita demum intelligitur, quid sibi velit harmoniæ præstabilitio. Est nempe actus Dei, quo efficit, ut harmonia animæ & corporis subsistat citra influxum realem unius substantiæ in alteram per ipsam utriusque essentiam atque naturam. Præstabilitio hæc allegatur tanquam ratio tantummodo in generalibus, ubi causæ primæ locus est; minime autem in specialibus, ubi reddenda ratio est, cur v. gr. tibi leonem repræsentes, dum radii luminis inde in oculum illabuntur & motus nervi optici fibrillis impressus ad cerebrum usque propagatur (§. 111.). Atque hoc conveniens est rectæ philosophandi methodo, qua nonnisi in generalibus ad causam primam provocatur, specialia vero phænomena per causas secundas explicantur.

§. 625.

Quoniam anima talem habens seriem perceptionum & appetitionum possibilis intelligitur, etiamsi nullum possibile supponatur corpus, in quo series motuum harmonicorum datur (§. 613. 614.), & corpus talem habens seriem motuum possibile supponitur, etiamsi nulla supponatur anima, in qua series perceptionum atque appetitionum harmonicarum datur (§. 615. 616.); *harmonia præstabilita a Deo non fuit, dum seriem perceptionum atque appetitionum ita constituit, ut seriei motuum, quæ antecedenter ad illam tanquam possibilis sumitur, consentiat.* Spuria præstabilitionis notio.

Perversam hanc præstabilitionis notionem habent, qui harmoniam præstabilitam libertati adversam pronunciant. Sumunt nimirum in hoc systemate supponi, quod in mundo omnia fiant mechanice & ab hoc mechanismo etiam pendeant motus corporis nostri, quos voluntarios dicere solemus; Deum vero animæ tales infudisse facultates, quibus producantur tales perceptiones & appetitiones ut perpetuus sit hasce inter & istos consensus, sicque animæ perceptiones & appetitiones aptasse ad motus corporum necessarios. Unde animam inepte comparant cum cane ab auriga currui alligato, qui una cum curru progredi tenetur, quo hic trahitur. Neque enim corpus effictum est juxta seriem perceptionum & appetitionum animæ, neque anima juxta seriem motuum corporis; sed utraque substantia in se possibilis intelligitur citra relationem ad alteram. Quando in Theologia naturali originem essentiarum explicaverimus; omnis prorsus evanescet obscuritas, quæ adhuc superesse potest.

§. 626.

Harmonia præstabilita dari nequit, nisi detur Deus omniscius, sapientissimus, liberrimus, potentissimus, creator & gubernator rerum omnium (§. 613 sq.). Anima igitur existere potest, etiamsi corpus in motibus suis harmonicum nullum existat, nec existat mundus adspectabilis. Coëxistit tamen eidem corpus, quod, cum in eo motus harmonici per impressiones a corporibus aliis extrinsecus in organa sensoria factis vi mechanismi consequan- Necessarius nexus inter harmoniam præstabilitam & existentiam Dei.

ſequantur, independenter prorſus ab anima (§. 615. 616.); exiſtere poterat cum hoc mundo adſpectabili, etiamſi anima non exiſteret. Quoniam igitur neceſſe eſt, ut detur ratio ſufficiens coëxiſtentiæ animæ ac corporis totiusque mundi adſpectabilis (§. 70. *Ontol.*), ea autem in ipſa animæ atque corporis natura minime continetur, cum poſita ſubſtantia una non neceſſario ponatur altera; neceſſe eſt, ut detur ens ab animabus & corporibus humanis mundoque adſpectabili diverſum, in quo ratio iſta continetur, & cui adeo ea inſunt, per quæ intelligitur, cur ſubſtantiæ iſtæ coëxiſtant & hic in eorum gratiam exiſtat mundus adſpectabilis. Jam cum ex mutationibus in organis ſenſoriis ratio reddi poſſit, cur jam tales ſint in anima ideæ ſenſuales, & ex appetitionibus viciſſim animæ, cur hi jam contingant motus voluntarii (§. 619.), nec homo ſibi conſcius foret motuum in corpore, niſi anima huic coëxiſteret (§. 616.); conveniens omnino eſt corpus & animam coëxiſtere, ut prodeat unum ſuppoſitum ex ſubſtantiis prorſus diverſis conſtans, quæ tamen ita modificantur ac ſi una in alteram influeret (§. 621.). Ens igitur, in quo ratio coëxiſtentiæ animæ & corporis in modificationibus ſuis conſpirantium continetur, & quod adeo cauſa utriusque eſt (§. 881. *Ontol.*), convenientiam iſtam perſpicere & eadem permoveri debuit, ut animam & corpus una produceret, conſequenter intellectu (§. 275. *emp.*), & voluntate præditum (§. 880 *emp.*). Quoniam corpus animæ in mutationibus ſuis harmonicum a ſenſibilibus in organa ſenſoria agentibus continuas recipere debet impreſſiones, ut motus cum perceptionibus & appetitionibus animæ conſentientes conſerventur (§. 617.), in mundo autem adſpectabili tam coëxiſtentia (§. 53 *Coſmol.*), quam ſucceſſiva inter ſe connectantur (§. 54. *Coſmol.*), ut a ſe invicem dependeant quoad exiſtentiam (§. 58. *Coſmol.*), & actus contingentium in mundo determinetur per ſeriem cauſarum contingentium, quæ a ſe invicem dependent ut effectus a ſua cauſa (§. 83. *Coſmol.*); corpus noſtrum ita modificari nequit, ut in motibus ſuis conſentiat modificationibus animæ, niſi mundus hic adſpectabilis exiſtat. Anima itaque, corpus noſtrum & totum hoc univerſum pendent ab eadem cauſa, quæ & omnes omnium animarum perceptiones & appetitiones, omnesque in corpo-

corporibus humanis possibiles motus & universam rerum materialium naturam intime perspicere debuit, antequam existeret, consequenter omniscia est. Quoniam vero animæ & corpora humana ob rationem convenientiæ tantummodo coëxistunt & in gratiam corporum harmonice cum animabus modificandorum ipsarumque animarum per natuam & essentiam suam sibi hoc universum repræsentantium (§. 66. 67.), hoc universum existit; causa universi est agens liberrimum & quatenus unum fecit alterius consequendi gratia sapientissimum. Jam in gratiam animæ produxit hoc universum, ut corpus eidem coëxisteret, quod cum ipsa harmonice modificaretur, cum istiusmodi animas & corpora ac istiusmodi universum possibilia intelligeret & ea coëxistere conveniens judicaret. Ens igitur causa animarum & totius universi potentia præditum. Quoniam vero per potentiam suam existentiam largitum est eis, quæ per ideas suas possibilia erant; potentia creatrice præditum est, adeoque & animarum, & mundi creator. Et quia motus in corpore nostro fiunt secundum regulas motus, quibus naturæ ordo continetur (§. 559. *Cosm.*), ordo autem naturæ contingens est, seu a necessitate absoluta liber (§. 561. *Cosmol.*); autor universi hunc constituit naturæ ordinem in gratiam animarum, ut scilicet corpora in hoc universo existerent, quorum motus actu responderent modificationibus animæ, quemadmodum per structuras ipsorum fieri poterat. Atque ideo auctor rerum omnium est idem gubernator eorundem.

§. 627.

Harmonista dicitur, qui systemate harmoniæ præstabilitæ utitur in explicando commercio inter animam atque corpus intercedente, tum etiam in motuum communicatione ac conservatione. Harmonista quinam dicatur.

Harmonia enim præstabilita ad omnes creaturarum actiones in se invicem explicandas transfertur.

§. 628.

Atheus & de existentia Dei dubitans (§. 626 sq.), *vel qui præscientiam divinam negat, Harmonista esse nequit* (§. 613 - 616.). Quinam Harmonista esse non possit.

Deus igitur, qui poterat substantiam unam producere absque altera, corpus animæ liberrime junxit, quia in eo existere potest series motuum perceptionibus & appetitionibus animæ consentientium, & eum fecit rerum materialium nexum, ut motus isti per continuas in organa sensoria extrinsecus factas impressiones actu producantur (§. 624. *Psychol. rat.* & §. 941. *Psych. emp.*). Deus adeo ab æterno præscivit singulas animæ appetitiones & perceptiones, ut pro omniscientia sua judicare posset, quale corpus ipsi in mutationibus suis sit harmonicum & quinam nexus rerum materialium esse debeat, ut idem cum anima harmonice modificetur. E. (§. 627.).

§. 629.

Quid in systemate harmoniæ sit miraculosum quid naturale.

Præstabilitio harmoniæ inter animam & corpus est miraculum (§. 626. *rat.* 56. *Ont.* 510. *Cosmol.*) *in creatione rerum facta* (§. 624.), *sed ejus deinceps vi naturaliter in singulis hominibus perpetuo consequitur perceptionum ac appetitionum animæ & motuum corporis sibi mutuo consentientium coëxistentia* (§. 613. 615. 617. *rat.* 56. *Ont.* 509. *Cosm.* 624. *rat.*).

Puto *Newtonum* huc respexisse, dum harmoniam præstabilitam verum miraculum dixit. Sed primigenium miraculum, cujus vi deinde singuli eventus naturaliter consequuntur, in philosophia nihil vitii habet, consequenter propterea nulla hypothesis philosophica objectioni obnoxia est. Sane ipsa existentia rerum materialium, quam Deus in prima creatione iisdem impertitus est, primigenium quoddam miraculum est, vi cujus deinde naturaliter in mundo hoc adspectabili consequuntur omnes eventus. Quodsi a causis secundis ad causam primam ascendere debes, quemadmodum postulat finis a Deo per creationem intentus; necesse est, ut quædam insint creaturis, quæ aliter explicari non possunt nisi per causam primam, ac ideo in principio rerum admitti utique debet quidpiam miraculosi, ne actualitas rerum in universo sit independens a Deo: quod absurdum. Aliter sese res habet in systemate causarum occasionalium, in quo ad consensum singularum perceptionum & appetitionum cum motibus potentia Dei infinita requiritur, qua in systemate harmoniæ præstabilitæ non opus est nisi in principio rerum.

§. 630.

§. 630.

Appetitiones in anima non fuere præstabilitæ (*§. 619. 624. rat. 904. emp.*). Idem patet ex §. 962. *emp.* & §. 624 *rat.*

An appetitiones sint præstabilitæ.

§. 631.

In systemate harmoniæ præstabilitæ anima eodem modo pervenit ad appetitiones seu volitiones, quo ad easdem pervenit in systemate influxus physici. Quid duo illa systemata velint, vide §. 560. *rat.* 962. *empir.* 612. *rat.* 962. *empir.*), adeoque utrobique tantummodo redditur ratio, cur detur aliqua in mente perceptio, unde appetitio nasci potest. Respectu igitur systematis, quo commercium inter mentem & corpus explicatur, perinde est quocunque modo anima a perceptione ad appetitionem perveniat.

Dependentiæ appetitionis a perceptione identitas in systemate influxus & harmoniæ.

In systemate harmoniæ præstabilitæ ideæ sensuales ideis materialibus ita coëxistunt, ac si corpus in animam influeret seu vi sua illas produceret, & vicissim motus voluntarii in corpore ita coëxistunt volitionibus animæ, ac si anima in corpus influeret, seu vi sua motum corporis produceret (§. 621.). Quamobrem cum systema harmoniæ præstabilitæ & systema influxus physici (§. 612. 560.), non differant nisi in modo, quo coëxistunt perceptiones animæ ideis materialibus in cerebro & motus voluntarii in corpore appetitionibus animæ (§. 949. 955. *Psychol. empir.*); modus, quo appetitiones a perceptionibus pendent, in systemate influxus physici & harmoniæ præstabilitæ diversus esse nequit. Vide etiam §. 536. 544.

§. 632.

Quocunque ergo *tandem modo libertas in systemate influxus physici concipitur, eodem etiam in systemate harmoniæ præstabilitæ concipi potest, &, ubi in systemate influxus physici recte concipitur; concipi debet,* consequenter cum vi libertatis anima ex pluribus possibilibus sponte eligat, quod ipsi placet, cum ad nullum eorum per essentiam determinata sit (§. 491. *Psych. emp.*); *stante* quoque *systemate harmoniæ præstabilitæ anima ex pluribus possibilibus sua sponte eligit, quod ipsi placet, ad nullum per essentiam suam determinata* (*§. 631.*).

Libertas in systemate harmoniæ præstabilitæ salva.

Quoniam perceptiones in systemate harmoniæ præstabilitæ ab anima vi propria producuntur prorsus independenter a corpore (§. 613. 614.), cum ex adverso in systemate influxus physici anima in percipiendo a corpore pendeat (§. 565.); systema harmoniæ præstabilitæ multum favere libertati recte judicatur.

§. 633.

Necessitas motuum in corpore num cum libertate consistat.

Necessitas motuum, qui appetitionibus animæ in corpore respondent, non tollit libertatem in anima (§. 613 seq. 632. 617. 624.).

Quodsi objicias, motus in corpore non posse esse alios, quam quales observantur, v. gr. quando sedeo, impossibile fuisse, ut non sederem, adeoque cum anima motus alios velle nequeat, quam hos ipsos, qui in corpore dantur, eam necessario eosdem velle, non libere: nego consequentiam. Quamvis enim certum sit animam hoc momento, quo sedeo, hunc situm corporis appetituram; non tamen ideo sequitur, quod motum hunc necessario velit. Anima, inquit *Jaquelotus* de consensu fidei & rationis p. 381 sq. facultatem habet decreta sua formandi ac volendi quod placet. Et quod actiones corporis ab anima imperatas attinet, non potest officere libertati dispositio corporis ita a Deo formati, ut motus ejus præcise voluntatibus animæ respondeant, quod tali exemplo intelligi potest. Ponamus Mechanicum egregium scire, quæ ego famulo meo tali die sim imperaturus, eumque posse formare automatum par exequendis omnibus motibus a me ea die imperandis. Certum est me tunc automato illi tanquam famulo meo imperaturum ea, qua fruor, libertate, neque illam ipsius automati spontaneam ad suos motus determinationem quicquam libertati meæ præjudicaturam. Eodem modo se res habet in corpore humano secundum systema *Leibnitianum*, quod ideo appellari solet systema harmoniæ præstabilitæ. Deus formavit nostra corpora tanquam machinas, quæ debent respondere certis nutibus nostrarum animarum. Tale automatum non est impossibile Deo, qui novit omnes determinationes meæ voluntatis motusque machinæ his determinationibus accommodavit.

§. 634.

Harmonia præstabilita num tollat libertatem.

Systema harmoniæ præstabilitæ libertati non est adversum (§. 630 632. 624. 626. 633.) adde §. 544.

§. 635.

§. 635.

In systemate harmoniæ præstabilitæ actiones homini eodem jure imputari possunt, quo in systemate influxus physici (§. 632 sq. 565. 615. 621.).

Qualis actionum imputatio in systemate harmoniæ præstabilitæ locum habeat.

§. 636.

Difficultas de concursu Dei ad malum non major est in systemate harmoniæ præstabilitæ, quam in systemate influxus physici. Etenim qui circa concursum Dei ad malum difficultatem movent in systemate harmoniæ præstabilitæ, quasi Deus videatur causa peccati, hoc nituntur fundamento, quod Deus produxerit corpus, in quo exstituros noverat motus volitionibus animæ impiis, injustis ac sceleratis consentientes. Enimvero in systemate influxus physici noverat Deus, animam eosdem motus in corpore producturam & organis corporis abusuram ad implenda impia, injusta & scelerata sua desideria, & hoc tamen non obstante Deus corpus pariter ac animam produxit.

An concursus Dei ad malum in systemate harmoniæ majori difficultati obnoxius quam in systemate influxus.

§. 637.

In systemate harmoniæ præstabilitæ mechanismus corporis est nobis incomprehensibilis; non tamen probabilitate destituitur. Etenim motuum liberorum ingens per omnem vitam est numerus & voluntates diversarum animarum adeo in diversa abeunt, ut, quod unus appetit homo, idem aversetur alter &, quod unus aversatur, idem appetat alter. In systemate harmoniæ præstabilitæ motus isti producuntur per impressiones ab objectis sensibilibus in organa sensoria factas, atque adeo cum idem objectum in idem organum sensorium duorum hominum eodem modo agat, eadem impressione diversi motus in diversis subjectis producuntur, immo in quibusdam nullus eadem impressione producitur motus voluntarius. Nexus vero rerum materialium talis esse debet, ut tot per vitam hominis motus & diversi quidem in diversis subjectis ab eadem causa produci debeant. Nemo itaque hominum vel in uno corpore explicare distincte potest, quomodo motus isti producantur, etiamsi exemplo sit homo vitæ brevis. Cogitandum præterea est, quoniam homo cognitionis universalis capax & ratiocinando ad discursiva judicia pervenit, præterea operationibus intellectus rite usus beneficio ratio-

Incomprehensibilitas corporis humani in systemate harmoniæ præstabilitæ & ejus probabilitas.

rationis veritates incognitas detegere & quæ animo complexus est aliis explicare valet; in systemate harmoniæ præstabilitæ corpus humanum hæc omnia loquela oris proferret, etiamsi nulla existeret anima (§. 616.). Mechanismo igitur corporis perfici possent, quæ rationis opus sunt & facultatibus animæ immaterialibus orginem debent. Quodsi denuo hæc distincte explicari debeant vel in uno homine, id fieri haud quaquam poterit. Enimvero quæ distincte explicari a nobis nequeunt, ea quoque non comprehenduntur. E. *Quod erat unum.*

Enimvero cum motus isti voluntarii, si vel omnia corpora humana, quæ unquam in hoc mundo adspectabili extitere, vel nunc existunt, aut in posterum extitura sunt, spectentur, numero sint finiti, utut tam multi, ut eorum numerum nos inire minime valeamus; multitudo obstare non potest, quin Deus, cujus scientia, sapientia & potentia infinita est, iis prædeterminandis sufficiat. Et quia motus voluntarii non immediate nascuntur ex motu in organo sensorio ab objecto sensibili impresso & per fibrillas nerveas ad cerebrum usque propagato, sed mediantibus motibus aliis, quos per naturam imaginationis in diversis subjectis diversos esse constat, etiamsi ex eadem specie impressa ortum trahant (§. 224. 225.); nec in eo quicquam difficultatis est, quod per eandem impressionem in organum sensorium in diversis subjectis diversi excitentur motus voluntarii, in aliis prorsus nulli. Ex superioribus denique constat, non modo cognitionem universalem in corpore, verum etiam omnes operationes mentis in eodem mechanice repræsentari (§. 395. & seqq. 416.) & a sensatione omnes cogitationes originem ducere (§. 64.). Quamobrem cum nulla sit in anima mutatio, cui non motus quidam in cerebro respondeat; nec hoc pro impossibili habendum, quod ex ideis materialibus vocabulorum in cerebro nascantur motus organorum vocis, quibus eadem efferuntur. Quoniam itaque per solum systema harmoniæ præstabilitæ commercium inter mentem & corpus intelligibili modo naturaliter explicabile (§. 620. 574. 603.); mechanismo autem corporis, qui in eodem supponi debet, nihil obverti potest, quod ejus impossibilitatem loquatur; mechanismus corporis in systemate harmoniæ præstabilitæ probabilitate non destituitur.

§. 638.

§. 638.

Systema harmoniæ præstabilitæ admodum probabile (§. 620. 622 sq. 637. 624. 626. 617. *rat.* 549 sq. *Log.*). Probabilitas systematis harmoniæ præstabilitæ.

§. 639.

Systema harmoniæ præstabilitæ ceteris systematis explicandi commercium animæ & corporis, systemati influxus physici scilicet (§. 574. 583 sq. 588. coll. §. 620. 637 sq. 4.) *& systemati causarum occasionalium* (§. 593. 603. 608. coll. §. 620. 622 sq. 629. 638. 4.), *in Psychologia rationali præferendum.* Quodnam systema ceteris præferendum.

§. 640.

Si quis hebetior fuerit, quam ut philosophicam scientiam capere possit, vel infirmior, quam ut inoffensa pietate systemati harmoniæ præstabilitæ assentiatur; is systema influxus physici amplectatur & systema harmoniæ præstabilitæ, si velit, damnet, modo sibi temperet a malitia. Officium philosophi hebetioribus & infirmioribus debitum.

Sequimur hic *Keplerum*, qui cum in Introductione ad Commentarios de Motibus stellæ Martis causam *Copernici* pro virili egisset, tandem ita concludit: Qui hebetior est, quam ut astronomicam scientiam capere possit, vel infirmior, quam ut inoffensa pietate *Copernico* credat; ei suadeo, ut missa schola astronomica, damnatis etiam si placet philosophorum quibuscunque placitis, suas res agat & ab hac peregrinatione mundana desistens domum ad agellum suum excolendum se recipiat, oculisque, quibus solis videt, in hoc adspectabile cœlum sublatis, toto pectore in gratiarum actionem & laudes Dei conditoris effundatur certus, se non minorem Deo cultum præstare quam Astronomum, cui Deus hoc dedit, ut mentis oculo perspicacius videat, quæque invenit super iis Deum suum & ipse celebrare possit & velit.

§. 641.

Systema harmoniæ præstabilitæ non extendendum est ad operationes gratiæ, ad quas nec systema influxus physici extendi potest (§. 530. 612.). An systema harmoniæ præstabilitæ ad operationes gratiæ extendendum.

§. 642.

Si Deus supernaturaliter modificat animam, in systemate harmoniæ præstabilitæ supernaturaliter quoque modificare debet corpus. Quales sint operationes gratiæ in eodem systemate.

corpus. Ponamus enim per operationes gratiæ a Deo produci appetitionem. Datur itaque in anima appetitio, quæ non enata est ex perceptione aliqua vi animæ producta, aut saltem non naturaliter inde enata. Quoniam itaque in corpore non dantur ideæ materiales, nisi quæ respondent perceptionibus naturaliter productis, nec ex ideis materialibus nascuntur motus fluidi nervei, per quod organorum corporis motus determinantur, nisi quatenus appetitiones in anima ex perceptionibus naturaliter nascuntur; si conservari debet harmonia animæ & corporis (§. 612.), necesse utique est, ut Deus tunc supernaturaliter quoque motum convenientem in corpore producere debeat.

In hoc differt systema harmoniæ præstabilitæ a systemate influxus physici, quod in illo non possit concipi mutatio quædam supernaturalis in una substantia, quin simul consentiens quædam mutatio supernaturalis etiam admittenda sit in altera, in hoc autem posita mutatione quadam supernaturali in una substantia mutatio eidem consentiens in altera naturaliter consequi possit. Ponamus enim in anima a Deo produci appetitionem quandam supernaturaliter, in systemate influxus physici anima motum convenientem influendo vi sua naturaliter producere potest, nec opus est, ut Deus eandem supernaturaliter determinet. Ponamus ex adverso Deum in cerebro supernaturaliter producere ideam aliquam materialem; vi inde in animam influente perceptio conveniens naturaliter excitabitur. Enimvero ex hac differentia nihil adversus harmoniam præstabilitam absurdi concluditur.



SECTIO

SECTIO IV.

DE

VARIIS ANIMÆ ATTRIBUTIS, SPIRITU IN GENERE ET ANIMABUS BRUTORUM.

CAPUT I.

DE

SPIRITU IN GENERE ET SPIRITUALITATE ANIMÆ IN SPECIE.

§. 643.

Per *Spiritum* intelligimus substantiam intellectu & voluntate libera præditam. Spiritus definitio.

§. 644.

Elementa rerum materialium spiritus non sunt (§. 182. 176. 180. 295. *Cosmol.* 643. *rat.*). An elementa corporum sint spiritus.

§. 645.

Anima humana spiritus est (§. 275. 880. 941. *emp.* 48. 643. *rat.*). Spiritualitas animæ.

§. 646.

Spiritus perfectissimus est, qui intellectu perfectissimo & voluntate perfectissima gaudet. Spiritus perfectissimi definitio.

§. 647.

Intellectus perfectissimi definitio.

Intellectus perfectissimus dicitur, qui omnia possibilia sibi repræsentat distincte (§. 503. *Ontol.*).

§. 648.

Magnitudo intellectus perfectissimi.

Intellectus perfectissimus est omnium maximus, seu absolute summus (§. 278. *emp.* 647. *rat.*).

§. 649.

Magnitudo intellectus spiritus perfectissimi.

Spiritui perfectissimo intellectus omnium maximus seu absolute summus est (§. 646. 648.).

§. 650.

Voluntatis perfectissimæ definitio.

Voluntas perfectissima dicitur, quæ non appetit nisi optimum (§. 904. *emp.*).

§. 651.

Voluntas spiritus perfectissimi.

Spiritus perfectissimus nonnisi in optimum fertur (§. 646. 650.).

§. 652.

Intellectus spiritus perfectissimi qualis sit.

Intellectus spiritus perfectissimi illimitatus est (§. 646 sq. *rat.* coll. §. 275. *emp.* 468. *Ont.*).

Unde non mirum, quod sit omnium maximus seu absolute summus (§. 648.). Limites enim in causa sunt, quod unum altero majus concipi possit. Quamobrem remotis limitibus prodire debet, quod est in suo genere maximum.

§. 653.

Voluntas spiritus perfectissimi qualis.

Voluntas spiritus perfectissimi illimitata est (§. 880. 904. 898. *emp.*). Voluntas igitur limitari nequit, nisi quatenus bonum apparens præfert bono vero & bonum minus majori, consequenter omnem respuit limitem, si constanter fertur in id, quod est optimum. Jam vide §. 651. *rat.*

§. 654.

Intellectus hominis qualis sit.

Intellectus hominis admodum limitatus est. Limitatus est valde quoad objectum (§. 468. *Ont.*) & quoad modum (§. 186 sq. *rat.* coll. §. 279. *emp.*).

§. 655.

§. 655.

Voluntas humana admodum limitata est. Quoniam voluntas non appetit, nisi quod nobis repræsentamus tanquam bonum quoad nos (§. 904. *Psychol. empir.*) & ex pluribus bonis alteri præfert, quod judicatur melius (§. 898. *Psych. empir.*); ob limitationem intellectus accidit, ut bonum judicetur, quod non est, immo ut melius judicetur, quod pejus est. Limitatio voluntatis humanæ.

§. 656.

Anima humana a spiritu perfectissimo infinito intervallo distat, seu eidem incomparabilis (§. 654 sq. 652 sq. *rat.* 904. 898. *empir.*). Differentia animæ a spiritu perfectissimo quanta sit.

Videatur nostrum specimen Physicæ ad Theologiam naturalem applicatæ, quo sistitur notio intellectus divini ex operibus naturæ illustrata.

§. 657.

Quoniam anima humana a spiritu perfectissimo infinito intervallo distat; nequaquam implicat, dari spiritus anima humana perfectiores diverso perfectionis gradu. *Spiritus* itaque *anima humana diverso gradu perfectiores possibiles sunt* (§. 85. *Ontol.*). An dentur spiritus anima humana perfectiores.

An actu dentur, solo rationis lumine usus definire nequeo; neque enim reperio rationes, quibus id evincatur.

§. 658.

Omnis spiritus substantia simplex est (§. 643. *rat.* 275. 38. 23. *emp.* 119. *Cosm.* 44. 46 *rat.* 685. *Ont.*). Simplicitas spirituum.

§. 659.

Ergo *Spiritus quoque perfectissimus*, utpote in spirituum numero contentus (§. 643. 646.), *substantia simplex est* (§. 658.). Spiritus perfectissimi simplicitas.

§. 660.

Nullus spiritus ex alio spiritu existente oriri potest (§. 658. *rat.* 688. *Ontol.*). Spiritus unius ex altero ortus impossibilitas.

Etsi spiritus quoque perfectissimus, qui Deus est, sit ens simplex; non tamen inde sequitur, quod a Deo ortum habere nequeant spiritus

 finiti.

finiti. Neque enim oriuntur ex Deo, quemadmodum corpora ex materia praexistente: quod ut rectius intelligatur, probe perpendendum est, si spiritus ex Deo orirentur, eos aut esse debere particulam aliquam substantiæ divinæ, quod simplicitati repugnat & ideo tanquam erroneum a rectius sentientibus omni ævo rejectum; aut ipsam substantiam divinam in spiritum finitum, vel ejus particulam in eundem transformari debere: quorum istud immutabilitati divinæ contrariatur & adeo absurdum visum omni tempore, ut nemo unquam philosophorum de eo ne quidem somniaverit; hoc vero & simplicitatem & immutabilitatem divinam simul evertit. Et ex eadem ratione rejicitur illorum error, qui sibi imaginantur, spiritus finitos ex Deo emanasse, cum ne hoc quidem simplicitati divinæ conveniat. Christus propositionem eandem confirmat de angelis, quando generandi potentiam iisdem denegat. Dum enim nulla inter angelos matrimonia esse docet Matth. XXII, 30. hoc ipso insinuat spirituum genus non propagari per generationem, quemadmodum hominum in præsente seculo. Quoniam vero matrimonii fundamentum est generandi potentia; ubi matrimonio locus non est, ibi generandi potentia deficere debet.

§. 661.

Spiritus quomodo oriri possit.

Spiritus aut necessario existit, aut, si contingenter existit, rationem existentiæ suæ sufficientem in ente necessario habet, & ab eo ex nihilo produci debet (§. 658. rat. 689. 881. 866. Ont.).

Consona hæc sunt scripturæ sacræ: in ea enim docemur, Deum, spiritum perfectissimum, necessario existere; angelos vero, spiritus finitos, a Deo creatos fuisse.

§. 662.

Spiritus necessarii & contingentis differentia

Spiritus necessarius dicitur, qui necessario existit: *Spiritus* vero *contingens appellatur*, qui contingenter existit.

§. 663.

Dependentia spiritus contingentis a necessario in existendo.

Spiritus contingens ab ente simplici necessario ex nihilo produci debet (§. 662. 661. rat. 685. Ont. 658. rat. 687. Ont.).

§. 664.

Ortus spiritus contingentis qualis sit.

Ortus spiritus contingentis instantaneus est (§. 662. 658. rat. 694. Ontol.).

§. 665.

§. 665.

Ortus spiritus contingentis notio distincta formari nequit (§. 662. 658. *rat.* 695. *Ont.*).

Notio ortus spiritus contingentis qualis.

§. 666.

Corrumpi dicitur, quod dissolutione in partes dissolvitur. Et id *corruptibile* dicitur, quod ita interire potest. Ex adverso vero *incorruptibile* est, quod corrumpi nequit.

Corruptibile quid sit.

§. 667.

Corpora corruptibilia sunt (§. 119. *Cosm.* 531. *Ont.* 140. *Cosm.* 541. *Ont.* 666. *rat.*).

Corruptibilitas corporum.

§. 668.

Spiritus eo modo interire nequit, quo corpora intereunt (§. 658. *rat.* 119. *Cosm.* 697. *Ont.*).

Interitus corporis spiritui repugnat.

§. 669.

Quoniam quotidie experimur corpora dissolutione partium interire; evidens est spiritus hoc modo interire non posse (§. 668.). *Spiritus* itaque *omnis incorruptibilis est*

Incorruptibilitas spiritus.

§. 670.

Spiritus interire nequit, nisi per annihilationem (§. 658. *rat.* 698. *Ont.*).

Quomodo spiritus interire possit.

§. 671.

Si spiritus interit in instanti interit (§. 658. *ration.* 699. *Ontol.*).

Interitus spiritus instantaneus.

§. 672.

Interitus spiritus nulla notio distincta formari potest (§. 671. *rat.* 693. 584. *Ont.* 37. *Log.*), *nec nos ullam ejusdem notionem habemus* (§. 670.).

Notio interitus spiritus qualis.

§. 673.

Omnis spiritus rationalis est (§. 643. *rat.* 325. 492. *empir.* 455 *sq. rat.*).

Rationalitas spiritus.

§. 674.

Cognitio philosophica cur sit spirituum.

Quoniam cognitio philosophica rationis est (§. 499. *Psych. empir.*), spiritus autem omnis rationalis (§. 673.), adeoque ratione præditus est (§. 451.); *Omnis spiritus cognitionis philosophicæ capax est.*

§. 675.

Spiritui memoria competit.

Spiritus memoria gaudent (§. 673. 451 sq. 463.).

§. 676.

Qualis sit spirituum memoria.

Spiritui qua tali competit memoria intellectualis (§. 643. *rat.* 275. 175. *emp.* 279. *rat.*).

§. 677.

Usus memoriæ in spiritibus.

Quoniam memoria intellectualis consistit in judicio, quod ideam aliquam jam ante habuimus (§. 281.); *spiritus judicare potest, quod ideam aliquam jam ante habuerit*, consequenter *ideas, quas habuit, reproducere valet*, adeoque *præteritorum meminit* (§. 226. *Psych. emp.*).

§. 678.

Sapientiæ definitio.

Sapientia est scientia actionibus liberis fines naturæ suæ convenientes præscribendi & media ad eos ducentia eligendi finesque particulares ita sibi invicem subordinandi, ut propiores fiant media remotiorum.

In sapientia igitur tria spectanda sunt, nimirum 1. finis determinatio, 2. mediorum electio, 3. finium particularium subordinatio. Finium ratio sufficiens in natura agentis contineri debet, cum non intendere debeat nisi quod se deceat. Media talia sint necesse est, ut per ea finem, quem intendit agens, consequatur. Finium particularium subordinatio legitima est, si propiores referantur ad remotiores sicuti medium ad finem.

§. 679.

Gradus sapientiæ a finis determinatione pendent.

Quoniam ad sapientiam requiritur finium convenientium determinatio (§. 678.); *Quo rarius quis in determinando fine a convenientia cum natura sua aberrat, eo sapientior est.*

Triplicem esse graduum sapientiæ fontem ex definitione ipsius intelligitur.

ligitur. In gradibus adeo sapientiæ æstimandis ad singulos fontes recurrendum, ne per præcipitantiam statuatur.

§. 680.

Ex eadem ratione intelligitur, *sapientiorem esse qui scit distinguere inter finem magis vel minus sibi convenientem.* Dicitur nimirum *finis magis convenire agenti*, si plura eidem insint vel adsint, per quæ intelligitur, cur hunc potius sibi finem præstituere debeat, quam alium. Alius gradus.

Tenendum hic, etsi dicamus finem naturæ agentis convenire debere, non tamen in omni casu recurrendum esse ad ea, quæ agenti per essentiam adeoque constanter insunt, sed etiam respiciendum esse ad statum tam internum, quam externum, modo caveatur, ne status perfectioni entis essentiali repugnet.

§. 681.

Finis optimus dicitur, qui agenti ex asse convenit, hoc est, qui ceteris præferendus agnoscitur, ubi ad omnes determinationes, quæ agenti insunt, vel extrinsecus superaccedunt, respexeris. Finis quinam optimus.

Haud facile est in dato casu judicare, quinam finis sit optimus. Unde qui sapientissimi hominum habentur, ultro profitentur sibi hunc finem videri optimum, quatenus scilicet meliorem non agnoscunt.

§. 682.

Quia sapientiæ est eligere media, quæ ad finem ducunt, ut eodem potiamur (§. 678.); *quo rarius quis in eligendis mediis a vero aberrat, eo sapientior est.* Gradus a mediorum electione pendentes.

§. 683.

Ex eadem ratione intelligitur, *sapientiorem esse debere, qui media eligit ad finem consequendum magis apta, quam minus apta:* id quod evidentius hoc modo patet. Finis, quem intendimus, plerumque multa involvit. Atque ideo *magis* dicitur *consequi finem*, qui plura ex iis consequitur, quam qui pauciora. Jam cum finis consequendi gratia agamus (§ 932. *Ontol.*), omnia ea intendimus, quæ in eodem involvuntur, & media non sunt talia, nisi quatenus per ea actum consequuntur, quibus Gradus alii.

bus finis constituitur (§. 937. *Ontol.*). Quoniam itaque sapientes non probamus, quatenus scimus, quid fieri debeat, ut finis ad actum perducatur, consequenter ut ea actum consequantur, quibus finis constituitur (§. 678.); si quis eligit media ad finem ex parte consequendum tantummodo apta, is defectum illius scientiæ, consequenter sapientiæ, prodit. Quamobrem cum defectus tanto sit major, quo minus finem consequitur; tanto minor autem, quo magis eundem consequitur; sapientior omnino est, qui media eligit ad finem consequendum magis, quam minus apta.

§. 684.

Finem ex asse quinam consequatur.

Ex asse dicitur agens *consequi finem*, si vi mediorum ad actum perducantur ea omnia, quibus constituitur.

§. 685.

Media per ambages & via brevissima ad finem ducentia.

Media per ambages ad finem ducunt, si finis consequendi gratia fiunt, quæ omitti poterant, vel si paucioribus factis finem consequi datur: *via brevissima ad finem ducunt*, si finis consequendi gratia non fit, quod omitti poterat, seu si nonnisi ea fiunt, quibus positis demum ponitur finis.

§. 686.

Alius sapientiæ gradus.

Sapientior est, qui via breviori ad finem tendit, quam qui per ambages incedit (§. 685.). Cum igitur non alia esse possit ratio, cur superflua faciat, quam quod ea ad finem consequendum necessaria existimet, nec alia esse queat ratio, cur operosius finem consequi studeat, quem multo minore opera obtinere poterat, quam quod media simpliciora dari ignoret; incessus per ambages in utroque casu ignorantiam & in priori errorem in mediorum electione arguit: quod sapientiæ contrariatur (§. 679.). E.

§. 687.

Cautio in dijudicandis ambagibus adhibenda.

Si quis juxta finem primarium alium adhuc secundarium simul consequi studet, ac ideo facit, quod finis primarii solius consequendi gratia non facit; is per ambages non incedit. Etenim qui una cum fine primario alium adhuc secundarium simul consequi studet, is ea utique facere tenetur, quæ fieri oportet ut

ut fine utroque potiatur. Quamobrem etsi faciat, quæ ad finem primarium consequendum necessaria non sunt, cum tamen fieri debeant, ubi finem secundarium simul consequi voluerit *ex hypothesi;* per ambages quod incedat dici haud quaquam potest (§. 685.).

Cum in natura rerum infiniti sint fines, qui miris modis invicem implicantur; haud raro accidit, ut non attentis finibus secundariis respectu solius primarii pro ambagibus habeantur, quæ non sunt. Necesse igitur est, ut ambages apparentes a veris discernere discamus: quo propositio præsens conducit. Antequam igitur judicium fieri possit, utrum per ambages, an via brevissima ad finem tendatur; fines omnes ab agente simul intenti perspecti nobis esse debent. Id vero præterea notandum est, viam brevissimam non cognosci ex eo, quod ceteris, quas cognoscimus, sit brevior; sed accurata demonstratione evincendum esse quod impossibile sit dari viam aliam breviorem, quæ vel ad finem primarium solum, quem unice intendimus, vel ad secundarios simul consequendum, quos una intendimus, ducat.

§. 688.

Quo plures fines particulares sibi invicem ita subordinantur, ut propiores sint media remotiorum; eo sapientia major (§. 678.). Gradus sapientiæ a finium subordinatione pendentes.

De hac finium subordinatione adeo parum cogitant homines, ut propemodum res inaudita videatur, cum tamen sit quod in sapientia maxime sublime deprehenditur, ut adeo hoc inprimis nomine sapientia rerum sublimium scientia dici mereatur, si eam elogiis ornare decreveris. Habes vero hic tertium graduum sapientiæ fontem, qui magna nobis ac præclara in moralibus pollicetur.

§. 689.

Sapientia summa atque perfectissima est scientia constituendi fines optimos, eligendi media, quæ certo & via brevissima ad eundem ducunt, & quibus finem ex asse consequi datur (§. 678. 680. 679. 682 sq. 685. 688. 681.), *finesque omnes particulares ita sibi invicem subordinandi, ut remotiorum media sint propiores & omnes tandem simul medium finis ultimi (§. 503. 519. Ont.).* Sapientia quænam summa.

Cum hoc universum pendeat a sapientia Dei, hæc notio inservit plurimum cognoscendæ intimius dependentiæ hujus universi a Deo & ideo in Theologia notionis directricis munere fungitur, ut sapientiam Dei ex operibus naturæ scrutemur. Et quoniam non minus regnum gratiæ, quam naturæ a sapientia Dei pendet; eadem notio nos manuducit non modo ad scrutandam sapientiam Dei, sed alia quoque ejusdem attributa, ubi inquirimus qualem se Deus per œconomiam gratiæ probaverit.

§. 690.

Anima sapientia summa caret.

Quoniam nemo non in semetipso experitur, quod sæpius finem intendat sibi parum convenientem & eum præferat, qui minus altero sibi convenit; quod freqnenter admodum in eligendis mediis a fine aberret & media ad finem consequendum minus apta præferat melioribus, & quam raro finem ex asse consequatur, quam sæpe per ambages ad eundem tendat; quod denique de subordinatione finium particularium per modum mediorum ad remotiores tandemque ad ultimum ne cogitemus quidem: ultro unusquisque concedere tenetur, *animam sapientia summa non esse instructam, sed longissimo potius intervallo ab eadem distare (§.689.).*

§. 691.

Limitatio sapientiæ humanæ.

Sapientia humana quoad singulas ejus partes admodum limitata est. Ex §. 678. discis, tria sapientiam involvere. Jam 1) de finis determinatione vide §. 679 seq. *rat.* 468. *Ontol.* 2) de mediorum electione conf. §. 682 seq. 686. *rat.* 468. *Ontol.* 3) de finium particularium subordinatione lege §. 688. *rat.* 468. *Ont.*

§. 692.

Neminem in omnibus esse sapientem.

Nemo hominum in omnibus est sapiens (§. 678.).

§. 693.

Cur spiritus sit sapientiæ capax.

Spiritus sapientiæ capax est. Ex §. 678. *rat.* coll. §. 367. *emp.* elucet, sapientiæ locum non esse sine operationibus intellectus, consequenter eam non cadere nisi in ens intellectu præditum. Jam vide §. 643.

§. 694.

§. 694.

Nullus spiritus limitatus perfectissimus esse potest (*§. 643. rat.* coll. *§. 468. Ont. 652 sq. rat.*).

Spiritus limitatus cur non sit perfectissimus.

§. 695.

Omnis spiritus limitatus finitus est (*§. 468. Ont. 643. rat. 705. 837. Ont.*).

Spiritum limitatum esse finitum.

Finitum & limitatum vulgo pro synonymis habentur, adeoque mirabuntur nonnulli, cur hic demum probetur, spiritum limitatum esse debere finitum. Enimvero cum *ens illimitatum* sit, cujus determinationes essentiales respuunt limites, adeoque *spiritus illimitatus* dicendus sit, cujus intellectus & voluntas omnem limitem respuunt; ens autem infinitum reale a finito reali in oppositione ad infinitum & finitum mathematicum, quod imaginarium est (§. 805. *Ontol.*), ita discreverimus, quod infinitum habeat omnia simul, quæ eidem actu inesse possunt (§. 838. *Ontol.*), finitum vero eadem non nisi successive experiatur (§. 837. *Ont.*): nobis utique ostendendum erat ex limitatione intellectus & voluntatis consequi finitudinem spiritus.

§. 696.

Cum solo rationis lumine usus definire nequeam, an spiritus finiti præter animas nostras dentur alii (*not.* §. 657.), quæ vero scriptura sacra magistra discimus, ad forum Theologorum spectent, nec temere in philosophiam inferri debeant; nostrum quoque non est inquirere, num spiritus finiti, quos angelos dicit scriptura, habeant corpora & quomodo ipsorum perceptiones motibus in corpore factis ac vicissim motus corporis volitionibus consentiant; multo minus autem nostrum est inquirere in differentiam spirituum bonorum & malorum, quam scriptura sacra satis perspicue exponit.

Cur non plura de spiritibus traduntur.

CAPUT II.

DE

ANIMÆ ORTU, UNIONE CUM CORPORE ET IMMORTALITATE.

§. 697.

Creationis definitio.

Creatio appellari solet productio ex nihilo, seu non præexistente (§. 690. *Ont.*).

§. 698.

Qualis esse possit ortus animæ.

Si anima humana oritur, oriri aliter nequit, quam per creationem (§. 48. ration. 541. 294. 691. Ontol. 697. ration.).

§. 699.

Creatiani quinam dicantur.

Creatiani appellantur, qui ortum animæ per creationem defendunt.

Ubi vero animas a Deo creari statuis, duplex est de ejus creatione quæstio, scilicet num in prima statim creatione conditæ fuerint, an vero tum demum creentur, quando corpus in utero formatur. Vulgo *Creatiani* defendunt tum demum creari animas, quando infans in utero vitam hominis vivere incipit.

§. 700.

Impossibilitas propagationis animæ per parentes.

Si anima humana oritur, a parentibus cum corpore generari nequit. Si enim anima a parentibus propagaretur, aut anima infantis orietur ex animabus parentum, aut ex materia seminis, unde corpus generatur. Non ex animabus (§. 48. *ration.* 688 *Ontol.*). Neque ex materia seminis (§. 141. *Cosm.* 549. 531. 687. *Ontol.*).

§. 701.

Animæ a parentibus ortus hypothesi Materialistarum conveniens.

In Materialistarum hypothesi anima a parentibus cum corpore generatur (§. 35.).

Sane

Sane Materialistis debetur hypothesis de ortu animæ a parentibus per generationem. Hinc inter Ecclesiæ primitivæ Patres *Tertullianus*, quem Materialistam fuisse constat, hanc animæ originem defendit.

§. 702.

Generatio animæ a parentibus facta seu ejus ex corpulentis seminibus ortus dicitur *Propagatio animæ per traducem.* Et qui propagationem animæ per traducem defendunt, vocantur *Traduciani.*

Traduciani quinam dicantur.

§. 703.

Quoniam anima a parentibus una cum corpore generari nequit (§. 700.); *ejus per traducem propagatio impossibilis* (§. 702.).

Propagatio animæ per traducem rejicitur.

§. 704.

Animæ præexistunt in corpusculis organicis præexistentibus, ex quibus fœtus in utero formatur. Hodie pro certo atque explorato habetur, fœtum in utero materno non generari ex massa seminis rudi atque indigesta, sed ex corpusculo organico præexistente, sive organicum istud corpusculum sit animalculum spermaticum, sive quodcunque aliud rudimentum fœtus. Enimvero quoniam generatio non admittitur nisi ex præexistente organico, quia vi corporum ex massa rudi & indigesta, quam chaos dicimus, organicum quid formari concipi nequit; corpuscula præexistentia organica aut necessario existunt, ita ut impossibile sit materiam existere alia forma, aut in primo rerum ortu creata fuere. Jam animæ tanquam substantiæ simplices (§. 48.) itidem aut necessario existunt (§. 689. *Ontol.*), aut, si oriantur, per creationem oriri debent (§. 698.). Quamobrem sive animas & corpuscula organica, quæ fœtuum rudimenta continent, necessario existere fingas; sive utramque substantiam a Deo creatam esse in prima rerum creatione ponas; evidens est animas humanas præexistere debere in corpusculis organicis, ex quibus fœtus in utero formatur.

Præexistentia animarum.

§. 705.

Quoniam corpuscula illa organica, quæ rudimenta fœtus continent, vel cum semine maris, vel cum ovulo fœminæ in uterum

Quomodo anima in fœtum immittatur.

uterum deferuntur, cum constet conceptionem fœtus non aliunde quam ab immissione seminis maris & delatione ovuli in uterum pendere; *animas cum corpusculis organicis, quæ fœtus rudimenta continent, in uterum matris deferri patet.*

Verum est, animas esse substantias simplices, easque a Deo fuisse creatas: & scripturæ sacræ convenit tum creatio, tum quod facta sit in prima rerum origine. Etenim ab angelis tanquam spiritibus, adeoque substantiis simplicibus (§. 658.), removet potentiam generandi, quæ adeo neganda quoque est ex ipsius mente de animabus, & ideo animarum Deo tribuenda creatio. Jam vero Deus die septimo a creando cessasse legitur, unde Theologi recte colligunt, quod hodie nil amplius creet, seu ex nihilo producat. Scripturæ igitur convenit creatio animarum in prima statim creatione a Deo facta. Non absimili prorsus modo idem evincitur de primis staminibus fœtuum.

§. 706.

In quali statu anima præexistat.

Dum anima in corpusculo organico præexistente, quod fœtus rudimenta continet, aut, si ita videtur, in animalculo spermatico præexistit, in statu perceptionum confusarum est. Si negas; sit ea in statu perceptionum distinctarum. Jam conf. §. 225. *rat.* 175. *empir.* 705 *Ont.* 226. *empir.* Enimvero nemo unquam mortalium tale quid observavit, sed in confesso potius est penes omnes, nos status præexistentiæ neutiquam recordari, immo ne quidem recordari status, quem in utero experti sumus, aut dum in cunis vagivimus. E.

Vim hujus argumenti rectius percipit, qui perpendit animam nunc recordari statuum præteritorum, quia est in statu perceptionum distinctarum & ad perceptiones distinctas animum advertit. Quamobrem ubi cessat recordatio, ibi quoque cessare debet recordationis ratio, propterea quod posita ratione sufficiente ponatur etiam id, quod propter eam potius est quam non est (§. 118. *Ontol.*).

§. 707.

Quales sint perceptiones animæ in statu præexistentiæ.

Quoniam anima est in statu perceptionum confusarum seu obscurarum, si perceptiones partiales obscuræ sunt (§. 47. *Psychol. empir.*), consequenter etiam totalis obscura est (§. 46. *Psychol. empir.*); *Quamdiu anima in animalculis spermaticis seu rudi-*

rudimentis fœtus præexiſtit, hoc eſt, ſi brevius loqui ames, *in ſtatu præexiſtentiæ, perceptiones nonniſi obſcuras habet.*

Equidem non nego fieri poſſe, ut perceptionibus obſcuris admixtum ſit aliquid claritatis; ſed id adeo exiguum eſſe debet, ut ideo perceptiones ex numero obſcurarum eximi & in numerum clararum referri minime mereantur. Patebunt hæc ex ſequentibus, ubi oſtendemus qualem anima in percipiendo typum ſequi debeat in ſtatu præexiſtentiæ.

§. 708.

Cur anima apperceptione careat & memoria.

Si perceptiones partiales ſingulæ obſcuræ ſunt, *anima* ſibi rerum perceptarum atque ſui conſcia eſſe nequit (§. 16.). *In ſtatu* igitur *præexiſtentiæ rerum perceptarum atque ſui conſcia eſſe nequit*, conſequenter *apperceptione caret* (§. 25 *Pſychol. empir.*), *itidemque memoria* (§. 174. 175. *Pſych. emp.*).

Atque jam ſatis patet, quænam differentia intercedat inter ſtatum animæ præſentem & ſtatum præexiſtentiæ, quorum ſtatuum intermedius quaſi eſt, dum infans ex utero in lucem primum editur. Etenim tum tanta eſt perceptionum partialium claritas, quæ ad ſtatum perceptionum diſtinctarum ſufficit (§. 44 45 *Pſychol. empir.*); ſed dum anima attentioni nondum adſueta, qua quippe caruit in ſtatu præexiſtentiæ (§. 237. *Pſychol. empir.* & §. 707. *Pſychol. ration.*), plurimum adhuc cum ſtatu præexiſtentiæ commune habet, quatenus ſigillatim perceptibilia actu mentis reflexo nondum diſtinguit.

§. 709.

Cur uſu intellectus & rationis destituatur.

In ſtatu præexiſtentiæ anima caret operationibus intellectus (§. 707. *rat.* 275 *empir.* coll. § 330. 343 ſqq. 354 ſqq. *empir.*) *& uſu rationis* (§. 456. *rat.*).

§. 710.

Mutatio animæ accidens in formatione fœtus.

Dum fœtus in utero formatur, anima e ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum transfertur (§. 704. 706.). Enimvero conſtat hominem in lucem editum ſibi conſcium eſſe ſuarum perceptionum, aut, ſi mavis, ſui rerumque perceptarum. Fœtus igitur, ubi perfecte formatus in lucem editur, eſt in ſtatu perceptionum diſtinctarum (§. 13.). Evidens adeo eſt, dum

dum fœtus in utero formatur, animam e ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum transferri.

§. 711.

Quomodo contingat.

Translatio animæ e ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum naturalis atque ſucceſſiva eſt. Aut enim per eſſentiam animæ poſſibile eſt, ut ex ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum perveniat, aut non. Ponamus per eſſentiam ejus fieri non poſſe, ut ex ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum perveniat. Quoniam per eſſentiales determinationes non intelligitur, cur hoc fieri poſſit; nulla in eſſentia continetur ratio, cur fieri poſſit, ut ex ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum perveniat (§. 56. *Ontol.*). Neceſſe igitur eſt, ut determinationes eſſentiales, quas habet in ſtatu præexiſtentiæ, mutentur in alias, conſequenter ut anima præexiſtens annihiletur & ejus loco alia producatur: quod cum ſit abſurdum, ponendum utique eſt per eſſentiam animæ poſſibile eſſe, ut in ſtatum perceptionum diſtinctarum ex ſtatu confuſarum perveniat. Jam conf. §. 60. 55. 57. 66 ſq. Vi ergo illa e ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum transfertur (§. 56. *Ontol.*). Translatio igitur hæc animæ naturalis eſt (§. 69.). *Quod erat unum.*

Conſtat vero infantem recens natum, etſi ſit in ſtatu perceptionum diſtinctarum, plurimum tamen confuſioni adhuc obnoxium eſſe atque ex ea demum ſucceſſive ſeſe extricare & ad uſum intellectus atque rationis pervenire. *Quod erat alterum.*

§. 712.

Diſpoſitio naturalis in ſtatu præexiſtentiæ ad claras perceptiones.

Animæ humanæ in ſtatu præexiſtentiæ inſunt diſpoſitiones naturales ad perceptiones claras atque diſtinctas (§. 706.). Quamdiu ergo in corpuſculo organico præexiſtit, ex quo aliquando corpus ipſius formari debet in utero, deficit potentia clare ac diſtincte aliquid percipiendi (§. 704. *Pſychol. rat.* & §. 31. 32. 38. *Pſychol. empir.*). Enimvero dum fœtus in utero formatur, e ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum transfertur (§. 710.), adeoque tum poſſibile eſt per eſſentiam & naturam animæ, ut clare & diſtincte quid percipiat, ſine ulla prævia mutatione

tatione intrinseca, consequenter animæ jam inest potentia clare ac distincte quidpiam percipiendi (§. 716. 170. *Ontol.*). Et quidem hæc potentia est animæ naturalis (§. 711. *rat.* 426. *emp.*).

Hinc corruit objectio, quasi anima humana prodeat ex substantia simplici inferioris gradus, & eadem facilitate anima alicujus bruti fieri poterat, quæ nunc fit anima humana. Qui enim ita ratiocinantur, non satis intelligunt, quid sibi velit principium rationis sufficientis, quod non admittit mutationes in ente aliquo nisi per determinationes ipsi intrinsecas explicabiles.

§. 713.

Anima continua perceptionum obscurarum evolutione, diminuto successive obscuritatis gradu, tandem ad claras pervenit (§ 425. *emp.* 706. *rat.* 313. *emp* 712. *rat.* 426. *emp.* 710. *rat.*). Quomodo potentia clare quid percipiendi acquiratur.

Qui satis perpendit, quæ de involutione idearum earumque evolutione in theoria superiori de anima dicta sunt, is successivas mutationes, quibus anima e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transfertur, optime concipiet.

§. 714.

Hinc denuo patet (§. 711.), *animam ex statu perceptionum confusarum in statum distinctarum successive transferri.* Successiva translatio ex statu perceptionum confusarum in statum distinctarum.

§. 715.

Anima in statu præexistentiæ sibi repræsentat hoc universum convenienter mutationibus, quæ in animalculo spermatico vel in corpusculo organico stamina fœtus continente contingunt (§. 62. 66 sq. 704. 706.). Lex perceptionum in statu præexistentiæ.

§. 716.

Si anima in statu præexistentiæ sibi repræsentat hoc universum convenienter mutationibus, quæ in corpusculo præexistente contingunt; perceptiones ejus eam claritatem habere nequeunt, quam nunc habent, nec distinctæ esse possunt, quales nunc sunt. Ratio cur in statu præexistentiæ perceptiones sint obscuræ & nimis confusæ. Corpusculum istud organicum, ex quo per evolutionis quandam speciem formatur corpus infantis in utero, cum semine maris in uterum defertur. Quamobrem cum in semine maris non observemus nisi animalcula spermatica; corpusculum præexistens

aut erit animalculum ſpermaticum, aut aliud corpuſculum eodem minus. Enimvero animalcula ſpermatica tantæ exilitatis ſunt, quam vix concipere mente, nedum imaginari licet, atque adeo patet, quam exiles eſſe debeant materiæ particulæ, quæ impreſſionem quandam in organa iſtorum animalculorum facere iisque mutationem quandam inducere valent. Et ſi corpuſcula animalculis ſpermaticis minora ſumimus, multo magis idem apparet. Atqui ipſis deficiunt organa, unde pendet claritas (§. 125. 126.) & diſtinctio in percipiendo (§. 127. 129.). E.

§. 717.

Cur tranſitus animæ e ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum ſit poſſibilis.

In eadem hypotheſi anima ex ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum perceptionum diſtinctarum naturaliter & ſucceſſive transire debet, dum fœtus in utero formatur. Etenim animæ perceptiones conveniunt mutationibus in organis factis adeoque dum mutantur organa, mutantur & ipſæ. Jam vero organa corporis mutantur, dum in utero materno ſtamina in corpuſculo præexiſtente latentia evolvuntur & explicantur, hoc eſt, dum fœtus in utero formatur. Ergo etiam animæ vis percipiendi convenienter immutari, conſequenter anima e ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum transire debet. *Quod erat primum.*

Fœtus in utero ſucceſſive formatur, ut adeo organa nonniſi ſucceſſive ſuam conſequantur perfectionem, a quibus perceptiones pendent. Quamobrem cum perceptiones non ante ſint perfecte tales, quam ubi organa fuerint perfecta, ut talis præciſe a tali objecto imprimi poſſit motus (§. 114); vis quoque percipiendi in anima ſucceſſive immutari debet. *Quod erat ſecundum.*

Id vero fieri naturaliter, patet ex §. 66 ſq. *rat.* 300. *Ont.* 69. *rat.* adde §. 710. 711. 714. *Quod erat tertium.*

§. 718.

Qualis ſit mutatio ſtatus perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum.

Dum anima e ſtatu perceptionum confuſarum in ſtatum diſtinctarum tranſit; ſtatum priſtinum retinet & novus eidem ſuperaccedit. Etenim in ſtatu perceptionum confuſarum anima perceptiones partiales nonniſi obſcuras habet (§. 47. *Pſychol. emp.*).

In

In statu perceptionum distinctarum perceptiones partiales claræ sunt (§. 44 45. *Psychol. empir.*), ast non omnes, verum tantummodo immediatæ (§. 196.): mediatæ vero obscuræ sunt (§. 201.). Quoad perceptiones adeo mediatas statum pristinum retinet anima, quoad immediatas novus eidem supervenit.

Patet etiam ratio, cur status pristinus in totum non mutetur. Etenim cum anima integram ideam universi, quam continuo producit (§. 190.), in ipso etiam somno (§. 191.), integram simul intueri (§. 194.) adeoque clare percipere non possit (§. 93.); perceptiones omnes claræ esse nequeunt, quæ erant in statu præexistentiæ obscuræ (§. 707.). Quoniam itaque per essentiam suam perceptiones tantummodo claræ sunt, quæ per mutationes in organo tales esse possunt (§. 66 125.); transitus vero e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum contingit, dum fœtus in utero formatur (§. 710.), consequenter dum organa, a quibus perceptiones immediatæ pendent, producuntur (§. 690. *Ontol.*); dum anima transit e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum pristinus non mutari potest in totum, sed tantummodo quoad immediatas: manet igitur idem quoad mediatas.

§. 719.

In systemate harmoniæ præstabilitæ anima hæc non potuit uniri, nisi huic corpori per ipsam utriusque substantiæ essentiam atque naturam animæ (§. 613 sq. 66 sq. rat. 75. 276. Cosm. 615 sq. rat. 246. Cosm. 617. rat. 851. Ontol. 963. empir.): in systemate influxus physici (§. 568. 565. 567. 565. 569. 571. rat. 963. empir.) & causarum occasionalium (§. 591. 598. 597. rat. 963. empir.) indifferens est ad unionem cum quolibet corpore. Quomodo anima sese habeat ad corpus ipsi uniendum.

Singulare hoc est in systemate harmoniæ præstabilitæ, quod unaquæque anima ad unionem cum suo corpore per essentiam atque naturam suam destinetur, ita ut tot concipiantur animæ possibiles, quot corpora humana ipsis harmonice modificabilia in hac serie rerum existere possunt, & singulis suum sensu propriissimo conveniat corpus, cum nullo modo salva hac rerum serie alterius animæ corpus fieri possit.

§. 720.

In quanam serie rerum anima huic corpori uniri potest.

In systemate harmoniæ præstabilitæ anima nonnisi in hac serie rerum uniri huic corpori potest (§. 719. 617. *rat.* 97 seqq. *Cosm.*): *in systematis reliquis, quemadmodum communiter explicantur, in quacunque serie rerum corpori cuicunque* (de influxu physico vide §. 565. de systemate causarum occasionalium conf. §. 591.), *stante autem theoria superiori de anima in hac tantummodo serie rerum corpori alicui uniri potest.*

De ultimo membro tenendum, animam continuo producere ideam totius universi (§. 190.), prouti existit (§. 192.), idque per essentiam & naturam suam (§ 66. 67.), ut adeo ad aliam producendam inepta sit (§. 300. *Ontol.*). Quamobrem cum in systemate influxus physici anima vi ex corpore in ipsam transeunte (§. 569.), in systemate autem causarum occasionalium a Deo tantummodo dirigatur in intuenda idea universi & ad legem sensationum observandum determinetur (§. 598.); anima corpori quidem cuicunque in hac rerum serie, at non in alia rerum serie uniri potest, salva theoria superiori de anima.

§. 721.

Num unio animæ cum corpore habeat rationem sufficientem.

In systemate harmoniæ præstabilitæ unio animæ cum corpore habet in essentia & natura utriusque rationem sufficientem (§. 719 sq. *rat.* 56. *Ont.*); *in systematis influxus physici & causarum occasionalium communibus prorsus destituitur ratione* (§. 720. 719. *rat* 56. *Ont.*), *in emendatis ex parte rationem habet, ex parte eadem destituitur.*

In systematis influxus physici & causarum occasionalium emendatis anima per essentiam & naturam ejus nonnisi corpori cuidam in hac rerum serie uniri potest (§. 720.), indifferens tamen est ad unionem cum quolibet corpore (§. 719.). Per essentiam itaque & naturam animæ intelligitur, cur corpori in hac potius rerum serie, quam in alia quacunque uniatur; intelligi vero nequit, cur huic potius, quam alteri cuicunque corpori in eadem serie existenti unita fuerit, consequenter in natura & essentia animæ ratio quidem sufficiens continetur, cur corpori in hac rerum serie unita fuerit, non vero cur huic præcise,

non

non alteri cuicunque in eadem ſerie exiſtenti unita (§. 56. *Ontol.*). E.

Unio in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ principio rationis ſufficientis conforme, in ſyſtematis influxus phyſici & cauſarum occaſionalium communibus conforme non eſt, in utroque emendato ex parte tantummodo convenit. Quamobrem cum principium rationis ſufficientis ſit fons veritatum contingentium, in quarum numero eſſe unionem animæ cum corpore ex Theologia naturali uberius conſtabit; plurimum hinc roboris acquirit ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ, ceteris vero plurimum decedit. Conſtabit vero ex eadem Theologia naturali principium rationis ſufficientis non alia de cauſa eſſe fontem veritatum contingentium, quam quatenus res a Deo productæ a ſapientia ipſius dependent. Unde etiam unio animæ cum corpore dependens efficitur a ſapientia divina, quatenus eſſentiæ & naturæ ſuæ convenienter anima atque corpus uniuntur, & hinc in Teleologia ſapientiam Numinis plurimum illuſtrat.

§. 722.

In ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ unio animæ & corporis naturalis (§. 721. 719. 720. *rat.* 509 *Coſmol*), *in ſyſtematis influxus phyſici & cauſarum occaſionalium prorſus arbitraria, nec ullo ſenſu naturalis dici poteſt* (§. 719 ſqq.). In quo ſyſtemate unio animæ cum corpore naturalis dici poſſit.

Quando hic de unione ſermo eſt, non quæritur de actu, quo anima corpori juncta, hic enim *unitio* potius dicendus eſt, quam unio; ſed de modo, quo ex corpore & anima fit una ſubſtantia compoſita ſeu unum ſuppoſitum. De unione igitur evincitur, quod naturalis ſit; non de unitione, quam eſſe opus infinitæ potentiæ divinæ in Theologia naturali oſtendetur.

§. 723.

Ad unionem animæ cum corpore ſufficit harmonia naturalis animæ ac corporis coëxiſtentium (§. 539.). Quamobrem anima & corpus vi harmoniæ a ſe invicem dependent (§. 851. *Ontol.*), conſequenter unam ſubſtantiam compoſitum ſeu ſuppoſitum hominem conſtituunt (§ 963. *Pſychol. empir.*). Quodſi ergo harmonia iſta naturalis ſit, in eſſentia atque natura animæ & corporis rationem ſufficientem agnoſcit (§. 509. *Coſmol*), Ad unionem animæ cum corpore quid ſufficiat.

 con-

consequenter quamprimum anima & corpus coëxistunt, harmonia ista actu inter utramque substantiam datur, & quamdiu coëxistunt, eadem quoque constanter & immutabiliter (§ 300. *Ontol.*) subsistit (§. 118. *Ontol.*), & hinc harmonia naturalis animam & corpus efficit unam substantiam compositam seu unum suppositum hominem, quamprimum coëxistunt, & tamdiu manent una substantia composita, quamdiu coexistunt. E.

Qui sibi persuadent, aliquid amplius ad hoc requiri, ut anima & corpus fiant una substantia, quam harmoniam naturalem; quid sit illud amplius dicere haud quaquam valent. Negotium ipsis facessit imaginatio. Observarunt enim partes corporis non uniri sine aliquo vinculo & hinc ad animæ quoque cum corpore unionem vinculo aliquo opus esse intulerunt. Unde vero probatur, animam corpori eodem modo uniri debere, quo corpus corpori unitur, cum constet animam esse substantiam a corpore prorsus diversam (§. 51.), ut vel hinc nascatur suspicio modum unionis animæ cum corpore diversum esse debere a modo unionis duorum corporum, atque adeo verendum sit, ne a corporum unione ad unionem animæ cum corpore argumentati in errorem incidamus? Si porro instes, harmoniam animæ & corporis naturalem subsistere posse, etiamsi anima sit Romæ, corpus vero Lutetiæ Parisiorum; spatium instar entis absoluti & rebus sublatis adhuc superstitis concipis, quod veritati repugnat (§. 599. *Ontol.*), & quod inprimis notandum est, animam corpori eodem modo præsentem esse sumis, quo corpus corpori præsens est, utut idem probare non possis, & vel diversitas utriusque substantiæ contrarii suspicionem inducat, quemadmodum paulo ante notatum est. Localis ista præsentia, quæ per ideas confusas corporibus tribuitur, in animam non quadrat. Anima alii corpori præsens intelligi nequit, quam illi, a quo in modificationibus suis pendet.

§. 724.

Qualis animæ cum corpore unio in harmonia præstabilita.

Quoniam in systemate harmoniæ præstabilitæ harmonia animæ & corporis naturalis est, vi cujus fiunt una substantia (§. 722.), harmonia autem naturalis animæ ac corporis coëxistentium ad unionem animæ cum corpore sufficit (§. 723.); *in systemate harmoniæ præstabilitæ vera datur unio animæ & corporis.*

Vera

Vera unio aliud quid significare non potest, quam quod anima & corpus unum constituant vi ejusdem suppositum.

§. 725.

In systemate causarum occasionalium anima unitur corpori sola voluntate Dei (*§. 593. rat.* coll. *§§. 963. emp.*). Quomodo anima corpori unita in systemate causarum occasionalium.

Hinc Occasionalistæ præter voluntatem Dei aliud vinculum, quo anima corpori jungatur, non agnoscunt.

§. 726.

In systemate influxus physici unio physica & vinculum ejus sunt termini inanes. Unionis illius physicæ nullam experientia magistra habemus notionem, multo minus vinculi ejusdem notionem aliquam habemus. Si vero notionem unionis confusam, quam a corporum unione abstraximus, ad unionem animæ & corporis transferimus; cum anima a corpore prorsus differat (§. 51.), quomodo ad unionem animæ & corporis applicari debeat, non apparet, consequenter perperam unioni animæ & corporis jungitur notio unionis corporum. Quamobrem si hanc quoque notionem missam facias, cum ostendere non possis, eodem modo animam uniri posse corpori, quo corpus corpori jungitur; nulla termino unionis physicæ amplius respondet notio, adeoque inanis evadit (§. 147. *Log.*). Quid sit unio physica & vinculum ejus.

Eodem prorsus modo idem ostenditur de vinculo unionis.

§. 727.

Anima in statu præexistentiæ unitur corpusculo organico, ex quo deinceps fœtus in utero formatur (*§. 704. 715. 56. rat. 851. Ont. 963. emp.*). Unionis initium.

§. 728.

Anima ergo *non demum fœtui jam perfecto, ut vitam hominis vivere possit, infunditur & unitur, sed unio ante jam cœpta in novo corpore continuatur* (*§. 727. 705. 717.*). Unde sit unio præsens.

§. 729.

Anima incorruptibilis est (*§. 48 sq. rat. 541. Ont. 666. rat-* Incorruptibilitas animæ.

rat.) per essentiam & naturam suam (§. 234. 236. Ont. 182. Cosm. 657. rat. 247. Ont. 68. rat.).

§. 730.

Quod cum corpore non intereat.

Anima cum corpore interire nequit (§. 667. 729. 666.).

Causæ, quibus corpus corrumpitur, animæ ob simplicitatem suam nocere minime valent.

§. 731.

Interitus corporis animæ repugnat.

Anima eodem modo, quo corpus interit, interire nequit (§. 48. 668. *rat.* 119. *Cosm.*).

§. 732.

Quomodo anima interire possit.

Anima interire nequit nisi per annihilationem (§. 48. *rat* 698. *Ont.*).

§. 733.

Mors quid sit.

Mors est status corporis, quo organa ipsius in universum omnia a functionibus suis plenarie cessant.

§. 734.

Corruptio cur post mortem sequatur.

Corpus post mortem corruptioni obnoxium. Dum corpus moritur, omnes omnium organorum functiones cessant (§. 733.), atque ideo motu quoque cordis cessante circulatio sanguinis desinit & cum sanguine humores omnes, quibus totum corpus ubivis refertum, stagnant. Constat vero humores stagnantes putrefieri & putrefactione cum mixtum solvatur, non minus fluidorum quam solidorum corpuscula in particulas miscibilium dissolvi: quo facto cum pereant massæ, ex quibus partes corporis organicæ constant; tota corporis compages dissolvitur. E. (§. 666.).

§. 735.

Quid ex morte corporis sequatur.

Quoniam corpus post mortem corruptioni obnoxium (§. 734.), cui obnoxium non erat, quamdiu viveret; dum vero corrumpitur interit (§ 666.); *mors est status corporis, ex quo sequitur ejusdem interitus.*

Differt adeo interitus corporis a morte ejusdem, inter se tamen hæc duo connexa sunt, ita ut posita morte sequatur ejus interitus.

§. 736.

§. 736.

Anima foret mortalis, si exercitium omnium facultatum simul cessaret & exinde annihilatio animæ sequeretur. De corpore vide §. 733. 735. Si igitur anima per analogiam mortalis dicenda, necesse est, ut aliquando ad eum perveniat statum, in quo exercitium omnium facultatum simul cessat & animæ tandem interitus consequitur. Enimvero anima interire nequit nisi per annihilationem (§. 732.). Ergo. Anima quo sensu mortalis foret.

§. 737.

Immortalis itaque dicenda est anima, quatenus a morte corporis perennans perceptiones & appetitiones ac aversiones, quales jam habet, continuat. Nnimirum cum nunc sit in statu perceptionum distinctarum, in eodem statu perseverare debet, & cum sui conscia sit statuumque præteritorum recordata memoriam sui ipsius conservet, a morte quoque corporis status sui præteriti meminisse & eum ad se pertinere sibi conscia esse debet. *Immortalitas* itaque *animæ* est potentia perseverandi a morte corporis in statu perceptionum distinctarum & conservandi memoriam sui. Immortalis quo sensu dicatur anima.

§. 738.

Quoniam anima in statu perceptionum distinctarum perseverare suique memoriam conservare nequit, nisi a morte corporis superstes sit; *si anima immortalis esse debet, necesse est, ut post mortem corporis superstes sit, nec unquam intereat.* Immortalitas incorruptibilitatem præsupponit.

§. 739.

Immortalitatem animæ demonstraturus evincere tenetur, 1. quod anima a morte corporis superstes sit, nec unquam intereat, 2. quod in statu perceptionum distinctarum perseveret & 3 quod memoriam sui conservet, seu vitæ præteritæ memor sibi conscia sit, eam ad se pertinere (§. 737 sq.). Quomodo immortalitas animæ demonstranda.

§. 740.

Notio immortalitatis, quam dedimus, scripturæ sacræ seu menti Christi conformis. Quænam Christo fuerit immortali- Conformitas notionis immortalitatis

cum scriptura sacra. tatis notio, ex narratione de divite epulone Luc. XVI. abunde patet. Sed vero notio immortalitatis, quam dedimus, est menti Christi, adeoque scripturæ sacræ plane conformis.

§. 741.

Persona quid dicatur. *Persona* dicitur ens, quod memoriam sui conservat, hoc est, meminit, se esse idem illud ens, quod ante in hoc vel isto fuit statu. Dicitur etiam *Individuum morale*.

Scholastici personam definiunt per suppositum intelligens: suppositum vero per substantiam singularem vivam. Atque adeo ex mente scholasticorum ad notionem personæ requiritur, ut sit substantia, ut sit individuum, ut vita fruatur, ut sit intellectu prædita. Quodsi hæc distincte explices, scholasticorum definitio cum nostra in concordiam redit. Ens enim, quod sui memoriam habet, judicat se esse idem illud, quod ante in hoc vel isto statu fuit: ens itaque singulare est idemque præditum intellectu (§. 281.). Sed ens intellectu præditum vi cognoscitiva gaudet (§. 275. *Psych. emp.*), atque adeo substantia est (§. 725. 768. *Ont.*), eaque viva, cum vivum ens dicatur, quatenus habet operationum principium intrinsecum. Vi igitur definitionis nostræ, persona est substantia singularis viva, adeoque suppositum. Est vero etiam intelligens, adeoque persona.

§. 742.

Immortalitas animæ requirit status personalitatis conservationem. Quoniam si anima immortalis est, in eo, quem a morte corporis experitur, statu memoriam sui conservat (§ 737.); *anima immortalis post mortem idem individuum morale permanere debet, seu statum personalitatis conservet opus est* (§. 741.).

Vi incorruptibilitatis anima a morte superstes idem tantummodo manet *individuum physicum*, eadem nempe substantia singularis, quæ fuerat ante, statum suum vi essentiæ ac naturæ suæ continuans. Perseveratio vero in statu perceptionum distinctarum &, quæ in eodem possibilis est, memoria sui demum efficit, ut idem individuum physicum sit etiam idem individuum morale.

§. 743.

Quod homo sit persona. Quia homo memoriam sui habet, probe memor se eundem adhuc esse, qui fuerat heri vel pridie in hoc vel isto statu, quod

quod experientia obvia unicuique manifestum; *homo persona est* (§. 741.).

§. 744.

Anima a morte corporis superstes est semperque manet. (§. 729 sq.). Quamvis vero interire possit per annihilationem (§. 732.), siquidem supponas ens, quod eam annihilandi potentiam habeat & præterea annihilare eam velit; cum tamen ne in corporum quidem interitu quidpiam annihiletur (§. 125. *Cosm.*), ne probabilis quidem ratio suppeditari potest, cur anima a morte corporis annihilari debeat. E.

Animam a morte corporis manere superstitem.

§. 745.

Anima post mortem corporis manet in statu perceptionum distinctarum & perceptiones ad majorem claritatis gradum evehuntur. Dum enim corpus moritur, omnia ipsius organa a functionibus suis cessant (§. 733.), adeoque nullæ amplius in organis sensoriis contingunt mutationes, consequenter anima sibi non amplius hoc universum repræsentare potest convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt (§. 62.). Perceptiones igitur ipsius alio jam modo consequi debent, quam nunc consequuntur, quamdiu corpori huic unita est. Enimvero ante unionem cum hoc corpore corpusculo uniebatur organico, ex quo in utero formatum est corpus præsens (§. 727.), & hujus corpusculi mutationibus convenienter in percipiendo modificabatur (§. 715.). Quoniam itaque dum per evolutionem corpusculi organici in utero formabatur corpus præsens, unio animæ cum illo corpusculo tollebatur, & dum corpus præsens moritur unio cum eodem itidem dissolvitur; mutatio, quæ per mortem accidit, similis est mutationi, quæ per generationem contingit. Jam in mutatione illa magna, quæ per generationem contigit, lex perceptionum ita immutabatur, ut status pristinus quoad perceptiones retineretur, & novus eidem superaccederet. Quamobrem cum hinc constet, quænam sit naturæ lex in magnis mutationibus animæ, hinc utique colligi debet, animam a morte corporis statum pristinum, quem habet, retinere & novum eidem superaccedere debere. Est autem in hoc corpore in statu perceptionum distinctarum (§. 14.).

Eandem manere in statu perceptionum distinctarum.

Ergo etiam a morte corporis in statu perceptionum distinctarum esse debet. *Quod erat primum.*

Quoniam itaque anima humana infinito intervallo a spiritu perfectissimo distat (§. 656.) & perceptionibus nostris infinita insunt (§. 186.), quæ, cum eorum nobis conscii non simus, clare non percipimus (§. 31. *Psychol. empir.*), consequenter multo majores gradus claritatis possibiles sunt, quam qui in unione cum hoc corpore eidem respondet; quin post mortem corporis perceptiones ipsius ad majorem claritatis gradum evehantur, haud quaquam dubitandum est. *Quod erat secundum.*

Perfectio, de qua loquimur, quemadmodum in piis auget voluptatem, ita in impiis tædia & cruciatus intendit.

§. 746.

An memoriam sui conservet.

Anima post mortem corporis memoriam sui conservat. Est enim post mortem corporis in statu perceptionum distinctarum (§. 745.); & hinc sibi sui ipsius conscia (§. 13.). Quamobrem cum per legem imaginationis, aut, si mavis, reproductionis perceptionum præteritarum vi similitudinis perceptionis præsentis cum aliqua præterita præterita reproducatur (§. 117. *Psychol. empir.*) & vi memoriæ nobis conscii simus, quod eam ante habuerimus (§. 173. 175. *Psychol. empir.*), anima vero post mortem majorem in percipiendo claritatem consecuta (§. 745.) id, quod perceptio præsens cum aliqua in statu hujus vitæ commune habet, facilius agnoscere possit (§. 31. *Psychol. empir.*); quin anima post mortem corporis memor sit eorum, quæ in hac vita acta sint, & meminerit se in hoc vel isto fuisse statu; dubitari nequit (§. 281.).

Animam post hanc vitam in reproducendis ideis præteritis, quas in hac vita habuit, observare legem imaginationis, ex narratione Christi de divite epulone patet. Etenim videns Lazarum in sinu Abrahami meminit vitæ suæ anteactæ fratrumque suorum.

§. 747.

Immortalitas animæ adstructa.

Anima immortalis est (§. 744. 746. 737.).

§. 748.

§. 748.

Status animæ post mortem cum statu vitæ præsentis connexus est. Status constituitur per mutabilia, quæ rei insunt (§. 705. *Ontol.*), consequenter per modos entis (§. 314. *Ontol.*). Per modos igitur animæ quoque post mortem status determinatur. Quoniam vero anima post mortem superstes est (§. 744.), adeoque essentiam in se immutabilem retinere debet (§. 300. *Ontol.*); post mortem quoque vi activa prædita esse debet (§. 66.), etsi limitatione, quam nunc habet, variata (§. 745.) quippe quam tanquam mutabilem (§. 715.) ad essentiam præcise non pertinere apparet (§. 300. *Ontol.*), etsi tamdiu pertinere videatur, quamdiu unio cum corpore subsistit. Et cum in anima vi illa unica (§. 57.) omnia actuentur, quæ per facultates ejusdem in eadem possibilia intelliguntur (§. 55.); omnes quoque modi ejus vi ista ad actum perduci debent. Quia tamen positis determinationibus essentialibus & natura animæ, nondum ponuntur & ipsi, cum alias omnes simul eidem inexisterent (§. 118. *Ontol.*); in sola essentia ratio sufficiens non continetur, cur modi ipsi insint. Necesse igitur est, ut modi sequentes rationem sufficientem agnoscant in antecedentibus (§. 160. *Ontol.*), consequenter status sequens in antecedentibus semper rationem sufficientem agnoscit (§. 705. *Ontol.*). E. (§. 10. *Cosmol.*).

Nexus status post mortem cum statu hujus vitæ.

Nexum status post hanc vitam cum statu in vita præsente docet scriptura sacra. Etenim ejus autoritate constat, animabus aliis post hanc vitam bene, aliis male esse. Quodsi quæsiveris, cur illis bene, his male sit, ratio redditur ex statu vitæ præsentis, scilicet ex actionibus in hac vita patratis. In quonam vero nexus iste consistat, rationis lumine non assequimur. Supplet adeo scriptura rationis defectum, quemadmodum in aliis scitu necessariis.

CAPUT III.
DE
ANIMABUS BRUTORUM.

§. 749.

Existentia animarum brutorum.

Bruta habent animas a corpore distinctas. Bruta enim habent organa sensoria ejusdem prorsus structuræ cum organis sensoriis corporis humani & quæ ideo easdem experiuntur mutationes, quæ in organis sensoriis hominum accidunt, ut adeo ipsis sint species impressæ eædem, quæ hominibus (§. 112.). Ex organis sensoriis externis perinde ac in corpore humano nervi ad cerebrum extenduntur, per quos motum fibrillis ejus impressum ad cerebrum propagari, eodem modo ostendi potest, quo idem in corpore humano evicimus (§. 111.), ut adeo brutis eædem sint ideæ materiales, quæ hominibus (§. 112.). Jam constat animam humanam ideo uniri corpori, quod sibi repræsentet sensibilia convenienter mutationibus in organa sensoria factis (§. 62.), ut ideis materialibus continuo coëxistant sensuales (§. 113.). Quamobrem cum non repugnet, sensibilia repræsentari convenienter mutationibus, quæ in organis brutorum contingunt, etiam in organis minus perfectis (§. 715.), atque adeo possibiles sint ideæ sensuales, quæ materialibus ideis brutorum coëxistant; naturæ autem scrutatoribus abunde perspectum sit, eam in omni varietate similitudini studere, & hinc eadem eodem fine fieri in diversis: argumento ab analogia desumto recte omnino colligitur, brutis esse animas.

§. 750.

Differentia inter animalia perfectiora & imperfectiora.

Bruta perfectiora sunt quibus quinque sunt organa sensoria: *imperfectiora* vero, quibus pauciora. Dantur autem in imperfectioribus plures imperfectionis species.

§. 751.

§. 751.

Bruta sibi perceptionum suarum conscia sunt. Patet enim, quod sensu distinguant sensibilia, quæ in organa ipsorum agunt. Ipsa sane ostrea tactu discernit vim ad testas divellendas adhibitam. Et de insectis curiosæ admodum colligi possunt observationes idem confirmantes. Habent adeo perceptiones partiales claras atque hinc totales distinctas (§. 44. *Psychol. empir.*). E. (§. 45. *empir.* 13. *rat.*). An bruta apperceptione gaudeant.

Idem patet ex §. 750. 111 sq. 114. 11.

Non verendum est, ne sic brutis tribuantur animæ spirituales; neque enim ad spiritualitatem sufficit apperceptio, seu ut subjectum percipiens perceptionum suarum sibi sit conscium (§. 643.).

§. 752.

Animæ brutorum materiales seu corporeæ non sunt (§. 751. 44. 46. rat. 122. 141. Cosm.). Immaterialitas animæ brutorum.

§. 753.

Animæ brutorum sunt substantiæ simplices. Ex §. 752. 46. *rat.* 119. *Cosm.* 685. *Ontol.* patet simplicitas. Ejusdem simplicitas.

Jam porro perceptiones, quas experiuntur bruta, continuo mutantur, actionibus sensibilium in organa continuo mutatis. Sunt igitur modi animarum (§. 151. *Ontol.*), atque ideo animæ brutorum modificabiles sunt (§. 764. *Ontol.*). Eædem cum corporibus brutorum perdurant: quod denuo nemo non admittere tenetur, qui earum existentiam in dubium minime revocat. Sunt igitur etiam perdurabiles (§. 766. *Ontol.*). Jam conf. §. 768. *Ontol.*

§. 754.

Animæ brutorum observant legem sensationum (§. 749. rat. 85. empir.). An legem sensationis observet.

Possunt porro ad animas brutorum transferri, quæ supra de animabus humanis evicimus, scilicet quod vi quadam prædita sint (§. 53.), qua omnes ejus actiones ad actum perducantur (§. 60.): quod vis hæc tantummodo unica sit (§. 57.) & quidem repræsentativa universi pro situ corporis

corporis organici in universo, convenienter mutationibus, quæ in organis contingunt (§. 62.), quodque in hac vi essentia & natura animarum brutorum consistat (§. 66. 67.).

§. 755.

Bruta num imaginatione & memoria gaudeant.

Brutorum animæ imaginatione & memoria gaudent. Ex actionibus brutorum id colligitur a posteriori. Nemo est, qui hoc nesciat: si quis canis baculo aliquoties fuerit percussus, ad conspectum baculi elevati vociferatur & fugit a plagis sibi metuens. Quoniam ideo vociferatur & fugit, quia baculo percussus fuit; necesse est, ut idea baculi elevati resuscitet ideam plagarum ac inde orti doloris. Reproducitur adeo idea plagarum ac doloris, quam ante habuit, consequenter anima canis facultate imaginandi gaudet (§. 92. *Psychol. empir.*). Similiter nemo non novit, canes dormientes voce & motu corporis sæpius signa somniorum inquietorum edere. Quamobrem cum somnia vi imaginationis producantur (§. 121. *Psychol. empir.*); ex iis quoque recte infertur, animam canis facultate imaginandi gaudere.

Jam quia canis idea plagarum & doloris inde percepti resuscitata vociferatur & fugit, plagas illas sibi repræsentare debet tanquam nunc infligendas & dolorem tanquam nunc inde percipiendum. Quamobrem cum sibi conscius sit perceptionum suarum (§. 751.); necesse est, ut sibi quoque conscius sit plagarum tanquam sibi antea inflictarum & doloris tanquam inde percepti, cum non alia sit ratio, cur sibi plagas repræsentet tanquam denuo infligendas & dolorem tanquam denuo inde percipiendum. Ideas adeo reproductas recognoscit (§. 173. *Psychol. empir.*), consequenter memoria gaudet (§. 175. *Psychol. empir.*).

Bruta, saltem perfectiora & quæ ad ea propius accedunt, eandem habent cerebri structuram, quæ hominibus est, quantum sensuum judicio constat. Quamobrem cum per structuram cerebrum humanum contrahat facilitatem reproducendi ideas materiales (§. 241.), & in potentia reproductionis imaginatio (§. 227.), in facilitate vero memoria materialis consistat (§. 294.); brutis cerebrum habentibus imaginatio & memoria materialis tribuenda venit. Enimvero cum bruta habeant animas a corpore

pore distinctas perinde ac homines (§. 749.) & vi legis sensationis ideis materialibus in cerebro sensuales in anima respondeant (§. 754.), quemadmodum in hominibus (§. 113.); in nobis autem phantasmata ideis quoque materialibus in cerebro respondent, ut adeo imaginatio materialis non sit sine immateriali in anima (§. 227), nec memoria materialis sine immateriali, quæ animæ inest (§. 294.); per analogiam ex memoria & imaginatione materiali in corpore recte colligitur immaterialis in anima, consequenter animas brutorum facultate imaginandi & memoria gaudere tanto minus dubitandum, quanto magis in brutis observantur actiones similes iis, quæ a nobis sine imaginationis & memoriæ vi non eduntur, cum hinc argumentum ab analogia majus robur acquirat.

§. 756.

Bruta observant legem imaginationis. Vide exemplum de cane §. 755. *rat.* & conf. §. 117. *empir.* An legem imaginationis observent.

§. 757.

Bruta habent appetitum sensitivum & aversationem sensitivam. Bruta vocem variare solent ad appetitum indigitandum. Ita gallina voce allicit pullos, qualem in aliis casibus non fundit. Peculiari quoque voce utitur, ubi ipsi insidiæ struuntur. Similiter canis latratum variat & vocem tristem eidem miscet cum ejulatu, ubi in conclavi solus relictus exire cupit. Hinc igitur aperte patet brutis esse appetitum. Notum porro est, canem fugere, si elevato baculo eum percutere tentes, ut plagæ evitentur. Habes adeo certum aversionis indicium. Vide hic §. 754 sq. *rat.* 580. 582. 275. *emp.* An brutis competat appetitus.

Idem etiam sic ostenditur. Constat bruta affectibus commoveri, veluti canem invidia & ira, subinde etiam gaudio. Jam conf. §. 603. *empir.*

§. 758.

Bruta observant legem appetitus & aversationis (§. 569. 561. empir.). An legem appetitus & aversationis observent.

Brutis pauca sunt, quæ appetunt. Etenim non appetunt nisi quæ ad vitæ conservationem & speciei suæ propagationem spectant, & pauca quædam, quæ ipsis voluptatem creant, cum istis plerumque connexa. Non aversantur nisi quæ in appetendo impedimenta objiciunt & vitæ ac corpori damnum inferunt. Pauca igitur ipsis sunt aversabilia. Observant in iis legem appetitus & aversationis tenaciter & minus ad devia deflectunt quam homines, quibus voluptas ac molestia nimium imponunt.

§. 759.

Bruta sermone non utuntur.

Bruta destituuntur vocibus articulatis, quibus tanquam signis perceptiones suas seu res perceptas indigitare valent.

Bruta quidem vocem variare solent ad indicandum appetitum (§. 757.). Et huc referendum, quod avis fœmella mane expergefacta edat vocem peculiariter modificatam, ut masculum ad se alliciat, qui audita voce statim respondet & in eam plagam tendit, unde vocem fœmellæ ad aures deferri experitur. Sed illa vocis variatio a loquela longo adhuc intervallo distat, etsi quid analogi habeat.

§. 760.

Bruta num universali gaudeant cognitione, num judicent & ratiocinentur.

Bruta destituuntur cognitione universalium, judicio & ratiocinio. Etenim vi perpetuæ inter animam & corpus harmoniæ omnes operationes intellectus, notio, judicium & ratiocinium in cerebro repræsentantur per ideas vocabulorum, aut aliorum signorum æquipollentium (§. 417.), in cerebro (§. 416.). Enimvero brutis nulla sunt vocabula, quibus ad perceptibilia indigitanda uti possent (§. 759.), neque hinc ad horum imitationem alia confingere signa valent. Quoniam itaque nullæ ipsis sunt vocabulorum vel aliorum signorum æquipollentium ideæ materiales; notiones, judicia & ratiocinia in cerebro repræsentari non possunt. E.

Operationum intellectus absque vocabulis vel aliis signis æquipollentibus in cognitione intuitiva tanta est difficultas, ut nec homo ante sermonis usum in cognitione veritatum universalium quicquam proficiat (§. 325 sqq. *empir.*). Enimvero bruta destituuntur vocibus articulatis, quibus tanquam signis perceptibilia indigitantur (§. 759.). E.

Qui

Qui brutis tribueret veritatum universalium cognitionem absque vocabulorum vel aliorum signorum æquipollentium usu; ipsorum animam animabus humanis multo statueret perfectiorem.

§. 761.

Bruta carent intellectu (§. 51. Log. 760. rat.). Carent intellectu.

§. 762.

Animæ brutorum carent ratione seu irrationales sunt (§. 760. rat. 493. empir.). Irrationalitas animarum brutorum.

§. 763.

Bruta destituuntur voluntate & noluntate libera (§. 762. 528.). An bruta liberam habeant voluntatem.

§. 764.

Brutorum animæ non sunt spiritus (§. 761. 763. 643.). An sint spiritus.

§. 765.

Bruta habent analogum rationis. E. gr. Canis ad conspectum baculi vociferans & fugiens sibi repræsentat plagas antea acceptas & dolorem inde perceptum beneficio imaginationis (§. 92. *Psychol. empir.*) atque memoriæ (§. 175. *Psychol. empir.*), quibus gaudet (§. 755.). Plagas itaque denuo sibi repræsentat tanquam accipiendas & dolorem semel inde perceptum tanquam iterum inde percipiendum. Dum adeo fugit plagas evitaturus, actiones suas dirigit per ante facta in casu simili, consequenter casus similes expectat (§. 503. *Psychol. empir.*). Jam vide §. 506. *empir.* Analogum rationis in brutis.

§. 766.

Bruta memoriam sui non habent. Constat hominem inter bruta educatum non recordatum fuisse status pristini, cum inter homines deinde commoraretur (§. 461.). Multo minus igitur bruta statuum pristinorum recordari possunt, adeoque multo minus sibi conscia esse possunt, se ante in hoc vel isto statu fuisse. E. An bruta sui memoriam habeant.

§. 767.

An sint personæ. *Bruta personæ non sunt (§. 741.).*

§. 768.

Brutorum animæ quomodo oriri & interire possint. *Brutorum animæ non possunt oriri nisi per creationem (§. 753. rat. 691. Ont. 697. rat.), nec interire nisi per annihilationem (§. 698. Ont.).*

§. 769.

An sint incorruptibiles & immortales. *Animæ brutorum sunt incorruptibiles*, nec *cum corpore intereunt* (vide rursus §. 729 seq.), *immortales tamen non sunt* (§. 766. 737.).

§. 770.

Cur non plura addantur de animabus brutorum. Plura de animabus brutorum non addimus, cum cetera per ea intelligantur, quæ de anima humana dicta sunt. Competunt animabus brutorum facultates inferiores animæ nostræ, consequenter quæ de his tradidimus, ad bruta applicari possunt. Et hæc ad quaslibet ipsorum actiones, etiam ad habitus, quos prævia institutione hominum acquirunt, explicandum sufficiunt.

FINIS
PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS.

THEO-

THEOLOGIA NATURALIS

METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATA.

PARS PRIOR,

INTEGRUM SYSTEMA COMPLECTENS,

QUA

EXISTENTIA ET ATTRIBUTA DEI A POSTERIORI DEMONSTRANTUR.

THEOLOGIÆ NATURALIS PROLEGOMENA.

§. 1.

Theologia naturalis est ſcientia eorum, quæ per Deum poſſibilia ſunt, hoc eſt, eorum, quæ ipſi inſunt, & per ea, quæ ipſi inſunt, fieri poſſe intelliguntur (*§. 50. Diſc. prælim.*). Theologiæ naturalis definitio.

Vulgo definitur per ſcientiam de Deo rebusque divinis ex principiis rationis acquiſitam. Nec habet hæc definitio, quod ſit a noſtra diverſum. Res enim divinæ illæ ſunt, quæ ideo poſſibiles concipiuntur, quod detur Deus ipſique talia inſint attributa. Et quamvis a nobis non addatur, ſcientiam iſtam ope principiorum rationis aut, ut alii loqui amant, ſolo naturæ lumine eſſe acquirendam, recto nimirum uſu facultatum animæ, quæ per naturam ipſi inſunt: id tamen per ſe intelligitur. Theologiam enim naturalem tractamus tanquam partem philoſophiæ. Omni autem philoſophiæ hoc proprium eſt, quod ſolo naturæ lumine, hoc eſt, recto uſu facultatum animæ, quæ ipſi per naturam inſunt, acquiratur ad eam ſpectans poſſibilium cognitio.

§. 2.

Quæ in Theologia naturali traduntur, demonſtranda ſunt (*§. 1. Th. nat. 564. Log.*). In ea requiruntur demoſtrationes.

§. 3.

Qui Theologiæ naturali ſtudet, certam de Deo acquirit cognitionem (*§. 2. Th. nat. 539. Log.*). Cur ſcientia eſſe debeat.

§. 4.

In Theologia naturali demonſtranda exiſtentia Dei (§. 1. 2.): *demonſtrandum quoque eſt, quænam ipſi conveniant & quænam per ea fieri poſſe intelligantur* (*§. 134. 142 ſq. 146. Ont. 1. Th. nat.*). Quænam demonſtranda.

Equi-

Equidem communiter in eadem quoque de cultu Dei traduntur, quæ beneficio rationis de eodem cognoſcuntur. Sed de his agemus in iure naturæ.

§. 5.

Cur definitio Dei nominalis in Theologia naturali ſumenda.

In Theologia naturali ſupponenda eſt aliqua definitio Dei nominalis. In ea enim demonſtranda eſt exiſtentia Dei (§. 4.). Enimvero ſi demonſtrare volueris, Deum exiſtere, neceſſe eſt, ut ſupponas, quidnam hoc vocabulo indigitari velis. Demonſtrans nimirum exiſtentiam Dei oſtendis, exiſtere iſtiusmodi ens, quale Deum vocas. Ubi vero ſumis, quidnam per vocabulum Dei intelligi velis; etſi per ea, quæ ſumis, non appareat, ens iſtiusmodi eſſe poſſibile, definitionem nominalem condis (§. 188. *Log.*)

§. 6.

Unde attributa divina deducenda.

Ex definitione nominali, qua utimur ad demonſtrandam exiſtentiam Dei, deducenda quoque ſunt ipſius attributa. Cum de Deo, quem exiſtere evicisti, non aliud conſtet, quam quod de eo ſumſiſti, & quod inſtar determinationum eſſentialium conſideras (§. 142. 143. *Ontol.*); eidem quoque tribuere nequis, niſi quod vi hujus definitionis, eidem convenire intelligitur, conſequenter cujus ratio ſufficiens in definitione iſta continetur (§. 56. *Ontol.*). E.

Qui elementa Geomotriæ primis labris deguſtarunt, abunde perſpiciunt, fieri debere quod hic præcipitur, ubi certam de Deo cognitionem naturalem habere volueris. Etenim ſi quadratum definis, quod ſit figura quadrilatera, æquilatera, rectangula; quæcunque eidem convenire demonſtras, ea ideo ipſi convenire oſtendis, quod habeat quatuor latera, quod latera ſint æqualia, quod anguli ſint recti. Immo per rerum naturam aliter id fieri nequit. Pone enim te Dei exiſtentiam demonſtraſſe ſuppoſita hac definitione nominali, quod ſit mundi hujus adſpectabilis, ſeu cœli terræque creator, attributa vero derivare ex eo, quod ſit ens abſolute perfectiſſimum. Non ante conſtabit, attributa, quæ Deo tribuis, eidem convenire, quam ubi oſtenderis, ens iſtud, quod cœlum atque terram creavit, eſſe abſolute perfectiſſimum. Quando vero perfectionem ſummam ex definitione nominali, quam in demon-

demonstranda existentia Dei supponebas, deduxisti; quæ inde porro concluduntur, ea non minus ex eadem definitione fluunt. Tribuuntur enim Deo, quia summa ipsi convenit perfectio. Perfectio summa ipsi tribuitur, quia est cœli terræque creator. Quæ igitur eidem tribuuntur ob perfectionem summam, ea ipsi tribuuntur ideo, quod cœli terræque conditor sit. Quamdiu igitur non eviceris summam perfectionem convenire creatori hujus universi; tamdiu nec patet Deo convenire ea attributa, quæ vi perfectionis summæ eidem vindicas, nec ex adverso patet existere aliquod ens, cui ista attributa tribuenda veniunt.

§. 7.

Definitionem nominalem, quæ existentiæ divinæ demonstrandæ substernitur, non plura ingredi debent, quam quæ deducendis inde attributis ejusdem conveniunt (§. 6.). Cum scilicet non alio fine condatur, quam ut inde attributa divina deducas (§. 533. *Log*); nec plura eam ingredi debent, quam quæ his inde deducendis sufficiunt. Qualis esse debeat definitio Dei nominalis.

Definitionem adeo Dei nominalem in systemate Theologiæ naturalis assumtam nemo reprehendere potest, nisi ostendere possit ea, quæ de Deo in eadem sumuntur, non sufficere attributis, quæ eidem tribui solent, inde deducendis: quod ubi acciderit, in leges methodi impegisse dicendus est autor, nullo autem pacto alicujus impietatis ideo accusari potest. Conf. §. 700. 806. *Log.*

§. 8.

In Theologia naturali non assumenda sunt principia demonstrandi, nisi quæ vel experientia, vel demonstratione nituntur, aut in numerum definitionum nominalium referuntur (§. 4. *Th. nat.* 539. 535. 533. *Log.*). Qualia principia in Theologia naturali sint assumenda.

Ceterum probe notandum est non sufficere, ut assumantur quæ vera sunt; sed nos certos quoque esse debere, quod sint vera. Certitudo autem illa vel a posteriori est, vel a priori. Quamobrem non alia admittimus principia, nisi quæ vel experientia indubitata, vel demonstratione nituntur, ubi a definitionibus nominalibus discesseris, quas esse arbitrarias nemo non novit. Vide methodum demonstrandi existentiam Dei ex ordine naturæ in Horis subsecivis A. 1730. trim. autumn. n. III. p. 640. & sqq.

§. 9.

Differentia Theologiæ naturalis & revelatæ quoad methodum.

In Theologia revelata seu supernaturali non opus est, ut, quæ de Deo docentur, ex definitione aliqua nominali deducantur. Theologia enim revelata nititur hoc principio: Quicquid Scriptura sacra de Deo affirmat, illud ipsi convenit, adeoque omnis certitudo resolvitur in autoritatem Dei dicentis, qui nec ipse falli potuit, nec fallere potest alios (§. 583. *Log.*). Quamobrem ibidem sufficit ostendere, quod talia attributa enti illi, quod Deum vocat, tribuat Scriptura sacra, & explicandus est significatus vocabulorum, quibus illa indigitantur, atque demonstandum, significatum iisdem tribui ex mente loquentis (§. 939. *Log.*): quo facto cum certi simus, enti huic, quod Dei nomine insignitur in Scriptura sacra convenire talia attributa, & intelligamus, qualia ista attributa sint, non opus est, ut demonstretur, attributa ista simul eidem enti tribui posse, consequenter ut omnia ex aliquo assumto, adeoque ex definitione aliqua nominali, deducantur.

In philosophia certi non sumus, enti alicui prædicata quædam simul convenire, nisi quæ iisdem indigitantur vel in eodem singula observamus, vel ex eo, quod de eodem assumimus, consequenter ex aliqua definitione nominali, omnia simul deducamus. Jam cum Deus invisibilis per essentiam suam in sensum non incurrat, nec attributa ejus observari possunt. Deducenda igitur sunt ex primo quodam assumto, per quod vocabuli *Deus* significatum explicamus, hoc est, ex definitione nominali: quo facto demum constat, omnia illa prædicata, quæ Deo tribuimus, eidem enti convenire posse. Nil interim obstat, quo minus, quæ de Deo in Scriptura sacra docentur, etiam inter se & cum prima quadam notione, quæ definitionis nominalis loco est, connectantur (§. 949. *Log.*). Immo connexio attributorum divinorum inter se & cum prima quadam notione ipsa præeunte & facem præferente Scriptura sacra fieri poterat, quatenus scilicet ex eadem Scripturam per Scripturam explicando eruuntur rationes, cur Deus sibi tribuat hæc prædicata, quales erui posse pro comperto habemus: cum enim per eas pateat, quomodo per unum eorum, quæ Deo insunt, intelligatur cur insit alterum, quæ Deo in Scriptura sacra tribuuntur, a gnaro methodi haud difficulter deinde singula eo ordine disponuntur, quo unum eorum, quæ in Deo sunt, nostro concipiendi modo a ceteris dependet.

det. Neque inutile est eorum, quæ Deo tribuit Scriptura sacra, nexum ex ipsa Scriptura sacra deducere. Ita enim patet revelationis & rationis consensus, quo & autoritas Scripturæ sacræ haud leve accipit pondus penes eos, qui eam in dubium vocant, & veritas Theologiæ naturalis haud parum firmatur penes ceteros.

§. 10.

Cur existentia Dei non sit pluribus argumentis probanda.

In Theologia naturali nec opus est, nec fieri commode potest, ut existentiam Dei pluribus argumentis evincas (§. 6.); *sed unum sufficit* (§. 6. *Th. nat.* 539. 535. *Log.*).

Quod vero pluribus argumentis non opus sit, ita probatur. Pone existentiam Dei pluribus argumentis demonstrari, & demonstrationes omnes esse legitimas; singulis argumentis certus evadis existere Deum & talia de ipso prædicanda esse (§. 539. *Log.*), consequenter dum secundo, tertio, quarto uteris argumento, id verum esse agnoscis, quod verum esse jam nosti (§. 535. *Log.*). Quamobrem cum non opus sit, ut docearis verum esse, quod verum esse jam agnoscis; nec firmior sit assensus, qui pluribus demonstrationibus nititur, quam qui ab una pendet, quia assensus per demonstrationem extortus integer est, nihil ancipitis amplius admittens, seu omnem oppositi formidinem excludens, pluribus argumentis demonstrandi existentiam Dei in Theologia naturali opus non est.

Qui plus præsidii in pluribus argumentis, quam in uno positum esse existimant, probabilia cum demonstrativis confundunt. Rationes enim probabiles plures simul fortius subinde stimulare possunt assensum, quam una; demonstrationes autem plures non magis convincunt, quam una.

§. 11.

Principia Theologiæ naturalis.

Theologia naturalis principia ex Ontologia, Cosmologia & Psychologia petit (§. 2. *Th. nat.* 89. *Disc. præl.*).

§. 12.

Theol. nat. usus in refutandis atheis.

Per Theologiam naturalem optime refutantur athei & erroris sui redarguuntur (§. 4. *Th. nat.* 1005. *Log.*).

§. 18.

Theologia naturalis inservit divinitati S. S. evincendæ. Ex §. 4. 15. absque ulla difficultate intelligitur, in Theologia naturali eadem demonstrari de Deo, quæ de eodem docet Scriptura sacra, consequenter homo solis naturæ viribus adjutus agnoscit vera esse, quæ de Deo tradit Scriptura sacra (§. 515. *Log.*). Quamobrem cum in ipsa Theologia naturali demonstretur consensum hunc Theologiæ naturalis cum Scriptura sacra esse aliquod requisitum divinæ revelationis (§. 464.); per eundem probabilis fit Scripturæ sacræ divinitas (§. 549. *Log.*). Præterea ubi de voluntate divina agimus in Theologia naturali, præter hoc requisitum divinæ revelationis traduntur adhuc alia absque iis, quæ in Theologia naturali docentur, nec intelligenda, quantum sufficit, nec rite applicanda. Quoniam itaque divinitas Scripturæ sacræ evincitur, dum probatur ei convenire requisita divinæ revelationis; Theologia naturalis eidem evincendæ inservit. Ejus utilitas in divinitate S. S. evincenda.

§. 19.

Quoniam *Theologia naturalis* divinitati Scripturæ sacræ evincendæ inservit (§. 18.), in Scriptura sacra vero traduntur, quæ ad Theologiam revelatam spectant; *ad Theologiam revelatam nos manuducit.* Manuductio ad Theologiam revelatam.

Notandum communiter in Theologia naturali non doceri criteria revelationis divinæ, ut adeo præter ejus cum Scriptura sacra consensum, qui sua sese sponte tradit, non doceantur alia. Hunc igitur defectum nos supplevimus.

§. 20.

Theologia naturalis Naturalistis confutandis inservit Naturalistæ enim sunt, qui Theologia naturali contenti revelatam vel rejiciunt, vel saltem cognitu minus necessariam judicant. Enimvero inter criteria revelationis divinæ in Theologia naturali referemus, quod objectum ipsius cognitu necessarium (§. 451.) & attributis divinis conforme esse debeat (§. 452.). Quamobrem eadem suppeditat principia, quibus ad Scripturam sacram applicatis, evincitur Theologiæ revelatæ necessitas atque veritas. Quomodo Naturalistis confutandis inserviat.

THEOLOGIÆ NATURALIS

PARS I.

QUA

EXISTENTIA ET ATTRIBUTA DIVINA A POSTERIORI DEMONSTRANTUR.

CAPUT I.

DE

EXISTENTIA DEI ET ATTRIBUTIS INDE PENDENTIBUS.

§. 24.

Entis necessarii existentia.

E*xistit ens necessarium.* Anima humana existit (§. 21. *Psychol. empir.*), seu nos existimus (§. 14. *Psych. emp.*). Jam (§. 70. *Ontol.*) ratio sufficiens detur necesse est, cur anima nostra existat, seu cur nos existamus. Hæc aut in nobismetipsis continetur, aut in ente quodam alio a nobis diverso (§. 53. *Ontol.*). Quod si ponas nos rationem existentiæ habere in ente, quod denuo rationem existentiæ suæ in alio habet; non pervenietur ad rationem sufficientem, nisi tandem in ente aliquo subsistas, quod existentiæ suæ rationem sufficientem in seipso habet. Aut igitur nosmetipsi sumus ens necessarum, aut datur ens necessarium aliud a nobis diversum (§. 309. *Ontol.*), consequenter ens necessarium existit.

§. 25.

§. 25.

An ens aliud supponat.

Ens necessarium non indiget vi entis alterius ad existendum (§. 309. 118. *Ontol.*).

§. 26.

Cujus vi existat.

Vi ergo *propria existit, seu sibimetipsi sufficit ad existendum* (§. 25.).

§. 27.

Ens a se & ab alio quodnam dicatur.

Ens illud, quod vi propria existit, sed quod non indiget vi entis alterius ut existat, dicitur *Ens a se:* quod vero indiget vi alterius ut existat, *Ens ab alio* appellatur.

§. 28.

Aseitas quid sit.

Aseitas est independentia existentiæ ab ente alio.

§. 29.

Entis a se existentia.

Datur ens a se (§. 27. *Th. nat.* 56. 309. *Ontol.* 24. *Th. nat.*).

§. 30.

Independentia entis a se.

Ens a se independens est (§. 27.). Quamobrem cum essentia non minus (§. 300. *Ontol.*), quam attributa & modorum possibilitates proximæ immutabilia sint (§. 313. *Ontol.*), ut adeo ens sine determinatione aliqua essentiali vel quodam attributo existere nequeat; nihil datur in ente a se, quod rationem sui habeat in ente alio. E. (§. 851. *Ontol.*).

§. 31.

Undenam sit existentia ipsius.

Ens a se rationem existentiæ in essentia sua habet (§. 30. *Th. nat.* 851. 70. *Ont.*). Quamobrem cum in essentia contineatur ratio sufficiens, cur quid eidem vel actu insit, vel inesse possit (§. 168. *Ontol.*); ratio existentiæ entis a se in essentia ipsius contineri debet.

Quodsi verbis magis communibus idem efferre libuerit; dicendum erit: ens a se esse illud, ex cujus essentia necessario fluit existentia, ut scilicet concipi non possit nisi existens, quam primum animo observantur determinationes ipsius essentiales. Singularis hic character est entis a se, qui probe notandus est, qui conducit tum ad ens a se agnoscendum, tum ad cavendum, ne pro talibus nobis obtrudantur, quæ non sunt.

§. 32.

Quoniam ens necessario existit & ejus existentia absolute necessaria est, si hujus ratio sufficiens in essentia ipsius continetur (§. 308. *Ontol.*); *ens a se necessario existit & ejus existentia absolute necessaria est.* Qualis sit existentia entis a se.

§. 33.

Ens necessarium est ens a se (§. 25. 27.). Entis necessarii attributum aseitas.

§ 34.

Ens a se existit ideo, quia possibile (§. 31. Th. nat. 56. 153. Ont.). Cur ens a se existat.

Nimirum ens a se possibile, quia determinationes essentiales, quæ eidem tribuuntur, contradictionem nullam involvunt (§. 85. *Ontol.*): existit autem, quia has determinationes habet essentiales. Quamobrem cum determinationes ejus essentiales sibi mutuo non repugnent, quia sunt hæ ipsæ determinationes, per quas ut non existens concipi nequit; ideo concipitur existere, quia possibile. Atque hoc est privilegium entis a se, quod ideo existat, quia possibile: quæ enim sunt ab alio, ideo nondum existunt, quod sint possibilia (§. 171. 172. *Ontol.*). Nam in ente a se singulari quadam ratione fit, cur per id existat, per quod possibile, scilicet quia per has ipsas determinationes, quarum combinatione oritur possibilitas intrinseca, determinatur existentia.

§. 35.

Ens a se nullum existendi initium habet (§. 32. Th. nat 279. Ontol.). Ponamus igitur esse aliquod existendi initium; necesse erit, ut antea non extiterit, consequenter impossibile non est, ut non existat: quod repugnat demonstratis. Existentia entis a se cur careat initio.

§. 36.

Ens a se nullum existendi finem habet (§. 279. Ontol. 32. Th. nat.). Cur fine careat.

§. 37.

Ens a se nec ortum est (§. 35. Th. nat. 541. Ont.), nec interire potest (§. 36. Th. nat. 541. Ont.). Impossibilitas ortus & interitus entis a se.

Hinc apparet, ens a se non dici quasi ortum a se, non ab alio. Etenim ortus a se implicat contradictionem. Nimirum si quod ens a se

oriretur, in eodem contineri deberet ratio sufficiens hujus ortus, qua posita poneretur & ipse (§. 118. *Ont.*). Enimvero ens oritur, dum existere incipit, cum antea non existeret (§. 541 *Ont.*). Quamobrem si quod ens a se oritur, antea non existebat, consequenter nec ratio quædam sufficiens poni potest, per quam & ortus ponatur. Oriri adeo debet absque ratione sufficiente, consequenter ortus a se contradictionem involvit (§. 31. *Ontol.*).

§. 38.

Impossibilitas annihilationis entis a se.

Ens a se annihilari nequit (§. 540 sq. *Ont.* 37. *Th. nat.*).

§. 39.

Æternitas quid sit.

Existentia nec initium, nec finem habens dicitur *Æternitas*: unde *Æternum* appellatur, quod nec initium, nec finem habet existendi, seu si nullum assignari potest tempus, quo existere cœpit & quando existere desinet.

§. 40.

Æternitatem num metiri liceat.

Nullum dari potest tempus, quo æternitatem metiri licet. Sit enim tempus quantumlibet magnum, quod dicamus T, æternitatis mensura. Quoniam magnitudinem metimur, si iterata mensuræ applicatione determinatur mensurati ad mensuram ratio (§. 438 *Ont.*); tempus T ad æternitatem applicari debet, quoties fieri potest, ubi idem metiri volueris. Enimvero cum in æternitate nullum sit initium (§. 39.), reperiri minime potest, ubi applicationis mensuræ initium fieri debeat. Et quia nec finis in eadem datur (*§. cit.*), nec concipi potest numerus, quo indigitetur, quoties tempus T sit sumendum, ut æternitati fiat æquale vel eam superet aliqua sui parte. E.

§. 41.

Immensum quid sit.

Immensum dicitur, quod mensuram omnem respuit, seu quod in se tale est, ut metiri ipsum non detur. Unde & intelligitur *Immensitas* quid sit, abstractum nempe, quo immensum dicimus.

§. 42.

Immensitas æternitatis.

Æternitas immensa est (§. 40 sq.).

§. 43.

§. 43.

Quomodo immensitas æternitatis imaginabilis efficiatur.

Si tempus quoddam stupendæ magnitudinis, hoc est, tantum, quantum dari posse non cogitaveras, distincte percipere cognoveris, idque pro mensura æternitatis accipi non posse cogites; immensitas æternitatis efficietur quodammodo intelligibilis, seu imaginabilis. Quoniam ideam temporis non habemus, nisi quatenus successiva in continua serie nobis repræsentamus (§. 572. *Ontol.*); tempus quoddam stupendæ magnitudinis nobis repræsentaturi cogitemus, omne spatium, quod sphæra illa comprehendit, cujus diameter est dupla fixarum a centro terræ distantia, arena adimpleri & singulis millenariis aut, si magis arriserit, millenariis mille elapsis unum arenæ granulum amoveri, donec tandem nullum relinquatur. Cum distantia fixarum tanta sit, ut pene septingenta annorum millia insumturus sit globus tormenti bellici continua velocitate, qua exploditur incedens, priusquam ad proximas stellarum inerrantium perveniat; globus autem tormentarius, intervallo unius minuti secundi seu pulsibus arteriarum singulis centum circiter hexapedas seu 600. pedes Parisienses conficiat; quanta sit spatii arena repleti vastitas, quantus arenæ, qua repletur numerus, quantus annorum, quo arenæ granula singula auferuntur, ut nullum amplius supersit, haud obscure intelligitur. Quodsi ergo cogites, stupendum hunc millenariorum numerum, qui omni arenæ granulatim amovendæ sufficit, ne mensuræ quidem loco adhiberi posse, ubi de magnitudine æternitatis incidit quæstio (§. 40.); æternitatis immensitas quodammodo imaginabilis evadet. Habes hic tempus stupendæ magnitudinis, &, ubi volueris, idem distincte percipere datur. Etenim ex datis inveniri potest distantia fixarum proximarum a terra in hexapedis vel etiam pedibus ope regulæ trium (§. 310. *Arithm.*), modo notes in reductione annorum 700000, tot adjiciendos dies intercalares, quot prodeunt, ubi 700000 per 4 diviseris, cum annus unusquisque quartus sit intercalaris: quamvis in præsente negotio tanta scrupolositate opus non sit, ubi spatium arena replendum pro arbitrio assumere licet. Data sphæræ semidiametro inveniri potest ejus soliditas (§. 556. *Geom.*) & quantum spatium occupet arena in vase cylindrico contenta, re-

periri itidem licet (§. 541. *Geom.*): unde numerando arenæ granula, quæ in spatio digitali continentur, numerus arenularum in isto vase, ac inde porro in vastissima ista sphæra definitur (§. 320. *Arithm.*). Quodsi ergo eum, qui prodit, numerum porro vel per mille, vel millies mille, prout libuerit, multiplices; stupendus ille annorum numerus prodibit, qui spatio tam vasto evacuando impendendus ex hypothesi. Atque jam multo magis intelliges, quid sibi velit æternitatis immensitas, cum ne tanti quidem numeri replicatione exhauriri possit (§. 40.).

§. 44.

Entis primi & ultimi definitio.

Ens primum dicitur, ante quod non extitit aliud. *Ens ultimum* vero appellatur, post quod non existet aliud.

§. 45.

Quodnam ens sit primum & ultimum.

Ens a se est ens primum (§. 35. 31. 33. 25. 44.) & ultimum (§. 36. 44.).

§. 46.

Ortus & interitus cur essentiæ entis a se repugnet.

Ortus & interitus essentiæ entis a se repugnat. Ens enim a se existentiæ suæ rationem sufficientem in essentia sua habet (§. 31.), adeoque essentia ipsius posita ponitur etiam existentia ejusdem (§. 118. *Ontol.*), consequenter eadem salva non existentia poni nequit (§. 28. *Ontol.*). Non existentia igitur essentiæ entis a se repugnat (§. 307. *Log.*). Enimvero cum illud oriatur, quod existere incipit, cum antea non existeret; ex adverso autem intereat, quod existere desinit, cum antea existeret (§. 541. *Ont.*); ortus & interitus non existentiam involvit. Uterque igitur essentiæ entis a se repugnat.

§. 47.

Aseitas cur repugnat compositioni.

Ens a se non est ens compositum (§. 46. Th. nat. 542. Ontol.).

§. 48.

Extensio aseitati repugnans.

Ens a se extensum esse nequit (§. 47. Th. nat. 531. 549. Ontol.), & quod est extensum a se esse nequit (§. 549. 531. Ont. 47. Th. nat.).

§. 49.

§. 49.

Ens a se est ens simplex (§. 47. *Theol. natur.* 531. 673. *Ontol.*). Simplicitas entis a se.

§. 50.

Mundus adspectabilis non est ens a se (§. 62. *Cosm.* 47. *Th. natur.*). Cur mundus non sit ens a se.

§. 51.

Mundus adspectabilis est ab alio (§. 50. 27.). Cur sit ab alio.

Esse ab alio non idem est ac productum esse ab alio (§. 27. *Th. nat.* & §. 541. *Ontol.*). Quamvis itaque ostenderimus mundum hunc adspectabilem, quem realiter existere supponimus, esse ab alio; hoc ipso tamen nondum evictum est, quod ab alio productus sit. Etenim si elementa rerum materialium sint a se, mundus rationem compositionis sufficientem in ipsis habens erit quidem ab alio, nimirum ab his ipsis elementis, sine quibus existere non potest, nec tamen dici poterit, quod sit ab elementis productus.

§. 52.

Elementa rerum materialium non sunt entia a se. Quoniam enim corpora omnia sunt elementorum aggregata (§. 176. *Cosmol.*); corpora quoque, ex quibus tanquam partibus componitur mundus (§. 119. *Cosmol.*), consequenter mundus ipse existere nequit, nisi existant elementa. Et quia si alius mundus æque possibilis ac is, qui existit (§. 101. *Cosmol.*), existere deberet; elementa alia existere deberent (§. 570. *Cosmol.*); hisce existentibus elementis mundus alius quam hic existere nequit. Quamobrem cum mundus hic adspectabilis non sit ens a se (§. 50.), consequenter nec ens necessarium (§. 33.); nec elementa rerum materialium entia necessaria, consequenter nec entia a se sunt. Cur elementa non sint entia a se.

§. 53.

Atomi materiales non sunt entia a se (§. 186. *Cosmol.*). Unde consequitur figuræ immutabilitas, cum sine divisione mutatio figuræ concipi non possit, & vi continuitatis absoluta densitas. Determinationes adeo intrinsecæ sunt continuitas, partium Cur atomi materiales non sint entia a se.

tium actualium excluſio, figura ac moles immutabilis, indiviſibilitas ex defectu dividentis, abſoluta denſitas. Sed quicquid horum cogitas, ſive etiam omnes iſtas determinationes ſimul perpendas, non tamen intelliges, cur atomi materiales exiſtere debeant. Quamobrem cum determinationum iſtarum aliæ in numero eſſentialium, aliæ in attributorum numero ſint (§. 143. 146. *Ontol.*); in eſſentia atomorum materialium ratio exiſtentiæ non continetur (§. 56. *Ontol.*). Non igitur ſunt ens a ſe (§. 31.).

§. 54.

Cur materia uniformis ſeu indiviſa non poſſit eſſe ens a ſe.

Materia indiviſa ſeu uniformis non poteſt eſſe ens a ſe. Etenim in materia indiviſa ſeu uniformi ob continuitatem non diſtinguuntur niſi partes poſſibiles & præterea eidem tribuitur diviſibilitas. Sed neque per uniformitatem, neque per partium actualium excluſionem, neque per continuitatem, neque per diviſibilitatem intelligi poteſt, cur iſtiusmodi extenſum neceſſario exiſtere debeat. E.

Ceterum cum ſpatium imaginarium ab hac materia non differat, niſi in eo, quod illud indiviſibile, hæc diviſibilis ſit; eodem etiam modo patet, ſpatium imaginarium non poſſe ens a ſe, conſequenter plurimum falli, qui ſpatium vel pro ipſo Deo, vel pro attributo quodam divino, veluti pro immenſitate ejus habent.

§. 55.

Quale ens ſit mundus.

Mundus adſpectabilis non eſt ens neceſſarium (§. 50. 33.), *ſed contingens* (§. 50. 27. *Th. nat.* 55. 310. *Ont.*).

§. 56.

Elementa qualia ſint entia.

Elementa rerum materialium ſunt entia ab alio (§. 52. conf. §. 51.) *atque contingentia* (repete dicta ad § 55.).

§. 57.

An [illegible]ile ſit mundum non exiſtere.

Non impoſſibile eſt mundum hunc adſpectabilem (§. 55. *Th. natur.* 311. 309. 279. *Ontol.*) *& elementa ejus* (§. 56.) *non exiſtere.*

§. 58.

§. 58.

Mundus cum elementis suis non potest esse ens a se, sed ens ab alio est (§. 90. Cosmol. 27. Th. nat. 191. 197. 90. Cosmol. 27. Th. nat.). **Cur mundus cum suis elementis non sit ens a se.**

Quoniam adeo mundus cum suis elementis existere nequit, nisi existat ens necessarium, adeoque vi alterius indiget ad existendum; necesse est eum cum elementis suis esse ens ab alio.

§. 59.

Anima non est ens a se (§. 66 sq. 190 sq. rat.). Quemadmodum vero alii mundi possibiles sunt, in quibus ad actum deducerentur possibilia, quæ in præsente actum non consequuntur (§. 101. *Cosmol.*); hæ animæ ideo existunt, quia hic existit mundus, & huic mundo coëxistunt, quia hanc habent essentiam atque naturam. Quamobrem cum impossibile non sit, mundum hunc adspectabilem non existere (§. 57.); nec impossibile erit has animas non existere. Non igitur existunt necessario (§. 279. *Ontol.*), consequenter necessariæ non sunt (§. 309. *Ontol.*). E. (§. 33.). **Cur anima non sit ens a se.**

Demonstratio propositionis præsentis adhuc subsistit, etiamsi cum Idealistis sumas, mundum tantummodo idealiter existere in animabus. Etenim cum alii quoque possibiles sint mundi, ratio dari debet, cur hæ potius existant animæ, quam aliæ mundum quendam alium sibi repræsentantes, quam in ipsis animabus reperire minime licet. Demonstratio propositionis præsentis multo evidentior est in hypothesi harmoniæ præstabilitæ, etsi ab eadem minime pendeat. Etenim in hac hypothesi anima per naturam & essentiam suam non potuit uniri nisi huic corpori, cum in systemate influxus physici & causarum occasionalium indifferens sit ad unionem cum quolibet corpore (§. 719. *Psych. rat.*). Quamobrem cum corpus humanum sit pars hujus mundi adspectabilis, utpote ad eundem eodem modo pertinens, quo cetera corpora ad ipsum spectant (§. 61. *Cosmol.*); quod animæ hæ contingenter existere debeant, quia mundus contingenter existit, evidentissimum est, utpote non exstituræ nisi existeret mundus.

§. 60.

§. 60.

Aseitas cum simplicitate non reciprocatur.

Non omne ens simplex est ens a se (§. 48. rat. 182. Cosmol. 59. 52. Th. nat.).

Aseitas non fluit ex eo, quod quid partibus careat, adeoque oppositam composito essentiam habeat, sed quod talis sit essentia, quam sine existentia concipi repugnat, ita ut positis determinationibus essentialibus ponatur & ipsa existentia (§. 31.).

§. 61.

Cur anima sit ens ab alio.

Anima est ens ab alio (§. 59. 27. Th. nat. 53. Ont. 27. Th. nat.) *idemque contingens* (§. 27. 26. Th. nat. 311. Ont.).

§. 62.

Cur ens a se sit diversum a mundo, elementis & animæ.

Ens a se diversum est a mundo, elementis & animabus nostris (§ 31. 50. 52. 59 Th. nat. 183. Ont.).

§. 63.

Ratio sufficiens existentiæ entis ab alio in quo quærenda.

Ens ab alio non continet rationem sufficientem existentiæ suæ nisi in ente a se (§. 27. Th. nat. 56. Ontol. 27. Th. nat. 53. 70. Ontol.).

§. 64.

Ratio sufficiens existentiæ mundi elementorum & animarum ubi quærenda.

Mundus hic adspectabilis, elementa rerum materialium & animæ humanæ rationem sufficientem existentiæ suæ non habent nisi in ente a se (§. 51 56. 61. 63.).

§. 65.

Qualia prædicata enti a se tribuenda.

Enti a se talia tribuenda sunt prædicata, qualia ad hoc requiruntur, ut intelligatur, cur hic potius mundus adspectabilis cum elementis suis quam alius & hæ potius animæ quam aliæ existant. Etenim ens a se continet rationem sufficientem, cur hic potius mundus adspectabilis cum elementis suis, quam alius, & hæ potius animæ quam aliæ existant (§. 64.). Per ea igitur, quæ enti a se insunt, intelligatur necesse est, cur hic mundus cum suis elementis & animæ humanæ hæ potius existant quam mundus alius aliæque animæ humanæ; immo simpliciter cur hic mundus cum elementis suis & animabus humanis existat potius, quam non existat (§. 56. Ont.). E.

§. 66.

§. 66.

Si existentiæ mundi adspectabilis & animarum humanarum ratio in ente uno, quod a se est, reperiri potest; plura admitti non possunt. Neque enim novimus præter mundum adspectabilem, quem ab elementis ejus separare minime licet, & animas humanas hunc sibi mundum per essentiam & naturam suam sibi repræsentantes (§. 66. 67. *Psych. rat.*), & horum existentiæ rationem sufficientem quærimus in ente aliquo, quod a se est (§. 64.). Quamobrem si per ea, quæ enti uni a se insunt, cur hic mundus adspectabilis cum animabus humanis existat intelligitur; ens hoc unum sufficit ut existant (§. 56. *Ont.*), consequenter quia existentiam istiusmodi entis propterea admittimus, quod eo admisso intelligamus, cur hic mundus cum animabus humanis existat (§. 65.); præter ipsum aliud gratis admitteretur, adeoque admitti nequit. Quot entia a se admittenda.

Quotiescunque effectus alicujus causam efficientem quærimus, in una acquiescimus, non modo quando manifesta est, verum etiam ubi latet, quamprimum agnoscimus eam effectui producendo sufficientem.

§. 67.

Per *Deum* intelligimus ens a se, in quo continetur ratio sufficiens existentiæ mundi hujus adspectabilis & animarum nostrarum. Dei definitio nominalis.

§. 68.

Definitio nominalis Dei, quod sit ens a se, in quo continetur ratio sufficiens existentiæ mundi hujus adspectabilis, est Scripturæ sacræ conformis, seu eadem est, quam Scriptura sacra supponit (Gen. I, 1. coll. *§. 309. Ontol. 27. 67. Theol. natur.).* Qualem definitionem Dei Scriptura sacra supponat.

§. 69.

Datur Deus (§. 29. 64. 68. 67.). Existentia Dei evicta.

§. 70.

Deus vi propria existit, independenter ab omni alio ente, ac sibimetipsi sufficit ad existendum (§. 67. 27. 30. 26.). Quomodo Deus existat.

§. 71.

Qualis sit existentia ipsius.

Existentia Dei absolute necessaria (§. 67. 32.).

§. 72.

Undenam sit necessitas existentiæ Dei.

Deus per essentiam suam existit (§. 67. 31. *Th. nat.* 118. *Ontol.*).

§. 73.

Criterium essentiæ divinæ.

Quamobrem *si quis Deum ita concipit, ut per ea, quæ ipsi tribuit tanquam determinationes essentiales, eum non existere non repugnet; is essentiam veri Dei non agnovit.*

Criterio hoc discernuntur falsi Dii a vero Deo: Gentiles itaque, qui admisere Deos genitos, adeoque contingenter existentes, hinc erroris sui redarguuntur.

§. 74.

Æternitas Dei.

Deus est æternus (§. 67. 35 sq. 39.).

§. 75.

Sempiternitas Dei.

Nullum fingi potest tempus, quo Deus non extitit, aut existit, aut extiturus est, consequenter *semper extitit, existit & extiturus est*, ac ideo *sempiternus est*. Etenim *sempiternus* dicitur, quod omni tempore conceptibili existit (§. 39.).

Sempiternitas fluit ex æternitate, & differt ab æternitate.

§. 76.

Consensus S.S. quoad æternitatem Dei.

Deus juxta Scripturam sacram est (*Ps. XC, 3.* coll. *Gen. I, 1. Ps. CII, 29. §. 39. 74. Th. nat.*) *& in eadem dicitur æternus eodem sensu, quo eundem æternum esse ostendimus.*

Deus *Gen. XXI, 33. & Jes. XL, 28. Rom. XVI, 26.* appellatur *Deus æternus*. In Scriptura sacra æternitas opponitur durationi terminabili, quæ definito annorum numero constat. Ita vita beatorum post hanc vitam a resurrectione mortuorum dicitur æterna in oppositione ad hanc vitam, quam certo annorum numero definiri constat *Matth. XXV, 26.* Omnis duratio terminabilis duplicem habet terminum; scilicet terminum a quo, unde incipit, & terminum ad quem, in quo desinit. Quamobrem si existentiæ continuatio opponitur durationi terminatæ, vel id fieri solet respectu termini a quo, veluti cum Deus dicitur fuisse

fuisse ab æterno *Hab. I, 12.* vel respectu termini ad quem, veluti cum vita ventura æterna appellatur *Matth. loc. cit.* & Deus esse dicitur in æternum, *Ps. XC, 2.* vel respectu termini utriusque, veluti quando Deus æternus appellatur, qui ideo esse dicitur ab æterno in æternum *Ps. loc. cit.* Et cum soli Deo æternitas respectu termini utriusque competat, ideo olim dicebatur κατ᾽ ἐξοχὴν æternus *Bar. II, 20 22 35.* & olim agnoscebatur solus, qui sit æternus *1 Maccab. I, 25.* Deus igitur æternus vocatur in Scriptura sacra nostro sensu (§. 74.).

§. 77.

Consensus S. S. quoad sempiternitatem.

Deus secundum Scripturam sacram est sempiternus. Apoc. I, 48. existentia Dei refertur ad tempus præsens per verbum temporis præsentis *est;* ad tempus præteritum per verbum temporis præteriti *erat* vel *fuit;* per verbum temporis futuri *venturus est* denique ad tempus futurum. Constat vero præter tempus præsens, præteritum atque futurum non posse fingi tempus aliud (§. 584. *Ontol.* §. 75. *Th nat.*).

§. 78.

Consensus S. S. quoad existentiam essentialem.

Juxta Scripturam sacram existentia Deo essentialis est, quemadmodum ante evicimus. Exod. III, 4. legitur: *Sic dices filiis Israël:* QUI EST, *misit me ad vos,* vel: ERO, *mittit me ad vos.* Cum præter eum, qui Mosen ad Israëlitas mittebat, non sit Deus alius *Jes. XLIV, 6.* non est ipsi nomen, quo ab aliis Diis tanquam sui similibus distinguatur. Distinguitur tamen ab ente quocunque alio per determinationes ipsi essentiales & alteri enti cuicunque incommunicabiles. Quamobrem nominis loco esse poterat determinatio essentialis, quæ enti alii convenire nequit. Jam cum Deus dicit, se vocari *Ero*, quod existere nunquam sit desiturus, adeoque quocunque tempore conceptibili de eo dici possit, quod extiturus sit, necesse est, existentiam inter determinationes essentiales referri. E. (§. 72. 73.).

§. 79.

Impossibilitas ortus & interitus Dei.

Deus nec ortus est, nec interire potest (§. 67. 37.).

§. 80.

Impossibilitas annihilationis Dei.

Deus annihilari nequit (§. 67. 38.).

§. 81.

Ortus & interitus cur divinæ essentiæ repugnet.

Ortus & interitus essentiæ divinæ repugnat (§. 46. 67.).

§. 82.

Falsorum Deorum character.

Qui adeo *Dii dicuntur orti ab aliis seu ex iisdem nati, aut numero hominum exemti in Deorum numerum translati; veri non sunt, sed falsi Dii* (§. 81.).

Unde liquet, apud Græcos atque Romanos non fuisse vera Theologiæ naturalis principia, ut adeo Paulus Ephesios sine Deo in mundo fuisse dicat, seu atheos appellet Eph. II, 12. Qui enim falsos fingit Deos, qui per essentiam, quam ipsis tribuit, Dii esse non possunt, nec præter eos Deum alium admittit, is utique existentiam veri Dei negat, atque adeo atheus est.

§. 83.

Simplicitas & immaterialitas Dei.

Deus est ens simplex (§. 67. 49.), *& corporeus esse nequit* (§. 47. *Th. nat.* 119. *Cosm.*).

§. 84.

Falsorum Deorum character.

Ergo *qui Diis corpora humana tribuunt, seu Deos admittunt corporibus humanis præditos; falsos Deos fingunt* (§. 83.).

§. 85.

Extensio cur Deo repugnet.

Deus non est extensus (§. 549. 673. *Ontol.* 83. *Theol. natur.*).

§. 86.

Cur spatium non sit Deus.

Impossibile quoque *est spatium esse Deum*, vel *aliquod attributum divinum* (§. 594. *Ont.* 85. *Th. nat.*).

Henricus Morus spatium ipsam substantiam divinam esse contendit, & *Josephus Raphson* spatium facit attributum divinum, ipsam scilicet immensitatem. Supponit autem uterque notionem spatii imaginariam, de qua diximus alibi §. 599. 611. *Ontol.*. Quoniam corollarium ad refellendum hunc errorem apposuimus; ideo quoque supponenda erat spatii

ſpatii notio imaginaria, quamvis per notionem realem multo clarius pateat, ſpatium non poſſe eſſe Deum. Cum enim ſpatium ſit ordo ſimultaneorum, quatenus coëxiſtunt (§. 589. 590. *Ontol.*), quod adeo non datur, niſi quatenus ſimultanea exiſtunt (§. 600. *Ontol.*); nemo non videt, quam foret abſonum affirmare, quod Deus ſit ſpatium, vel quod ſpatium ſit aliquod attributum divinum.

§. 87.

Inſenſibile dicitur, quod ſenſu percipi nequit. *Imaginabile* vero vocatur, quod vi imaginationis repræſentari poteſt. Inſenſibilis & imaginabilis definitio.

§. 88.

Deus inſenſibilis (§. 83. 99 ſq. *rat.* 83. *Th. nat.* 119. *Coſmol.* 87. *Th. nat.*), *nec imaginabilis eſt* (§. 93. *empir.* 178. *rat.* 87. *Th. nat.*). Ultimum etiam patet ex §. 92. 91. 144 ſq. 148. *empir.* Quicquid igitur inſenſibile eſt, idem nec imaginabile eſſe poteſt (§. 87.). E. Cur Deus ſit inſenſibilis, nec imaginabilis.

§. 89.

Quoniam Deus inſenſibilis eſt (§. 88.), viſibile vero ſenſibile (§. 87.); *Deus* quoque eſt *inviſibilis*, conſequenter *videri nequit* (§. cit.). Inviſibilitas Dei.

§. 90.

Dei imago aliqua nec pingi, nec ſculpi poteſt (§. 85. 88 ſq. *rat.* 83. *Th. nat.* 685. *Ont.*). Cur Deus nec pingi nec ſculpi poſſit.

§. 91.

Deus per figuras hieroglyphicas repræſentari poteſt. Etenim nil obſtat, quo minus ea, quæ Deo inſunt, propter aliquam ſimilitudinem generalem per res materiales tanquam per ſigna indigitentur & ex iis figura quædam componatur, quæ pingi & ſculpi poteſt. Jam vide §. 151. 157. *empir.* Poſſibilitas figurarum hieroglyphicarum de Deo.

Comenius in Orbe picto figuram hieroglyphicam pinxit. Pingit enim triangulum cum circulo inſcripto, radiis undiquaque in orbem diffuſis & circumcirca nubes ſibi invicem imminentes: circulus vero medium figuræ occupat. Circulus deſignat æternitatem, triangulum circumſcriptum Trinitatem in unitate, nubes totum ſpatium mundanum, radii undiquaque in orbem diffuſi vero denotant dependentiam rerum omnium

a Deo & quod circulus cum triangulo circumscripto medium occupat locum & nubes aliquo intervallo ab eodem removentur, hoc ipso indigitatur Deum esse ens primum idque prorsus independens ab universo hoc mundo adspectabili seu rebus omnibus extra ipsum existentibus. Beneficio igitur hujus figuræ Deus repræsentatur tanquam ens æternum atque trinunum ab omni alio ente independens, sed a cujus virtute reliqua omnia in essendo & existendo dependent, consequenter si a Trinitate discesseris, quæ nonnisi lumine revelationis innotescit, hac ipsa figura hieroglyphica satis apposite repræsentatur definitio illa nominalis Dei, quam supra dedimus (§. 67.). Notanda est differentia, quæ inter imagines Dei, quarum impossibilitatem adstruximus (§. 90.), & figuras hieroglophicas, quarum possibilitatem hic docemus, intercedit, ne figuras hieroglyphicas de Deo pro imaginibus Dei habemus. Qui pingit & sculpit figuram Dei hieroglyphicam juvandæ memoriæ & recordationis gratia; is non pingit, vel sculpit imaginem Dei, seu sibi facit effigiem Dei. E. gr. Inferius demonstrabimus, Deo competere omnium quovis momento præsentium in toto universo notitiam, seu, quod perinde est, Deum sibi esse conscium omnium eorum, quæ quovis momento in toto hoc universo contingunt. Ostendemus etiam hoc Dei attributum in Scriptura sacra *oculi* vocabulo denotari. Quamobrem si eadem magistra Dei hoc attributum seu Deum ipsum mediante hoc attributo tibi repræsentes per oculum in centro universi positum & undequaque per vasta mundi spatia radiantem, quemadmodum in templo quodam me vidisse memini, & hanc figuram pingi cures, ut pictura in conclavi oculis tuis opposita in memoriam tibi revocet, Deum quoque sibi conscium esse ejus, quod nunc in quovis conclavis angulo agis; nullam Dei pingi ac sculpi nescii imaginem fecisse dici potes divinitate in idolum transmutata.

§. 92.

Primitas & ultimatio Dei.

Deus est ens primum & ultimum, hoc est, *omnibus entibus præexistit independenter, nec quicquam ipsi succedit dependenter ab eo (§. 67. 45.).*

§. 93.

Incorruptibilitas Dei.

Deus est incorruptibilis (§. 83. Th. nat. 673. 541. Ontol. 666. rat.).

§. 94.

§. 94.

Nullus potest concipi modus, quo Deus interire possit (§. 685. 698. 542. *Ont.* 666. *rat.* 80. 93. *Th. nat.*).

Cur Deus interitus omnis expers.

§. 95.

Deus in S. S. incorruptibilis dicitur eodem sensu, quo eum incorruptibilem esse probavimus. Etenim *Rom.* I, 13. Apostolus Deum vocat ἄφθαρτον in oppositione ad hominem, quem φθαρτὸν vocat. 1 *Cor.* XV, 53. Apostolus mutationem, quam corpora in resurrectione mortuorum subibunt, his describit verbis: Δεῖ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν. Et notandum quidem est eo in loco Apostolum mortale a corruptibili & immortale ab incorruptibili distinguere. Jam corpus humanum non modo vivum est, verum etiam mixtum, quatenus scilicet singulæ ejus partes ex materia mixta constant. Moritur homo, dum vita privatur: at corrumpitur, dum mixtio solvitur. Corpus mortuum adhuc corpus humanum est, cum adhuc integra & salva sit maxima ex parte structura ejus, si non integra, in qua essentiam ejus consistere constat (§. 276. *Cosmol.*). Sed tum demum corrumpitur, quando putrefactione dissolvitur mixtum, ut in particulas minimas resolvatur totum corpus sicque ejus intereat structura. Patet itaque corruptibile hic dici, quod dissolutione in partes, unde compositum est, interit, & incorruptibile, quod ita interire nequit, quemadmodum nos vocabulum sumimus (§. 666. *Psych. rat.*). Et sic manifestum est, Deum incorruptibilem dici in Scriptura nostro sensu (§. 93.). Adde 1 Tim. I, 17.

Consensus S. S. quoad incorruptibilitatem Dei.

§. 96.

Deus in Scriptura sacra dicitur invisibilis. Col. I, 15. & 1 Tim. I, 17. Cum dubium nullum sit vocabula sumi in significatu recepto, ubi contrarium nulla necessitas urget; non est, qui dubitet, Deum dici invisibilem, quia videri nequit, quemadmodum visibilia videmus (§. 87.). Non vero sine ratione in loco priore Deus dicitur ὁ ἀόρατος, is, qui invisibilis est. Etenim hoc ipso significatur, quod *invisibilitas* sit *Deo essentialis.*

Consensus S. S. quoad invisibilitatem.

Hinc intelligitur emphasis, quæ inest verbis Apostoli 1 Tim. VI, 16. *Deum nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Cum enim, præsertim

sertim ob verba antecedentia, quod Deus lucem inhabitet inaccessibilem, facile quis suspicari posset, nullum hominum vidisse Deum propter impedimentum aliquod accidentale; Apostolus addit, quod nec videre possit, quia scilicet obstat impossibilitas ex parte ipsius Dei, utpote per essentiam suam invisibilis, quemadmodum aliunde cognitum supponit.

§. 97.

Consensus S.S. quoad impossibilitatem effigiei divinæ.

Juxta S.S. nulla potest sculpi, aut pingi Dei imago. Rom. I, 23. Additur *ibid.* 25. vertente *Castellione*, quod Dei veritatem in falsitatem transtulerint. Ex mente igitur Apostoli omnis imago, qualiscunque tandem fuerit, repræsentat rem sua natura corruptibilem. Deus vero incorruptibilis est. Ejus igitur imago nulla fieri potest. Deum esse per naturam suam incorruptibilem verum est (§. 93.), adeoque falsum, eum esse per naturam suam corruptibilem. Qui imaginem Dei aliquam pingit, vel sculpit, qualiscunque tandem ea sit, Deum fingit per essentiam suam corruptibilem, adeoque missa veritate quod falsum est amplectitur, consequenter Deum verum in falsum vertit, seu veritatem Dei in falsitatem transfert.

Impossibilitatem formandi aliquam Dei imaginem Apostolus demonstrat ex incorruptibilitate Dei: nos eandem deduximus ex simplicitate ejusdem (§. 90.). Enimvero hæc sibi mutuo minime repugnant. Nimirum constat, Deum ideo esse incorruptibilem, quia simplex est (§. 93.). Quamobrem si impossibile est aliquam Dei imaginem fieri, quia per essentiam suam incorruptibilis; impossibilis est talem fieri, quia simplex est. Maluit autem Apostolus impossibilitatem formandæ imaginis Dei deducere ex incorruptibilitate, quam ex simplicitate divina, ut stoliditatem gentilium ad ipsum vulgi captum redargueret: id quod ipsi propositum fuisse, verba manifesta loquuntur *Rom.* I, 21. 22.

§. 98.

Consensus S.S. quoad figuras hieroglyphicas.

Dei per figuras hieroglyphicas repræsentatio S. S. conformis. Deus in visionibus *Jesaiæ* cap. V, 1. *Ezechieli* c. I, 25. & sqq. c. III, 23. c. VIII, 2. 4. atque *Johanni* factis *Apoc.* IV, 2 & seqq. apparuit instar hominis in solio excelso & magnifico sedentis. Similiter constat, cum Christus in Jordane a Joanne baptizaretur, Spiritum S. descendisse sicut columbam, *Matth.* III, 16. & Christum

stum in visione *Johanni* facta apparuisse instar agni *Apoc.* V, 6. Columbam non fuisse imaginem Spiritus S. nec agnum imaginem Christi proprie sic dictam, per se patet (§. 85 *Psychol. rat.*). Cumque imago Dei aliqua nec pingi, nec sculpi possit (§. 90.), ipsa Scriptura sacra consentiente (§. 97.), immo ne tale quid fiat severe interdicente; *Ex.* XX, 4. 5. &c. nec persona in solio sedens imago proprie dicta Dei esse potest. Necesse igitur est, ut istæ repræsentationes propter aliquam similitudinem generalem aliquid Deo, Spiritui S. & Christo conveniens tanquam per signa indigitent. Nimirum cum persona in solio sedens repræsentet Regem, cui est imperium in alios, & solium excelsum & magnificum denotet imperii magnitudinem, non modo ex numero subditorum, verum etiam ex illimitatione imperii æstimandam; nemo non videt, in visionibus *Jesaiæ*, *Ezechieli* atque *Johanni* factis indigitari summum Dei idque prorsus illimitatum seu absolutum in creaturas intelligentes, quales sunt homines atque angeli, imperium. Columbæ commendantur ob sinceritatem *Matth.* X, 16. Sinceritas consistit in consensu actus externi & interni, simulationi opposita, in qua actus externus ab interno dissentit. Quamobrem cum Spiritus S. sit spiritus veritatis, qui testimonium perhibet de Christo *Joan.* XV, 26. & testimonium reddit spiritui nostro, hoc est, animam nostram certam reddit, quod simus filii Dei *Rom.* VIII, 16. immo qui nos veritatis eorum, quæ Deus in S. S. revelavit, convincit; columba sinceritatem tanquam singularem Spiritus S. virtutem denotat. Nemo nescit agnis mansuetudinem esse naturalem, nec minus ipsis convenire patientiam in ferendis injuriis. Quamobrem cum constet mansuetudinem *Matth.* XI, 29. & patientiam in ferendis injuriis 1 Petr. II, 23. in Christo eminuisse & has virtutes in ipso singularem a nobis attentionem mereri; quod per agnum repræsentetur ad significandam mansuetudinem & patientiam in ferendis injuriis dubitandum non est. Jam vide §. 151. 157. *empir.*

§. 99.

Consensus S. S. quoad primitatem & ultimationem Dei.

Deus juxta S. S. est ens primum ac ultimum eodem sensu, quo idem ante evicimus. Vide *Apoc.* I, 8. & conf. §. 44. 92.

§. 100.

Simplicitas Dei S. S. conformis.

Deus juxta S. S. ens simplex est, non compositum (§. 99. 44. 27. 49. 47.).

§. 101.

Extensio juxta S. S. Deo non competit.

Quoniam ens simplex extensum non est (§. 675. *Ontol.*), *Deus* autem juxta S. S. ens simplex est (§. 100.), idem quoque *juxta S. S. extensus esse nequit.*

§. 102.

Consensus S. S. quoad immaterialitatem.

Deus juxta S. S. corporeus esse nequit (§. 101. *Th. nat.* 122. *Cosm.*). Idem patet ex §. 95. *Th. nat.* 667. *rat.*

§. 103.

Quo sensu Deo tribuantur corporis humani membra in S. S.

In Scriptura sacra Deo tribuuntur membra corporis humani metaphorice, significatu quodam generali, qui attributo cuidam divino & usui illius membri communis est. Tribui in S. S. Deo membra corporis humani nemo ignorat. Ita Deo tribuuntur oculi *Psalm.* XXXIII, 18. *Amos.* IX, 3. tribuitur facies, *Gen.* III, 8. c. IV, 14. 16. 1 *Petr.* III, 12. tribuuntur manus, *Psalm.* XXV, 6. 1 *Petr.* V, 6. tribuuntur pedes, *Jes.* LX, 13. 14. Cum Deus sit incorporeus juxta S. S. (§. 102.) nec oculos, nec faciem, nec manus, nec pedes habere potest. Quamobrem hæc membra corporis humani proprie ipsi tribui nequeunt: tribuuntur itaque nonnisi metaphorice. Nemo ignorat per metaphoram vocabula a propria significatione in alienam transferri ob similitudinem. Vid. Vossius Rhet. lib. 4. c. 4. § 1. Similitudo consistit in identitate eorum, quæ rebus pluribus insunt (§. 195. *Ontol.*). Necesse igitur est, ut organis istis corporis humani, quæ Deo tribuuntur, & attributis divinis, ob quæ eidem tribuuntur, quædam insint, quæ eadem sunt, vel ut communiter loquimur, ut organa ista corporis humani & attributa quædam divina in quibusdam inter se conveniant. Organum materiale & attributum divinum, quod nihil materiale habet (§. 102.), inter se convenire nequeunt, nisi quoad usum organorum, ita ut in Deo concipiatur possibile, quod per organum istud possibile est homini. E.

§. 104.

§. 104.

Deus præditus est vi activa (§. 83. *Th. nat.* 232. 234. *Ontol.*). Vis activa Dei.

§. 105.

Deus continuo actuosus est (§. 104. *Th. nat.* 728. *Ontol.*). Actuositas Dei continua. In Deo autem tanquam ente simplici (§. 83.), adeoque partibus (§. 673. *Ontol.*), consequenter virium contrariarum subjectis (§. 28. 341. *Ontol.*), carente vires sibi mutuo contrariæ concipi non possunt, cumque independenter ab omni ente alio existat (§. 70.), nec extrinseca impedimenta fingi possunt. E.

§. 106.

Deus etiam juxta S. S. continuo actuosus est, seu ab agendo nunquam cessat, ipsique vis activa competit. Consensus S. S. quoad actuositatem continuam. *Job.* V, 17. Pater meus, inquit Christus, usque modo operatur & ego operor. Nimirum miraculosa sanatio hominis infirmi erat opus divinum. Talia opera Sabbatho non esse illicita cum exemplo Dei probat; verba ejus sensum alium habere nequeunt, quam quod Deus continuo operetur, ita ut nullo tempore adeoque nec in Sabbatho ab operatione cesset.

Jam quoniam actio seu operatio non ponitur, nisi posita vi activa (§. 723. *Ontol.*), cum Deus juxta S. S. continuo agat seu operetur, ita ut nullum ne fingi quidem possit tempus, quo ab agendo cesset; Deo juxta S. S. competit vis activa, nec quicquam datur, quod impedire possit, quo minus actio continuo sequatur.

§. 107.

Vivum dicitur, quod habet principium activum in se. Vivum quid dicatur. Quamobrem cum in principio activo contineatur ratio, cur vivum agat sine motore externo (§. 866. *Ontol.*), vis vero activa rationem sufficientem actualitatis actionis contineat (§. 722. *Ont.*); vis activa est principium activum, consequenter *quod vi activa præditum est, vivum est.*

Corpora animalia dicuntur viva, quia absque impulsu externo moventur, adeoque principium quoddam activum in se habent. Ex adverso

verso corpus mortuum esse judicant omnes, quando motus isti a principio interno provenientes omnes prorsus cessant.

§. 108.

Vita in quo consistat.

Vita igitur in continua actuositate entis alicujus consistit. *Actuosum* vero est, quod vi intrinseca in se actuat, quæ per essentiam seu determinationes intrinsecas constantes in eodem possibilia intelliguntur.

§. 109.

Vita animarum qualis sit.

Animæ humanæ vivunt per naturam suam & vita ipsis essentialis est (§. 53. 60. 55. *rat.*). Vivunt itaque animæ humanæ, & quidem per naturam suam (§. 108. *Th. nat.* 68. *rat.*).

Quoniam anima continuo actuosa est (§. 190. 191. *Psych. rat.*) & in hac continua actuositate vita ipsius consistit (§. 108.), actuosa vero est propter vim (§. 60. *Psychol. rat.*), in qua essentiam ejus consistere constat (§. 66. *Psychol. rat.*); ideo per essentiam animæ intelligitur, cur vita ipsi competat, consequenter ratio vitæ ejusdem in essentia ipsius continetur (§. 56. *Ont.*).

§. 110.

Vita elementorum rerum materialium.

Elementa rerum materialium vivunt per naturam suam (§. 196 sq. *Cosm.* 108. *Th. nat.* 503. *Cosm.* 880. *Ont.*).

§. 111.

Vita Dei.

Deus est vivus (§. 104 sq. 107 sq.)

§. 112.

Vita Dei S. S. conformis.

Deus juxta S. S. est vivus & quidem eo sensu, quo nos eundem vivum esse ostendimus. Multa sunt S. S. loca, in quibus Deus dicitur vivus. Quodsi vero attente consideraveris omnes in contextu circumstantias, id fieri intelligitur, ut Deum tanquam actuosum & vi activa pollentem concipiamus. Ita *Jos.* III, 10. Deus vivens esse dicitur in medio Israëlitarum, ut fidem habeant Josuæ asserenti, quod gentes, quarum terras occupare debebant, extirpaturus sit. Deo itaque vita tribuitur, ut intelligatur, ipsum posse disperdere gentes, consequenter vi maxima activa præditum esse: vis enim magna esse debet unius, quæ prævalere debet adversus multos. E. Adde 2 *Reg.* XIX, 16.

Quod

Quod vero Deus quoque in S. S. vivus dicatur eodem sensu, quo nos eundem vivum esse probavimus; hoc modo probari potest. Deus vivus dicitur in S. S. *loc. cit.* non tamen definitur, quid per vitam intelligi velit. Non alia igitur vitæ notio supponi potest, quam quæ a rebus viventibus, dum eas intuemur, abstrahi potest (§. 942. *Log.*). Et sane Ezechias *loc. cit.* Dei vitam ex eo colligi vult, unde vitam hominis colligimus. Enimvero quæ a rebus viventibus, quas præsentes intuemur, abstrahitur vitæ notio, ea est, qua nos in demonstranda vita animarum humanarum atque Dei utimur (§. 107.). Deus itaque in S. S. vivus dicitur eodem sensu, quo nos eundem vivum esse demonstravimus. Adde *Act. XIV, 15. 1 Tim. VI, 17.*

§. 113.

Deus vitam habet in se, independenter ab omni ente alio (§. 70. 111.). Unde Deus vitam habeat.

Atque hoc ipso vita Dei distinguitur a vita omnis entis alterius. Etenim elementa vitam habent a Deo, nec vivunt nisi dependenter ab eo. Idem dicendum est de vita animarum. Corpora nostra habent vitam dependenter ab aliis corporibus, veluti ab aëre, sine quo vitam conservare non licet; a calore externo, quo carere nequimus.

§. 114.

Deus juxta S. S. vitam habet in se, independenter ab omni ente alio. Disertis verbis affirmat Christus *Joh. V, 26.* Deum habere vitam in semetipso. Scriptura sacra vocabulum vitæ accipit eo sensu, qui abstrahitur a corpore humano vivo, quemadmodum paulo ante docuimus (§. 112.). Vita vero corporis nostri a rebus externis pendet (*not.* §. *cit.*). E. Consensus S. S. quoad independentiam vitæ Dei.

§. 115.

Talia Deo tribuenda sunt prædicata, ut per ea intelligatur, cur mundus hic adspectabilis, cum animabus nostris potius existat, quam non existat, & cur ipse potius existat quam alius (§. 67. *Theol. nat.* 56. *Ontol.* 57. *Th. nat.* 66 sq. *rat.* 101. *Cosmol.* 66 sq. *rat.*). Qualia Deo tribuenda sint prædicata.

Ceterum mutatis mutandis Idealistæ quoque propositionem præsentem admittere tenentur. Etenim Idealista, qui mundo nonnisi existentiam idealem in animabus hominum tribuit (§. 36. *rat.*), cum hoc non obstante plures mundos possibiles agnoscere teneatur, quia possibilitas ab actuali existentia minime pendet, plures admittere tenetur animas, quæ sibi diversos mundos possibiles per essentiam & naturam suam repræsentare valent & quibus existentibus mundi isti idealiter existunt. Quamobrem porro admittere tenetur, per ea, quæ Deo insunt, intelligi posse, cur hæ potius quam aliæ animæ existant & in his potius animabus hic mundus adspectabilis, quam in aliis alius idealiter existat, & cur hæ animæ potius existant, quam non existant, & in his animabus hic mundus adspectabilis potius idealiter existat, quam alius. Utrobique eadem prodeunt attributa, ut adeo Idealismo, etsi is a nobis minime probetur, labes atheismi adspergi minime possit.

§. 116.

Qualis vis Deo competat.

Vis, quæ Deo inest (§. 104 seq.), talis concipi debet, qualis ad hoc requiritur ut intelligatur, cur mundus hic adspectabilis cum animabus nostris potius existat, quam alius cum animabus aliis, & cur idem potius existat quam non existat (§. 115.).

§. 117.

Mundi existentiæ unitas.

Mundus tantummodo unus existit. Ponamus plures existere mundos: Aut mundi isti erunt similes, aut dissimiles. Si prius; vide §. 195. *Ont.* Quamobrem perinde est, sive mundus A dextro, & B sinistro loco constituatur, sive B occupet dextrum, A sinistrum, nec per ea, quæ mundo utrique A & B insunt, intelligi poterit, cur A potius dextro, quam sinistro sit loco & B potius sinistrum, quam dextrum teneat locum, consequenter nulla datur ratio, cur mundus A dextro, B sinistro sit loco, quam cur potius contraria ratione sese res habeat (§. 56. *Ontol.*). Sed sine ratione sufficiente nil quicquam est (§. 70. *Ontol.*). E.

Si posterius; ratio eorum, quæ in uno contingunt, reddi nequit ex iis, quæ contingunt in altero. Ponamus enim, si fieri potest, rationem eorum, quæ in uno mundo contingunt, reddi posse ex iis, quæ contingunt in altero. Mundi igitur isti

inter

inter se connectuntur (§. 10 *Cosmol.*); simul adeo aliquam rerum coëxistentium atque successivarum seriem constituunt, consequenter mundus nonnisi unus sunt (§. 59. *Cosmol.* & § 329. *Ont.*), contra hypothesin. Quoniam ratio eorum, quæ in uno mundo contingunt, reddi nequit ex iis, quæ contingunt in altero; nulla mutatio inde sequeretur, si ordo coëxistendi mutaretur. Ex iis itaque, quæ pluribus mundis insunt, intelligi nequit, cur hoc potius ordine coëxistant, quam alio, consequenter ordinis coexistendi nulla datur ratio sufficiens (§. 56. *Ontol.*). Sed vide §. 70. *Ontol.*).

§. 118.

Ratio objectiva dicitur, quæ desumitur ab objecto. Rationis objectivæ definitio.

§. 119.

Datur ratio objectiva, cur hic potius mundus existat, quam alius. Ponamus enim nullam dari: cum ratio objectiva desumatur ab objecto (§. 118), nihil inest mundo huic adspectabili, cur ipse potius existat, quam alius (§. 56. *Ontol.*). Quoad Deum igitur perinde est, sive hic mundus existat, sive quicunque alius, consequenter nec Deo insunt, per quæ intelligi potest, cur hic potius existat mundus, quam alius. Quamobrem nulla datur ratio sufficiens, cur hic potius existat mundus, quam alius. Atqui vide §. 70. *Ont.* An detur ratio objectiva existentiæ mundi.

Qui excipiunt, rationem sufficientem esse voluntatem Dei, atque adeo rationem objectivam nullam requiri, illi supponunt voluntatem agere sine motivis: id quod absurdum esse docuimus alibi (§. 889. *Psychol. empir.*). Immo repugnat ipsa rationis sufficientis notio. Ex eo enim quod quis quidpiam vult, nondum intelligitur, quod hoc potius sit, quam non sit: constare debet, cur hoc potius velit, quam aliud. Id vero est, quod sine ratione objectiva concipere non datur.

§. 120.

Ratio objectiva, cur hic potius mundus existat, quam alius, desumenda est ab eo, quo duo vel plures mundi a se invicem differunt (§. 119. 118.). Quærenda igitur erit aut in his, quæ hic mundus cum aliis communia habet, aut in iis, quæ eidem propria sunt, Unde desumatur.

ſunt, conſequenter in eo, quo a ceteris differt. Non prius (§. 181. *Ont.*); E. poſterius verum eſt.

§. 121.

Repræſentatio omnium mundorum poſſibilium in Deo & hujus ex ceteris electio.

Deus mundos omnes poſſibiles ſibi repræſentavit & hunc ex ceteris elegit (§. 115. 119 ſeq.). Quoniam itaque mundus hic adſpectabilis non eſt ens a ſe, ſed ab alio (§. 50.), adeoque vi propria exiſtere nequit (§. 27.); inter ea, quibus is differt ab aliis, referri nequit vis propria ad exiſtendum requiſita. Quamobrem per ea, quæ Deo inſunt, intelligi haud quaquam poteſt, cur hic potius exiſtat mundus quam alius, niſi ſupponatur Deum differentiam mundi hujus adſpectabilis a ceteris, conſequenter mundos omnes poſſibiles diſtincte ſibi repræſentaſſe (§. 38. *Pſych. emp.*) & ob differentiam iſtam hunc ex ceteris elegiſſe.

§. 122.

Intellectus Deo aſſertus.

Deo competit intellectus (§. 121. *Th. nat.* 275. *emp.*).

§. 123.

Et voluntas libera.

Deo competit voluntas libera (§. 121. 92. *Th. nat.* 933. 941. *emp.*).

§. 124.

Spiritualitas Dei.

Deus eſt ſpiritus (§. 67. 122 ſqq. *Th. nat.* 643. *rat.*).

§. 125.

Qualis ſit ſpiritus.

Deus ſpiritus independens eſt (§. 67. 30. 124.).

§. 126.

Aſeitas ſpiritus independentis.

Spiritus independens eſt ens a ſe (§. 851. 56. *Ont.*).

§. 127.

Quale ens rationem ſufficientem exiſtentiæ mundi in ſe contineat.

Ens, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum noſtrarum, omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentare valet atque hunc ex ceteris elegit. Probatur eodem prorſus modo, quo ante (§. 121.) evicimus, Deum omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentare poſſe atque hunc ex ceteris elegiſſe; quia in utraque propoſitione eſt eadem ſubjecti notio (§. 67.).

§. 128.

§. 128.

Ens, in quo continetur ratio sufficiens existentiæ mundi hujus adspectabilis & animarum nostrarum, intellectu & voluntate libera gaudet, atque adeo spiritus est. Vide §. 122-124.

Cujusnam generis sit istud ens.

§. 129.

In spiritu independente continetur ratio sufficiens existentiæ mundi hujus adspectabilis & animarum nostrarum (§. 126. 64. 128.).

Dependentia mundi & animarum nostrarum a spiritu independente.

Atque ita probavimus æquipollentiam definitionis nostræ de Deo & definitionis apud Theologos dudum receptæ, quod Deus sit spiritus independens. Unde porro liquet, quam parum sint methodi demonstrativæ gnari; qui definitionem nostram atheismo favere sibi persuadent aliisque persuadere nituntur.

§. 130.

Deo secundum S. S. competit intellectus eo sensu, quo eundem ipsi vindicavimus.

Consensus S. S. quoad intellectum Dei.

Nota dicuntur Deo ab æterno omnia opera ejus *Act. XV, 18.* Opera ejus sunt mundus & omnia, quæ in eo sunt *Act. XVII, 24.* Ab æterno igitur tam mundum integrum, quam singula, quæ in eo sunt, adeoque & coëxistentia, & successiva in universa rerum serie eorumque inter se nexum sibi repræsentavit (§. 48 51. & sqq. *Cosmol.*). Cum igitur singula, quæ in universa rerum serie continentur, a se invicem distinxerit; eandem sibi distincte repræsentavit (§. 38. *Psychol. emp.*). E. (§. 275. *Psych. emp.* & §. 122. *Th. nat.*).

§. 131.

Deo secundum S. S. competit voluntas eo sensu, quo ipsi voluntatem ante vindicavimus. Quando Christus *Matth. VII, 12. Omnia*, inquit, *quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis;* dubitare ecquis ausit, sermonem ibi esse de voluntate, quæ hominibus competit, atque adeo velle ibidem esse actum voluntatis humanæ? Porro nemo non videt, Christum supponere eam voluntatis libertatem, qua ex pluribus æque possibilibus eligere possit homo, quod ipsi placet, conse-

Consensus S. S. quoad voluntatem Dei.

quenter hominibus tribuere voluntatem liberam in eo significatu, quo nos vocabulum accipimus quoad homines (§. 941. *Psychol. empir.*). In textu Græco extat verbum θέλειν, consequenter dubitandum non est, nomen ab hoc verbo descendens θέλημα significare voluntatem eo sensu acceptam, quo nos vocabulum Latinum accipimus. Jam plura extant Scripturæ sacræ loca, in quibus Deo tribuitur θέλημα, veluti *Matth. VII, 21. cap. XXVI, 42. Joh. V, 30. cap. VI, 38. cap. VII, 17. Rom. IX, 19. Ephes. I, 5.* E.

§. 132.

Consensus S. S. quoad spiritualitatem.

Deus in Scriptura sacra dicitur & juxta eandem est spiritus eodem sensu, quo nos eundem spiritum esse probavimus. Deus juxta S. S. habet intellectum (§. 130.) & liberam voluntatem (§. 131.). E. (§. 643. *Psych. rat.*). Adde *Joh. IV, 24.* coll. *Jac. II, 26. Rom. VIII, 16.*

§. 133.

Deus juxta S. S. corpus humano simile habere non potest.

Deus juxta S. S. non habet corpus, quale corpus humanum est (Joh. IV, 24. Luc. XXIV, 39.).

§. 134.

Cur non habeat organa sensoria & alia corporis humani.

Quoniam corpus humanum habet organa sensoria & manus atque pedes; *Deus juxta S. S. organa sensoria, qualia sunt hominibus, veluti oculos & aures, atque manus & pedes habere nequit.*

§. 135.

Cautio in demonstrandis attributis divinis adhibenda.

Quæ de intellectu humano & voluntate humana vel observantur vel demonstrantur; absque demonstratione Deo tribui non possunt (§. 654. 652. 655. 653. 657. *rat.*). Deo tribui nequeunt, nisi quæ animæ cum spiritibus omnibus & ipso spiritu perfectissimo communia sunt, propterea quod de eadem nobis innotuerint. E.

§. 136.

Quænam Deo non tribuenda.

Quæ ex limitatione intellectus humani voluntatisque humanæ propria consequuntur; ea Deo tribui nequeunt (§. 652. 654. 653.

653. 655. 643. 645. 657. rat.). Quæcunque igitur ex limitatione intellectus & voluntatis animæ deducuntur, quatenus intellectus humani ac voluntatis humanæ limitatio est, ea animæ soli competunt, utpote rationem sui sufficientem non habentia nisi in eo, quod animabus humanis qua spiritibus proprium (§. 118. *Ont.*) consequenter nulli spiritui alii convenire possunt, adeoque nec Deo (§. 124.).

Nondum demonstratum est Deum esse spiritum perfectissimum, cui intellectus illimitatus & voluntas illimitata competit (§. 652 653. *Psychol. rat.*). Quamobrem nondum demonstrari potest, Deo tribui non posse, quæ intellectui limitato & voluntati limitatæ in genere spectatæ conveniunt.

§. 137.

Antequam demonstretur, num Deus sit spiritus perfectissimus, nec ne; quæ intellectui limitato & voluntati limitatæ tantummodo conveniunt, ei tribui nequeunt (§. 652 sq.). Antequam demonstretur, utrum Deus sit spiritus perfectissimus, nec ne, non constat, utrum intellectus ipsius sit limitatus, an illimitatus, & utrum voluntas ejusdem sit limitata, an illimitata. Quamobrem cum intellectui illimitato non conveniant, quæ tantummodo limitato convenire possunt, nec voluntati illimitatæ competant, quæ tantummodo limitatæ competere possunt; antequam demonstretur, utrum Deus sit spiritus perfectissimus, nec ne, ignoratur num ei tribui possint, quæ nonnisi intellectui limitato & voluntati limitatæ propria sunt, adeoque tribui nequeunt.

Idem porro expenditur.

§. 138.

Deus est spiritus necessarius (§. 124. 71. Theol. nat. 662. ration.).

Qualis Deus sit spiritus.

Quoniam Deus tanquam spiritus necessarius a spiritibus contingentibus quoad existentiam differt (§. 662. *Psychol. rat.*), necessitas vero in existendo ex aseitate fluit (§. 33.); ideo de Deo etiam qua spiritu necessario prædicari possunt, quæ Deo respectu existentiæ necessariæ prædicantur. Ita Deus recte dicitur spiritus æternus (§. 74.), spirituumque primus & ultimus (§. 92.).

§. 139.

Quales animæ humanæ sint spiritus.

Animæ humanæ spiritus contingentes sunt (§. 645. rat. 61. Th. nat. 310. 309. 294. Ont. 662. rat.).

§. 140.

Ratio Dei asserta.

Deus ratione præditus (§. 124. Theol. natur. 673. 451. ration.).

CAPUT II.

DE INTELLECTU DEI ET ATTRIBUTIS INDE PENDENTIBUS.

§. 141.

Deus seipsum & omnes mundos possibiles cognoscit.

Deus omnes mundos possibiles atque semetipsum cognoscit (§. 121. 120. *Th. nat.* 38. *emp.* 11 sq. *rat.*).

§. 142.

Duplex possibilia considerandi modus.

Possibilia absolute spectantur, quatenus unumquodque eorum spectatur in se, sine relatione ad alia. *Spectantur vero ut in systemata reducta*, quatenus repræsentantur ut inter se connexa, tum qua coëxistentiam, tum qua successionem.

§. 143.

Quænam in possibili in se spectato considerentur.

Si ens aliquod absolute spectatur, ejus cognoscuntur determinationes essentiales, attributa & modorum possibilitates (§. 143. 153. 146. 160. 149. 118. *Ont.*), *illorum & horum cum essentialibus nexus* (§. 157. 160. 156. *Ont.* 10. *Cosmol.*), *modorumque variæ series.*

De modorum seriebus notetur: quoniam modi actu inesse non intelliguntur, sed modo inesse, modo non inesse posse concipiuntur (§. 151); hoc ipso patet, eos esse variabiles & quatenus

tenus sibi mutuo diversis modis succedere posse intelliguntur, diversas modorum series prodire agnoscitur. E.

Cum in eo jam versemur, ut in differentiam intellectus divini ab humano curatius inquiramus; id omnino nobis agendum est, ut exponamus, qualis cognitio possibilis sit. Ita enim constabit clarius, quænam cognitio sit summa & quanto intervallo ab eadem distet humana. Et quia deinceps evincemus, mundi ideam efformatam esse ab intellectu divino & totum hoc, quod existit, universum possibilitatem suam ab intellectu divino derivare; cognitione omni possibili perspecta demonstrari poterit, quomodo idea mundi hujus adspectabilis ceterorumque non minus possibilium in intellectu divino enata fuerit.

§. 144.

Si quod possibile spectatur ut in systema cum aliis redactum, causarum cognoscitur series, per quas existentia determinatur, modorum series, qui successive toto durationis tempore eidem inexistunt, dependentia a coëxistentibus quoad modos singulos, influxus in modificationem coëxistentium & in existentiam successivorum; nihil vero horum cognoscitur, quatenus quid absolute spectatur. Quænam cognoscantur, si ens in systemate spectatur.

Si ens ut in systema cum aliis redactum spectatur, eo modo repræsentatur, quo cum aliis in eodem systemate connectitur tum qua coëxistentiam, tum qua successionem (§. 142.). Quamobrem cum entia, de quibus hic nobis sermo est, rationem existentiæ sufficientem in essentia sua minime habeant, adeoque contingentia sint (§. 310. *Ontol.*), contingentium vero actus in mundo determinetur per seriem contingentium, quæ a se invicem dependent ut effectus a sua causa (§. 83. *Cosmol.*); dum ens ut in systema cum aliis redactum spectatur, series causarum cognoscitur, per quas existentia determinatur.

Similiter quia entia composita in mundo in modificationibus suis a contiguis dependent (§. 85. *Cosmol.*) eorumque modi per mundum integrum determinantur (§. 87. *Cosmol.*); dum ens tanquam cum aliis in systema redactum spectatur, dependentia a coëxistentibus quoad modos singulos & influxus in modificationem coëxistentium cognoscitur.

 Deni-

Denique cum actus contingentium in mundo determinetur per seriem contingentium, quorum unum determinatur per alterum quoad actualitatem suam (§. 89. *Cosmol.*); ab iis, quæ præsentia sunt, pendet actus futurorum. Quamobrem si ens ut cum aliis in systema redactum spectatur, ejus in existentiam futurorum (§. 584. *Ontol.*), consequenter successivorum (§. *cit.* & §. 569. *Ontol.*) influxus cognoscitur.

§. 145.

Quomodo omnia cognoscantur quæ enti alicui inesse possunt.

Si possibilia tum absolute, tum in systemata redacta spectantur; omnia cognoscuntur, quæ iisdem actu inesse possunt (§. 143 sq.). Jam ea, quæ enti insunt, aut insunt constanter, aut constanter non insunt, seu modo insunt, modo non insunt. Et quæ constanter insunt, aut per ea, quæ simul insunt, determinantur, ita ut his positis ponantur & ipsa (§. 115. *Ontol.*), aut per ea, quæ simul insunt, non determinantur (§. 53. *Ontol.*). Jam vide §. 152. 151. 314. *Ontol.* Quatenus vero ea, quæ enti alicui insunt, referuntur ad alia in eodem systemate locum habentia, consequenter inter se connexa (§. 142.), adeoque vel simultanea, vel successiva (§. 48. *Cosmol.*), seu coëxistentia & non coëxistentia (§. 569. *Ontol.*), atque hinc vel præsentia vel præterita, vel futura (§. 584. *Ontol.*); aut dependentiam existentiæ a causarum quadam serie (§. 83. *Cosmol.*), & a coëxistentibus in actu suo (§. 84. *Cosmol.*), aut dependentiam modificationum ab aliis (§. 85. *Cosmol.*), aut dependentiam aliorum ab ipso quoad existentiam & modificationem loquuntur (*§. cit. Cosmol.*). E.

§. 146.

Quomodo cognoscantur, quæ ens extrinsece afficiunt.

Si possibilia omnia, quæ in unum systema redigi possunt, tanquam in systema redacta spectantur; spatium ac tempus omne distincte cognoscitur (§. 142. Th. nat. 11. Cosmol. 56. 472. 589. 572. Ontol.), una cum loco (§. 142. Th. nat. 602. Ontol.) & situ (§. 603. Ontol.) uniuscujusque entis & eorundem mutationibus toto durationis tempore (§. 572. Ont. 38. emp. 578. Ont.).

§. 147.

Genera & species cum eorum prædica-

Si possibilia tum in se, tum tanquam in systemata redacta spectantur, omnes species ac genera omnia (§. 142. 145. Th. nat.

149.

149. 195. 243. 233 sq. Ontol.) eorundemque subordinationes (§. 234. Ontol.) cognoscuntur, una cum prædicatis tam absolutis, quam hypotheticis speciei ac generi cuicunque convenientibus (§. 145. Th. nat. 197. Log. 247. Ont. 143 sq. Th. nat.). tis quomodo cognoscantur.

§. 148.

Quomodo numeri cognoscantur.

Si possibilia tum in se, tum ut in systemata redacta spectantur, omnes cognoscuntur numeri, qui in unaquaque rerum serie dari possunt. Quicquid existit, id omnimode determinatum est (§. 226. *Ontol.*). Quamobrem cum possibilia in systemata redacta spectentur, quatenus inter se connecti possunt tum qua coëxistentiam, tum qua successionem (§. 142.), adeoque seriem rerum possibilem constituunt (§. 85. *Ontol.*), consequenter ita repræsentantur, quomodo existere possunt (§. 133. *Ontol.*); si possibilia tanquam in systemata redacta spectantur, tanquam omnimode determinata exhibentur. Repræsentantur adeo singula tanquam individua (§. 227. *Ontol.*). Quamobrem cum ens omne singulare unum sit (§. 329. *Ontol.*), unum tamen non sit idem cum altero (§. 183. *Ontol.*), quemadmodum ex singulorum differentia perspicitur in quavis rerum serie obvia (§. 247. *Cosmol.*); si possibilia tanquam in systemata redacta spectantur, tanquam multa repræsentantur (§. 331 *Ontol.*). Hæc multitudo quia cognoscitur, omnium singularium numerus cognoscitur, qui in aliqua rerum serie dari potest, si possibilia tanquam in systemata redacta spectantur (§. 340. *Ontol.*).

Porro si hæc ipsa possibilia tanquam in systemata redacta spectantur, omnes cognoscuntur species & genera omnia tam inferiora, quam superiora (§ 147.). Enimvero species rerum constituuntur singularium similitudine (§. 233. *Ontol.*) & genera inferiora similitudine specierum & superiora similitudine generum inferiorum (§. 234. *Ontol*), entia vero universalia constituuntur ista similitudine partiali individuorum, vel minus universalium (§. 232. *Ontol.*). Quamobrem si possibilia tanquam in systemata redacta spectantur, omnia entia universalia cognoscuntur, quæ in unaquaque rerum serie locum habere possunt. Cum ens unumquodque universale unum sit (§. 329. *Ontol.*) ab altero autem differat (§. 255. *Ontol.*), ubi ad differentiam istam respi-

respicitur, universalia repræsentantur tanquam multa (§. 331. *Ontol.*). Hæc igitur multitudo dum cognoscitur, omnium rerum universalium numerus cognoscitur, qui in aliqua rerum serie dari potest, dum possibilia tanquam in systemata redacta spectantur (§. 340. *Ontol.*).

Similiter dum possibilia tanquam in systemata redacta spectantur, omnes specierum ac generum, immo individuorum sub speciebus cognoscitur subordinatio (§. 147.). Jam cum species constituantur similitudine individuorum (§. 233. *Ontol.*), genera infima similitudine specierum, superiora autem similitudine proxime inferiorum (§. 234. *Ontol.*), donec tandem perveniatur ad summum, quod cum sit numero unicum, sui simile habere nequit (§. 195. *Ontol.*); individua substant suis speciebus, species suis generibus, genera inferiora suis generibus superioribus, donec tandem perveniatur ad summum, quibus omnia substant. Dum itaque specierum ac generum subordinationes cognoscuntur, numerus graduum innotescit, per quos ab individuis & speciebus ad genera continuo superiora ascenditur, donec tandem perveniatur ad summum, seu gradum supremum, tanquam per scalam.

Si possibilia absolute spectantur, modorum variæ cognoscuntur series, per essentiam entis uniuscujusque possibiles (§. 143.). Quoniam series unaquæque tanquam unum quid spectatur (§. 330. *Ontol.*), omnes tamen in eodem individuo ad actum perduci nequeunt, utpote sibi invicem contrariæ (§. 28. *Ontol.*), sed diversæ in individuis ejusdem speciei in eadem serie deprehenduntur (§. 247. *Cosm.*), serierum istiusmodi cognoscitur multitudo (§. 331. *Ont.*), adeoque numerus (§. 340. *Ont.*). Cumque modorum series, qui successive toto durationis tempore enti unicuique inexistunt, cognoscatur, si possibilia tanquam in systemata redacta spectantur (§. 144.); ubi hoc fit, numerus serierum modorum, qui per essentias specierum possibiles sunt, & in eadem rerum serie ad actum perducuntur, determinatus cognoscitur (§. 112. 339. *Ont.*). Immo quatenus modi in eadem serie se invicem insequentes differunt, variationum multitudo determinata (§. 331. 112. *Ont.*), consequenter numerus cognoscitur (§. 340. *Ont.*).

Quodsi

Quodsi possibilia tanquam in systemata redacta spectantur, causarum cognoscitur series, per quas existentia entis cujuscunque determinatur (§. 144.). Quamobrem cum causæ in eadem serie se invicem excipientes diversæ sint (§. 247. *Cosmol.*); patet ut ante causarum in unaquaque serie cognosci numerum determinatum.

Quoniam entia composita ex partibus constant a se invicem distinctis (§. 531. *Ontol.*), partes vero istæ in genere spectatæ considerantur tanquam multa in uno (§. 341. *Ontol.*); dum illa in se spectantur, partium cognoscitur numerus.

§. 149.

Si possibilia omnia tum absolute, tum ut in systemata redacta spectantur; omnes cognoscuntur relationes, quas ens unumquodque in unaqualibet rerum serie habere potest (§. 145. Th. nat. 855 sq. Ont.). Quomodo omnes relationes cognoscantur.

§. 150.

Præter magnitudinem, quæ extenso inest, & quæ in gradibus ac tempore atque motu spectatur, alia non datur. Magnitudo ubinam detur. Quoniam compositum partibus constat (§. 531. *Ont.*); magnitudo, (§. 430. *Ont.*), proprie non datur nisi in ente composito, consequenter in extenso datur magnitudo (§. 619 *Ont.*), quæ & molis quantitas in hoc casu dicitur (§. 747. *Ont.*). Jam omnis determinatio intrinseca vel in qualitatum, vel in quantitatum numero est (§. 454. *Ont.*). Quare in simplici ente non dantur nisi qualitates & quæ præter magnitudinem compositis insunt, in qualitatum numero sunt. Enimvero quantitates qualitatum sunt gradus (§. 747. *Ont.*), qui ideo quantitas virtutis appellantur (*§. cit.*). Entibus igitur simplicibus & præter quantitatem molis, quæ magnitudo proprie dicitur, compositis nulla tribui potest magnitudo, nisi quæ in gradibus spectatur (§. 751. *Ont.*). Quodsi jam porro entia tanquam in systemata relata spectentur, eadem considerantur, quatenus inter se connectuntur tum qua coëxistentiam, tum qua successionem (§. 142.), & nexus quoad coëxistentiam spatii (§. 589. *Ont.*), quoad successionem temporis notionem insinuat (§. 572. *Ont.*). Quoniam entis compositi magnitudo eadem est cum magnitudine spatii, quod eadem figura superficiali termi-

natur (§. 625.); in spatio non aliæ spectari possunt magnitudines, quam quæ in entibus compositis spectantur. Enimvero cum partes temporis actualis per existentias rerum actu designentur (§. 583. *Ont.*), existentia vero compositorum non sit in numero partium; temporis quoque magnitudo a rerum in tempore existentium magnitudine diversa est. Denique composita, quatenus coëxistunt, vel eundem tuentur locum, vel locum mutant, adeoque vel quiescunt, vel moventur (§. 642. *Ontol.*). In quiete cum nullas ne fingere quidem liceat partes, nulla quoque ne fingi quidem potest magnitudo (§. 434. *Ont.*). In motu autem cum occurrat spatium a mobili descriptum (§. 650. *Ont.*) & celeritas, qua fertur (§. 649. 653. *Ont.*); in motu magnitudines deprehenduntur, quatenus lineis (§. 434. *Ont.*) & celeritati magnitudo tribuitur (§. 664. *Ont.*). Quamvis denique in serie rerum simultanearum & successivarum ens unumquodque certum obtinet situm (§. 603. *Ont.*); cum tamen situs coëxistentium æstimetur per extensum interjectum (§ 605. *Ont.*), successivorum per tempus intercedens; non aliæ hic occurrunt magnitudines, quam quæ in extenso & tempore spectantur.

§. 151.

Quomodo omnes magnitudines & earum rationes cognoscantur.

Si possibilia tanquam in systemata relata spectantur, omnes magnitudines (§. 145. 148. Th. nat. 531. 619. 430. Ontol.), quæ dari possunt, earumque ad se invicem rationes cognoscuntur (§. 145. 149. Th. nat. 746. 751 Ont.).

Agitur hic de cognitione magnitudinum in concreto, non vero in abstracto. Quomodo inde cognitio eorundem in abstracto resultet, patebit inferius, ubi modum sumus exposituri, quo ratio in ente infinito ex cognitione intuitiva resultat.

§. 152.

Numerus rerum in omnibus mundis possibilibus contentarum.

Omnes mundi possibiles continent possibilia omnia in sua systemata relata (§. 48. Cosm. 142. Th. nat.).

§. 153.

Objectum omnis cogni-

Omnes mundi possibiles quicquid præter Deum cognoscibile in se continent (§. 152. 142). Enimvero quicquid de re aliqua cognosci potest, id vel ad determinationes intrinsecas constantes

tes atque mutabiles, vel ad relationes ejusdem ad alias pertinet. Determinationes constantes (§. 152. *Ont.*), modorumque possibilitates, illorum cum his nexus & modorum variæ series cognoscuntur, si ens absolute spectetur (§. 143.); modus autem, quo existentia ipsius entis, & inexistentia modorum toto durationis tempore una cum dependentia entis a coëxistentibus quoad modos singulos & influxu in modificationem coëxistentium & in existentiam successivorum patet (§. 144.), atque relationes omnes, quæ ad alia habere potest, innotescunt, si tanquam in systema cum aliis relatum spectetur (§. 149.). E. Omnes mundi possibiles continent, quicquid de omni ente præter Deum cognoscibile.

tionis possibilis præter Deum ubi reperiatur.

§. 154.

Deus cognoscit omnia, quæcunque cognoscibilia sunt (§. 141. 153.).

Cognitionis divinæ extensio.

§. 155.

Deus cognoscit omnia possibilia tam absolute spectata, quam in certa systemata redacta (§. 141. 152.).

Quomodo Deus possibilia repræsentet.

Per se patet, qui omnia possibilia in certa systemata relata cognoscit, eum etiam cognoscere possibilia in se spectata, utpote cum intelligi nequeat eorundem in systemate nexus (§. 142.) nisi constet, quid absolute spectatis insit (§. 10. *Cosmol.*).

§. 156.

Deus omnia cognoscit distincte, quæ præter ipsum cognitu possibilia sunt, nihil confuse (§. 121 119 sq.). Quoniam adeo differentiam hujus, qui existit, mundi a ceteris omnibus æque possibilibus intime perspexit, cum alias hæsitasset, quinam ceteris sit præferendus; nihil concipi potest in unoquoque mundo, quod non cognoverit Deus, omnia a se invicem distinguibilia, adeoque sigillatim enunciabilia, decernens. Distincte igitur cognovit, quicquid unicuique mundo quocunque modo inest (§. 38. *Psych. emp.*). Jam vide §. 154. *Th. nat.* & §. 38 sq. *emp.*

Ratio formalis cognitionis divinæ.

§. 157.

Deus sensu atque imaginatione caret (§. 95. 65. *empir.*). Enimvero cum in corporibus mutatio nulla accidere possit nisi per

Cur Deus sensu atque imaginatione careat.

per motum, neque corpori inducatur mutatio nisi ab alio contiguo (§.128 *Cosmol.*); impossibile est, ut omnia, ex quibus mundus hic adspectabilis componitur, corpora simul in eodem corporis organo mutationem producant, qualecunque tandem corpus istud, aut organon ipsius fingatur, immo impossibile multo magis est, ut a singulis, quantumlibet minimis corpusculis, qualia sunt ea, quæ primitiva dicimus (§. 229. *Cosmol.*), eidem organo inducatur mutatio citra confusionem cum alia, quoniam motus eidem mobili simul & juxta diversas directiones impressi adhuc distincti quoad celeritatis gradum & directionem apparere deberent: id quod omnino implicat (§. 390. 391. *Cosmol.*). Nullæ igitur concipi possunt ideæ sensibiles, quibus sensibile aliquod, nedum totus mundus adspectabilis, distincte repræsentari potest. Atqui de Deo vide §. 156. E. Sensu caret.

De imaginatione conf. §. 92 sq. *empir.* quæ materialiter considerata non differt ab ideis sensualibus (§. 65. 59. 24. 48. *empir.*). Si phantasmata vero formaliter consideres, ideis sensualibus minus clara sunt (§. 96. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum nullæ concipi possint ideæ sensuales, quibus sensibile aliquod, nedum totus mundus adspectabilis, distincte repræsentari potest; multo minus concipi possunt phantasmata, quibus sensibile aliquod, nedum totus mundus adspectabilis distincte repræsentari potest. Atqui vide §. 156. E. Caret quoque Deus imaginatione.

§. 158.

Cur Deus anima esse nequeat.

Nullum possibile est corpus, cui Deus tanquam anima uniri possit (§. 723. 539. *rat.*). Deus igitur res sibi repræsentaturus esset convenienter mutationibus, quæ in isto corpore contingunt, consequenter gauderet sensu (§. 67. *Psych. emp.*): quod absurdum (§. 157.).

Deus omnia, quæ in hoc mundo adspectabili dantur, sibi repræsentat distincte (§. 156.). Fieri vero non potest, ut omnia, quæ sunt in mundo materiali, distincte per motus in corpore repræsententur, quod tamen requiritur, siquidem ideæ materiales, quæ immaterialibus respondent, consentire debent.

§. 159.

§. 159.

Deus non potest esse anima mundi. Ponamus Deum esse animam mundi. Quoniam anima hominis substantia est simplex, quæ sibi repræsentat hoc universum pro situ corporis organici in universo convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt (§. 602. *Psychol. rat.*) & quidem per essentiam atque naturam suam (§. 66. & 67. *Psychol. rat.*); anima in genere erit substantia simplex, quæ sibi repræsentat hoc universum, seu mundum hunc adspectabilem convenienter mutationibus, quæ in organis corporis cujusdam organici sensoriis contingunt (§. 680. *Log.*), specie nimirum corporis organici speciem animæ definiente. Quamobrem si Deus sit anima mundi, erit mundus illud corpus, cujus mutationibus convenienter Deus sibi mundum hunc adspectabilem repræsentat. Enimvero mundus adspectabilis est objectum repræsentationis, seu id, quod anima sibi repræsentat, adeoque ab illo corpore, cujus mutationibus convenienter fieri debet repræsentatio, diversum esse debet, mundo mutationes in organis sensoriis producente, quibus convenienter fieri debet repræsentatio. E. Cur Deus anima mundi esse non possit.

§. 160.

Deus omnia cognoscit simul. Deus omnes mundos possibiles sibi repræsentavit & hunc, qui existit, ex ceteris elegit (§. 121.) ob rationem objectivam (§. 119.), adeoque desumtam ab eo, quo hic mundus adspectabilis a ceteris differt (§. 120.). Quare cum omnia distincte cognoscat (§. 156.); omnem quoque differentiam mundi hujus adspectabilis a ceteris omnibus distincte cognoscere debet. Necesse igitur est, ut sibi simul sit conscius eorum omnium, quibus hic mundus adspectabilis a ceteris omnibus differre deprehensus, dum quoad singula, quæ eidem insunt, eum contulit cum singulis, quæ insunt mundis ceteris, consequenter admittendum est, Deum simul sibi esse conscium eorum omnium, quæ mundis singulis insunt, adeoque ea simul cognoscere. Continent autem mundi possibiles omnes, quicquid præter Deum cognoscibile (§. 153.). E. Ratio formalis cognitionis divinæ porro expenditur.

Distincta omnium rerum cognitio cum simultaneitate in cognoscendo adeo connexa est, ut ista admissa hæc negari minime possit. Poterat

rat hæc ex illa aliis adhuc modis inferri, veluti ex eo, quod totum aliquod universum seu mundus quilibet sit ens unum, distincte non cognoscendum, nisi exhibeatur aliqua idea, in qua singula actu distinguuntur, ut cognoscens omnium eorum, quæ insunt, & nexus eorundem, quo ens unum constituuntur, simul fuerit sibi conscius: tum etiam ex eo, quod nihil eorum, quæ insunt in aliqua rerum serie, possit tanquam in systemate cum ceteris distincte cognosci, nisi distinctissime perspiciatur nexus ejus cum ceteris omnibus.

§. 161.

Cognitio singulorum quomodo cum cognitione omnium connectatur.

Deus in quolibet minimo, quod inest universo, cognoscit totum universum. In quocunque mundo omnia connexa sunt (§. 48. 53 sq. *Cosmol.*) ergo nihil in quacunque rerum serie distincte cognoscitur, nisi nexus cum coëxistentibus singulis & successivis singulis in eadem serie distincte perspiciatur, tum ut intelligatur, cur inter coëxistentia hunc potius teneat locum, quam quemvis alium, tum ut constet, cur inter successiva hæc potius sequatur & præcedat, quam alia, cum propter dissimilitudinem non modo omnium corporum, sive eodem, sive diverso tempore existentium (§. 246. *Cosmol.*), sed ipsorummet etiam elementorum (§. 195. *Cosmol.*) fieri non possit, ut quicquam in modo coëxistendi & sibi invicem succedendi mutetur, salvo principio rationis sufficientis, juxta quod possibilia inter se connexa (§. 10. *Cosmol.* & §. 70. *Ontol.*), adeoque in systemata relata fuere (§. 142.). Jam per §. 156. necesse est, ut Deus cognoscat, cur unumquodque in qualibet rerum serie inter coëxistentia hunc potius teneat locum, quam alium, seu hoc potius modo iisdem coëxistat, quam alio (§. 602. *Ontol.*), & cur inter cetera nil quicquam reperiatur, quod cum ipso vices permutare possit, item cur unumquodque inter successiva hæc, non alia sequatur, & hæc præcedat, non alia, nec quicquam in tota successivorum serie detur, quod cum ipso vices permutare queat. Enimvero a dissimilitudine eorum, quæ coëxistunt & sibi invicem succedunt in qualibet serie rerum, consequenter a diversitate eorum, quæ ipsis insunt (§. 211. *Ontol.*), petenda ratio est, cur impossibile sit salvo nexu, seu stante principio rationis sufficientis, ut vices eorundem sive quoad coëxistentiam, sive quoad succes-

sionem

ſionem permutentur. Deus igitur eandem perſpiciens nihil eorum, quæ ſunt in univerſo, cognoſcit, quin ſimul cognoſcat quæ ſunt in toto univerſo, ſeu, quod perinde eſt, in quolibet minimo, quod ineſt univerſo, totum cognoſcit univerſum.

§. 162.

Deus cognoſcit omnes veritates univerſales (§. 155. 147. Th. nat. coll. *§. 53. 213. 215. Log.* Adde *§. 148. 151. 149. Theol. natur.).* Veritatum univerſalium cognitio in Deo.

§. 163.

Intellectus divinus actus eſt, non facultas (§. 160. Th. nat. 716. Ont.). Qualis ſit intellectus divinus.

Dici etiam ſolet, intellectum in Deo concipi non per modum potentiæ, ſed per modum actus. Atque hoc probe notandum eſt, cum inde infinitudo intellectus divini pendeat.

§. 164.

Intellectus divinus eſt diſtincta & ſimultanea omnium poſſibilium repræſentatio (§. 163. 154. 141. 156. 160.). Quid ſit intellectus Dei.

§. 165.

Intellectus divinus ab humano prorſus differt, ſive objectum ſive modum cognitionis ſpectes, atque caret limitationibus, quæ in facultate cognoſcitiva animæ noſtræ dantur (§. 164.). Differentia intellectus divini ab humano.

Facultas cognoſcitiva limitatur in anima quoad objectum, quod non extendatur ad omne poſſibile, quoad modum, quod non ſit diſtincta prorſus, nec ſimultanea.

§. 166.

Intellectus divinus prorſus illimitatus eſt (§. 164.). Intellectus divinus illimitatus.

§. 167.

Intellectus divinus infinitus eſt (§. 160. Theol. natur. 838. Ontol.). Infinitudo intellectus divini.

§. 168.

§. 168.

Summa intellectus divini perfectio.

Intellectus divinus perfectissimus est (*§. 647. ration. 164. Th. nat.*).

Facile patet, intellectum divinum esse perfectissimum absolute spectatum, non respectu ad aliorum entium intellectum habito. Neque enim perfectior concipi potest intellectus, quam qui possibilia omnia distincte repræsentat.

§. 169.

Magnitudo intellectus divini.

Intellectus divinus omnium maximus, seu absolute summus est (§. 168. *Th. nat.* 648. *rat.*).

§. 170.

Incomprehensibilitatis definitio.

Incomprehensibile dicitur cognoscibile, si modum, quo est vel fieri potest, nobis minime repræsentare valeamus.

Aliud est cognoscere, quod quid sit possibile, aliud vero cognoscere modum, quo quid possibile, adeoque eundem sibi repræsentare, seu ejus quandam sibi formare ideam.

§. 171.

Comprehensibilitatis definitio.

Ex adverso *comprehensibile* dicitur cognoscibile, si modum, quo est vel fieri potest, nobis clare & distincte repræsentare valemus.

§. 172.

Incomprehensibilitas intellectus divini.

Intellectus divinus omni intellectui finito incomprehensibilis. Intellectus enim finitus successive cognoscit ea, quæ ipsius vi actu cognosci possunt (§. 837. *Ontol.*). Quamobrem ens intellectu finito præditum, cum habeat ideam intellectus sui, quatenus sibi sui ipsius conscium est (§. 12. *rat.*), non habet ideam claram nisi successivæ repræsentationis possibilium. Et quia successivam cognitionem possibilium prorsus distinctam esse minime posse constat (§. 160.); in intellectu finito nec distincta prorsus possibilis alicujus repræsentatio locum habet. Patet igitur intellectum finitum non habere ideam nisi repræsentationis non prorsus distinctæ, aut, si mavis, inadæquatæ (§. 94. *Log.*). Enimvero intellectus divinus est repræsentatio distincta & simultanea omnium possibilium (§. 164.). Finitus adeo intellectus non

non habet ideam istiusmodi possibilium repræsentationis, qualis in Deo datur, consequenter modum, quo Deus sibi possibilia repræsentat, sibi clare repræsentare nequit (§. 48. *Psychol. emp.*). E. (§. 170.).

Facile quilibet perspiciet intellectum infinitum non ante comprehendi posse, quam intellectus eundem apperceptururs abeat in infinitum. Quoniam itaque impossibile est, ut intellectus finitus in infinitum abeat, nec fieri ullo modo potest, ut ens intellectu finito præditum intellectum divinum comprehendat.

§. 173.

Ens limitatum est etiam finitum (§. 798. 834. 897. Ont.) & contra.

Cur ens limitatum sit idem finitum.

§. 174.

Intellectus divinus homini incomprehensibilis est (§. 654. *rat.* 173. 172. *Th. nat.*).

Cur intellectus divinus nobis incomprehensibilis.

§. 174.

Quantitas limitata seu finita non potest fieri illimitata seu infinita, quotiescunque sumatur. Quantitates omnes per lineas rectas exponi possunt (§. 425. *Ontol.*). Ponamus itaque dari lineam rectam quamcunque, cujus limites, seu puncta extrema (§. 11. *Geom.*), sint A & B. Ponamus porro hanc lineam sumi bis, hoc est, ipsi AB æqualem apponi aliam, cujus termini sint C & D. Cum termini C & B coalescant, ut linea CD alteri AB continua fiat (§. 554. *Ontol.*), terminis C & B evanescentibus, remanent adhuc termini A & D, adeoque linea, quæ prodit, limitata est. Idem vero fieri debet quotiescunque lineam ipsi AB æqualem compositæ adjicias. E.

Heterogeneitas limitati & illimitati.

§. 176.

Intellectus divinus immensus est (§. 166. 169 seq.). Infinitus ergo aliquis non potest sumi pro mensura, ubi illimitatum metiri volueris. Jam omnis intellectus, qui præter divinum illimitatum (§. 166.) concipi potest, limitatus est (§. 53. *Ontol.*). Enimvero cum fieri nullo modo possit, ut intellectus limitatus, quotiescunque tandem sumatur, degeneret in illimitatum (§. 175.);

Immensitas intellectus divini.

175.); intellectus limitatus quicunque illimitato heterogeneus est (§. 364. *Ontol.*), adeoque pro mensura illimitati assumi haud quaquam potest (§. 441. *Ontol.*). E. (§ 41.).

Immensitatem intellectus divini nonnulli ex eo inferunt, quod eundem sibi incomprehensibilem experti non videant, quomodo eundem metiri liceat. Enimvero inferre tantummodo debebant, se intellectum divinum metiri minime posse, nec videre quomodo eundem metiri liceat. Inde vero nondum sequitur intellectum divinum in se talem deprehendi, ut metiri ipsum non detur: id quod tamen requiritur, si quidem immensus dici debeat (§. 41.).

§. 177.

Intellectus divini magnitudo & incomprehensibilitas quomodo intelligibilis fiat.

Si multitudinem rerum in universo, quibus spatium & tempus omne repletur, ad animum quantum datur revoces, spatii mundani non modo vastitatem, verum etiam ejus perinde ac temporis in partes admodum exiles divisibilitatem cogites; intellectus divini magnitudinem ejusque incomprehensibilitatem quodammodo intelligibilem efficies (§. 612. 583. Ont. 182. 195. 197. Cosm. 156. 160. Th. nat.).

Dedimus jam olim rei specimen in dissertatione academica de notione intellectus divini per opera naturæ illustrata, quam suis Meletematis subjunxit *B. Thümmigius.*

§. 178.

Puritas intellectus divini.

Intellectus Dei purus est (§. 156. *Th. nat.* 32. 313. *emp.*). Idem patet ex §. 157. *Th. nat.* 314. *emp.*

§. 179.

Apertum & tectum quid dicatur percipienti.

Apertum dicitur percipienti, quod, quo minus percipiatur, non obstat perceptibile aliud. Ex adverso *Tectum* dicitur percipienti, quod, quo minus percipiatur, obstat perceptibile aliud.

Ita Luna hoc sensu dicetur aperta intuentibus, quando nullum corpus opacum inter oculum & ipsam interjicitur, quod impedire poterat, quo minus radiis luminis lunaris ad oculum delatis eam videremus. Ast ex adverso tecta nobis erit eadem Luna, si turris inter oculum & Lunam interposita obstet, quo minus lumen lunare ad oculum propagetur.

§. 180.

§. 180.

Deo aperta sunt omnia, tectum nihil (§. 156. 179.).

Cur Deo aperta omnia, nihil tectum.

§. 181.

In Deo continuo existit idea non modo hujus, qui existit, mundi, sed ceterorum quoque omnium possibilium (§. 141. 167. *Th. nat.* 838. *Ont.* 51. *emp.*).

Ideæ mundorum omnium existentia in Deo.

§. 182.

Anima quoad inexistentiam ideæ mundi hujus adspectabilis (§. 192. *ration.*) *cum Deo similitudinem quandam habet* (§. 195. *Ontol.*).

Similitudo animæ in Deo.

§. 183.

Idea mundi in anima nostra mutabilis (§. 192. *ration.*); *in Deo prorsus immutabilis* (§. 164. *Th. nat.*).

Dissimilitudo in ista similitudine.

Tanta igitur est similitudo inter animam atque Deum, quanta salva differentia inter ens finitum ac infinitum subsistere potest, nec amplius quid ad eam requiritur (§. 837 sq. *Ont.*).

§. 184.

Intuitus ideæ universi in Deo illimitatus est (§. 156. *Th. nat.* 193. *ration.* 468. *Ontol.*), *in anima humana valde limitatus* (§. 194. 193. *rat.* 468. *Ont.*).

Eadem porro expenditur.

§. 185.

Deus nunquam dormit, sed semper vigilat (§. 181. 156 *Th. nat.*). Est igitur continuo in statu perceptionum distinctarum (§. 45. *Psychol. empir.*), nunquam vero in statu obscurarum (§. 47. *Psychol. empir.*); & per ipsam notionem mundi intelligitur, quod perceptiones sint ordinatæ (§. 48. *Cosm.* & §. 249. *Psych. rat.*). E. (§. 14. 15. *rat.*).

Cur Deus nunquam dormiat, sed semper vigilet.

Quod Deus non dormiat, infinitudini ejus tribuendum.

§. 186.

Quoniam in homine somnus & vigiliæ alternant, ac diversi animæ status pro iisdem conveniunt (§. 14. 15. *Psych. rat.*); *Anima in eo quoad ideam universi & ejus intuitum a Deo differt, quod is semper vigilet, nunquam dormiat.*

Differentia in eo ab anima nostra.

§. 187.

Apperceptio in Deo cur continua.

Deus sui semper conscius est atque eorum, quæ sibi repræsentat. Tunc enim dormire dicendus esset (§. 119. *empir.*). Atqui vide §. 185.

§. 188.

Ideæ rerum Deo essentiales.

Ideæ rerum Deo essentiales sunt. Etenim intellectus divinus actus est, non nuda facultas (§. 163.), ut adeo sine actuali repræsentatione possibilium concipi non possit (§. 164.). Quamobrem cum istæ possibilium repræsentationes sint ideæ rerum (§. 48. *Psychol. empir.*); patet ideas rerum Deo constanter inesse, nec aliud quid supponendum esse tanquam in Deo existens, cur insint, consequenter per alia, quæ simul insunt, minime determinari (§. 113. *Ontol.*). E. (§. 152. *Ontol.*).

§. 189.

Idearum necessitas.

Ideæ rerum necessariæ sunt (§. 188. Theol. nat. 144. 279. Ontol.).

§. 190.

Immutabilitas idearum.

Ideæ rerum immutabiles sunt (§. 189. Theol. natur. 292. Ontol.).

§. 191.

Arbitrariæ ideæ rejectæ.

Ideæ rerum non sunt arbitrariæ, seu non sunt tales, quod Deus eas voluit esse tales. Pone enim ideas rerum esse arbitrarias. Sunt igitur tales, quia Deus eas esse voluit tales & insunt intellectui divino, quia Deus eas inesse vult, consequenter non repugnat, cum voluntas Dei possibile quid efficere posse supponatur, ut aliæ inessent intellectui divino ideæ, quam quæ insunt. Quoniam itaque in intellectu non insunt omnia simul, quæ per eum possibilia sunt; intellectus divinus non est infinitus (§. 838. *Ontol.*), adeoque nec illimitatus (§. 173.): quod absurdum.

Cartesius in Responsionibus sextis adversus *Mersennum* §. 6. & 8. contendit, Deum indifferentem fuisse non tantum ad omnes res extra se, sed & ad omnium rerum ideas, adeo ut nullum bonum, nullum verum, nihil quod credendum, faciendum vel omittendum sit, fingi possit, cu-

jus

jus idea in intellectu divino prius fuerit, quam ejus voluntas se determinavit ad efficiendum, ut id tale esset. Ratio, quæ multis evidens & prægnans videtur, hæc est, quod durum sit statuere aliquid immutabile & æternum præter Deum: quasi vero ideæ rerum, quæ in intellectu ipsius sunt & ad eundem necessario pertinent, sint quidpiam præter Deum? Etsi enim repræsentent res, quæ præter Deum existere possunt; non tamen ideo quicquam Deo coæternum existit. Et quamvis ideæ rerum sint immutabiles, non tamen inde sequitur res iis respondentes esse immutabiles, cum in ideis immutabilibus tanquam mutabiles exhibeantur.

§. 192.

Possibilitas rerum unde.

Ideo quid possibile est, quod ejus idea detur in intellectu divino. Etenim quæ possibilia deprehendimus, nullam involvunt contradictionem (§. 85. *Ontol.*). Quamobrem cum ideæ eorundem Deo sint essentiales (§. 188.), adeoque ab intellectu divino, cui inhærent (§. 164.), inseparabiles (§. 300. *Ontol.*); eam esse patet naturam intellectus divini, quemadmodum nostræ mentis (§. 27. *Ontol.*), ut non possit judicare, idem simul esse atque non esse, adeoque in producendis rerum ideis observet principium contradictionis (§. 29. *Ont.*). Res igitur ideo possibiles sunt, quod impossibile, ut intellectus divinus contradictoria sibi repræsentet, consequenter ideo quid possibile, quod ejus idea in intellectu divino datur.

§. 193.

Principia evincendi possibilitatem rerum.

Quoniam intellectus divinus in formandis rerum ideis principium contradictionis tenet (§. 192.); *principium contradictionis est principium sufficiens adstruendæ possibilitatis rei cujuscunque intrinsecæ.*

Confirmat veritatem corollarii experientia: neque enim ad probandam possibilitatem utimur nisi principio contradictionis, ad quod ubi analysis perducta, pleno assensu acquiescimus. Quodsi rerum possibilitas non ab intellectu divino, sed a voluntate penderet, cum lex voluntatis non sit principium contradictionis, sed appetitio boni & aversio mali (§. 904. *Psychol. empir.*), non demonstrari poterat nisi ex lege voluntatis: analysis enim, quæ satisfacit, non datur, nisi pervenias ad principia ultima.

§. 194.

Necessitas essentiarum unde.

Necessitas essentiarum a Deo est (§. 154. Ontol. 192. Th. nat.).

§. 195.

Æternitas essentiarum.

Essentiæ rerum sunt æternæ (§. 154. Ont. 155. 164. 181. 152. 74. Th. nat.), earumque æternitas a Deo est.

Quia vero essentiæ rerum æternæ sunt propterea, quod ab æterno fuere in intellectu divino *per demonstrata;* earum æternitas a Deo utique est.

Patet adeo, sine mente dare sonos, qui sibi metuunt, ne quid Deo coæternum læsa divinitate statuatur. Neque enim quicquam statuitur Deo coæternum, quod non sit in Deo & a Deo.

§. 196.

Ideæ rerum sensibilium in Deo quales sint.

Ideæ rerum sensibilium in Deo diversæ prorsus sunt ab ideis sensualibus nostris (§. 156. *Th. nat.* Vide de Deo; sed §. 98-100. *rat.* de nostris.

§. 197.

Diversitas idearum coloris, soni, odoris, saporis & qualitatum tactilium in Deo.

Ideæ colorum, sonorum, odorum, saporum & qualitatum tactilium, quæ sunt in Deo, prorsus diversæ sunt ab ideis earundem rerum sensualibus, quas nos habemus (§. 77. *emp*).

Etsi contingat, ideas quasdam sensuales nobis esse molestas, veluti perceptionem fœtoris vel clamoris horrendi; non tamen hinc colligi potest, eandem molestiam aut ipsi similem adhærere ideæ ejusdem fœtoris, vel ejusdem clamoris in Deo. Immo simile quid jam in nobis observare licet. Quod enim confuse perceptum molestiam creat, id distincte beneficio intellectus cognitum voluptati est. Ita fœtoris pessimi explicatio a priori in Physica delectat. Probe hoc notandum est, ne nobis persuadeamus, quasi abjecte de Deo sentiant, qui rerum sensibilium nobis molestarum ideas Deo tribuunt, atque adeo earum cognitionem Deo prorsus denegemus, vel in eodem libertatem fingamus eas in intellectum suum admittendi, quando visum fuerit: quod posterius visum est *Poireto.*

§. 198.

Quomodo Deus videat ideas confusas, quæ sunt animabus.

Deus omnes ideas confusas, quales sunt animabus, intuetur in ideis animarum cum diversis confusionis gradibus (§. 156.).

Singu-

Singulas Deus animas tam hominum, quam brutorum distincte cognoscere debet. Enimvero unaquæque anima continet seriem perceptionum ac appetitionum & aversionum, quæ diversa a serie alterius cujuscunque animæ (§. 524. *Psychol. rat.*) Deus igitur singulas istas series perceptionum, quæ insunt animabus singulis, distincte cognoscit, consequenter singulas in iis contentas perceptiones a se invicem distinguit (§ 38. *Psych. empir.*). Sunt vero perceptiones partiales in animabus humanis atque brutorum confusæ (§. 98. 754. *Psychol. rat.*). Deus igitur cognoscit confusas ideas rerum materailium, quales sunt animabus, quatenus habet ideas animarum.

Jam vero dum res materiales percipimus seu sentimus, anima sibi repræsentat substantiarum simplicium mutationes intrinsecas, sed in unum confusas (§. 98. *Psych. rat.*). Quemadmodum itaque corpuscula primitiva prodeunt ex elementorum seu substantiarum simplicium nexu, derivativa vero ex primitivorum & deinde ex aliorum derivativorum combinatione (§. 229. *Cosmol.*); ita ideæ corpusculorum primitivorum confunduntur in unam, ut inde prodeat idea confusa corpusculi derivativi, quemadmodum ideæ elementorum, quorum nexu resultat corpusculum primitivum, inter se confusæ exhibent ideam corpusculi primitivi, ac deinde continuo corpuscula derivativa, immo tandem corpora confunduntur, ut una prodeat idea confusa. Patet adeo diversos dari confusionis gradus. Quoniam itaque Deus distincte cognoscit perceptiones confusas, quæ insunt hominum atque brutorum animabus, &, si plures sensationes confusæ diversæ confunduntur in unam, idea sensualis, quæ inde resultat, diversa apparet ab iis, quæ confunduntur (§. 97. *Psychol. rat.*); Deus quoque ideas confusas, quæ insunt animabus hominum atque brutorum, cognoscit quoad singulos confusionis gradus.

Deo non insunt ideæ confusæ per se (§. 157.); sed quatenus insunt rerum aliarum, veluti animarum, ideis, quæ per se intellectui divino insunt. Hinc idearum confusarum in ideis animarum intuitus non obest intellectus divini perfectioni, cum idea ejus, quod confuse repræsentatur in idea animæ, per se distincta sit in intellectu ipsius.

§. 199.

§. 199.

Differentia intuitus idearum confusarum in Deo & homine.

Quoniam Deus non modo intuetur ideas confusas, quales sunt in animabus hominum atque brutorum; verum etiam distincte cognoscit diversos confusionis gradus (§. 198.); homo vero idearum suarum confusarum tantummodo sibi conscius est, quatenus confusæ sunt, haud quaquam vero perspicit diversos confusionis gradus, ex quibus tandem oriuntur; *ideæ confusæ, quæ animabus hominum insunt, intimius a Deo perspiciuntur, quam ab homine, Deoque competit adæquata earum cognitio, homini non item.*

§. 200.

Idea mundi in Deo qualis sit.

Idea mundi, quæ est in intellectu divino, refert singulas substantias simplices, seu elementa rerum materialium singula (§. 119. 176 sq. 300. 225. 299. *Cosm.* 156. *Th. nat.*), *cum omni mutationum serie, quæ in unaquaque est, ita coordinata, quomodo mutationes unius pendent a mutationibus ceterarum* (§. 198. 202. 10. 205. *Cosm.* 156. *Th. nat.* 853. *Ont.*).

Quæ de idea hujus mundi dicta sunt, ea etiam intelligenda sunt de idea mundi cujuscunque alterius possibilis & de idea corporis cujuslibet ad eundem pertinentis.

§. 201.

Quomodo idea mundi a Deo producatur.

Idea integra mundi unico actu producitur; seu possibilia vi intellectus divini statim repræsentantur tanquam in systemata redacta (§. 167. *Th. nat.* 838. *Ont.* 155. *Th. nat.*).

§. 202.

Mundi sensibilis & intelligibilis definitio.

Mundum sensibilem appello hoc, quod existit, universum sub ea forma spectatum, qua in sensus incurrit, aut, si mavis, mundus sensibilis dicitur hic mundus, qualis nobis apparet. Ex adverso vero *Mundum intelligibilem* dico idem hoc universum sub ea forma spectatum, qua distincte vi intellectus repræsentatum deprehenditur, aut, si mavis, mundus intelligibilis est hic mundus, qualis revera est.

§. 203.

Differentia.

Mundus intelligibilis est aggregatum substantiarum simplicium certo ordine coëxistentium & certa lege mutuas ad se invicem

cem relationes mutantium: Mundus vero sensibilis est complexus phænomenorum ex simplicibus tanquam fonte promanantium & in duo substantiata resolubilium (§. 119. 176 sq. 204. 209. *Cosmol.*). Modus adeo, quo determinatur coëxistentia uniuscujusque elementi, candem admittit rationem (§. 56. *Ontol.*), consequenter in eodem similitudo quædam obvia est (§. 195. *Ontol.*). Quamobrem substantiæ simplices, quæ hunc mundum constituunt, certo ordine coëxistunt. Enimvero mutationes elementorum omnium inter se connexæ sunt (§. 210. *Cosm.*) & status quilibet elementi relationem involvit ad cetera elementa coëxistentia (§. 206. *Cosm.*). Mutantur igitur relationes mutuæ ad se invicem certa lege (§. 10. *Cosmol.*). Jam mundus intelligibilis dicitur, quatenus spectatur, qualis revera est (§. 202.). E. *Quod erat unum.*

Dum sentimus, anima sibi repræsentat substantiarum simplicium mutationes intrinsecas, sed in unum confusas (§. 98. *Psychol. rat.*), immo cum sensu ne quidem armato corpuscula derivativa, nedum primitiva distinguamus (§. 99. 100. *Psychol. rat.*), confuse percipienda denuo & quidem multiplici modo confundimus. Quoniam itaque phænomenon est, quicquid sensui obvium confuse percipitur (§. 225. *Cosmol.*); quicquid hujus universi percipitur a nobis in phænomenorum numero est. Continentur vero rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur, in elementis seu substantiis simplicibus (§. 191. *Cosmol.*). Sunt igitur substantiæ simplices phænomenorum istorum fon[te]s. Constat porro phænomenorum specialium rationem, quæ corpora observabilia exhibent, in qualitatibus corpusculorum derivativorum, adeoque talium, quæ ex aliis se minoribus componuntur (§. 229. *Cosmol.*), & modo, quo ea inter se junguntur, quærendam esse (§. 235. *Cosmol.*), consequenter in eo terminari, quod confuse percipitur, ac ideo in phænomeno (§. 225. *Cosmol.*). Jam nemo non novit, notionem corporis, qualis sensu duce abstrahitur, in genere non comprehendere nisi materiam & vim motricem, consequenter phænomenorum rationes ad materiam & vim motricem tandem redire. Sunt vero materia & vis motrix phænomena substantiata (§. 300. *Cosmol.*). Quicquid igitur hujus mundi per-

cipimus, in phænomena ſubſtantiata reſolvitur. E. *Quod erat alterum.*

§. 204.

Mundi intelligibilis & ſenſibilis diverſitas.

Mundus intelligibilis diverſus eſt a mundo ſenſibili (§. 203. *Th. nat.* 183. *Ontol.*).

§. 205.

Ideæ divinæ mundi a noſtra diverſitas.

Idea mundi in Deo prorſus diverſa eſt ab idea mundi in animabus noſtris. De idea in Deo vid. § 200. 202. *Th. nat.* de idea in animabus noſtris conf. §. 182. *Cosm.* 66 ſq. *emp.* 98. *rat.* 225. *Cosm.* 202. *Th. nat.* coll. §. 204. *ib.*

§. 206.

Quomodo Deus ideas mundi ſenſibilis cognoſcat.

Deus omnes ideas mundi ſenſibilis poſſibiles in animabus hominum intuetur, easque intimius perſpicit, quam homines, ac adæquatam earundem habet cognitionem. De nobis vid. §. 190. 62. 66. *rat.* 300. *Ont.* 67. 95. *emp.* de Deo lege §. 198 ſq. *Th. nat.*

§. 207.

Cognitio Dei qualis ſit.

Deus omnia intuitive cognoſcit (§. 160. 156. *Th. nat.* 11. *rat.* 286. *emp.*).

Hoc ipſo cognitio divina differt a cognitione humana: nos enim pauciſſima intuitive cognoſcere nemo eſt qui neſciat.

§. 208.

Diſtincta mundi repræſentatio in intellectu divino S. S. conveniens.

Deus juxta Scripturam ſacram totum ſibi repræſentavit mundum ab æterno (§. *Act.* XV, 18. coll. Pſ. CII, 26. *Gen.* I, 1.) *& quidem omnia, quæ in eo ſunt, diſtincte, nihil vero confuſe.*

Poſterius probamus ex *Hebr* IV, 13. ubi verborum Græcorum proprietas οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, ita habet: non eſt creatura obſcura coram ipſo. Inſinuat hæc differentiam, quæ inter rerum perceptiones, quales nobis ſunt, & rerum in intellectu divino repræſentationes intercedit. Dum nos ſentimus, adeoque objectum aliquod ſenſibile in hoc mundo adſpectabili nobis repræſentamus (§. 62. *Pſychol. rat.* & §. 67. *Pſychol. empir.*), ſub-

ſubſtantiarum ſimplicium mutationes intrinſecas, ſed in unum confuſas nobis repræſentamus (§. 98. *Pſychol. rat.*). Enimvero cum ne ſenſu quidem armato corpuſcula derivativa, quæ ex primitivis vel aliis ſimplicioribus oriuntur (§. 229. *Coſmol.*), diſtinguamus (§. 99. *Pſych. rat.*), nedum primitiva, quæ ex elementis ſeu ſubſtantiis ſimplicibus (§. 182. *Coſmol.*) ortum trahunt (§. 229. *Coſmol.*), a ſe invicem diſcernamus (§. 100. *Pſychol. rat.*), multo minus elementa ipſa a ſe invicem ſeparemus (§. 101. *Pſych. rat.*); ideis noſtris non modo plurima inſunt confuſa (§. 39. *Pſychol. empir.*), verum etiam prorſus obſcura (§. 32. *Pſych. empir.*), ut adeo rebus perceptis plura inſint, quorum nobis non ſumus conſcii, ſeu quæ non appercipimus, quam quæ appercipimus (§. 25. *Pſychol. empir.*). Quodſi verò objectum quodcunque conſideres tanquam in conſpectu Dei, ſeu coram ipſo idem conſideres, hoc eſt, ad Deum referas; nihil in eo deprehendes, cujus Deus non ſit ſibi conſcius, atque adeo nullum prorſus objectum in hoc mundo adſpectabili datur, quod ipſi obſcurum dici poſſit (§. 31. 41. *empir.*).

Quo minus quid videamus, ad quod noſtra facultas videndi ſe extendit, impedimenta duo ſunt. Primum in eo ſitum eſt, quod opacum quoddam inter oculum & viſibile interponitur, impediens, ne radii a viſibili in oculum illabi poſſint, adeoque idem oculo tegens. Alterum impedimentum eſt a ſitu ſupino viſibilis, in quo impoſſibile, ut radii per lineam rectam propagati ad oculum deferantur, quod cum eodem in eadem recta non conſtituitur. Utrumque impedimentum a Deo removet Scriptura ſacra. Quando enim omnia nuda dicuntur oculis ejus *loc. cit.* primum a Deo removetur viſionis ſeu objecta mundi hujus adſpectabilis ſibi repræſentandi impedimentum, quod ſcilicet nihil tectum ſit ipſi, quemadmodum ſupra ex diſtincta rerum cognitione demonſtravimus (§. 180.). Nudum enim dicitur, quod nullo velamine tectum. Quamobrem cum omnia, quæ ſunt in hoc univerſo, nuda dicantur oculis Dei; hoc ipſo indigitatur fieri non poſſe, ut objectum unum perceptibile obſtet, quo minus percipiatur alterum. Alterum vero a Deo removetur videndi impedimentum, dum Apoſtolus affirmat omnia oculis

lis Dei esse aperta *loc. cit.* Etenim in textu Græco dicuntur omnia τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, quod *Castalio* verborum proprietati inhærens ita vertit: omnia resupina sunt ejus oculis. Nimirum nobis tantummodo objectum unam sui obvertit partem, alteram ab eadem avertit, adeoque in conspectum nostrum non prodit, nisi resupinetur. Deus vero undiquaque contuetur objectum visibile, ut pars nulla dici possit ab oculis ejus aversa. E. Nullum datur impedimentum in Deo, quo minus quidpiam clare sibi repræsentare possit.

§. 209.

Nullius rei cognitionem juxta S S. Deum dedecere.

Juxta Scripturam sacram nihil judicari debet adeo abjectum, ut ideo cognitioni Dei subducatur. Matth. X, 30. Quid vero est contemtius notitia capillorum nostrorum.

§. 210.

Incomprehensibilitas intellectus divini juxta S,S.

Juxta Scripturam sacram intellectus divinus nobis incomprehensibilis est. Psalm. CXLVII, 4. Deus dicitur numerare multitudinem stellarum. Et Christus affirmat *Matth.* X, 30. Deum numerare omnes capillos capitis nostri. Immo Psaltes addit, ipsum stellas singulas appellare nominatim, seu propriis nominibus a se invicem distinguere. Nec invita veritate dici poterat, Deum quoque singulos capillos capitis nostri nominatim appellare, seu propriis suis nominibus a se invicem distinguere. Stellæ vasta cœli spatia replent, nec ignotum est omni tempore eam hominum animis insedisse opinionem, quod earum numerum iniri sit impossibile. Conf. *Gen.* XIII, 16. *Gen* XV, 5 sq. *Gen.* XVI, 10. Et memini me legisse in hodoporicis, gentes, quæ numerando ultra millenarium ascendere non poterant nominibus destitutæ, quibus exprimerent numerum ineffabilem, eundem indigitaturas monstrasse digito stellas, ita ut numerus ineffabilis atque incomprehensibilis diceretur tantus, quantus stellarum numerus. Nullum adeo dubium est, quin *Abrahami* ævo stellarum numerus ineffabilis fuerit habitus, tantus scilicet, ut distincte percipi minime possit, quemadmodum numerus pulvisculorum, ex quibus constat pulvis terræ; ut multiplicare sicut pulverem terræ & multiplicare sicut numerum stellarum pro synonymis agnoverit ipse Deus. Quando itaque Deus dicitur numerare

rare ſtellas, hominibus innumerabilia cognoſcere perhibetur. Jam tenendus quoque eſt modus, quo innumerabilia iſta cognoſcit. Additur nimirum, Deum ſtellas ſingulas appellare nominatim. Qui nominibus res a ſe invicem diſtinguere valet, is differentiam earundem clare percipere tenetur. Unde patet, Deum ſtellarum numerum omnem diſtincte ſibi repræſentare, ita ut in idea ejus ſingulas ſtellas actu a ſe invicem diſcernat. Atque hinc intelligitur, Deum ea, quæ hominum confeſſione unanimi innumerabilia ſunt, diſtincte cognoſcere & ſingula a ſe invicem tam bene diſcernere, quam citra fallaciam parens diſtinguit liberos ſuos. Quæ de ſtellarum numeratione dicta ſunt, ea quoque ad capillorum numerationem, recte applicantur. Etenim ſi totum genus humanum ſpectes, quatenus & omnes ac ſingulos, qui vixerunt olim, & eos, qui nunc vivunt, & poſthac naſcituros complectitur; nemo non ultro fatebitur, numerum capillorum eſſe ineffabilem: immo nullus dubito fore, ut Aſtronomiæ peritus eum multo magis ineffabilem judicet, quam numerum ſtellarum, propterea quod ſtellæ ingentibus admodum intervallis, a ſe invicem remotæ, capilli vero ſingulis capitibus inſidentes nullis intervallis ſenſibilibus a ſe invicem diſcreti, ac prœterea forſan non deerunt, quibus conſiderantibus ſingulas ſtellas fixas eſſe totidem ſoles ſuis planetis ſtipatos (§. 1120. 1122. *Aſtron.*), probabilius videbitur numerum capillorum ſtellarum numerum multum excedere. Liquido igitur conſtat, dum Deus dicitur promiſcue numerare omnium hominum capillos; hoc ipſo affirmari, quod hominibus innumerabilia ſeu ineffabilia cognoſcat. Chriſtus eo fine docet, omnes capillos capitis hominis cujuſcunque numeratos eſſe a Deo, ut providentiam Dei ad minima quæque extendat, haud obſcure inſinuans, nullum ſine voluntate Dei capillum decidere de capite hominis, atque adeo ipſum ſingulorum curam peculiarem gerere. Neceſſe igitur eſt, docente Chriſto, ut Deus ſingulos capillos tam bene a ſe invicem diſtinguat, ac parens liberos ſuos, quos ſingulos ſuis diſcernit nominibus. Atque hinc jam patet, Deum numerum capillorum omnem ſibi diſtincte repræſentare, ita ut in idea ejus ſingulos a ſe invicem actu diſcernat. Unde denuo intelligitur Deum ea, quæ hominum confeſſione unani-

mi innumerabilia ſunt, diſtincte cognoſcere & ſingula a ſe invicem, tam bene diſcernere, quam citra fallaciam liberos ſuos diſtinguit parens, qui ſingulos propriis ſuis nominibus appellare novit. Deus in promiſſione *Abrahamo* facta de numero poſterorum genus ſuum ab ipſo derivaturorum numero ſtellarum ſubſtituit numerum pulviſculorum in pulvere terræ. Patet itaque Scriptura ſacra non invita, ubi de innumerabilitate ſermo eſt, ſtellis ſubſtitui poſſe quævis corpora alia, quæ homini innumerabilia ſunt veluti grana arenæ in mari & guttas pluviæ Conf. *Gen.* XXXII, 12. Deus igitur quemadmodum numerare dicitur ſtellas & ſuis ſingulas appellare nominibus, eo fine, ut intellectus ipſius pateat magnitudo *Pſ.* CXLVII, 4. eadem non invita numerare quoque dicendus eſt pulviſculos in pulvere terræ & ſingulos propriis ſuis appellare nominibus atque itidem numerare dicendus eſt multitudinem arenæ maris & ſingula granula ſuis appellare nominibus. Sunt enim pulvis terræ & arena maris non minus opera ipſius ac ſtellæ per vaſtum cœlorum ſpatium diſſeminatæ, adeoque eodem modo ipſi cognita ab æterno, quo hæ ipſi perſpectæ ſunt *Actor.* XV, 18. Quamobrem cum ſtellas numeret & ſuis a ſe invicem nominibus diſtinguat, hoc eſt, diſtincte cognoſcat, quemadmodum probavimus; pulverem quoque terræ & arenam maris numerare ſuisque ſingula granula nominibus a ſe invicem diſcernere, hoc eſt, diſtincte cognoſcere debet. Nihil adeo datur in cœlis atque in terra, quod pro innumerabili reputari poſſit, a Deo tamen juxta Scripturam ſacram non adeo bene cognoſcatur, ac parens liberos ſuos novit, quos & numerare, & nominibus propriis diſtinguere valet. Oſtendimus jam ſuperius (§. 68); cœlum & terram in ſacris literis denotare totum mundum, quemadmodum etiam inter nos cœli ac terræ nomine totus hic mundus adſpectabilis indigitari ſolet. Juxta Scripturam ſacram igitur affirmandum, nihil in toto mundo dari, quod pro innumerabili a nobis reputari poſſit, a Deo autem diſtincte non agnoſcatur. Conſtat ſtellas eſſe maxima, quæ dantur in mundo, corpora eaque totalia, ex quibus tanquam partibus componitur univerſus mundus; pulviſculos vero conſtituentes pulverem terræ & arenam maris eſſe corpora partialia, quæ ſunt partes partium univerſi, & deni-

que

que capillos capitis noſtri corpora partialia incompleta, quæ ad unionem cum corporibus partialibus aliis deſtinantur. Hoc vero numero continetur omne corporum genus. Juxta Scripturam igitur ſacram in toto hoc mundo adſpectabili nullum datur corporum genus, quod innumerabilia continet, a Deo tamen hoc non obſtante agnoſcitur, idque maxime diſtincte. Cum nobis impoſſibile ſit numerare ſtellas, capillos capitis omnium hominum, pulverem terræ & arenam maris, multo magis autem impoſſibile ſit ſtellas ſingulas, capillos capitis ſingulos, pulviſculos, qui componunt pulverem terræ, ſingulos, arenæ maris granula ſingula a ſe invicem diſcernere, quomodo hoc vi intellectus divini fieri poſſit, utique ignoramus, nec ullo modo capimus. E. (§. 172. 170.).

Ubi Pſaltes illa de Deo enunciavit, mox alta voce exclamat: Magnus Dominus noſter & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus! Dubitari adeo nequit, hunc Scripturæ ſacræ locum eſſe claſſicum, quando de magnitudine & incomprehenſibilitate intellectus divini agitur, & ad utramque probandam ſcopo S. S. convenienter eundem adduci.

§. 211.

Deus juxta Scripturam ſacram non dormit, ſed ſemper vigilat (*Pſalm. CXXI, 4.* coll. *1 Sam. XXVI, 7.*). Juxta S. S. ſomnus Deo repugnat.

§. 212.

Quoniam ſubſtantia ſimplex, qualis eſt anima, in ſomno eſt in ſtatu perceptionum confuſarum (§. 15. *Pſychol. ration.*), Juxta S. S. non datur ſtatuum in Deo alternatio. quando vero vigilamus, in ſtatu perceptionum diſtinctarum (§. 14. *Pſychol. ration.*), conſequenter in anima noſtra ſtatus perceptionum confuſarum & diſtinctarum continuo alternant; Deus vero juxta S. S. nunquam dormit, ſed ſemper vigilat, immo ut dormiat impoſſibile ſit (§. 211.): *juxta S. S. ſtatus perceptionum diſtinctarum & confuſarum ſeu obſcurarum alternare nequit*, conſequenter cum in ſtatu perceptionum obſcurarum fieri non poſſit, ut percipiens ſibi vel ſui, vel rei cujusdam alterius ſit conſcius (§. 17. *Pſychol. rat.*), *juxta Scripturam ſacram ſtatus iſtiusmodi impoſſibilis eſt, in quo Deus nec ſui, nec rei cujusdam alterius ſibi ſit conſcius.*

§. 213.

§. 213.

Immensitas intellectus divini juxta S. S.

Juxta Scripturam sacram intellectus divinus immensus est. *Ps.* CXLVII, 5. coll. §. 276 sq. *emp.*).

§. 214.

Paritas intellectus divini juxta S. S.

Intellectus Dei juxta S. S. purus est eo sensu, quo eundem purum esse supra demonstravimus. Etenim juxta S. S. Deus omnia distincte cognoscit, nihil vero confuse (§. 208.). Sed hinc supra deduximus, intellectum Dei esse purum (§. 178.). E.

§. 215.

Limitum remotio ab intellectu divino & ejus infinitudo, juxta S. S.

Juxta S. S. intellectus divinus illimitatus atque infinitus est eo sensu, quo utrumque de eodem supra evicimus. Deo enim opera sua omnia nota sunt ab æterno, *Actor.* XV, 18. consequenter, cum quicquid præter Deum existit, ab eo creatum sit *Gen.* I, 8. antequam existerent. Quoniam itaque ad id, ut Deus, quæ præter ipsum possibilia sunt, actu cognoscat, eorundem non requiratur existentia; dubio caret, quod etiam possibilia nunquam extitura, quæ tamen, si ita visum fuisset, ad existentiam perducere poterat, cognoscere debeat. Atque adeo nil poni potest tanquam cognoscibile, quod non sit notum Deo ab æterno. Unde liquet, intellectum divinum non limitari quoad objectum (§. 468. *Ontol.*). Jam porro Deo omnia nuda & resupina sunt *Hebr.* IV, 13. hoc est, firmiter tenendum objectum unum, quod repræsentat sibi Deus, non posse obstare, quo minus percipiat alterum, adeoque nec exteriora ejusdem objecti, quo minus percipiat interiora, nec ullam in objecto quocunque perceptibili partem posse a Deo dici aversam, ut eam percipere nequeat, quemadmodum supra ostendimus (§. 208.). Nihil adeo datur in objecto quocunque, quod non ita sibi repræsentet Deus in intellectu suo ut ejusdem sibi sit conscius. Unde porro liquet, intellectum divinum non limitari quoad modum repræsentandi objectum, seu ideæ rationem formalem (§. 468. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Cum

Cum ens finitum sit etiam limitatum (§. 173.), fieri haud quaquam potest, ut illimitatum sit finitum (§. 28. *Ontol.*). Ergo intellectus divinus, qui prorsus illimitatus est, finitus esse nequit (§. 53. *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

§. 216.

Simultaneitas in cognoscendo S. S. conformis.

Deus juxta Scripturam sacram omnia cognoscit simul, seu actu unico (§. 215. *Th. nat.* 838 *Ont.*).

§. 217.

Carentia sensuum & imaginationis in Deo

Deus juxta S. S. caret sensu atque imaginatione (§. 214. 178. *Th. nat.* 314. *emp.*).

§. 218.

Intellectus divini summa perfectio secundum S. S.

Juxta S. S. intellectus divinus est omnium possibilium perfectissimus. Ita enim *Jes.* XLVI, 9. 10. Ego, inquit, sum Deus, & non est ultra Deus, *nec est similis mei*, *annuncians* ab exordio *novissima* & ab initio, *quæ necdum facta sunt.* Quoniam igitur præter Deum non datur, nec dari potest ens eidem simile quoad intellectum, cum intellectus divinus ad omnia cognoscibilia sese extendat; patet juxta S. S. non majorem conceptu possibilem esse intellectum, quam qui Deo competit, & eundem non competere nisi Deo soli.

§. 219.

Ideæ rerum Deo essentiales juxta S. S.

Ideæ rerum juxta S. S. Deo essentiales sunt. Deus enim *Jes.* XLVI, 9. 10. *Ego*, inquit, *sum Deus & non est ultra Deus.* En duas propositiones, alteram affirmativam, *Ego sum Deus*, alteram negativam, *Nullum entium ceterorum, quæ existunt, Deus est.* Probatur utraque propositio, dum addit: *Non est mei simile.* Cum enim species sint similitudo individuorum (§. 233. *Ontol.*), adeoque notio speciei ea continet, quæ individuis seu entibus singularibus pluribus communia sunt (§. 195. *Ontol.*), negat Deus dari notionem quandam communem, quæ simul ipsi & enti cuidam alteri præter ipsum conveniat, consequenter definitionem Dei competere tantummodo sibi, non vero adhuc alteri cuidam enti, quod existit (§. 149. *Log.*). Nititur adeo ratiocinium Dei illa regula, quæ sub dicto de Omni & Nullo comprehen-

prehenditur: cui competit definitio, eidem competit definitum & cui definitio non competit, ei nec definitum competit (§. 344. *Log.*). Probat ulterius, sibi convenire definitionem Dei, non vero convenire præterea enti cuidam alteri, dum pergit: *Annuncians ab exordio novissimum & ab initio, quæ necdum facta sunt &c.* Seu ut *Castalio* vertit, *qui secutura præsignifico & nondum facta ante denuncio.* Etenim sibi convenire affirmat, quod negotii alicujus exitum, quam primum incipit, palam facere & quæ olim ventura sunt prædicere possit, consequenter intellectum, qui universam rerum seriem intime perspicit; negat autem enti cuidam alteri similem intellectum convenire. Hunc adeo intellectum in numerum notarum refert, quibus Deus ab entibus intelligentibus ceteris quibuscunque distinguitur. Quoniam itaque definitiones specierum enumerant essentialia, per quæ determinantur (§ 169. *Log.*), nec definitiones aliæ, in quibus in locum essentialium surrogantur ab essentialibus diversa, quæ rebus insunt, admittuntur, nisi essentialibus ignoratis (§. 177. & seqq. *Log.*), id quod de Deo dici repugnat; istiusmodi intellectus, quo tota rerum series distincte percipitur, inter determinationes Dei essentiales referri utique debet. Enimvero cum intellectus Dei sit purus actus (§. 163.); absque ideis rerum quæ in ipso sunt, esse nequit, immo ne concipi quidem potest. E.

§. 220.

Quod Deus semetipsum cognoscat.

Deus semetipsum distincte juxta S. S. cognoscit. Jes. XLVI, 9. 10. Qui novit, quale ens sit, seu sibi competere definitum, ille etiam nosse debet notas definitionem ejusdem entis ingredientes (§. 344. *Log.*). Et qui novit non esse ens aliud sui simile, ille differentiam illius entis a ceteris omnibus perspicere debet (§. 195. 211. *Ontol.*). Deus igitur cognoscit ea, quæ ipsi insunt, & quibus a rebus ceteris differt (§. 78. *Log.*). Adde v. 10 sqq. l. c. E. (§. 38. *Psych. emp.*).

§. 221.

Scientia simplicis intelligentiæ quænam dicatur.

Scientia simplicis intelligentiæ vocatur, qua Deus res tantummodo cognoscit ut possibiles & ut existibiles. Dicimus autem

autem *existibile*, quod existere actu potest; seu cujus actus determinatio possibilis.

Qui novit aliquid esse possibile, nondum tamen hinc perspicit, quod sit existibile. Et qui novit aliquid esse existibile, nondum tamen novit ipsum esse actu exstiturum. Immo qui novit certo aliquid actu exstiturum, nondum tamen ideo novit, quod jam existat.

§. 222.

Potentia Dei dicitur possibilitas ad actualitatem perducendi, quæ in se seu absolute spectata possibilia sunt, aut, si mavis, intrinsece possibilia. Potentiæ divinæ definitio.

§. 223.

Quicquid præter Deum existere potest, id existere nequit, nisi per potentiam Dei. Aut enim existit vi propria, aut vi entis alterius. Si prius; erit ens a se (§. 27.), adeoque necessario existit (§. 32.), consequenter non tantummodo existere potest: quod est contra hypothesin. Existibilitatis principium.

Si posterius; rationem existentiæ suæ sufficientem tanquam ens ab alio (§. 27.) in ente a se habet (§. 63.), consequenter in Deo (§. 67.). Possibile igitur est idem existere posse, quia Deus ipsum ad actum perducere potest, adeoque per potentiam Dei (§. 222.).

§. 224.

Quoniam possibile existibile est, si causa existit, per cujus vires ad actum deduci potest (§. 221.); *possibile nullum existibile est nisi per potentiam Dei.* Idem ulterius expenditur.

Hinc patet ratio, cur quidam possibilitatem, consequenter ideas rerum a potentia Dei derivent. Confundunt nimirum possibilitatem extrinsecam cum intrinseca, possibile concipientes tanquam illud, cui producendo seu ad actum perducendo causæ cujusdam vires sufficiunt. Aliud vero est, si quæratur, num quid sit absolute possibile; aliud si quæratur, num ad actum perduci possit, seu num possibile sit ut existat. Antequam enim quæri possit, num dari possit causa, cujus viribus ad actum deduci possit A, constare utique debet, num sit possibile,

bile, hoc est, quod non repugnet istiusmodi quid esse. Potentiæ nimirum objectum est possibile intrinsece tale, cui ad actum perducendo ista sufficit, adeoque per sufficientiam potentiæ intrinsece possibile fit existibile.

§. 225.

Quomodo possibile & existibile a Deo cognoscatur.

Deus cognoscit res ut possibiles, quatenus sibi conscius est idearum in intellectu suo existentium (§. 187 sq. 192 *Th. nat.* 85 *Ont.*); *easdem vero cognoscit ut existibiles, quatenus sibi conscius est potentiæ suæ* (§. 224.).

E. gr. Idea mundi hujus adspectabilis in Deo fuit ab æterno, utpote intellectui ejus æterno (§. 74.) essentialis (§. 188.). Quatenus igitur Deus intellectum suum cognoscit, adeoque sibi conscius est hujus ideæ, ab omni æternitate novit, mundum hunc esse possibilem (§ 192.). Enimvero Deus ab æterno non minus sibi conscius est potentiæ suæ, quam mundo huic producendo sufficere intellexit. Atque adeo mundum hunc existibilem cognovit (§. 221.), quatenus sibi conscius potentiæ suæ.

§. 226.

Scientia simplicis intelligentiæ Deo asserta.

Datur in Deo scientia simplicis intelligentiæ (§. 225. 223. 221.).

§. 227.

Quousque extendatur scientia simplicis intelligentiæ

Per scientiam simplicis intelligentiæ nondum intelligitur, quod aliquid sit futurum, multo minus quod quid actu sit, vel extiterit vel extiturum sit (§. 221. *Th. nat.* 132. *Ontol.* 223. *Th. nat.*); *sed tantummodo quod, ut aliquando existat, fieri possit* (§. 223. 221.).

§. 228.

Præsens Præteritum & Futurum quid?

Præsens dicitur, quicquid actu est sive existit; *Præteritum*, quod aliquando extitit, nunc vero amplius non existit; *Futurum* denique quod aliquando extiturum est.

§. 229.

Quomodo res spectentur in scientia sim-

Quoniam per scientiam simplicis intelligentiæ nondum intelligitur, quod aliquid sit extiturum, multo minus quod quid actu

actu sit, vel extiterit (§ 227.), *in scientia simplicis intelligentiæ res neque ut præsentes, neque ut præteritæ, neque ut futuræ spectantur.* plicis intelligentiæ.

Unde simplicis intelligentiæ scientia comprehenduntur mundi omnes possibiles.

§. 230.

Scientia visionis est, qua Deus ab æterno cognoscit, quæ in tempore futura sunt, & ubi præter ipsum res aliæ existunt, & quæ præsentia sunt, & quæ futura, & quæ præterita. Scientia visionis quid sit.

§. 231.

Præscientia in specie dicitur cognitio futurorum, seu scientia visionis, qua Deus novit, quæ futura sunt, ab æterno. Hinc *Præscibile* dicitur, quod præsciri potest, seu cujus præscientia possibilis, aut si mavis, tale est, ut præsciri posse non repugnet. Præscientiæ definitio.

§. 232.

Effectus rerum materialium sunt in se & Deo præscibiles. Cum effectus rerum materialium existentia rationem sufficientem agnoscat actiones rerum aliarum materialium existentium (§. 886. *Ontol.*), in mundo autem res successivæ, quarum una post alteram existit (§. 569. *Ontol.*), inter se connexæ sint (§. 48. *Cosmol.*), quemadmodum idem in mundo hoc adspectabili, qui existit (§. 49. *Cosmol.*), obtinet (§. 54. *Cosmol.*), adeoque sequentes successionis suæ rationem sufficientem in antecedentibus habeant (§. 10. *Cosmol.*); si omnis nexus rerum materialium perspicitur, earum quoque effectus innotescunt (§. 118. *Ontol.*), adeoque constat hisce positis rebus materialibus hos quoque continuo poni earum effectus, consequenter si illæ existunt, hos quoque existere debere. In se igitur tales sunt, ut eas aliquando extituras cognosci possit, antequam existant, adeoque præscibiles sunt (§. 231.). Effectus rerum materialium cur sint præscibiles.

Jam de Deo conf. §. 155 sq. 142.

Ceterum non aliud fundamentum est præscientiæ eclipsium, quæ convenit Astronomo, quam quod eclipses propter nexum in motu side-

rum obvium sint in se præscibiles, & quatenus hunc Astronomus introspicere valet, eidem quoque præscibiles fiant; id quod Astronomiæ peritis satis superque exploratum est. Tolle vero rerum nexum & admitte casus puros (§. 95. *Cosmol.*), eversum deprehendes totum præscibilitatis fundamentum, nec deinde absque præscibilitate concipi poterit præscientia.

§. 233.

Libera animæ decreta cur sint præscibilia.

Libera animæ decreta sunt in se & Deo præscibilia. Sine motivis nulla datur in anima volitio, nulla nolitio (§. 889. *Psych. empir.*) & iis convenienter anima sese determinat (§. 932. *Psych. empir.*), utut in volendo ac nolendo libera (§. 942. *Psych. empir.*). Consistunt autem motiva in repræsentatione boni & mali (§. 890. *Psychol. empir.*). Quamobrem ut anima sibi hoc repræsentet tanquam bonum, vel tanquam malum, cum judicio discursivo opus sit (§. 50. *Log.*), requiritur & perceptio objecti appetibilis vel aversabilis præsens, & notio boni vel mali, quæ ad objectum istud applicatur (§. 356. *Psychol. empir.*). Quoniam perceptiones rerum præsentium (§. 85. *Psychol. empir.*) ac præteritarum suas sequuntur leges (§. 117. *Psychol. empir.*), per quas intelligitur, cur insint animæ (§. 84. *Psychol. empir.* & §. 866. *Ontol.*); eas in se tales esse ut præscibiles sint patet (§. 231.). Notiones universales ex istis perceptionibus nascuntur constante lege (§. 326. 327. *Psychol. empir.*), & applicantur non minus constante lege ad judicia discursiva sive universalia, sive singularia eruenda (§. 374. *Psychol. empir.*), nec quicquam datur in anima quoad operationes intellectus, quod non rationem sui sufficientem in vi repræsentativa universi, animæ essentia atque natura (§. 66. 67. *Psychol. ration.*), habeat (§. 413. *Psychol. rat.*), consequenter per eam intelligi possit, cur in anima contingat (§. 56. *Ontol.*). Notiones igitur boni & mali earumque ad perceptiones præsentes objectorum appetibilium & aversabilium applicatio in se tales sunt, ut eas præsciri minime repugnet (§. 231.). Quare cum præscibilia in se sint, quæ ad motiva determinanda requiruntur, *per demonstrata*; ipsa quoque motiva præscibilia, consequenter ipsæ volitiones ac nolitiones utpote iis convenienter factæ *per demonstrata* præscibiles

biles sunt. Nunc de Deo conf. §. 156. *Th. nat.* 116. 118. *Ontol.* 231. *Th. nat.*

Quodsi vero fingas libertatem animæ consistere in facultate sese sine motivis, immo contra motiva determinandi, prout scilicet ea admittere lubet, vel non lubet (§. 944. *Psychol. empir.*); hoc ipso corruet totum præscibilitatis fundamentum, nec poterit deinceps admitti præscientia divina. Neque enim sufficit provocare ad acumen Numinis infinitum: quæ enim in se talia sunt, ut videri nequeant, nec infinito acumini videnti patent.

§. 234.

Cur singula in serie modificationum præscibilia.

Quæcunque in serie integra perceptionum ac appetitionum atque aversionum uniuscujusque animæ continentur, in se & Deo præscibilia sunt. Quæ enim per facultates animæ possibilia sunt, in eadem actuantur juxta certas leges (§. 76. *Psychol. rat.*) & ex hisce legibus reddi potest ratio specialis actualitatis perceptionum ac appetituum (§. 77. *Psychol. rat.*), consequenter intelligi potest, cur hæ jam animæ potius insint perceptiones ac appetitiones atque aversiones, quam aliæ (§. 56. *Ontol.*). Et status futurus animæ nascitur ex præsente mediante præterito sive quid imaginemur (§. 422. *Psychol. empir.*), sive ratiocinemur, vel categorice ac hypothetice (§. 404. *Psychol. empir.*), vel disjunctive (§. 407. *Psychol. empir.*), vel per consequentiam immediatam (§. 421. *Psychol. empir.*). Tales igitur sunt, ut eas præsciri minime repugnet, consequenter in se præscibiles sunt omnes animæ mutationes. Cumque nec libera animæ decreta, seu volitiones ac nolitiones animæ, adeoque appetitiones multo minus ac aversiones aliæ inde eximantur (§. 233.), consequenter nec circa sensationes, quatenus in eas libertas animæ influit (§. 527. *Psych. rat.*) aut quascunque mutationes alias, quæ a liberis animæ decretis quomodocunque pendent, difficultatis quicquam superesse possit; in tota perceptionum ac appetitionum atque aversionum serie, quæ in unaquaque anima datur (§. 524. *Psych. rat.*), nihil continetur, quod in se præscibile non sit (§. 231.). Jam de Deo conf. §. 156. 231.

Præscibilitatis idem fundamentum est in mundo materiali atque in anima; series scilicet successivorum inter se connexorum, certis legibus

bus existentium. Sola tamen præscibilitas nondum ratio sufficiens est actualis præscientiæ in Deo, quemadmodum nuda possibilitas nondum ratio sufficiens est, cur mundus hic adspectabilis & animæ nostræ existant. Cave igitur ne demonstrata præscibilitate tum ex parte objecti, tum ex parte Dei existimes, præscientiam Dei jam esse sufficienter probatam, utut id probatum sit, quod in hoc argumento difficillimum.

§. 235.

Cur cogitationes sint præscibiles.

Quoniam cogitationes sunt ea omnia, quæ nobis consciis in anima fiunt (§. 23. *Psychol. empir.*), consequenter non minus appetitiones & aversiones, quam perceptiones, quarum nobis sumus conscii; quæcunque vero in integra serie perceptionum ac appetitionum & aversionum continentur, in se & Deo præscibilia sunt (§. 234.); patet omnino *cogitationes nostras esse in se atque Deo præscibiles.*

§. 236.

Præscibilitas eorum, quæ elementis insunt & statuum mundi per ea.

In omni elemento rerum materialium status quilibet est & in se (§. 200. Cosm. 231. Th. nat.), & Deo præscibilis (§. 200. 187. 180.), & per statum quemlibet unius elementi status futurus ceterorum omnium per tempus omne subsecuturum totius mundi & in se (§. 214. Cosmol. 231. Th. nat.), & Deo (§. 200. 187. 180.) præscibilis.

§. 237.

Præscibilitas dependentiæ statuum futurorum in omnibus elementis.

Omnes status singulorum elementorum eorundemque a se invicem dependentia in omnibus & in se (§. 197. Cosm. 851. 56. Ont. 231. Th. nat.), & Deo (§. 200. 187. Th. nat. 706. Ont.) præscibiles sunt.

Si quis differentiam inter mundum intelligibilem & sensibilem (§. 203.) perpenderit; is facilius comprehendet, verum præscibilitatis fundamentum in elementis rerum materialium esse quærendum & per horum naturam omnia in hoc universo esse præscibilia: immo agnoscet, præscibilitatem hoc pacto demum explicari, qualis in Deo habet locum, cum ad mundum sensibilem animum advertens in concipienda præscibilitate tacite quid admittat, quod nonnisi humano more de Deo dici potest.

§. 238.

§. 238.

Recordatio de Deo quo sensu dicatur.

Recordatio de Deo dicta denotat cognitionem præteritorum, seu scientiam visionis, qua Deus novit, quæ præterita sunt. Hinc *recordabile* vocatur, cujus recordatio possibilis, seu quod tale est, ut tanquam præteritum agnosci possit.

§. 239.

Quæ in mundo materiali contingunt, cur sint recordabilia.

Quæcunque in mundo materiali contingunt, & in se (§. 569. Ont. 48. 10. Cosm. 56. 118. Ont. 228. 238. Th. nat.), & Deo (§. 155 sq. Th. nat. 48. Cosm. 38. cmp.) recordabilia sunt.

Demonstrationum collatio patefacit recordabilitatis ac præscibilitatis fundamentum esse unum idemque. Recordatio in Deo eo modo concipi nequit, quo datur in nobis beneficio memoriæ a sensibus & imaginatione pendentis: neque enim Deo sensus & imaginatio competunt (§. 157.). Ipse ideam totius universi, quam unico actu producit (§. 201.), simul intuetur (§. 160.), atque ab omni æternitate (§. 188. 74.). Quamobrem quæritur, quomodo mundo, qui ideæ isti respondet, jam existente, fieri possit, ut Deus in eadem distinguat præsens a præterito atque futuro. In hanc rationem inquiremus deinceps: hic vero tantummodo ostendimus, in omni rerum serie successiva ita a se invicem dependere, ut per eam dependentiam præsens a præterito & futuro distingui possit, scilicet ut omnem seriem intime perspiciens affirmare possit respectu ipsius B considerari in hac serie A tanquam præteritum, C tanquam futurum.

§. 240.

Per libera animæ decreta quænam sint recordabilia.

Per libera animæ decreta status anteriores ejus in se & Deo recordabiles sunt. Ex iis, quæ supra (§. 233.) demonstravimus, cum de præscibilitate eorundem decretorum ageremus, patet, singula in statibus animæ rationem sufficientem habere, cur insint, adeoque non poni nisi statibus istis positis (§. 118. *Ontol.*). Quamobrem qui intelligit, quale decretum nunc ponatur, & eorum, quæ sunt, rationes sufficientes perspectas habet; is ex decreto libero perspicit, quales ante fuerint status animæ, cum decerneret, consequenter quales fuerint status præteriti (§. 228.). Per libera igitur animæ decreta status ejus anteriores recordabiles sunt (§. 238.).

Similiter ex §. 233. patet, Deum perspicere liberorum istorum decretorum rationem sufficientem. Quare Deo recordabiles esse debent status animæ anteriores per decreta ejusdem libera, quæ tanquam nunc præsentia sumuntur.

§. 241.

Cur libera animæ decreta recordabilia.

Libera animæ decreta sunt in se & Deo recordabilia. Libera enim animæ decreta concurrunt ad determinandas perceptiones seriei perceptionum ac appetitionum & aversionum inexistentes (§. 527. *Psychol. rat.*), quæ in unaquaque anima datur (§. 524. *Psychol. rat.*), adeoque ad rationem sufficientem pertinent (§. 116. *Ontol.*). Unde absque iis intelligi nequit, cur hæ in ista serie potius insint perceptiones claræ, quam aliæ (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum ratio sufficiens colligi possit ex notione rei, cujus sufficiens est ratio, adeoque illa per hanc sit cognoscibilis, quemadmodum nobis in omni philosophia solenne est & utique accidit (§. 886. *Ontol.*), dum effectus dati inquirimus causam (§. 697. *Log.*); ex iis, quæ animæ insunt, perceptionibus agnosci potest, talia infuisse decreta libera. Quoniam itaque decreta libera animæ agnoscuntur tanquam præterita (§. 228.); eadem in se recordabilia sunt (§. 238.). De Deo vide §. 156. 238.

Recordabilitas liberorum animæ decretorum exemplis quotidie obviis confirmatur. Pone sermonem incidere de ædificio alicubi magnifice exstructo & Titium istud a se visum tibi describere. Hinc utique colligis, eundem ibi locorum fuisse, ubi ædificium exstructum est, cum alias visu id percipere minime potuisset. Enimvero ut quis se conferat aliquem in locum, absque libero decreto animæ non fit, consequenter hoc influit in inexistentiam ideæ istius ædificii in anima Titii. Quamobrem ex inexistentia perceptionis in anima agnoscitur inextitisse liberum aliquod decretum. Ceterum hæc decretorum recordabilitas usui est in philosophia morali, quemadmodum præscibilitas, præsertim ubi de conjectandis hominum moribus quæstio incidit.

§. 242.

Cur singula in serie modificationum ani-

Quæcunque in serie integra perceptionum ac appetitionum atque aversionum uniuscujusque animæ continentur, ea in se & Deo recor-

recordabilia sunt (§. 76 sq. *rat.*). Tota igitur perceptionum ac apperitionum atque aversionum series ita comparata est, ut unum ideo insit, quia alia infuisse ponuntur. Quamobrem ex una perceptione intelligi potest, cur hæ præcedere debeant perceptiones & apperitiones ac aversiones, antequam huic in illa serie locus esse possit (§. 56. *Ontol.*). Quodsi ergo hæc perceptio vel appetitio & aversio ponatur jam actu inesse, adeoque tanquam præsens spectetur (§. 228.); quæ ante inesse debere intelliguntur, quam eidem in serie perceptionum ac appetitionum atque aversionum sit locus, spectantur ut præterita (*§. cit.*), consequenter non repugnat, ut per id, quod in anima præsens est, agnoscantur omnia præterita. Quæcunque igitur in serie modificationum animæ continentur, in se recordabilia sunt (§. 238.). De Deo vide §. 156.

mæ recordabilia.

§. 243.

Omnes hominis cogitationes sunt & in se, & Deo recordabiles (§. 23. emp. 242. Th. nat.). Repete §. 235.

Cur cogitationes sint recordabiles.

§. 244.

In omni elemento rerum materialium status quilibet est & in se (§. 200. Cosm. 238. Th. nat.), & Deo (§. 200. 187. 180. 207. 238.) recordabilis, & per statum quemlibet unius elementi status præteritus ceterorum omnium per omne tempus retrocedens totiusque mundi & in se (§. 214. Cosm. 238. Th. nat.), & Deo (§. 161. Th. nat. 177. Cosm. 238. Th. nat.) recordabilis. Ceterum repete §. 236.

Recordabilitas eorum, quæ elementis insunt, & statuum mundi per ea.

Me autem vel tacente intelligitur, scientiam visionis, quæ Deo unanimi Theologorum & ipsius S. S. consensu tribuenda, in nostra elementorum hypothesi fieri multo illustriorem: quod auget venerationem Numinis.

§. 245.

Omnes status elementorum singulorum eorundemque a se invicem dependentia ab omnibus anterioribus & in se (§. 197. 199. 116. 851. Cosm. 160. Ont. 145. Cosm. 238. Th. nat.), & Deo (§. 200. 187. Th. nat. 116. 851. Ont. 238. Th. nat.) recordabiles sunt.

Recodabilitas dependentiæ statuum præteritorum in omnibus elementis.

§. 246.

Quomodo Deus præscibilitatem & recordabilitatem cognoscat.

Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit in se præscibilia (§. 227. 188. 74. 232 sqq.) & *recordabilia qua talia simulque ut sibi præscibilia* & *recordabilia* (§. 239 sqq.).

§. 247.

Cur Deus omnia singularia cognoscat.

Deus cognoscit omnia singularia (§. 155. 142. *Th. nat.* 569. *Ont.* 10. *Cosm.* 226 sq. *Ont.* 187. *Th. nat.*).

Idem patet ex §. 141. Videntes enim, quæ in mundo hoc adspectabili existunt, esse entia singularia, nec universalia entia alicubi tanquam existentia deprehendi; illico supponunt mundum esse complexum entium mere singularium.

§. 248.

Mundus qualium entium sit congeries.

Mundus quicunque possibilis est congeries entium singularium. Est enim series entium finitorum tam simultaneorum, quam successivorum inter se connexorum (§. 48. *Cosm.*). Jam si ens quoddam concipiendum, primo loco in eo quædam ponenda sunt, quæ sibi mutuo non repugnant, quæ tamen non per alia derminantur, nec quorum unum per alterum determinatur (§. 142. *Ontol.*): quæ cum essentialia sint (§. 143. *Ontol.*); essentiales determinationes eidem insint necesse est. Jam cum attributa per essentialia determinentur (§. 146. *Ontol.*), eadem una cum essentialibus insunt constanter (§. 119. 150. *Ontol.*); nec sine attributis ens quoddam concipi potest. Porro cur modi actu insint, ratio vel in modis antecedentibus, vel in ente alio ab eo, cui insunt, diverso aut pluribus istiusmodi entibus, vel denique partim in modis antecedentibus, partim in ente alio ab eo, cui insunt, diverso, vel pluribus etiam entibus aliis quærenda (§. 160. *Ontol.*). Quamobrem cum entia ideo inter se connectantur, quatenus unum continet rationem sufficientem coëxistentiæ, vel successionis alterius (§. 10. *Cosmol.*); entia finita, utpote quibus non omnia simul insunt, quæ iisdem actu inesse possunt (§. 837. *Ontol.*), ideo connecti possunt, quod quoad modificationes pendent ab aliis (§. 851. *Ontol.*). Quamobrem cum mundus per nexum entium finitorum resultet (§. 48. *Cosmol.*); in mundo entia aliter concipi nequeunt, nisi cum suis essentiali-

bus

bus & attributis ac successive inexistentibus modis. Enimvero præter essentialia, attributa atque modos non datur aliud, quod enti inesse possit (§. 149. *Ontol.*), consequenter cum essentiæ rerum (§ 300. *Ontol.*) & attributa eorundem immutabilia (§. 313. *Ontol.*), modi vero mutabiles sint (§. 314. *Ontol.*), adeoque diversi ejusdem entis finiti status per modos determinentur (§ 705. *Ontol.*), in mundo entia finita quoad singulos eorum status locum non habent nisi cum iis omnibus, quæ de iisdem affirmanda sunt (§. 202. *Log.*), atque adeo quatenus omnimode determinata sunt (§. 112. 225. *Ontol.*). Jam vide §. 227. *Ontol.*

§. 249.

Res facti dicuntur singularia, quatenus spectantur ut existentia, sit ita quod nec existant, nec extiterint, nec extitura sint. Vocantur etiam *Facta* simpliciter. Res facti quænam dicantur.

§. 250.

Mundus hic adspectabilis non continet nisi res facti (§. 249. 248. *Th. nat.* 110. *Cosm.*) *omnis* quoque *mundus possibilis nonnisi res facti seu facta continet* (§. 248. 117. *Theol. nat.* 133. *Ont.* 111. *Cosmol.*). Cur in mundo non sint nisi res facti.

§. 251.

Deum facta omnia seu res facti omnes cognoscere palam est (§. 152. 248 sq. 141.). Omnia facta cur Deus cognoscat.

§. 252.

Cognitio historica dicitur cognitio factorum (§. 2. *Disc. præl.* 249. *Th. nat.*). Historica cognitio quænam.

§. 253.

Deus omnem cognitionem historicam habet (§. 251 *seq.*). Cognitio historica Dei.

§. 254.

Historicus dicitur, qui cognitione historica instructus, seu factorum cognitionem habet (§. 252.). Adde §. 714 seqq. *Log.* Historicus quinam sit.

§. 255.

Deus qualis sit Historicus.

Deus est historicus absolute summus (§. 253 sq.).

§. 256.

Cognitio Dei historica S.S. conformis.

Deo juxta S. S. competit historica cognitio omnis. Matth. X, 29 sq.

§. 257.

Entium universalium in systema relatio.

Entia universalia in systema aliquod redigi possunt. Etenim entia universalia constituuntur similitudine partiali individuorum vel minus universalium, seu eo, quo unum individuum alteri individuo, vel ens unum minus universale alteri minus universali simile est (§. 232. *Ontol.*), adeoque vel species (§. 233. *Ontol.*), vel genera inferiora, vel superiora sunt (§. 234. *Ontol.*). Quamobrem cum notio speciei componatur ex notione generis, sub quo ea continetur & differentia specifica (§. 241. *Ontol.*) & notio generis inferioris ex notione generis superioris & determinationibus sibi propriis (§. 242. *Ontol.*); entia universalia ita sibi invicem subordinari possunt, ut, quæ superiori collocantur loco, contineantur in iis, quæ ipsis substant, atque adeo seriem quandam successivorum constituant, in qua a genere summo descendendo, numerus inferiorum ab illo eodem gradu remotorum continuo augetur, donec perveniatur ad species infimas. Enimvero quæ sunt ejusdem speciei, eadem habent attributa & easdem modorum possibilitates proximas, itemque remotas conditionate enunciatas (§. 268. *Ontol.*) & quæ ejusdem generis sunt, ea easdem habent attributa communia easdemque modorum possibilitates, quæ attributorum communium instar sunt (§. 269. *Ontol.*). Quamobrem cum modi ut actu inesse intelligantur, non modo rationem in modis antecedentibus, verum etiam in ente alio ab eo, cui insunt, diverso aut pluribus istiusmodi entibus, immo subinde partim in modis antecedentibus, partim in ente alio ab eo, cui insunt, diverso, vel pluribus etiam entibus aliis habeant (§. 160. *Ontol.*); entia universalia ita sibi invicem coordinari possunt, ut in eo, quod uni jungitur, contineatur ratio modi alicujus coëxistentis: quod idem de pluribus intelligitur, si-

qui-

quidem pluribus ad hoc opus est. Enimvero quia modi plures eidem enti universali non repugnant, quorum ratio non in eodem ente alio, aut minimum non semper eodem modo modificato continetur; locus continuo entium universalium variari potest, ut omnes successive emergant modi, qui unicuique enti universali non repugnant. Et quoniam modi quidam supponunt modos alios, tanquam ante existentes (§. 160. *Ont.*), variatio ista coëxistentiæ universalium ita fieri potest, ut ex statu antecedente, utpote qui per modos tanquam mutabiles (§. 314. *Ont.*), constituitur (§. 705. *Ont.*), intelligatur, cur alius sequatur, consequenter sequens in antecedente rationem sufficientem habeat (§. 56. *Ontol.*). Patet adeo entia universalia inter se connecti posse, tum quatenus ut coëxistentia spectantur, tum quatenus modum coëxistentiæ quasi aliter modificata variant (§. 10. *Cosm.*). Jam vide § 142.

§. 258.

Si entia universalia in systema aliquod rediguntur, systema quod hinc prodit dicitur a nobis *Mundus rationalis*, qui adeo definiri potest, quod sit entium universalium inter se connexorum series variabilis. **Mundi rationalis definitio.**

Etsi entia universalia existere nequeant (§. 235. *Ontol.*), quemadmodum singularia; hoc tamen non obstante fingi possunt ut existentia, quatenus præsentia cognoscenti intelliguntur, dum eorundem habet notionem. Et hac fictione admissa seriei variabilitas facilius concipitur, imaginatione non reluctante. Atque hinc est, quod multi, mira mundi sensibilis atque intelligibilis & ejus, quem rationalem dicimus, atque illius in se spectati atque ad nos relati confusione, negaverint contingentium in mundo non minus materiali, quam in animabus demonstrabilitatem non tantummodo quoad nos, verum quoad ipsa contingentia, & hinc ex disciplinis philosophicis proscripserint omnes demonstrationes, quibus nos aditum concessimus, mundi sensibilis non minus & intelligibilis, quam rationalis notionem intimius perspicere conati. Neminem puto offendet mundi rationalis appellatio: etsi enim homo dicatur rationalis, quatenus ipse rationis particeps est eaque uti potest; non tamen obstat, quo minus etiam quidpiam ideo rationale appellemus, quod beneficio rationis, qualem homini

mini tribuimus (§. 483. *Psychol. empir.*), agnoscatur, quemadmodum Apostolus doctrinam christianam lac rationale appellat 1 Petr. II, 2. Quemadmodum enim substantiæ simplices mundum intelligibilem & phænomena ex ipsis tanquam fonte orta mundum sensibilem constituunt; ita entia universalia mundum rationalem absolvunt. Mundus intelligibilis ex nexu substantiarum simplicium, qui in Cosmologia transcendentali evincitur; mundus sensibilis ex nexu phænomenorum, quem Physicus exponit; mundus vero rationalis ex nexu entium universalium, qui fundamentum est omnis nexus & in mundo intelligibili & sensibili, aut, si mavis, a nexu mundi intelligibilis & sensibilis abstrahitur, resultat.

§. 259.

Mundi rationalis immersio in sensibilem & intelligibilem.

Mundum rationalem dicimus *immergi* mundo intelligibili ac sensibili, quatenus nonnisi mundo intelligibili ac sensibili inexistit: ut adeo *immersio* hic sumatur pro inexistentia in realia.

§. 260.

Quod detur.

Mundus rationalis intelligibili & sensibili totus immersus est. Quoniam enim entia universalia similitudine individuorum, vel minus universalium constituuntur (§. 232. *Ontol.*), similitudo vero in identitate eorum consistit, per quæ entia a se invicem discerni debebant (§ 195. *Ontol.*); quæ in notione entium universalium continentur, ipsis individuis seu rebus singularibus insunt, cumque genera & species, quæ sunt entia universalia (§. 233. 234. *Ontol.*), per essentialia determinentur (§. 247. *Ontol.*), in numero essentialium deprehenduntur, quæ singularibus insunt. Jam quia modi rationem sufficientem habent in entibus aliis ab illis, quibus insunt, diversi (§. 160. *Ontol.*); ea, unde redditur ratio modorum, quæ enti cuidam universali sub certa conditione conveniunt, in singularibus itidem continentur, consequenter singularibus ea insunt, per quæ universalia inter se connectuntur. Quoniam itaque mundus, quatenus sensibilis & intelligibilis, est congeries entium singularium; ea, quæ ad mundum rationalem pertinent (§. 258.), sui quadam diffusione mundo sensibili & intelligibili inexistunt, consequen-

sequenter mundus rationalis intelligibili & sensibili immersus est (§. 259.).

Propositio hæc non inutilis est, ea enim opus habemus ut intelligatur, quomodo Deus mundum rationalem cognoscat & cur cum intellectu perfectissimo, qui Deo competit (§.168.), connectatur ratio absolute summa, ut taceam hinc multam lucem affundi iis, quæ ad nostram cognitionem universalem & rationem, quæ nobis est, spectant.

§. 261.

Idea mundi intelligibilis, quæ datur in Deo, ideam mundi rationalis includit (§§. 204. 260. 259. Theol. natur. 48. empir.). Idea mundi rationalis quomodo in Deo.

Liquet igitur, mundum intelligibilem & rationalem una eademque idea intellectu divino exhiberi, etsi mundus rationalis non sit idem cum intelligibili. Id vero non tantummodo de adspectabili intelligendum; verum etiam de mundo omni possibili reliquo.

§. 262.

Deus totum mundum rationalem &, si qua quoad diversos mundos intelligibiles occurrit, diversitatem omnem cognoscit (§§. 261. Theol. natur. 48. empir. 141. 181. 259. 258. 257. 187. Theol. natur.). Mundus rationalis cur Deo cognitus.

§. 263.

Mundus rationalis omnes veritates universales continet (§. 258. *Th.nat.* 232 sqq. 149. 144. 150. *Ontol.*). In mundo ergo rationali exhibentur omnia genera omnesque species cum suis essentialibus, attributis ac modorum possibilitatibus. Porro quia entia universalia connectuntur, quatenus ratio ejus, quod uni inest, continetur in alio (§. 10. *Cosmol.*), ens autem universale non habet rationem in alio, nisi quatenus ipsi inesse ponitur hic modus (§. 160. *Ontol.*), adeoque quatenus ens unum quoad modos, quos recipere valet, dependet ab aliis (§. 851. *Ontol.*); in mundo rationali entia universalia repræsentantur quoad omnem dependentiam a se invicem. Et quoniam denique mundus rationalis spectari debet tanquam immersus omni mundo intelligibili & sensibili (§. 260.); omnes quoque entium uni- Mundi rationalis amplitudo.

verſalium relationes continere debet. Jam cum eſſentialia dent definitionem generum & ſpecierum (§. 169. *Log.*); in mundo rationali omnes continentur definitiones eædemque eſſentiales (§. 189. *Log.*). Quoniam porro attributa (§. 217. 218. *Log.*) modorumque poſſibilitates, quæ per modum attributorum inſunt, de ſubjecto prædicantur ſub conditione eſſentialium (§. 219. *Log.*), adeoque ſub conditione definitionis *per demonſtrata;* quæ vero de ſubjecto ſub conditione definitionis prædicantur, ea prædicantur abſolute (§. 222. *Log*); mundus rationalis omnes continet propoſitiones categoricas (§. 213. *Log.*) easque determinatas (§. 315. *Log.*). Quia denique modi atque relationes & quod in re quadam non concipitur poſſibile, niſi præſuppoſito ejus modo, de ſubjecto nonniſi ſub conditione enunciantur (§. 214 *Log.*), conditio vero iſta ſtatum ſubjecti exprimit, in quo prædicatum ei tribui poteſt (§. 225. *Log.*); mundus rationalis omnes propoſitiones hypotheticas (§. 215. *Log.*) easdemque determinatas continet (§. 315. *Log.*). Præter definitiones vero, ac propoſitiones categoricas & hypotheticas nulla datur veritas univerſalis. E.

§. 264.

Veritatum univerſalium cognitio in Deo.

Deus omnes veritates univerſales cognoſcit (§. 262 ſeq.). Repete §. 162.

§. 265.

Identitas cognitionis mundi rationalis cum philoſophica.

Cognitio mundi rationalis eſt cognitio philoſophica (§. 258. *Th. nat.* 10. *Coſm.* 4. *Diſc. præl.* 344. *Log.*).

§. 266.

Cognitio philoſophica Dei.

Deus omnem cognitionem philoſophicam habet (§. 262. 260. 265.).

§. 267.

Philoſophi definitio.

Philoſophus dicitur, qui cognitione philoſophica inſtructus, conſequenter, cum cognitio philoſophica ſit cognitio rationis eorum, quæ ſunt, vel fiunt, ſeu cur quid eſſe aut fieri poſſit (§ 4. *Diſc. prælim.*), qui rationem reddere poteſt eorum, quæ ſunt, vel fiunt, ſeu cur quid eſſe, aut fieri poſſit. Adde §. 39. *Diſc. præl.*

§. 268.

Deus est philosophus absolute summus (§. 266 sq.). Deus qualis sit philosophus.

§ 269.

Deus mundum rationalem intuitive cognoscit. Idea mundi, quæ datur in Deo, ideam mundi rationalem includit (§ 261.), adeoque Deus mundum rationalem intra intelligibilem (§. 205.), sibi repræsentat (§ 48. *Psychol. emp.*). Quoniam itaque sibi semper conscius est eorum, quæ sibi repræsentat (§. 187.), omnium quoque eorum, quæ ad mundum rationalem spectant, sibi conscius est, Jam vide §. 286. *emp.* Intuitiva mundi rationalis cognitio in Deo.

§. 270.

Deus omnes veritates universales intuitive cognoscit (§. 269. 263. 156. *Th. nat.* 38. *emp.*). Veritatum universalium cognitio in Deo.

Differt in eo cognitio divina ab humana. Nos enim perpaucas veritates universales intuitive cognoscimus, propterea quod pauca tantummodo individua ad idem genus vel eandem speciem spectantia simul intuemur & quæ in iis percipimus plerumque nonnisi confuse, nihil vero adæquate percipimus. Præterea quæ intuitive cognoscimus, eorum veritas tantum non semper vi demonstrationis, minimum cujusdam generalis, ex principiis ontologicis contextæ, qualibus in Arte inveniendi locus esse debet, rigidatur.

§. 271.

Nexus veritatum universalium consistit in eo, quod ex veritate propositionis unius universalis vel plurium universalium cognoscatur veritas propositionis universalis alterius. Quid sit universalis propositio, exstat §. 239. *Log.* Enimvero speciebus insunt determinationes, quæ notionem generis ingrediuntur (§. 241. *Ontol.*) & generi inferiori insunt determinationes, quæ notionem generis superioris ingrediuntur (§ 242. *Ontol.*). Quamobrem ex iis, quæ insunt speciei, intelligitur, cur ea ad hoc genus sit referenda, & ex iis, quæ insunt generi inferiori, cur sub genere aliquo superiori constituatur. Jam cum porro speciei ideo conveniant prædicata absoluta vel conditionata, quod sub hoc genere contineatur & eidem quoad alterum casum superaccedat conditio, sub qua generi prædicatum conditionatum Quid sit nexus veritatum universalium.

 com-

competit, ac idem quoque dicendum sit de genere inferiori respectu superioris (§. 343. *Log.*); ex eo, quod constet, generi convenire aliquod prædicatum, intelligitur, idem etiam speciei vel generi inferiori convenire debere, consequenter propositio universalis, quæ de genere inferiori aut specie quadam quid enunciat, intelligitur vera, quod vera agnoscatur propositio universalis, qua idem prædicatum eodem modo tribuitur generi superiori vel proximo, & quod verum esse constet, subjectum propositionis illius universalis esse genus inferius vel speciem sub genere hoc superiori vel proximo substantem. Veritas adeo propositionis universalis unius rationem sufficientem agnoscit in aliis (§. 56. *Ontol.*), consequenter propositiones universales, quatenus veræ sunt, aut, si mavis, veritates universales inter se connectuntur (§. 10. *Cosm.*). E. Adde quæ a posteriori de hac re dicta sunt §. 482. *emp.*

§. 272.

Cognitio nexus veritatum universalium qualis Deo tribuenda.

Deus nexum veritatum omnium universalium intuitive cognoscit (§. 270. *Th. nat.* 286. *emp.* 263. 271. *Th. nat.*).

Atque in eo differt cognitio divina ab humana. Etenim nos vi Dicti de omni & nullo, quod nititur nexu veritatum universalium (§. 271.), ratiocinando (§. 348. *Log.*) nexum illarum veritatum detegimus; intuitive autem cognoscere non possumus. Ratio diversitatis hæc est, quod Deus totum mundum rationalem, veritates omnes universales continentem (§. 263.), cognoscat intuitive; nos autem intuitivam istius mundi cognitionem distinctam minime habeamus.

§. 273.

Simultanea omnium veritatum universalium cognitio.

Deus omnes veritates universales simul cognoscit (§. 201. 261. 200. 203. 187. 263.).

§. 274.

Cur Deus ratiocinando veritatem non cognoscat, hujus tamen cognoscendi modi ideam habeat.

Deus non demum unum ex altero colligit (§. 270. 272 seq. *Theol. natur.* 286. 363 seq. 365. *empir.*), *novit tamen, quomodo quæcunque veritas universalis ex aliis colligi possit* (§. 272. 271. *Theol. natur.* 347 - 349. 373. *empir.* 348. 328 seq. *Log.* 365. *empir.*).

§. 275.

§. 275.

Deus omnia universalia eorundemque nexum cognoscit, dum singularia intuens, quæ ipsis insunt, determinationes ad se invicem refert (§. 141 207. 156. 248 *Th. nat.* 38. *empir.*). Deus ergo omnes determinationes intrinsecas, quæ unicuique singularium insunt, a se invicem discernit. Et quia simul cognoscit omnia (§. 160.); dum ea, quæ singulis insunt, ad se invicem refert, non potest non perspicere, quænam in pluribus eadem sint, consequenter omnem singularium similitudinem partialem cognoscit (§. 195. *Ontol.*). Similitudine partiali individuorum seu entium singularium constituuntur omnia universalia (§. 232. *Ont.*). E. Universalia omnia cognoscit, dum determinationes, quæ singularibus insunt, hæc intuens inter se confert.

Quomodo Deus universalia cognoscat.

Porro Deus singularia ista cognoscit tam absolute spectata, quam in systemata redacta (§. 155.). Jam si singularia in se spectantur, attributorum cum essentialibus & modorum singulorum quoad possibilitatem inexistendi intrinsecam cum essentialibus iisdem (§. 143.), quoad possibilitatem vero inexistendi extrinsecam cum determinationibus, quæ aliis singularibus insunt, nexus cognoscitur (§. 144. *Th. nat.* & §. 111. *Cosm.*). Deus itaque distincte omnia cognoscens, nihil vero confuse (§. 156.); omnem quoque hunc nexum perspicere debet (§. 38. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum simul cognoscat omnia (§. 160.); dum singularia intuens (§. 207.) eas, quæ ipsis insunt, determinationes ad se invicem refert, quæ quoad hunc nexum attributorum cum essentialibus & modorum cum determinationibus intrinsecis ejusdem entis atque entium aliorum in singularibus eadem sunt, cognoscit. Enimvero cum entia universalia similitudine (§. 232. *Ontol.*), adeoque determinationibus communibus singularium constituantur (§. 195. *Ontol.*); quatenus idem nexus attributorum cum essentialibus & modorum cum determinationibus tum ejusdem entis, cui modi isti inesse posse intelliguntur, tum aliorum entium, unde eorundem extrinseca pendet possibilitas, in pluribus singularibus deprehenditur, universalium omnino est. E. Determinationes intrinsecas individuorum inter se conferens, omnem universalium nexum cognoscit.

§. 276.

Cognitio universalium in Deo cur non sit symbolica.

Cognitio universalis Dei non est symbolica (§. 270. 272. Th. nat. 286. emp. 156. Th. nat.). Non igitur demum opus habet vocabulis vel aliis signis, quibus tanquam sejuncta a singularibus vel minus universalibus sibi repræsentet, quæ singularibus insunt, consequenter non opus habet ad universalia singularibus immersa (§. 260.) distincte sibi repræsentanda, symbolis aut vocabulis, quemadmodum nobis accidit (§. 284. *Psychol. empir.*). Et quoniam Deus non demum unum ex altero colligit (§. 274.) consequenter in cognitione universalium ratiociniis nullis opus habet (§. 366. *emp.*): nec necesse est, ut vocabulorum vel aliorum signorum usu ratiocinia distincta efficiat, quemadmodum denuo nobis accidit (§. 369. *empir.*). E. (§. 289. *emp.*).

Limitationibus intellectus nostri tribuendum, quod cognitio universalium symbolica esse debeat, ast intuitiva intra arctos admodum limites coërceatur & valde imperfecta sit.

§. 277.

Cognitio symbolica cur Deo perspecta.

Deo perspecta est omnis cognitio symbolica possibilis (§. 155. Th. nat. 170. Ontol.).

§. 278.

Cur perspecta sit ea, quæ hominibus singulis est.

Deo omnis cognitio symbolica perspecta est, quæ in hominibus datur singulis (§. 249. 251.).

§. 279.

Ratio Dei quanta sit.

Deo ratio absolute summa seu maxima competit (§. 270. 272 sq. Th. nat. 488 sq. emp.).

§. 280.

Ratio divina illimitata.

Ratio divina illimitata est (§. 483. empir. 272 sq. Theol. nat.).

§. 281.

Infinitudo rationis divinæ.

Ratio divina infinita est (§. 272 sq. Th. nat. 483. emp. 838. Ontol.).

§. 282.

Incomprehensibilitas rationis divinæ.

Ratio divina omni enti rationali finito incomprehensibilis.

Quo-

Quoniam ens rationale finitum non habet ideam rationis, nisi quatenus sui conscium est (§. 12. *Psychol. rat.*); non aliam nisi rationis finitæ ideam habet. Jam vero ratio divina infinita est (§. 281.). Ens adeo rationale finitum eandem sibi repræsentare minime valet (§. 48. *Psychol. empir.*). Jam vide §. 170.

§. 283.

Ratio divina homini incomprehensibilis (§. 173. 282.). Cur ratio divina homini incomprehensibilis.

§. 284.

Ratio divina actus est, non facultas (§. 273. 272. Th. nat. 716. Ontol.). Qualis sit ratio divina.

§. 285.

Ratio divina immensa est (§. 279 sq.). Quamobrem cum non possit concipi ratio illimitata, quæ non sit eadem cum divina, consequenter omni enti rationali finito incomprehensibilis (§. 282.), ratio illimitata pro mensura illimitatæ, hoc est, sui ipsius assumi nequit, ubi eam metiri volueris (§. 438. *Ontol.*), nihil omnino acturus. Quoniam vero præter rationem illimitatam non datur alia nisi limitata (§ 53. *Ontol.*); pro mensura accipienda foret ratio limitata. Enimvero impossibile est, ut ratio limitata, quotiescunque sumatur, tandem degeneret in illimitatam (§ 175.), seu divinam (§. 280.), vel eandem superet (§. 279.). Ratio igitur limitata illimitatæ prorsus heterogenea est (§. 364. *Ontol.*). Quamobrem nec ratio limitata pro mensura illimitatæ assumi potest (§. 441. *Ont.*). E. (§. 41.). Immensitas rationis divinæ.

§. 286.

Si nexus veritatum universalium omnium per ea, quæ entibus insunt, distincte cognita perspicitur, ratio pura est. Tunc enim nulla species suo subordinatur generi, nec ullum genus inferius suo superiori, nisi quia speciei insunt determinationes, quæ notionem generis ingrediuntur (§. 241. *Ontol.*), & notioni generis inferioris insunt determinationes, quæ ingrediuntur notionem generis superioris (§. 242. *Ontol.*). Et similiter in eadem hypothesi non tribuitur speciei vel generi inferiori aliquod prædicatum, sive absolutum, sive conditionatum, nisi quia generi Quandonam ratio sit pura.

neri ſuperiori vel inferiori iſtiusmodi prædicatum convenit, abſolutum quidem per ea, quæ generi ſuperiori vel inferiori ſimul inſunt (§. 157. *Ontol.*); conditionatum vero per ea, quæ & generi ſuperiori vel inferiori, ſub quo genus inferius vel ſpecies ſubſtant, & enti cuidam alii univerſali vel pluribus inſunt (§. 160. *Ontol*). Quamobrem nexus veritatum univerſalium explicabilis eſt per Dictum de omni & nullo (§. 341. & ſeqq. *Log.*), ſeu per ratiocinia (§. 47. 48. *Log.*), neque in hiſce ratiociniis admittuntur niſi definitiones generum & ſpecierum & propoſitiones, & hæ quidem a priori cognitæ (§. 434. *Pſych. emp.*). Jam vide §. 495. *empir.*

§. 287.

Quænam ratio ſit pura.

Ratio limitata prorſus pura eſſe nequit, ſola illimitata pura eſt (§. 483. emp. 825. Ont. 286. Th. nat.).

§. 288.

Puritas rationis divinæ cur humanæ repugnet.

Ratio Dei prorſus pura eſt; humana prorſus pura eſſe nequit (§. 280. 287.).

§. 289.

Cognitio univerſalium omnium in uno.

Deus ex qualibet veritate univerſali cognoſcit veritates ceteras omnes in univerſum (§. 156. 271.), ſeu totum mundum rationalem (§. 257 ſq. 275. Th. nat. 38. emp.).

Quæ hic de mundo rationali quoad Deum demonſtrantur, analoga ſunt iis, quæ de mundo intelligibili, quem Deus ſibi repræſentat (§. 200. 203.), ſupra demonſtravimus (§. 161.). Et ſane quia in mundo intelligibili Deus in quolibet minimo intuetur totum; ideo quoque in rationali in quolibet univerſali totum intuetur rationalem, propterea quod idea mundi intelligibilis ideam rationalis includit (§. 261.) & Deus univerſalia eorundemque nexum, quibus rationalis conſtituitur (§. 258.), in ſingularibus, quæ mundus intelligibilis complectitur (§. 248.), intuetur (§. 275.).

§. 290.

Veritatis omnis quinam Autor.

Veritas omnis a Deo eſt (§. 263. 261. 164.).

Probe hæc notanda propoſitio eſt, ne veritatem, quam rationis lumine aſſequimur, vilipendamus, vel prorſus criminemur. Etſi enim negari

negari non possit, veritates, quæ in S. S. revelatæ rationis humanæ sphæram transcendunt, esse magis momentosas, quam quæ rationi patent; non tamen magis sunt divinæ originis, quam naturales, quas recto facultatum usu assequimur.

§. 291.

Omnes veritates universales ab æterno fuere in Deo (§. 201. 74. 200. 203. 261. 263.). **Quando cœperint & ubinam fuerint.**

§. 292.

Inventores veritatem non efficiunt (§. 290 sq. 39.), *sed tantummodo in cognitionem ejus penetrant* (§. 461. *emp.* 290. *Th. nat.*) *& aliis tectam revelant.* **Inventoribus circa veritatem quid tribuendum.**

Inventores comparari possunt cum Prophetis. Nimirum veritas, quam Prophetæ notam reddidere hominibus, ab ipsis minime conficta, sed ab æterno in Deo fuit eundemque solum autorem habet: Deus vero inspiratione notam fecit ipsis, & deinde per eosdem revelavit aliis. Similiter inventores veritatum fabri non sunt, sed eædem ab æterno fuere in Deo & Deum autorem habent unicum. Inventoribus igitur in eas incidere licet via demonstrationis & sic Deus per eos hominibus revelat veritates naturales. Quemadmodum vero præter Prophetas veros fuere etiam falsi, & inter hos, qui sibi visi sunt tales, alios bona fide deceperunt; ita pseudoprophetis annumerandi sunt errorum fabri, qui sibi inventores videntur, cum non sint, procul adhuc remoti a veritate, quam sibi deprehendisse videntur.

§. 293.

Si inventor denotet autorem veritatis seu ejus fabrum; solus Deus est inventor (§. 290 sq. 92.). **Quo sensu Deus sit inventor.**

§. 294.

Deus ab omni errore prorsus immunis est (§. 264. 272. 274. 273. *Th. nat.* 593. 476. *Log.*). **Cur Deus errare nescius.**

Deus non errare potest in cognitione intuitiva, diversa habens pro iisdem: id enim nobis accidit, quatenus confuse res percipimus (§. 601. *Log.*), Deus vero omnia cognoscit distincte, nihil confuse (§. 156.). Neque lapsu memoriæ errare potest, quemadmodum homines solent (§. 604. *Log.*), cum omnia cognoscat simul (§. 273.). Neque

etiam male ratiocinando ut erret fieri potest, quemadmodum a nobis non uno modo erratur (§. 608 & seq. *Log.*), quia veritates universales intuitive cognoscit (§. 272.), non vero, quemadmodum nobis moris est, unam ex aliis colligit (§. 274.).

§. 295.

Qualis cognitio Deo tribuenda juxta S.S.

Juxta Scripturam sacram Deo tribuenda est cognitio eorum, quorum cognoscendorum facultas in homine datur. *Psalm.* CXIV, 91. Deum, ait Davides, sibi conscium esse eorum, quæ auditu & visu percipiuntur. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* Nimirum concedendum est, Deum, qui creavit hominem *Gen.* II, 7. esse factorem oculorum & aurium, consequenter homini dedisse facultatem videndi objecta, quæ oculos feriunt, & facultatem audiendi sonos, qui in aurem illabuntur. Quoniam itaque Deus condere potuit homines sibi præsentia cognoscentes beneficio visus & sonos percipientes auxilio auditus; quin ipsemet quoque visibilium & audibilium sibi conscius esse debeat, dubitandum non esse videtur Davidi. Etenim si Deo perspectum fuit, quomodo efficere possit, ut alii videant visibilia & audiant sonos quoscunque; modus quoque non impossibilis censeri debet, quo ipsemet ea cognoscit, quæ visu atque auditu ab homine percipiuntur.

§. 296.

Ratio Deo juxta S.S. tribuenda.

Deo juxta S. S. competit ratio in eo significatu, quo ipsi eandem vindicavimus. Anima per essentiam & naturam suam rationalis est (§. 454. *Psychol. rat.*), adeoque ad nexum veritatum universalium perspiciendum apta (§. 451. *Psychol. rat.*). Immo a posteriori constat, hominem nexum veritatum universalium perspicere posse. Jam vero Deo juxta S.S. tribuenda est cognitio eorum, quorum cognoscendorum facultas homini competit (§. 295.). E. §. 483. *empir.*

§. 297.

Magnitudo rationis divinæ juxta S. S.

Juxta S. S. Deo competit ratio absolute summa (§. 208. 205. 260. 259. 258. 262 sq. 271. *Th. nat.* 488. *empir.* 216. 275. *Th. nat.* 489. *emp.*).

§. 298.

§. 298.

Limitum remotio a ratione divina & ejus infinitudo.

Ratio divina juxta S. S. illimitata & infinita est (§. 297. *Th.nat.* 838. *Ont.* 280 sq. *Th.nat.*). Idem patet ex §. 297. *Th.nat.* 796. 838. *Ontol.*

§. 299.

Cognitio symbolica Deo juxta S. S. perspecta.

Deo juxta S. S. perspecta est cognitio rerum symbolica. Etenim in S. S. multoties legitur, Deum locutum esse ad patriarchas & prophetas. Locutus est Deus de seipso, & quidem de essentia sua, *Exod.* III, 14. *Jes.* XLVI, 9. de attributis suis, *Gen.* XVII, 1. *Jes.* XLVI, 10. de operibus suis. *Jes.* XLV, 12. Locutus est de rebus naturalibus, veluti de stellis, corporibus mundi totalibus, *Gen.* XV, 5. de pulvere terræ, *Gen.* XIII, 16. de arena maris *Gen.* XXII, 17. Locutus est de rebus moralibus, veluti de malitia hominum, *Gen.* VI, 5. & de virtutibus, *Gen.* VII, 1. Locutus est de rebus artificialibus, *Gen.* VI, 14. & sqq. *Exod.* XXV, 10. & seqq Constat itaque, fide S. S. nihil posse concipi rerum, quod non nomine aliquo indigitare possit, eumque quæ cogitat verbis exprimere valere aliis. Jam vide §. 289. *empir.* Deo igitur perspecta sunt, quæ ad cognitionem symbolicam pertinent. Enimvero cum juxta S. S. ideæ rerum Deo essentiales sint (§. 219.), adeoque ab eodem nunquam abesse possint (§. 144. *Ontol.*), cumque nihil juxta eandem cognoscat confuse, sed omnia distincte (§. 208.), illorumque sibi semper conscius esse debeat (§. 11. *Psychol.rat.*); fieri non potest, ut cognitio ejus symbolica sit, quemadmodum nobis est ob finitudinem facultatis cognoscendi. Quamobrem Deo cognitio symbolica juxta S. S. tantummodo perspecta est.

Cognitio symbolica arguit in cognoscente imperfectionem intellectus, quatenus ea habet opus ad universalia distincte percipienda (§. 328. *Psychol.empir.*), judicia magis distincta efficienda (§. 351. *Psychol. empir.*) & ratiocinia magis manifesta reddenda (§. 369. *Psychol. empir.*). Deus igitur, cui etiam juxta S. S. intellectus omnium possibilium perfectissimus competit (§. 218.), cognitione symbolica non indiget, immo ne tribui quidem potest eo sensu, quo nobis competit (§. 289. *Psychol. empir.*). Enimvero cum in se nihil imperfectionis in cognoscente arguat symbolica idearum repræsentatio, sed potius ad intel-

lectus perfectionem referri debeat; Deo quoque indignum non est, quod omnis cognitionis symbolicæ ambitum perspiciat, & quidem non demum in ideis animarum nostrarum, sed per se.

§. 300.

Objectum scientiæ divinæ.

Deo est per eminentiam scientia omnium universalium & singularium (§ 275. 251. 289. 161.). Videt adeo, quomodo veritas unius, quod cognoscit, sive in universalium, sive in singularium numero sit, determinetur per veritatem alterius: quod cum æquipolleat demonstrationi (§. 522. *Log.*), analysi perfecta ad sua principia veritatem quamlibet reducenti (§. 533. *Log.*); idcirco in eo eminenti quodam modo inest is intellectus actus, quo veritas cujusvis, quod affirmatur, vel negatur, demonstratur (§. 845. *Ontol.*). Jam vide §. 564. *Log.*

Nos quando aliquid scimus, ejus rei scientia successive est acquisita; Deus autem scit unico actu, adeoque ejus scientia est scientia per eminentiam.

§. 301.

Omniscientiæ definitio.

Omniscius dicitur, qui scit omnia, quæcunque cognitu possibilia sunt, sive singularia fuerint, sive universalia. Unde *Omniscientia* est scientia omnium cognitu possibilium, tam singularium, quam universalium, seu, quæ in se talia sunt, ut cognosci possint.

Facile perspicies omniscientiam divinam, prouti a nobis definitur, omnem intellectus divini actum designare, quo rei cognitio absolvitur.

§. 302.

Omniscientia Deo vindicata.

Deus est omniscius (§. 300. 141. 301.).

§. 303.

Omniscientia S. S. conformis.

Deus juxta S. S. omniscius est, seu omniscientia eidem tribuenda. Cum ea sciamus, quæ demonstrare valemus (§ 568. *Log.*), nobis vero perspecta sit demonstrationis forma genuina (§. 522 & seqq. *Log.*); vi hujus facile convincimur, si vel ad Mathesin solam animum advertamus, cadere in hominem scientiam. Quoniam itaque juxta S. S. Deo tribuenda cognitio eorum,

rum, quorum cognoſcendorum facultas in homine datur (§. 295.); quin Deo etiam eadem non invita tribuenda ſit ſcientia, dubitari nequit. Scientia cum nitatur demonſtratione (§. 564. *Log.*), adeoque nos ſucceſſiva ratiociniorum concatenatione ad eandem perveniamus (§. 522. & ſeqq. *Log.*), Deus vero juxta S. S. omnia cognoſcat ſimul, ſeu actu unico (§. 216.), neque is demum opus habeat, ut unum ex altero colligat (§. 274.); ſcientia eminenter eidem ineſt (§ 845. *Ontol.*). Et quia non minus intellectus ipſius juxta S. S. (§. 215.), quam ratio quoque, qua univerſalium veritatum nexum perſpicit (§. 483. *Pſychol. empir.*), illimitata eſt (§. 298.); ſcientia ejus ad omnia extenditur, ut adeo ipſi, S. S. non invita, tribuenda ſit ſcientia omnium univerſalium & ſingularium per eminentiam (§. 300.). Jam vide §. 301 ſq.

§. 304.

Quod Deus norit quid ſub data conditione fieri debeat.

Novit Deus, quid poſito uno ponatur, ſeu quid certis circumſtantiis poſitis aut ſub data conditione futurum eſſet. Deo enim eſt ſcientia omnium univerſalium & ſingularium (§. 300.). Scitur vero, quod demonſtrari poteſt (§. 568. *Log.*). Quamobrem cum in demonſtratione ex notione ſubjecti colligatur, prædicatum eidem convenire (§. 520. *Log.*), conſequenter poſita determinatione ſubjecti poni hoc prædicatum; Deus vero etſi non demum unum ex altero colligat, quomodo tamen ex altero colligatur norit (§. 274.), habitu demonſtrandi per eminentiam inexiſtente (§. 845. *Ontol.*): Deus novit, quid poſitis hiſce determinationibus ſubjecti ponatur, ſeu quid ſub data conditione aut ſub certis quibusdam circumſtantiis futurum eſſet.

Probe autem notandum eſt, conditionem ſub qua Deum quid cognoſcere ſupponitur, hic ſpectari tanquam nude poſſibilem, nondum vero tanquam exstituram, vel non exstituram.

§ 305.

Idem juxta S. S. evincitur.

Juxta S. S. Deus novit, quæ ſub datis quibusdam circumſtantiis futura ſunt, aut quid poſito uno ponatur 1 *Sam.* XXIII, 10. & ſeqq.

§. 306.

Conditionate quæ esse possunt qua scientia a Deo cognoscantur.

Si conditio aliqua, sub qua quid futurum esse posse intelligitur, tantummodo ut possibilis spectetur, non vero ut extitura, vel non extitura; quid sub ea futurum esset Deus cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ (§ 221.).

§. 307.

Cognitio impossibilium quæ Deo tribuenda.

Deus etiam novit omnia impossibilia sive absolute, sive sub certa conditione talia. Ideo quid possibile est, quod ejus idea in intellectu divino detur (§. 192). Quamobrem cum Deus sibi eorum sit conscius, quæ in ideis istis continentur (§. 187.); eum fugere nequit impossibilia prodire, si determinationes, quæ continentur in ideis suis, alio modo combinentur, quam in iisdem conjunguntur. Et quia quoque novit, quid uno posito ponatur (§. 304.); nec ipsum fugere potest, quod eodem posito, aliud ab hoc diversum poni possit. Atqui in priori casu impossibilia prodeunt, quæ absolute spectantur, in posteriori, quæ sub certa conditione talia deprehenduntur. E.

§. 308.

Modus, quo Deus impossibilia cognoscit.

Deus omnia impossibilia cognoscit, dum possibilia in certa systemata relata intuens, determinationes entibus intrinsecas & entium in serie rerum loca variat. Etenim dum intuetur omnia possibilia in sua systemata relata, & quæ entibus singulis insunt determinationes ad se invicem refert; quod hæ alio modo combinatæ contradictionem involvant, consequenter quod est impossibile sic prodeat (§. 79. *Ontol.*), non potest non agnoscere. Similiter dum totam rerum seriem, qua eædem inter se connexæ sistuntur intellectui præsentes, intuens, eas alio ordine poni sumit, seu loca eorum variat; quod sic denuo prodeant, quæ quoad modificationes suas & dependentiam ab aliis contradictionem involvant, agnoscere itidem debet. In priori casu agnoscit impossibilia absolute talia, in posteriori quæ nonnisi sub data conditione talia sunt.

Intimius in notionem cognitionis impossibilium a priori penetrabit, qui ex arte combinatoria perspecta habet, quæ de permutatione seu variatione ordinis (§. 129. *Anal.*) & variatione combinationis docen-

tur

tur (§. 222. *Anal.*): unde agnoſcet cognitionem impoſſibilium reſpondere ſeparationi combinationum ab inutilibus, conſtabitque ratio a priori, cur, cum veritas nonniſi una ſit, error variari poſſit in infinitum.

§. 309.

Poſſibilium cum impoſſibilibus confuſio ab intelligente finito quomodo a Deo cognoſcatur.

Novit Deus, quænam impoſſibilia ens unumquodque finitum intelligens pro poſſibilibus ampleƈtatur (§. 251. 249. *Th. nat.* 497. *Log.*).

§. 310.

Deus agnoſcit omnes errores, qui admitti poſſunt, ab intellectu finito, & a quonam ente intelligente unusquisque admitti poſſit (§. 309. *Th. nat.* 491 ſq. 594. *Log.*).

Errores quomodo a Deo cognoſcantur.

§. 311.

Neceſſitas cognitionis in Deo.

Deus omnia cognoſcit neceſſario (§. 188. 181. *Th. nat.* 303. *Ontol.*).

Quod in hominibus libertas influat in cognitionem, inde eſt, quod non omnia ſimul cognoſcere valeamus, & res confuſe percipiatur, antequam diſtincte cognoſcantur, quæ ipſi inſunt, aut quasnam ad res alias habere poſſit relationes, vel etiam nomen ab aliis eidem tributum innoteſcat, ubi ejus adhuc nihil nobis innotuit, atque præterea rerum externarum egentes aliisque rationibus adducti, cognitionem hujus potius rei eligamus, quam alterius. Imperfectioni adeo intellectus, quatenus ſcilicet is limitatus eſt, tribuendum, quod ad actum cognitionis libere nos determinare valeamus. Quamobrem cum intellectus divinus prorſus illimitatus ſit (§. 166); nec libera ad aliquem cognitionis actum in eodem determinatio locum habere poteſt.

CAPUT

CAPUT III.

DE

POTENTIA ET VOLUNTATE DEI.

§. 312.

Deus non vult sine motivis.

Deus ut quid velit, vel nolit, motivum aliquod adesse debet (§. 70. *Ont.* 887. *emp.*).

Non est quod displiceat principium rationis sufficientis ad Deum applicari. Etenim duo illa principia summa, principium scilicet contradictionis & principium rationis sufficientis, quibus nititur omnis veritas, non minus ad ea pertinent, quæ in Deo sunt, quam ad ea, quæ a Deo sunt. Nimirum quæ in Deo necessaria sunt, quoad cognoscendi modum a principio contradictionis; quæ vero libera sunt, a principio rationis sufficientis pendent, quemadmodum in rebus finitis principium contradictionis dicitur fons veritatum necessariarum, principium rationis sufficientis contingentium.

§. 313.

Cur Deus non velit impossibilia.

Quæ impossibilia sunt, Deus velle nequit. Satis superque constat, nec nos velle, quæ impossibilia sunt, nisi quatenus nobis possibilia videntur, quæ non sunt. Jam vero Deus novit omnia impossibilia (§ 307) consequenter fieri nequit, ut possibilia videantur, quæ non sunt. E.

§. 314.

Objectum generale voluntatis divinæ.

Quicquid Deus vult, possibile est (§. 313. *Theol. natur.* 85. *Ontol.*).

§. 315.

Sola possibilitas non sufficit, ut Deus quid velit.

Sola possibilitas non sufficit, ut Deus quid velit, seu Deus non ideo quid vult, quia possibile (§. 101. *Cosm.* 117. 121. *Th. nat.* 133. *Ont.*). Idem patet ex §. 121. 119. 120.

§. 316.

§. 316.

Deus quicquid vult penitus intelligit, ut scilicet nihil quoad ejus cognitionem desiderari possit (§. 314. 155. 251. 249. 275. 156. 161. 289. 141.). **Intelligentia eorum, quæ Deus vult.**

Hinc plurima consequuntur, quæ voluntatem divinam ab humana distinguunt; immo hæc volitionis intelligentia fons est omnis differentiæ, quæ inter voluntatem divinam & voluntatem nostram intercedit.

§. 317.

Ergo *voluntas ejus nullo modo fertur in incognitum (§. 316.).* **Voluntas divina non fertur in incognitum.**

Hoc commune quidem est voluntati divinæ cum voluntate nostra (§. 588. *Psychol. empir.*), sed cum tanta tamen differentia, quæ inter ens illimitatum & limitatum intercedit. Etenim cum Deus penitus intelligat, quicquid vult (§. 316.), nihil quoque objecto appetibili inest, quod volitioni obstitisset, ubi perspectum fuisset: ast quoniam nos non intelligimus penitus, quod volumus, haud raro accidit, ut imperfecte cognitum appetamus, quod aversati fuissemus, siquidem fuisset penitus perspectum, propterea quod eidem vel insint vel ab eodem dependeant plura aversabilia, quam appetibilia, ut adeo aversio fortior adversus appetitionem minus fortem prævaluisset. Unde patet voluntatem nostram, dum in cognitum fertur, simul ferri in incognitum, etsi nunquam fieri possit, ut in incognitum feratur per se, sed tantummodo dependenter a cognito, quatenus cognitum appeti nequit, nisi simul appetantur, quæ inde pendent, sed a nobis minime prævidentur. Nimirum quatenus novimus, quod alia ab eo, quod appetimus, dependeant, ea tamen non cognoscimus, atque hoc non obstante idem appetimus; voluntas una fertur in id, quod nobis incognitum est, sed non per se.

§. 318.

Quamprimum appetibile vel aversabile qua tale cognoscitur, illud quoque cognoscens appetit vel aversatur (§. 56. 118. Ontol.). **Quandonam actus volitionis & nolitionis oriatur.**

§. 319.

Æternitas cognitionis & voluntatis divinæ.

Deus omnia cognoſcit (§. 160. 311. 74. 155. 367. 247. 273.) & vult ac non vult ab æterno (§. 156. 141. 318).

§. 320.

Impoſſibilitas volitionis temporariæ.

Impoſſibile eſt, ut Deus quid demum in tempore velit, hoc eſt, ut velit, quod ante nondum volebat, & ut in poſterum ipſum velle contingat, quod nondum vult (§. 319. 39.).

§. 321.

Libertas voluntatis divinæ ab omni coactione externa.

Deus in volendo liber eſt ab omni coactione externa, ſeu nulla vi externa adigi potuit, ut quid vellet (§. 319. 74. 39. 92.).

Equidem & voluntas noſtra cogi nequit (§. 927. *Pſychol. empir.*), adeoque vi externa ad volendum adigi nequit (§ 926. *Pſychol. emp.*); fieri tamen poteſt, ut nolens vel volens vi motivi ipſi ſuppeditati nolitionem vel volitionem mutet in gratiam vi utentis (§. 928. *Pſych. emp.*). Atat! in Deo ne quidem poſterius locum habet, atque adeo libertas ab omni coactione externa latius patet, quam in homine.

§. 322.

Quomodo ad volendum determinetur.

Deus ſemetipſum determinat ad volendum & nolendum (§. 321.).

§. 323.

Spontaneitas voluntatis divinæ.

Deus ſponte vult, quicquid vult, & ſponte non vult, quicquid non vult (§. 322. *Th. nat.* 933. *emp.*).

Eſt vero hæc ſpontaneitas vera, non tantummodo apparens, qualis gravi cadenti in deſcenſu tribui ſolet, quemadmodum apparet, ſi cogites demonſtrationem reſolvi in libertatem a coactione externa, qualis non datur in caſu ſpontaneitatis apparentis, veluti in ſpontaneo deſcenſu gravis, ubi idem a cauſa gravifica continuo ad motum ſollicitatur.

§. 324.

Differentia mundorum.

Mundus unus ab altero non differt niſi gradu perfectionis. Omnes enim mundi, qui præter hunc adſpectabilem poſſibiles ſunt (§. 101. *Coſmol.*), perinde ac hic adſpectabilis (§. 55. *Coſmol.*), ſunt ſeries entium finitorum ſucceſſivorum ac ſimultaneorum

neorum inter se connexorum (§. 48. *Cosmol.*), adeoque differre nequeunt nisi entium multitudine ac veritate & modo connexionis seu ipso nexu. Enimvero res in mundo connectuntur, quatenus una continet rationem sufficientem coëxistentiæ vel successionis alterius (§. 10. *Cosmol.*). Quamobrem in modo connectendi non potest concipi differentia, nisi rationum particularium in universales resolutione. Qualiscunque tandem sit hæc differentia, cum perfectio mundi consistat in eo, quod rationes particulares simultaneorum & successivorum tandem in aliquam generalem resolvantur (§. 540. *Cosmol.*), mundus unus ab altero non differt quoad nexum nisi gradu perfectionis. Cumque mundus itidem perfectior sit, si major in eo est rerum consentientium varietas (§. 552. *Cosmol.*); nec quoad entia, quæ mundum ingrediuntur, alia obtinet differentia, quam quæ in gradu perfectionis consistit.

§. 325.

Ratio objectiva electionis mundi.

Deus hunc mundum ex ceteris elegit ob majorem perfectionum, quæ ipsi præ ceteris inest (§. 121. 119 sq. 324. *Th. nat.* 511. 542. *emp.* 123. *Th. nat.* 941. *emp.*).

§. 326.

Qualis sit mundi hujus perfectio.

Mundus, qui existit, est omnium possibilium perfectissimus (§. 325. 168 sq. 294.).

Ceterum quando hic mundus dicitur perfectissimus, per se patet, nobis non esse sermonem nisi de perfectione, quæ cadit in mundum. Quamobrem etsi hic, qui existit, mundus dicatur *mundus omnium perfectissimus*, non tamen inde concluditur legitima illatione, mundum hunc, qui existit, esse *ens omnium perfectissimum*, quod enim in suo genere perfectissimum est, ita ut perfectio a differentia specifica manet, id non absolute tale est, seu in omni entium genere.

§. 327.

Quænam objectiones contra perfectionem mundi nullæ sint.

Adversus perfectionem mundi maximam ab iis, quæ in mundo observamus, nulla fieri potest objectio (§. 541 sq. 543. 547 sq. *Cosm.*).

§. 328.

Electio mundi omnium perfectissimi quale sit signum.

Electio mundi in suo genere perfectissimi est signum naturale intellectus omnium absolute perfectissimi. Si enim Deus mundum hunc ex ceteris non minus possibilibus elegit ob majorem perfectionem, quæ ipsi præ ceteris inest; necesse est, ut cognoverit, mundo huic majorem inesse perfectionem, quam mundis ceteris æque possibilibus, cum per se pateat nihil posse eligi ob id, quod ab eligente non cognoscitur. Jam perfectio mundi consistit in eo, quod rationes particulares rerum simultanearum (cur scilicet ipsæ potius coëxistant, quam aliæ, & hoc potius, quam alio modo) & successivarum (cur scilicet hæ potius sibi invicem succedant, quam aliæ) tandem in aliquam generalem resolvantur (§. 540. *Cosmol.*). Necesse igitur est, ut Deus, dum elegit mundum in suo genere perfectissimum, omnia coëxistentia & successiva in mundo quolibet distincte cognoscat (§. 152.) non modo perspiciens, quæ ipsis insunt, sed & intelligens, quomodo vi eorum omni possibili modo combinari possint, adeoque coëxistentia & successiva non modo in se spectans, verum etiam in systemata referens (§. 142.), consequenter ob majorem perfectionem mundum hunc ex ceteris eligere nequit, nisi distincte cognoscat omnia, quæ ad omnes mundos possibiles spectant (§. 38. *Psychol. empir.*). Quamobrem cum omnes mundi possibiles, quicquid cognitu possibile in se contineant (§. 153.); dum Deus eligit mundum unum ex ceteris possibilibus, quicquid cognitu possibile actu cognoscere debet, consequenter cum intellectus perfectissimus sit, qui omnia possibilia sibi distincte repræsentat (§. 647. *Psych. rat.*), adeoque cognoscit quicquid cognitu possibile, impossibilibus quippe nonnisi per possibilia cognoscendis (§. 308.); ut Deus eligat mundum in suo genere perfectissimum, necesse est, ut intellectus ipsius sit omnium absolute perfectissimus. Jam vide §. 952. 956. *Ont.*

§. 329.

Electio mundi minime perfectissimi cur idem significare nequeat.

Electio mundi in suo genere minime perfectissimi non est signum intellectus absolute perfectissimi. Pone electum esse mundum A, qui minus perfectionis possidet, quam mundus B.

Cum

Cum mundus A eligi potuerit, vel propter rationes ipsi extrinsecas, vel propter ignorantiam, quod scilicet mundus B aut prorsus ignoretur, aut ejus saltem perfectio non agnoscatur; ex eo sane, quod mundus A electus esse supponatur mundo B imperfectior, colligi nequit, eligentem omnia possibilia distincte sibi repræsentasse (§. 38. *Psych. empir.*), consequenter eidem intellectum absolute perfectissimum competere (§. 647. *Psychol. rat.*). Jam conf. §. 952. *Ont.*

§. 330.

Quicquid est perfectissimum in suo genere, id Deo in eo genere maxime placet (§. 325. 316. 207. 272. *Th. nat.* Jam vide §. 511. 516. 542. *empir.* Quid Deo maxime placeat in quolibet genere.

Non Deo indignum existimari debet, quod ipsi placeant res finitæ, etsi infinito intervallo a summa ipsius perfectione distent. Etenim ideæ rerum sunt actus intellectus ipsius: quidni ergo ipsi placeat, quod suum est? Cave vero hinc inferas: Deo placere malum morale, quod in hominibus observamus. Paulo enim post ostendemus, id non esse a Deo, sed ab ipsis hominibus, evicturi quod ipsum displiceat eidem maxime. Placent enim entia, quatenus perfectionis sunt capacia, quæ a Deo est. Ad hanc vero perfectionem minime spectat malum morale. Deinde probe notandum est in propositione præsente non affirmari absolute, quod Deo placeat maxime, quod in suo genere perfectissimum; sed tantummodo, quod idem maxime placeat inter ea, quæ ad istud rerum genus spectant.

§. 331.

Mundus, qui existit, inter omnes possibiles Deo maxime placet (§. 326. 330.). Quinam mundus Deo maxime placeat.

§. 332.

Ens liberum decere dicitur, si in iis, quæ ipsi insunt, contineatur aliqua ratio, cur hoc potius velle debeat, quam aliud. Ens liberum quid deceat.
Quamobrem cum Deus præditus sit voluntate libera (§. 123.); *Deum decet, cujus aliqua in iis, quæ ipsi insunt, seu in essentia vel attributis ipsius continetur ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud.*

§. 333.

Electio mundi perfectissimi Deum decet.

Electio mundi omnium possibilium perfectissimi Deum decet (§. 302. 301.). Enimvero quod minus perfectum est, ab eo etiam eligi potest, qui, quid eligibilium perfectius sit, non intelligit, & perfectissimum, qui summam eligibilis perfectionem non agnoscit, non nisi cœco quodam casu eligit, ex scientia eligere nequit. Quamobrem cum hinc pateat, solius Dei omniscii esse, ut eligat mundum omnium possibilium perfectissimum; per ipsius omniscientiam utique intelligitur, quod mundum potius perfectissimum eligere debeat intellectus sui perfectissimi specimen editurus (§. 329.), quam imperfectiorem. Ergo in omniscientia Dei aut in summa intellectus divini perfectione continetur aliqua ratio electionis mundi omnium possibilium perfectissimi (§. 56. *Ontol.*). E.

§. 334.

Deus decenter elegit mundum.

Deus elegit mundum, quia ipsum decet (§. 326. 333.).

§. 335.

Quid Deus velit respectu sui.

Deus vult, quod ipsum decet (§. 334. *Th. nat.* §. 941. *empir.*).

§. 336.

Ratio subjectiva quænam.

Ratio subjectiva dicitur quæ desumitur a subjecto, seu agente.

Ita ratio subjectiva electionis mundi non est, quæ desumitur a Deo eligente.

§. 337.

An detur ratio subjectiva electionis mundi.

Datur ratio subjectiva, cur hunc potius mundum elegerit Deus quam alium (§. 333 sq. *Th. nat.* 56. *Ont.* 336. *Th. nat.*).

§. 338.

An in genere detur ratio subjectiva voluntatis divinæ.

Quoniam in genere constat, Deum velle, quod ipsum decet; eodem, quo ante, modo in genere evincitur, *dari voluntatis divinæ rationem aliquam subjectivam*, consequenter cum Deus non agat, nisi quod vult, *rationem dari subjectivam, cur quid agat*.

§. 339.

Ratio objectiva (§. 325. 118.) & subjectiva (§. 334. 336.) simul sumta constituunt rationem sufficientem, cur Deus quid velit. Enimvero rationes cur Deus quid potius velit, quam nolit, aliunde quam ab ipso & objecto desumi nequeunt, adeoque non datur alia ratio, quam objectiva & subjectiva volitionis (§. 118. 336.). Atqui voluntatis divinæ ratio sufficiens datur (§. 70. *Ontol.*). E. — Ratio sufficiens voluntatis divinæ qualis sit.

§. 340.

Motiva voluntatis divinæ partim ab objecto, partim ab ipso Deo volente desumuntur (§. 887. emp. 339. 118. 336. Th. nat.). — Motiva voluntatis divinæ unde desumantur.

Absit autem ut existimes, voluntatem divinam, consequenter Deum ipsum, hoc pacto effici dependentem a rebus aliis, creatorem a creaturis. Etenim Deus vult omnia ab æterno, antequam quicquam extra ipsum existat (§. 319.), adeoque nulla creatura influit in actum voluntatis divinæ. Ratio objectiva desumitur ab ideis rerum, quæ sunt in intellectu divino, immo quæ ipsum intellectus divini actum constituunt. Quodsi ergo inde petitur ratio objectiva voluntatis, divina tantummodo voluntas dependet ab intellectu ejus (§. 851. *Ontol.*), consequenter a Deo ipso. Absurdum vero non est, Deum dependere a se ipso, cum sit libertati ejus summæque, qua gaudet, perfectioni minime inimicum.

§. 341.

Deus lubentissime vult, quicquid vult (§. 325. 330. Th. nat. 941. 938. empir.). — Lubentia voluntatis divinæ.

§. 342.

Deus potest mundos ceteros possibiles non minus ad actum perducere, quam hunc produxit (§. 326. 331.). — Deus omnes mundos possibiles producere potuit.

§. 343.

Deus omnia possibilia ad actualitatem perducere potest (§. 342. 152.). — Potentiæ divinæ objectum.

§. 344.

Deus non potest facere seu ad actum perducere impossibilia (§. 132. 28. Ontol.). — Quænam ab eadem removenda.

§. 345.

§. 345.

Quænam Deus velle & facere non possit.

Deus nec velle, nec facere potest contradictoria (§. 313. 344. 314. 343. Th. nat. 79. 85. Ont.).

§. 346.

Impossibilitas faciendi impossibilia non est defectus potentiæ.

Impossibilitas faciendi impossibilia non arguit defectum potentiæ (§. 132. 28. 79. 138. Ont.).

§. 347.

Omnipotentiæ definitio.

Omnipotens dicitur, qui potest facere omnia possibilia. Unde *Omnipotentia* ea est, quæ extenditur ad omnia possibilia.

§. 348.

Omnipotentiæ magnitudo.

Omnipotentia est potentia absolute maxima (§. 347. 346.).

§. 349.

Omnipotentia Dei evicta.

Deus est omnipotens (§. 343. 347.).

§. 350.

Magnitudo potentiæ divinæ.

Potentia Dei est absolute maxima, consequenter *Deus,* cui hæc est potentia, *omnium absolute potentissimus (§. 348 sq.).*

§. 351.

Electio mundi a coactione interna libera.

Deus in electione hujus, qui existit, mundi liber est ab omni coactione interna (§. 141. 342. 141. 349.). Quamobrem cum ad hoc, ut fieri possit mundum aliquem a Deo produci, sufficiat, ut mundum penitus cognoscat & producere possit, ac potentiæ suæ sibi sit conscius; nulla ex parte Dei fuit necessitas absoluta, cur hunc potius elegerit mundum, quam alium (§. 279. 301. *Ontol.*). E.

§. 352.

Potentia Dei ad voluntatem relata.

Deus potest facere, quicquid vult (§. 314. 343.).

In eo differt potentia Dei a potentia humana: etenim nos facere non possumus, quicquid volumus. Sæpe nimirum volumus, quod impossibile, adeoque nec a Deo quidem (§. 344.), nedum a nobis fieri potest. Sæpe volumus, quod equidem impossibile non est, cui tamen ad actum producendo vires nostræ minime sufficiunt. Defectu igitur scientiæ vel potentiæ nostræ accidit, ut facere non possimus, quod volumus.

§. 353.

Deus plura facere potest, quam vult (*§. 342. 121. Theol. nat. 941. empir.*). Idem ulterius expenditur.

§. 354.

Potentia Dei prorsus illimitata est (*§. 343. Th. nat. 132. Ontol. 222. Th. nat. 468. Ont.*). Idem patet ex § 349. 348. *Th. nat.* 826. *Ontol.* Potentiæ divinæ libertas ab omni limitatione.

§. 355.

Deus omnia vult simul, seu unico voluntatis actu (*§. 160. 318.*). Ratio formalis voluntatis divinæ.

Nos successive volumus, omnia simul velle non possumus. Ratio manifesta est. Non omnia cognoscimus simul, quæ nobis per omnem vitam appetibilia vel aversabilia occurrent: immo omni tempore de appetibili vel aversabili eodem non judicamus modo. Fieri adeo nequit, ut unico voluntatis actu statuamus de iis, quæ per omnem vitam vel appetenda, vel aversanda. Atque hinc uberius liquet, unitatem actus voluntatis pendere ab unitate actus intellectus.

§. 356.

Voluntas Dei est actus, non facultas (*§. 355. Th. nat. 716. Ontol.*). Voluntas Dei qualis sit.

§. 357.

Voluntas divina infinita est (*§. 355. Theol. nat. 838. Ontol.*). Infinitudo voluntatis divinæ.

§. 358.

Voluntas divina omni enti intelligenti finito incomprehensibilis (*§. 837. Ontol.*). Quamobrem cum ens intelligens finitum, quale est anima nostra, non habeat ideam voluntatis, nisi quatenus sibi sui conscium est (§. 12. *Psychol. rat.*); non aliam nisi successivæ volitionis ac nolitionis ideam habere potest. Non igitur habet ideam nisi voluntatis, quæ per modum potentiæ inest. Jam de Deo vide §. 356. 355. *Th. nat.* Ens igitur intelligens finitum non habet ideam voluntatis, qualis est in Deo, consequenter eandem sibi clare repræsentare nequit (§. 48. *Psychol. empir.*). E. (§. 170.). Incomprehensibilitas voluntatis divinæ.

§. 359.

Voluntas Dei nobis incomprehensibilis.

Voluntas Dei omni homini incomprehensibilis (§. 654. rat. 173. Th. nat.).

§. 360.

Immensitas potentiæ Dei.

Potentia Dei immensa est (§. 354. 350. Th. nat. 438. 441. Ontol.). Potentiam metiri non licet, quam si entis cujusdam potentia pro unitate assumatur, & ratio potentiæ entis alterius ad eandem determinetur. Enimvero potentia illimitata & absolute maxima quæcunque ad omnia sese extendat possibilia, cum divina eadem est, adeoque pro mensura potentiæ divinæ assumi nequit. Jam cum porro quantitas limitata quotiescunque sumatur, degenerare nequeat in illimitatam (§. 175.), nec fieri potest, ut potentia limitata degeneret in illimitatam, quotiescunque sumatur, consequenter nec potentia limitata pro mensura illimitatæ seu divinæ assumi potest, neque per eandem potentiam divinam metiri licet. E. (§. 41.).

§. 361.

Potentiam Dei homo metiri nequit.

Quoniam potentia Dei in se immensa est (§. 360.), ut adeo nec Deus, qui semetipsum cognoscit (§. 141.), eandem aliter quam immensam cognoscat; *fieri non potest, ut homo potentiam divinam metiatur.*

§. 362.

Potentia divina captum hominis transscendit.

Deus plura facere potest, quam quæ homo intelligere valet (§. 343.).

§. 363.

Miraculorum possibilitas extrinseca.

Deus potest facere miracula, quotiescunque vult (§. 517. Cosmol. 343. 352. Th. nat.).

In Cosmologia evicimus miraculorum possibilitatem intrinsecam: hic vero extrinsecam probavimus, quatenus evincitur, dari aliquam causam, cujus potentia miraculo producendo sufficit. Additur in propositione, Deum posse facere miracula, quotiescunque voluerit, consequenter nondum probatum est, quod miracula in mundo vel hodienum fiant, vel olim facta fuerint.

§. 364.

§. 364.

Deus facere potest, quæ vim naturæ universæ excedunt (§. 363. *Th. nat.* 522. *Cosmol.*). Potentia Dei naturæ omni superior.

§. 365.

Deus producere potest motus legibus motus contrarios (§. 363. *Th. nat.* 526. 528. *Cosmol.*). Motus quales a Deo produci possint.

§. 366.

Deus ordinem naturæ turbare potest, quando & quotiescunque vult (§. 365. *Th. nat.* 559. *Cosmol.*). Ordo naturæ num a Deo turbari possit.

§. 367.

Deus sequentem mundi partem immutare valet, ut non sit eadem, quæ ad ipsum in idea ejusdem spectat (§. 363. *Theol. nat.* 531 *sq. Cosm.*). Quomodo Deus mundum immutare possit.

§. 368.

Voluntas Dei immutabilis est (§. 290. *Ontol.* 39. 319. *Th nat.*). Idem patet ex §. 355. *Th. nat.* 341. 291. *Ontol.* Immutabilitas voluntatis divinæ.

Perpendendæ nobis sunt rationes, ob quas voluntas nostra mutabilis. Eodem manente motivo voluntas nostra non mutatur, quemadmodum unusquisque in seipso experitur. Quodsi vero contingat, ut nunc habeatur malum, quod antea videbatur bonum, appetitus mutatur in aversationem; si quod antea malum videbatur, nunc bonum habeatur, aversatio mutatur in appetitum (§. 601. *Psychol. empir.*). Similiter si quid nobis nec tanquam bonum, nec tanquam malum videtur, quod antea vel bonum, vel malum videbatur; quod antea volueramus, vel nolueramus, non amplius volumus, vel nolumus (§. 587. *Psychol. empir.*). Quamobrem apparet, ignorantiam nostram in causa esse, cur voluntas mutetur, scilicet quod nobis ignota sit vel principiorum veritas, quibus tanquam norma utimur in bono & malo dijudicando, sive quod objectum, quod ad appetendum vel aversandum proponitur, non satis fuerit perspectum, sive quod non præviderimus quasdam circumstantias, quæ mentem nostram mutari cogunt. Atqui de Deo vide §. 162. 247.

§. 369.

Cur Deum non pœniteat facti.

Deum nunquam pœnitere potest ejus, quod fecit (§. 368. Th. nat. 761, empir.).

Resolvitur in ignorantiam pœnitentia. E. §. 301 sq.

§. 370.

Bonum quid dicatur.

Bonum in se quid dicitur, quatenus suam habet perfectionem tam essentialem, quam accidentalem. *Bonum* vero *in relatione ad aliud* vocatur, quod ad perfectionem alterius quid confert, seu in eandem quomodocunque influit, vel ejusdem signum est.

In Psychologia bonum tantummodo definivimus quoad nos (§. 554. *Psychol. empir.*). Ast hic, notio boni nobis perspecta esse debet in omni sua latitudine.

§. 371.

Malum quid dicatur.

Ex vero jam *Malum* appellari debet aliquid *in se*, quatenus quædam imperfectio ipsi inhæret. Ast *Malum erit in relatione ad aliud*, quod ad imperfectionem alterius quid confert, vel ejusdem signum est. Repete dicta ad §. 370.

§. 372.

Malum metaphysicum quid dicatur.

Malum metaphysicum dicitur quod per essentiam & naturam suam rem imperfectiorem reddere censetur, quam foret, si abesset, adeoque in limitatione determinationum essentialium consistit.

Ita finitudo & limitatio originaria intellectus nostri habetur pro malo metaphysico.

§. 373.

Malum physicum quid dicatur.

Malum physicum vocatur, quod statum mundi quoad effectus naturales imperfectiorem reddere censetur, quam foret, si alii essent. Unde *Bonum physicum* dicitur, quod statum mundi quoad effectus naturales perfectiorem reddit, quam foret, si alii essent.

Ita tempestas, qua damnum infertur frugibus & ædibus, dicitur malum physicum, propterea quod status mundi hoc ipso censetur imperfe-

perfectior quoad effectus naturales, quam foret, si nullum unquam frugibus aut ædibus damnum a tempestate esset metuendum.

§. 374.

Malum denique *morale* nuncupatur, quod inhæret actionibus liberis hominum, seu ob quod eædem dicuntur vitiosæ. *Bonum* itidem *morale* vocatur, quod inhæret actionibus liberis hominum. Malum morale quid sit.

Ita e. gr. nimius vini haustus, quo quis inebriatur, dicitur malum morale, quia actio illa in numero vitiosarum est.

§. 375.

Malum metaphysicum est absolute necessarium (§. 372. *Th. nat.* 145. *Cosm.* 728. 170. *Ontol.* 176. 180. *Cosm.* 68. *rat.* 303. *Ont.*). Mali metaphysici necessitas.

Si quis malum metaphysicum ab entibus finitis, seu limitatis abesse velit, is idem ens finitum seu limitatum & infinitum seu illimitatum simul esse vult: quod quam sit absurdum, nemo non videt (§. 28. *Ontol.*).

§. 376.

Mundus nullus, etiamsi sit omnium perfectissimus, absque malo metaphysico esse potest (§. 48. *Cosm.* 173. *Th. nat.* 142 sq. *Ontol.* 372. *Th. nat.*). Malum metaphysicum ingreditur omnem mundum.

Idem patet ex §. 372. 375. *Th. nat.* 302. *Ontol.*

§. 377.

Deus mundum facere nequit, in quo nullum sit malum metaphysicum (§. 376. *Th. nat.* 85. *Ont.* 343. 346. *Th. nat.*). An Deus mundum facere possit absque malo metaphysico.

§. 378.

Impossibilitas faciendi mundum absque malo metaphysico non minuit omnipotentiam (§. 375 sq. 347. 349 sq.). An existentia mali metaphysici deroget omnipotentiæ Dei.

§. 379.

Deus ens finitum seu limitatum nullum absque limitationibus essentiæ ac naturæ ipsius in ideis divinis inhærentibus producere potest (§. 190. *Theol. nat.* 291. *Ontol.* 192. 343 sq. *Theol. nat.*). Limitationes essentiæ & naturæ rerum inhærentes num a Deo enti cuidam auferri possint.

§. 380.

Impossibilitas producendi creaturam absque malo metaphysico.

Deus creaturam nullam absque malo metaphysico producere valet. Vide rursus §. 377.

§. 381.

An malum metaphysicum per miraculum tolli possit.

Malum metaphysicum ne per miraculum quidem a mundo aut ente quocunque singulari auferri potest (§. 517. *Cosm.* 375. *Th. nat.*). Idem intelligitur ex §. 377. 380.

§. 382.

Mundus adspectabilis cur sit optimus.

Mundus adspectabilis est in se omnium possibilium optimus (§§. 326. 370.).

§. 383.

Voluntas Dei quo tendat.

Voluntas Dei tendit ad id, quod in se optimum (§§. 325. 370.).

§. 384.

Electio optimi cur Deum deceat.

Decet Deum eligere, quod in se optimum est (§§. 333. 325. 370.).

§. 385.

Quid Deus velit in relatione ad se.

Deus etiam vult, quod optimum est, in relatione ad se (§. 335. 332.). Necesse igitur est, ut id quod vult ad se referat. Jam mundi perfectissimi electio est signum naturale intellectus omnium absolute perfectissimi (§. 328.), & electio mundi in suo genere minime perfectissimi non est signum intellectus perfectissimi (§. 329.), consequenter quia intellectus divinus est absolute perfectissimus (§. 168.), nonnisi electio mundi in suo genere perfectissimi, est signum intellectus divini. Quoniam adeo bonum in relatione ad Deum est, quod perfectionis divinæ signum est (§. 370.), idque adeo in relatione ad ipsum optimum est, quod solum ejusdem signum naturale est; mundus in suo genere perfectissimus optimus dici debet in relatione ad Deum. Atqui Deus elegit mundum in suo genere perfectissimum ob ipsam hanc perfectionem, qua ceteros mundos possibiles omnes vincit (§. 325.), electio autem est actus liberæ voluntatis (§. 941. *Psych. emp.*). E.

§. 386.

§. 386.

Voluntas Dei est omnium perfectissima (§. 383. 385. 370. *Th. nat.* 650. *rat.*). Summa voluntatis divinæ perfectio.

Cum Deum velle quod est optimum quomodocunque spectatum ex contemplatione mundi probari minime possit, nisi supponatur, mundum hunc esse omnium possibilium perfectissimum, adeoque optimum; quam arctus sit nexus inter voluntatem Dei perfectissimam & electionem mundi optimi satis superque apparet. Repete §. 328 sq.

§. 387.

Deus est spiritus perfectissimus (§. 168. 386. *Th. nat.* 646. *rat.*). Qualis spiritus sit Deus.

§. 388.

Voluntas divina illimitata est (§. 387. *Theol. nat.* 653. *rat.*). Voluntas Dei illimitata.

Intellectus duplici limitatur modo, materialiter quoad objectum; formaliter quoad modum repræsentandi objectum; ast materialiter limitari nequit voluntas, cum naturæ ipsius repugnet appetere omnia possibilia, utpote generaliter determinata ad bonum. Restat igitur ut limitetur tantum formaliter, quatenus in electione bonum apparens præferre potest vero & bonum minus majori, atque hinc illimitata est voluntas, quæ generaliter determinata ad optimum & hinc accedente judicio intellectus perfectissimi non fertur nisi in optimum.

§. 389.

Motivum voluntatis divinæ est repræsentatio optimi (§. 383 sq. *Th. nat.* 56. *Ont.* 118. 336. *Th. nat.* 887. *emp.*). Motivum voluntatis divinæ.

§. 390.

Quoniam motivum voluntatis divinæ est optimi repræsentatio (§. 389.), optimum vero tum in se (§. 383.), tum in relatione ad Deum spectatur (§. 384.); lex voluntatis divinæ est: *Quicquid Deus sibi repræsentat tanquam optimum tum in se, tum in relatione ad semetipsum, illud vult* (§. 903. *Psychol. empir.*). Lex voluntatis divinæ.

Neminem offendet vocabulum legis: sumimus enim idem in eo significatu, quod ipsi tribuimus in Psychologia & Cosmologia & dudum

dum receperunt & Mathematici, & Philosophi. Lex appetitus humani est: Quicquid nobis repræsentamus tanquam bonum quoad nos, id appetimus (§. 904. *Psychol. empir.*). Quamobrem si neges velle Deum, quod sibi tanquam optimum repræsentat; eadem erit lex voluntatis divinæ & appetitus humani, non obstante intellectus divini atque humani differentia.

§. 391.

Quomodo Deus æstimet perfectionem rerum.

Deus perfectionem rerum æstimat in relatione ad totum universum (§. 161. 289. *Th. nat.* 56. *Log.* 503. *Ont.*).

Probe notanda venit præsens propositio, ne in iis, quæ Deus vult, rationem cum experientia perperam committamus. Ceterum perfectionis æstimatio, quæ in ea Deo tribuitur, notionibus rerum conformis est. Etenim singularia sunt partes universi & ad illam rerum seriem, in qua ab intellectu divino repræsentantur (§. 201.), referuntur tanquam pars ad totum, quemadmodum oculus in corpore nostro tanquam ejusdem pars spectatur. Perfectio vero partis æstimari nequit, nisi in relatione ad totum (*not.* §. 507. *Ontol.*).

§. 392.

Quid Deo perfectissimum in suo genere.

Deo perfectissimum censetur in suo genere, quod facit ad majorem perfectionem totius universi (§. 391.).

§. 393.

Quomodo Deus dijudicet, quid sit optimum.

Deus judicans quid sit optimum in se idem refert ad totum universum (§. 370. 391.).

§. 394.

Quid bonum dicatur in relatione ad Deum.

In relatione ad Deum nil quicquam dici potest bonum, nisi quatenus summæ Dei perfectionis signum est (§. 387. 125. *Th. nat.* 851. 883. *Ont.* 370. 328. *Th. nat.*).

Atque in eo differt Deus a rebus finitis, quales homines sumus. Etenim ad nostram perfectionem conferri quid a rebus aliis potest, consequenter in relatione ad nos bonum dici potest, quod nos perfectiores reddit; ast in relatione ad Deum bonum eodem respectu dici minime potest.

§. 395.

§. 395.

Deus judicans quid sit optimum in relatione ad se ipsum idem refert ad omnia sua attributa (§. 370.). Iam vero Dei respectu nihil dici potest bonum, nisi quatenus perfectionis ejus signum est (§. 394.). Ergo Deus non judicat optimum, nisi quod summam, quæ ipsi est, perfectionem indicat. E. Quomodo Deus judicet quid sit optimum in relatione ad se ipsum.

Nimirum summa Dei perfectio non intelligitur nisi per omnem Divinitatis plenitudinem, quæ in complexu omnium attributorum consistit. Neque enim sufficit esse quid signum perfectionis unius, quæ Deo competit respectu alicujus attributi, si contrarietur attributo alteri.

§. 396.

Homo rerum perfectionem & quid sit tam in se, quam in relatione ad Deum ipsum optimum eodem, quo Deus, modo dijudicare nequit (§. 392. 395. *Th. nat.* coll. § 194. *rat.* 174. 283. 358. 387. *Th. nat.* 646. *rat.* 142 sq. 198. *Ont.*). Cur homo divino more perfectionem rerum & optimum æstimare nequeat.

Imperfectum est nostrum de perfectione rerum & de eo quid sit in suo genere optimum judicium. Huic adeo non fidendum, quotiescunque quid nobis apparet imperfectum & melius fieri potuisse videtur: in eo casu autem, quo quid perfectissimum & optimum in suo genere agnoscere nobis videmur, idem pro probabili tenendum, propterea quod in genere demonstratum sit, mundum hunc esse omnium possibilium perfectissimum (§. 326.), eundemque optimum (§. 382.).

§. 397.

Voluntas dicitur *imperscrutabilis*, si motiva ejusdem nobis non fuerint penitus perspecta, nec eadem certo prorsus cognoscere valeamus. Imperscrutabilitas voluntatis in quo consistat.

§. 398.

Voluntas divina omni homini imperscrutabilis (§. 396. 389. 397.). Imperscrutabilitas voluntatis divinæ.

Ipsa autem imperscrutabilitas voluntatis divinæ argumentum præbet ad stabiliendam revelationis necessitatem & in divinitatis S. S. probationem influit: immo subinde ad defendendam S. S. veritatem in iis, quæ Deus voluisse vel velle dicitur, conducit.

(*Th. nat. contr. T. I.*)

§. 399.

Cur Deus velle possit cujus ratio homini ignota.

Deus velle potest, quæ cur velit, homo intelligere nequit (§. 398. 397. *Th. nat.* 887. *emp.* 56. *Ont.*).

§. 400.

Electio mundi optimi in se quale sit signum.

Electio mundi in se optimi est signum naturale voluntatis absolute perfectissimæ (§. 383. *Theol. natur.* 650. *ration.* 952. 956. *Ontol.*).

§. 401.

Electio mundi minime perfectissimi cur tale signum esse nequeat.

Electio mundi in se non optimi non est signum naturale voluntatis absolute perfectissimæ (§. 650. *rat.* 952. *Ont.*).

§. 402.

Electio mundi optimi in se cujusnam Spiritus sit signum.

Electio mundi in se optimi est signum naturale spiritus perfectissimi, nec electio mundi in se non optimi tale esse potest (§. 328. 400. 329. 401 *Th. nat.* 646. *rat.*).

§. 403.

Productio mundi perfectissimi quale signum.

Productio mundi omnium perfectissimi est signum naturale omnipotentiæ (§. 512. *Cosm.*). Non ideo perfectissimum mundum produxisse intelligitur, quod potentia ipsius alii actuando non suffecerit, consequenter nulla ratio est, cur non colligatur, eandem potentiam, quæ perfectissimo in suo genere ad actum perducendo sufficit, quod minus in eodem perfectum est non minus facere posse. Unde cum omnes mundi possibiles omnia possibilia contineant (§. 152.) ac omnipotens sit, qui possibilia omnia facere potest (§. 347.); ex productione mundi omnium perfectissimi colligitur omnipotentia divina (§. 342. 343. 349.). Jam vero id signum est rei alterius, ex quo colligitur alterum adesse (§. 952. *Ontol.*); productio itaque mundi omnium perfectissimi est signum omnipotentiæ; & quidem naturale (§. 956. *Ontol.*).

§. 404.

Productio mundi minime perfectissimi quale sit signum.

Productio mundi minime perfectissimi omnium non est signum naturale omnipotentiæ. In notionum communium numero est, ex eo, quod quid fecit imperfectius, non posse colligi, quod facere etiam possit perfectius, adeoque multo minus, quod facere possit in isto genere perfectissimum.

Qui

Qui potest majus, potest etiam minus, sed qui minus potest, non ideo potest majus.

§. 405.

Quod est optimum in se, id etiam optimum est in relatione ad Deum (§. 325. 370.). Mundus in relatione ad Deum non est optimus, nisi quatenus signum est perfectionis summæ, quale mundus quicunque alius esse nequit (§. 394.). Quamobrem cum electio mundi in se optimi sit signum spiritus perfectissimi (§. 402.) atque potentissimi (§. 403.), quale esse nequit electio & productio minus perfecti (§. 402. 404.); Deus vero sit Spiritus perfectissimus (§. 387.) idemque omnium potentissimus (§. 349.); electio & productio mundi in se optimi est signum naturale Dei veri, ejusdem autoris. Enimvero in relatione ad Deum optimum dici nequit, nisi quod est signum perfectionis summæ, quæ eidem convenit (§. 394.). E.

Cur optimum in se sit etiam optimum in relatione ad Deum.

§. 406.

Juxta S. S. Deus elegit & produxit mundum omnium optimum Gen. I, 31. coll. vers. 1. Deus adeo mundum, quem fecerat, contemplatus, judicavit esse optimum. Dum vero mundum, quem fecerat, contemplabatur, cuncta intuebatur, ita ut nihil esset in eo, cujus sibi non erat conscius. Quoniam vero singula fuere optima, hoc ipso Moses innuit, judicio Dei nihil repertum fuisse in toto hoc universo, quod non fuerit optimum. In textu Hebræo lectoris attentio excitatur particula הִנֵּה, *ecce*, quæ ipsa simul certitudinis nota esse solet. Non sine ratione excitatur attentio audituri, quale fuerit Dei de mundo, quem fecerat, judicium, propterea quod viro divino spiritu afflato perspectum erat, quam facile sit, ut homo de re, de qua ipsi judicare non datum (§. 541. *Cosmol.*), judicium suum præcipitet. Unde etiam monet, Deum omne, quod fecerat, intuitum esse, antequam judicium tulerit, qualia a se facta fuerint, ne ipsum hoc judicium præcipitatum videri possit & ut hoc pacto avertat præcipitantiam judicii nostri. Judicium præcipitatur, quod ex parte judicemus de toto, nec de parte in relatione ad totum. Moses igitur diserte monet, Deum intuitum esse omne, quod fecerat, consequenter de perfectione mundi non

Electio mundi optimi S. S. conformis.

judicasse ex parte, nec de parte una sigillatim spectata tulisse judicium, sed in relatione ad cetera omnia, quæ simul fecerat: secus enim non fuisset opus, ut omne, quod fecerat, simul intueretur. Judicio itaque Dei unumquodque, quod fecerat, erat optimum, quatenus simul factum fuerat cum ceteris, nec quicquam reperiri poterat, ob quod affirmare liceat, potuisse mundum meliori fieri modo. Probe notandum, quod Moses dicat, Deum intuitum esse omne, *quod fecerat.* Etenim hoc ipso monemur, Deum de perfectione mundi atque omnium, quæ in eo sunt, judicaturum mundum & quæ in eo sunt considerasse tanquam opus suum consequenter in relatione ad se ipsum. Unde intelligitur juxta S. S. mundum hunc esse optimum etiam in relatione ad Deum opificem, ut, si quæsiveris, quemnam omnium mundorum possibilium maxime deceat a Deo fieri, respondere tenearis, non esse alium præter eum, quem fecerat, qui magis conveniat summæ ipsius perfectioni. Vide §. 382. 384. 405. 393. 395. cuncta hæc a Mose asserta esse deprehendes.

§. 407.

Motivum voluntatis divinæ juxta S. S.

Quoniam juxta S. S. mundum optimum elegit Deus (§. 406.); juxta eandem ratio sufficiens, cur Deus quid velit, est, quia in suo genere optimum (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum ratio sufficiens volitionis sit motivum (§. 887. *Psychol. empir.*); *juxta S. S. motivum voluntatis divinæ est id, quod optimum est.*

§. 408.

Motiva voluntatis divinæ unde desumantur juxta S. S.

Motiva voluntatis divinæ juxta S. S. partim ab objecto, partim ab ipso volente Deo desumuntur. Patet hoc ex iis, quæ diximus probantes Deum juxta S.S. elegisse mundum optimum. Etenim ostendimus, Deum judicaturum de perfectione mundi, quem creaverat, non modo inspexisse res ipsas, quas fecerat, sed eas quoque considerasse tanquam a se factas, adeoque ad se ipsum retulisse: id quod vero Moses a Deo factum recenset, creatione jam absoluta, quin factum fuerit ab æterno, cum mundi creationem decerneret, dubitandum non est.

§. 409.

§. 409.

Deus juxta S. S. voluit omnia ab æterno. Eph. I, 4. 2 Tim. I, 9. Nimirum antequam mundus a Deo produceretur, nihil extra ipsum existebat, aut, si mavis, præter ipsum, adeoque creatura nulla finita, consequenter nulla erat rerum successio (§. 834. *Ontol.*). Quamobrem cum tempus non detur nisi existentibus successivis in continua serie (§. 574. *Ontol.*); antequam mundi fundamenta jacerentur, hoc est, quicquam præter Deum existere inciperet, nullum erat tempus. Deus igitur nos elegit in Christo, antequam tempus erat. Enimvero æternum est, cujus nullum assignari potest initium, quemadmodum existentiæ hujus universi datur, & quod quanto tempore duraverit dici nequit, quantacunque etiam tempora ponas. E. (§. 941. *Psych. emp.*).

Æternitas voluntatis divinæ.

Quodsi vero Deus ea ab æterno voluit, quæ facta in tempore supponunt; nullum profecto dubium superesse potest, quin multo magis cetera ab æterno voluerit, quæ nihil in tempore factum supponunt, consequenter palam est, juxta S. S. Deum omnia voluisse ab æterno.

§. 410.

Deus juxta S. S. liber est in volendo ab omni coactione externa, & voluntas ejus ab omni ente alio extra ipsum independens. Dan. c. IV, 32. Agnoscit Nabuchodonosor Deum facere secundum voluntatem suam in universo mundo, nec in toto mundo reperiri quenquam, qui ei resistere possit. Qui potest facere quæ vult & cui nemo resistere valet, quo minus id faciat; is nulla vi externa adigi potest, ut quid velit, quod ea seposita minime voluisset. E. Ex eo patet *primum.* Add. §. 321.

Libertas voluntatis divinæ a coactione externa juxta S. S.

Porro affirmat Nabuchodonosor Deum facere secundum voluntatem suam, nec in toto universo esse quenquam, qui ei dicat: quare fecisti? Nemo dicere potest ad alterum, qui suo arbitratu agit, quid agis? nisi qui jus habet exigendi ab eo, ut ad nutum suum componat actiones suas. Quamobrem fatetur Nabuchodonosor neminem esse, qui rationem facti a Deo exigere possit, quando suo arbitratu agit. Enimvero si Deus non tenetur rationem reddere ejus, quod suo arbitratu facit, alteri; nec ideo

 quid

quid velle tenetur, quia ut hoc velit vult alter, consequenter voluntatis ipsius ratio nulla est in voluntate alterius (§. 56. *Ont.*). Jam vide §. 851. *Ont.*

§. 411.

Quænam Deus velit juxta S. S.

Deus juxta S. S. vult, quod ipsi placet. *Matth.* XI, 26. Vocabulum εὐδοκία, quod in textu Græco extat, exprimere solet illum animi actum, quo quid nobis repræsentamus tanquam delectabile, seu tale, unde voluptatem percipimus. Patet hoc ex *Matth.* III, 17. coll. §. 649. *Psychol. empir.* Quamobrem si quid facit Deus, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθεν αὐτοῦ; Deus id ideo facit, quia id ipsum ipsi placet. Jam vero quod Deus facit, id etiam facere vult, de quo nemo dubitat. Quare ex eo, quod Deus facit, quod ipsi placet, & quia quid ipsi placet, recte omnino colligitur, eum quoque velle quod ipsi placet & quia ipsi placet. Adde *Eph.* I, 5. 1 *Cor.* I, 21.

§. 412.

Deus quod decenter velit juxta S. S.

Juxta S. S. Deus vult, quod ipsum decet eodem prorsus sensu, quo idem supra evicimus. *Rom.* IX, 22. 23. Sufficit hic observasse, Deum quædam voluisse ex mente Apostoli, ut hoc ipso doceret, quænam ipsi sint attributa. Etenim vasa iræ ad exitium composita multa cum patientia tulit, ut ostenderet iram suam & potentiam declararet. Irascimur alteri ob malefacta (§. 862. *Psych. emp.*), quæ cum nobis displiceant (§. 569 542. *Psych. empir.*), odio digna habemus (§. 674. *Psych. empir.*). Deus itaque iram suam ostensurus perinde odium mali declarare intendit, quemadmodum potentiam suam ostendere voluisse dicitur. Hinc jam liquet, Deum ostendisse divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quatenus declaravit hoc ipso, quænam ipsi insint attributa. Unde jam porro patet, Deum aliquid potius velle, quam non velle, & velle hoc potius, quam aliud, quatenus ad ea, quæ ipsi sunt, seu essentiam & attributa sua respiciens, hæc sibi inesse deprehendit, non alia attributa. Quoniam itaque ex iis, quæ Deo insunt, seu essentia & ex attributis divinis intelligitur, cur quid potius velit, quam non velit, & cur hoc potius velit, quam aliud; in iis, quæ Deo insunt, seu in essentia & attributis ejusdem continetur ratio, cur quid potius velit, quam non velit, & cur

cur hoc potius velit, quam aliud (§. 56. *Ontol.*). Jam vide §. 332. 335.

§. 413.

Deus potest facere, quicquid vult juxta S. S. Psalm. CXV, 3. Quidnam Deus juxta S. S. facere possit.

Ex contextu apparet, Deum dici facere posse, quæcunque vult, ut evincatur illimitata ejusdem potentia & hoc pacto magnitudo potentiæ divinæ animis nostris insinuetur. Etenim dicitur facere posse, quæ vult, in oppositione ad idola gentilium, quæ omni prorsus potentia activa destituta sunt.

§. 414.

Deum juxta S. S. pœnitere ejus nequit, quod facit ac vult. *Num.* XXIII, 19. 20. Ex contextu liquet, verbum pœnitere hic sumi in significatu communi, quem ex usu loquendi habet (§. 369.), Deum nunquam pœnitere posse ejus quod fecit, consequenter quod vult. An Deum juxta S. S pœnitere possit eius quod vult.

Plura occurrunt in sacris loca, ubi Deum pœnituisse dicitur ejus, quod fecerat, veluti *Gen.* VI, 6. quod fecisset hominem, ubi in textu authentico idem verbum נחם extat. Constat ex superioribus (§. 103.), Scripturam sacram de Deo sæpius loqui humano more, veluti ipsi tribuendo membra corporis humani. Quoniam vero ea, si proprie acciperentur, contradicerent aliis, quæ aperte de ejus essentia & natura docet; quin ita interpretanda sint, ut cum his consentiant, nemo non videt. Quando itaque dicitur Deum pœnitere facti, hoc ita accipiendum est, quod ea, quæ præter ipsius intentionem inde fuere consecuta, ab ipso improbentur, & quod ob ea non fecisset, quod fecerat, nisi aliæ fuissent rationes in doctrina de permissione mali paulo post distinctius exponendæ.

§. 415.

Deus juxta S. S. est omnipotens eodem sensu, quo supra omnipotentiam ejusdem evicimus. *Gen.* XVII, 1. Extat in textu Hebræo vocabulum שדי, quod soli Deo, nulli unquam creaturæ, neque idolis in S. S. tribui constat, manifesto indicio, denotari eodem aliquod attributum, quod non convenit, nisi Deo vero, ac creaturæ nulli communicari potest. Nimirum si ad ea respi- Omnipotentia Deo in S. S. tributa.

respicias, quæ ordinarie fieri solent, contra naturæ consuetudinem esse videtur, ut mas centenarius generet & fœmina nonagenaria pariat, adeoque id fieri posse improbabile est. Quæ improbabilia sunt, non tamen ideo sunt impossibilia. Quamobrem Abrahamus non poterat promittenti Deo credere, nisi perpendens possibilia esse posse, quæ an fieri possint ipsi perspectum non erat, Deum vero posse facere, quæ impossibilia absolute talia non sunt, consequenter quicquid possibile est (§. 85. *Ontol.*), seu tale, ut existentia eidem minime repugnet (§. 133. *Ontol.*), atque adeo cogitans omnipotentiam Dei eodem prorsus sensu, quo nos eandem accipimus (§. 347.) Deoque vindicavimus (§. 349.).

§. 416.

Magnitudo potentiæ divinæ juxta S. S.

Juxta S. S. potentia Dei absolute maxima est & Deus est absolute omnium potentissimus, Jeremiæ c. XXXII, 17. In textu authentico extat בכחך Vocabulum vero כח significare potentiam activam ex *Gen.* XXXI, 6. constat. Hæc vero potentia activa Dei dicitur הגדול illa magna. Notum vero est ה demonstrativum seu emphaticum positivum convertere in superlativum, ubi contextus, quemadmodum hic, idem insinuat. Sensus adeo verborum Jeremiæ est, quod Deus fecerit cœlum & terram maxima, quæ ipsi est, potentia, consequenter eidem disertis verbis maxima ab eodem tribuitur potentia. Addit vero, non esse ipsi arduam rem ullam. Juxta literam textus nihil horum, quod nominari potest, a Deo separari potest, hoc est, non potest nominari quicquam, quod potentiam Dei maximam excedat, consequenter ex mente Jeremiæ hæc sese extendit ad omnia possibilia.

Idem patet ex Luc. I, 37.

Sponte sua hinc fluit, Deum juxta S. S. omnium absolute potentissimum esse (§. 350.). Ipse vero etiam Propheta *loc. cit. v. 18.* Deum vocat הגבור potentem illum seu illum potentia excellentem, hoc est, potentissimum.

§. 417.

Juxta S. S. Dei potentia captum hominis transcendit.

Deus juxta S. S. plura facere potest, quam quæ homo intelligere valet. Ephes. III, 20. In textu Græco legitur ὑπὲρ πάντα, super omnia. Unde *Hammondus* in paraphrasi: Deus, inquit, multo

multo plura & majora facere potest, quam animo assequi possumus; quæ ipsa est propositio nostra.

§. 418.

Juxta S. S. Deus potest facere miracula. *Exod.* IV seqq. *Marci* XVI, 17 sq. 20. *Job.* X, 12 sq. coll. §. 520. 510. *Cosmol.* 363. *Th. nat.*

Potentia Dei miraculosa juxta S. S.

§. 419.

Voluntas Dei juxta S. S. imperscrutabilis est. Etenim Paulus Rom. XI, 33. judicia Dei vocat ἀνεξερεύνητα imperscrutabilia. Quoniam rationes sufficientes, cur hoc Deus potius velit, quam aliud, sunt motiva voluntatis divinæ (§. 887. *Psych. emp.*); si Paulo fidem habemus, motiva voluntatis divinæ penitus perspicere minime valemus. Jam vide §. 397 sq.

Voluntas Dei juxta S. S imperscrutabilis.

§. 420.

Juxta S. S. electio mundi optimi est signum naturale veri Dei. Affirmat Apostolus *Rom.* I, 20. invisibilia Dei, veluti sempiternam ejus virtutem & divinitatem, quem Deus fecit mundum considerando conspici. Quoniam itaque ex iis, quæ de mundo cognoscuntur, colligitur, qualis si verus Deus, ejusdem opifex, idem vero alterius signum sit, ex quo alterum adesse colligitur (§. 952. *Ontol.*), idque naturale, si significatus in ipsis rerum notionibus continetur (§. 956. *Ontol.*); mundi hujus, qui existit, a Deo facta electio utique veri Dei signum naturale esse debet. Enimvero constat ex superioribus ipsa autoritate S. S. Deum elegisse mundum omnium optimum (§. 406.). E.

Mundus optimus quale sit signum juxta S. S.

§. 421.

Voluntas Dei juxta S. S. perfectissima est eodem prorsus sensu, quo supra eandem talem probavimus (§. 407. Th. nat. 887. emp. 650. rat. 386. Th. nat.).

Summa perfectio voluntatis divinæ S. S. conveniens.

§. 422.

Deus juxta S. S. est Spiritus perfectissimus (§. 132. 218. 421. Th. nat. 646. rat. 387. Th. nat.).

Qualis Deus sit Spiritus juxta S. S.

§. 423.

Mundus quinam significet omnipotentiam Dei juxta S. S.

Productio mundi optimi etiam juxta S. S. est signum naturale omnipotentiæ. Diserte affirmat Paulus *Rom.* I, 20. Deum producendo hunc mundum adspectabilem patefecisse eam, quæ ipsi semper competit, potentiam ἀΐδιον δύναμιν. Ea vero, quæ Deo competit potentia, judice Scriptura, est omnipotentia (§. 415.), consequenter cum Deus etiam S. S. magistra sit Spiritus (§. 132.), patet eundem esse Spiritum potentissimum. Jam conf. §. 952. 956. *Ontol.*

§. 424.

Deus re nulla alia indiget ad sui conservationem & perfectionem.

Deus re nulla alia extra se indiget ad sui conservationem (§. 67. 27.) aut perfectionem (§. 387. 350.).

§. 425.

Deus non indiget aliena informatione vel auxilio ac opera.

Deus nemine opus habet, qui ipsum doceat, quod nosse expedit (§. 302. 301.), nec alterius indiget auxilio vel opera, ut faciat vel fiat quod fieri vult (§. 349. 347. Th. nat. 85. Ont.).

§. 426.

Deus voluptatis percipiendæ gratia re nulla indiget.

Deus nulla re extra se indiget voluptatis percipiendæ gratia (§. 155. 319. 311. 141. 343. 352.). Quamobrem si quam intuendo perfectionem rerum a se diversarum vel ex eo, quod quid facere possit, voluptatem percipere potest (*§. 511. Psych. emp.*); eam utique percipit, sive res ipsæ extra eum existant, sive non existant. E.

§. 427.

Sibi ipsi quinam sufficiat.

Sibi ipsi sufficientissimus dicitur, qui nulla prorsus re extra se quomodocunque indiget.

§. 428.

Omnisufficientia Dei.

Deus sibimetipsi est sufficientissimus (§. 27. 424. 425 sq. 427.).

Opus habemus parentibus, ut existamus: opus habemus cibo ac potu, ut conservemur: opus habemus præceptoribus & magistris, ut intellectus perficiatur atque voluntas, & artes manuarias discamus: opus habemus alieno consilio & auxilio, ut quid faciamus: opus habemus aliena opera, ut per alios fiat, quod ipsimet facere non possumus, fieri tamen volumus:

volumus: opus habemus denique rebus aliis, ut earum usu ac ope delectemur. Indigemus adeo rebus aliis extra nos ad existendum & ad nostri conservationem atque perfectionem, ad faciendum & agendum, quæ a nobis fieri & peragi debent, atque ad animum voluptate demulcendum. His vero omnibus Deus non indiget.

§. 429.

Deus etiam in S. S. perhibetur esse sibimetipsi sufficientissimus. (*Actor.* XVII, 25. §. 427.). Eadem S. S. conveniens.

§. 430.

Deus mundum aliquem existere voluit citra omnem coactionem internam (§. 428. 427. 426.). Quamobrem quoad ipsum indifferens est, sive mundus aliquis existat, sive non existat. Nulla igitur necessitate inductus fuit Deus, ut mundum aliquem existere vellet. Quoniam tamen aliquod esse debet motivum, cur Deus potius mundum aliquem producere voluerit, quam nullum (§. 312.), hocque sit ratio partim a seipso, partim ab objecto seu mundi perfectione desumta (§. 340.), qua non sibi *per demonstrata*, adeoque tantummodo aliis prodesse poterat; non sane relinquitur aliud, quam quod attributis suis convenientius judicaverit mundum aliquem potius producere, quam nullum. Voluit itaque mundum aliquem existere, quia hoc sese decere arbitratur (§. 332.). Adest tantummodo ratio quædam convenientiæ, quæ saltem efficit, ut, cur Deus voluerit mundum aliquem producere, intelligibili modo explicari possit, minime autem ipsi actui volitionis necessitatem infert (§. 321. *Ontol.*). E. Voluntas divina libera a coactione interna.

§. 431.

Voluntas Dei liberrima est (§. 316. 330 sq. 323. 341. 321. 351. 430. *Th. nat.* coll. §. 941. *emp.*). Major utique libertas voluntatis concipi nequit, quam ubi volens penitus intelligit, quod vult, & citra omnem coactionem internam atque externam sponte eligit, quod ipsi maxime placet. E. Libertas voluntatis divinæ.

§. 432.

Actus voluntatis divinæ non est casus purus (§. 312. Th. nat. 887. empir. 94. Cosmol.). Actus voluntatis divinæ cur non sit casus purus.

§. 433.

Principium actualitatis rerum.

Actualitas rerum pendet a voluntate Dei (§. 342. 325. Th. nat. 851. Ontol.).

§. 434.

Cur possibilitas non pendeat a voluntate Dei.

Possibilitas rerum non pendet a voluntate Dei (§. 192. 189. Th. nat. 56. 851. Ont.).

§. 435.

Hypotheses philosophicæ quando non admittendæ.

In philosophia nihil assumendum tanquam possibile, cujus non alia dari potest ratio, quam voluntas Dei (§. 434.).

§. 436.

Qualitates occultæ quænam sint.

Qualitates occultæ sunt, quarum nulla reddi potest ratio præter voluntatem divinam. Etenim ideo quid possibile, quia ejus idea datur in intellectu divino (§. 192.), consequenter quatenus in eodem repræsentatur, tum absolute spectatum, tum cum aliis in systema redactum (§. 155. *Th. nat.* & §. 48. *empir.*). Jam quatenus absolute spectatur, possibilitas intrinseca adstruenda per principium contradictionis (§. 193.) & inde porro explicandum, quænam enti conveniant attributa, quinam in eodem modi sint possibiles (§. 143.): quatenus vero spectatur ut in systema cum aliis relatum, ex iis, quæ absolute spectato insunt, explicari debet, per quasnam causas determinentur modi, & quomodo quoad modificationem res a se invicem dependeant (§. 144.). Patet igitur aliunde, quam per voluntatem Dei intelligi, cur quid sive intrinsece, sive extrinsece possibile sit (§. 111. *Cosmol.*), quæ quid possibile esse supponit (§. 313.). Voluntas igitur divina non est ratio sufficiens actualitatis rerum (§. 56. *Ont.*). Quamobrem ea, quorum nulla reddi potest ratio, præterquam quod Deus ea voluisse dicatur, ratione sufficiente destituuntur. Jam vide §. 189. *Cosmol.* Exempla vide §. 582. 606. *rat.*

§. 437.

Ratio proxima, ultima, remota quænam?

Si rationum dantur rationes, cur quid sit potius, quam non sit, ea dicitur *proxima*, quæ in ordine prima est; *ultima* vero, in qua analysis terminatur, seu ultra quam alia non datur. Inter proximam & ultimam intermediæ sunt *remotæ*.

§. 438.

§. 438.

Voluntas Dei est ratio ultima actus contingentium in hoc universo (§. 83. *Cosm.* 886. *Ont.* 55 90. *Cosm.* 67. 433. *Th. nat.* 56. *Ont.* 437. *Th. nat.*). Ultima ratio actus contingentium.

§. 439.

Si de possibilitate quæstio fuerit, voluntas Dei nunquam allegari potest tanquam ratio (§. 192. 191.), *nec si quæstio fuerit de ratione actualitatis proxima vel remota; sed tantummodo, si ea fuerit de ultima* (§. 438. 437.). Quando voluntas Dei allegari possit tanquam ratio.

§. 440.

In Scriptura sacra voluntas Dei allegatur tanquam ratio ultima actus contingentium in hoc universo Psalm CIV, 12. Deo tribuitur tanquam causæ graminum & herbarum actualitas. Quamobrem cum is faciat, quod vult (§. 413.) & in causa contineatur effectus ratio (§. 886. *Ontol.*); ratio actus contingentium in S. S. allegatur voluntas Dei. Allegatur autem eo in casu, quo bonitas Dei laudibus extollitur, consequenter ubi rationes desumendæ a causis naturalibus non habere poterant locum. E. (§. 437.). Quando S S. id faciat.

Neque difficulter patet ratio. Cum enim S. S. non doceat rerum naturalium scientiam, sed ab earum notitia officiorum erga Deum motiva tantummodo desumat; scopo ipsius convenit ad causam rerum primam recurrere, adeoque a voluntate Dei actualitatem eorum etiam, quæ nunc fiunt, deducere.

§. 441.

Deus eorum, quæ in mundo fiunt, nihil in particulari vult absolute, hoc est, sine relatione ad totum (§. 355. 325. 155. 142.). Quomodo Deus quid velit in particulari.

Propositio hæc probe notanda est, ne circa originem & permissionem mali oriantur difficultates insuperabiles: quæcunque enim moveri solent, non aliunde proveniunt, quam quod res quædam in particulari referantur ad voluntatem divinam. Augentur difficultates, si essentiæ rerum tanquam arbitrariæ spectantur (§. 191.).

§. 442.

Imperscrutabilitas voluntatis divinæ.

Hinc denuo consequitur (§. 398.), *voluntatem Dei nobis esse imperscrutabilem* (§. 441.). Fieri adeo nequit ut motiva voluntatis divinæ circa particularia nobis sint penitus perspecta (§. 887. *Psych. emp.*). Jam vide §. 397.

§. 443.

Modus cognoscendi voluntatem divinam a priori.

Quicquid perfectioni totius universi & summæ rerum perfectioni, quam habere possunt, convenit; id Deus vult: quod repugnat, non vult (§. 326. 325. 330. 441.).

§. 444.

Cur hæc via hominibus valde inaccessa.

Ex convenientia cum perfectione totius universi & summa rerum, quam in eodem habere possunt, perfectione voluntas Dei vix unquam a nobis certo (§. 541. 548. *Cosm.*), *sæpius tamen probabiliter cognosci potest.*

Quodsi nulla nobis appareat ratio, cur quid perfectioni hujus universi convenire minime debeat, quod eidem convenire videtur; id tamdiu eidem convenire sumi potest, donec contrarium probetur, adeoque pro probabili recte habetur (§. 549. *Log.*).

Porro si quid in re in se spectata imperfectionem arguit, ideo in ea non arguit imperfectionem, quatenus ad aliam quandam refertur (§. 542. *Cosmol.*); nec rerum perfectionem eodem, quo Deus, modo dijudicare valemus (§. 396.). Quamobrem fieri potest, ut quid nobis videatur repugnare perfectioni rerum, quod, si eodem modo spectentur, quo a Deo perfectionem earum æstimante solent spectari, eidem minime repugnat, & vicissim ut eidem convenire videatur, quod judicio Dei non convenit. Ex convenientia itaque cum summa rerum, quæ in eas cadit, perfectione judicaturi de voluntate Dei facile a veritate aberrare valemus (§. 478. *Log.*).

Etsi autem difficile sit voluntatem Numinis a priori ex convenientia ejus, quod vult, cum perfectione mundi & rerum in eodem contentarum cognoscere; non tamen semper pro impossibili habendum: cum enim perfectio universi consistat in eo, quod rationes particulares simultaneorum & successivorum tandem in aliquam generalem resolvantur

tur

tur (§. 540. *Cosmol.*), quin dentur perfectionis mundi principia generalia dubitandum non est. Quodsi ergo contingat aliqua istiusmodi principia nobis innotescere, & quædam hisce adversari demonstrare detur; quin certo cognoscatur hæc ut Deus velit fieri minime posse, dubitandum non est.

§. 445.

Alter modus voluntatem Dei a priori cognoscendi.

Quod perfectionibus divinis convenit, id Deus vult: quod vero iisdem repugnat, id ut velit, fieri nequit (§. 390. 395.).

Id convenire dicendum est attributis divinis, quod est signum eorundem, adeoque si ex eo, quod Deus ponatur hoc velle, sequatur ipsum habere hæc attributa (§. 394.). Unde attributis divinis e contrario repugnat, si ex eo, quod Deum velle ponimus, sequitur, eum ista attributa habere minime posse, quæ eidem tamen convenire constat.

§. 446.

Cur sit difficilis.

Ex convenientia cum attributis divinis difficulter a nobis cognoscitur, quid Deus velit, vel ex repugnantia, quid non velit (§. 396. 395.); sæpius tamen probabiliter cognosci potest.

Quodsi nobis quid attributis divinis, quatenus ea cognoscimus, convenire videtur, nec ulla apparet ratio, cur repugnare debeat; probabile est idem perfectioni Dei convenire (§. 549. *Log.*). Atque adeo probabile est, Deum hoc velle (§. 445.).

Usus hujus propositionis non contemnendus in iis præcipue casibus elucet, ubi aliunde constat, Deum quid velle, ac ratio sufficiens cur hoc velit, consequenter & objectiva, & subjectiva (§. 339.) reddenda. Et hoc inprimis usui est in voluntate Dei explicanda, quam ex revelatione cognoscimus in Scriptura sacra nobis facta, tum ut eandem clarius cognoscamus, tum ut contra objectiones Antiscripturariorum & scrupulos, qui attente veritates revelatas meditantibus suboriuntur, sufficienter defendamus. Præterea ipsa hæc convenientia usui quoque est in discernendis iis, quæ probabilius Deum voluisse constat. Exemplo res erit manifesta. In vulgus notum est, duo celebrari in Astronomia

nomia systemata mundi, alterum Tychonicum seu terræ quiescentis, alterum Copernicanum seu terræ motæ. Quodsi ex natura voluntatis divinæ definire volueris, utrum horum sit probabilius; convenientia cum perfectione rerum & attributis divinis usui esse potest. Etenim cum Copernicanum simplicitate sua sese commendans non minus perfectioni mundi, quam attributis divinis faveat, quoniam naturam via brevissima agere & ambages vitare constat, & Deum sapientissimum eligere media via brevissima ad scopum ducentia certum est; hinc Copernicanum Tychonico probabilius esse colligitur. Similiter ubi de incolis planetarum quæstio incidit, & ex natura voluntatis divinæ decidendum, utrum probabilius sit planetas habitari, nec ne; vi principiorum præsentium probabilitas affirmativæ haud difficulter adstruitur. Ceterum demonstravimus in superioribus (§. 405.), quod est optimum in se, id etiam esse optimum in relatione ad Deum, consequenter cum Deus judicet, quid sit optimum in se, quatenus statuit de ejus perfectione (§. 370.) in relatione ad totum mundum (§. 393.), quid vero sit optimum in relatione ad seipsum, quatenus idem refert ad omnia sua attributa (§. 395.); quod convenit cum perfectione universi, idem & cum attributis divinis convenire. Quamobrem si quis per principia præsentia definire velit, quid velit Deus, non opus est, ut convenientiam & cum attributis divinis, & cum perfectione universi demonstret, sed sufficit ut alterutram probet, probata enim una, altera simul probata censeri debet. In probabilibus tamen pondus accedit, ubi argumenta ex utroque fonte petuntur.

§. 447.

Modus cognoscendi voluntatem divinam a posteriori.

Quæcunque in mundo entia ad actum perduci observamus, & quæ vi nexus rerum quomodocunque in eodem consequuntur; ea voluntati divinæ conformiter fieri in ea, quam ad se invicem habent, relatione certum est (§. 433. 438. 440 sq. *Th. nat.* 48. 83 sq. *Cosm.*).

§. 448.

Modus cognoscendi voluntatem Dei per revelationem.

Si Deus quid velit homini revelat, Deum hoc velle certissimum est. Etenim Deus, qui semetipsum cognoscit (§. 141.), voluntatem quoque suam cognoscit, consequenter cum ea sit actus, non mera facultas (§. 356.), idemque æternus (§. 319.), Deus novit

novit quid ab æterno velit. Quamobrem cum quid velit homini revelat, ipsum eo, quo revelat, tempore id velle ecquis dubitet? Enimvero voluntas Dei prorsus immutabilis est (§ 368.), nec eum unquam quod fecit, vel voluit, pœnitere potest (§. 369.). Dubium adeo non est, quin Deus hoc semper velit, quod se velle revelavit.

§. 449.

Possibilitas absoluta revelationis.

Ut Deus homini revelet, quid velit, impossibile non est (§. 277. *Th. nat.* 289. *empir.* 278. 352. 363. *Theol. nat.* 510 *Cosm.* 70. *rat.*). Quamobrem fieri potest, ut vel producat sonos in aëre, quales producuntur vi organorum vocis loquentis, ut Deum loquentem sibi audire videatur, cui voluntatem suam revelat, vel ut motus in organo auditus producat, quales voce loquentis producuntur, vel ut perceptiones in anima producantur, quales inexistunt cum loquentem audimus. E.

§. 450.

Revelatio divina immediate cur actus miraculosus.

Revelatio a Deo immediate homini fieri nequit absque miraculo. Demonstratio propositionis præsentis actu continetur in demonstratione præcedentis. Aut enim oriuntur ideæ animæ, quarum ratio sufficiens in vi repræsentativa universi, in qua essentia & natura animæ consistit (§. 66. 67. *Psychol. empir.*) non continetur: aut producuntur motus, quorum ratio sufficiens in natura & essentia corporum non continetur, cum alias actione immediata Dei non esset opus (§. 118. *Ontol.*). Jam vide §. 70. *rat.* 510. *Cosm.*

Propositio hæc magni momenti est in revelationibus divinis veri nominis a spuriis secernendis, & fanaticorum somnia & deliramenta prima statim fronte suspecta reddit, præsertim ubi ad animum revocaverimus, quæ de effectu miraculorum demonstrata sunt (§. 531. *Cosmol.*).

§. 451.

Primum criterium revelationis ab objecto desumtum.

Revelatio divina continere debet homini scitu necessaria, alio modo cognitu impossibilia (§. 450. *Th. nat.* 531 *sq.* 573 *sqq.* *Cosm.* 219. *rat.*). Hinc nemo non intelligit, arduas Deo esse debere rationes, cur quid homini immediate revelet. Quamobrem si qua

homini scitu necessaria non sunt, vel si eorum cognitionem alio modo acquirere valet, ut Deus ea immediate ipsi revelet nulla ratio suadet.

Probe notandum est nobis hic esse sermonem de tota revelatione, non de singulis ejus partibus: etenim fieri potest, ut revelationi quædam insint, quæ vel ratione, vel experientia cognosci poterant, quatenus ea cum ceteris cohærent, quæ eodem modo cognosci minime poterant. Notandum præterea posse quædam in se spectata natura homini esse nota, ut demum ea revelari non sit opus; ast nota non sunt eo respectu, quo in revelatione continentur. E. gr. Natura notum est Deum fecisse cœlum & terram, esse omniscium ac omnipotentem, ut ea demum revelari non sit opus. Quodsi vero in revelatione divina contineantur promissiones, de quarum veritate citra eandem constare minime poterat, & in ea affirmetur, Deum promittentem esse omniscium ac omnipotentem & fecisse cœlum & terram; dici sane non potest, Deum hæc sua attributa & opus suum revelare nobis voluisse, cum ea nonnisi adducantur tanquam nobis satis explorata, ut fidem habeamus promissioni, de qua sola revelatione nobis constat, præsertim cum ex circumstantiis appareat, ad ea tanquam nota vel aliunde cognoscenda provocari, quod eorundem jam meminisse debeamus, ea vero non demum doceri explicatis notionibus, sine quibus verba intelligi nequeunt (§ 873. *Log.*).

§. 452.

Criterium secundum petitum ab eo, quod Deum decet.

Quæ divinitus revelata sunt, attributis divinis repugnare minime possunt (§ 335. 332. *Th. nat.* 28. *Ont.*).

§. 453.

In ea non est locus contradictoriis

In revelatione divina contradictiones locum habere minime possunt (§. 302. 301.).

§. 454.

Quid supra, quid contra rationem.

Supra rationem esse dicitur, quod ex principiis rationis indemonstrabile: ast *contra rationem esse* dicitur, quod principiis rationis repugnat, seu contradicit.

§. 455.

§. 455.

Quod supra rationem est, in mundo rationali non continetur (*§. 454.*), consequenter vi principiorum rationis non colligitur ex notione subjecti, ipsi convenire prædicatum (§ 520. *Log.*), adeoque per ea intelligi nequit, propositionem esse veram (§. 539. 535. *Log.*). Quoniam itaque in principiis rationis non continetur ratio, cur propositio ista vera sit (§. 56. *Ontol.*); ea quoque cum principiis rationis minime connectitur (§. 10. *Cosmol.*). Atqui mundus rationalis est series entium universalium inter se connexorum (§. 258), atque omnes veritates universales quomodo inter se connectuntur (§ 482. *emp.* & §. 271. *Th. nat.*) exhibet (§. 263.). E. Quæ supra rationem, in mundo rationali non continentur.

Quod supra rationem est, id veluti miraculum in mundo rationali est, ut adeo ea, quæ de miraculis demonstravimus in Cosmologia, mirifice notionem ejus, quod supra rationem est, illustrent. Constat miraculum non posse explicari per ea, quæ insunt causis naturalibus tunc quidem temporis, quando contingit, existentibus (§. 518. *Cosmol.*); eodem modo, quod supra rationem est, non potest sufficienter explicari per ea, quæ notionibus universalibus, generum ac specierum insunt. Patratur adeo quasi miraculum in mundo rationali, quando quid quod supra rationem est, in mundum rationalem invehitur; & quemadmodum patrato miraculo in mundo sensibili seu quod perinde est, in intelligibili in eodem postea consequuntur naturaliter, quæ absque isto miraculo consecuta minime fuissent (§. 531. 532. 574. *Cosmol.*), ita in mundum rationalem illato quod supra rationem est vi notionum entium universalium ad eundem pertinentium consequuntur aliæ veritates universales & cum naturalibus connectuntur, ut sequens mundi rationalis pars alia evadat, quam quæ alias futura fuisset. Qui hæc probe meditatur, is quoque intimius perspiciet, quid sibi velit ratio illuminata, quippe quod ea, quæ sunt supra rationem, cum iis, quæ eidem conformia sunt, connectit, ac inde veritates deducit soli rationi impervias, aut, si mavis, eam mundi rationalis partem intuetur, quæ per hoc, quod rationem superat, variatur: tum etiam quid sit rationis ac fidei connubium, quod connubio rationis ac experientiæ, de quo alias diximus (§. 497. *Psych. emp.*), illustrari potest. Inprimis jam intelligitur, quid sibi velit ista locutio sphæram rationis transcendere.

ſcendere. Nimirum rationis ſphæra eſt mundus rationalis, intra cujus ambitum ratio continetur.

§. 456.

An quæ ſunt ſupra rationem ſint impoſſibilia.

Quæ ſunt ſupra rationem, ea non ſunt impoſſibilia (§. 79. 46. *Ont*.). Enimvero vi demonſtrationis apogogicæ ex aſſumto colligitur, quod vel eidem, adeoque principio contradictionis (§. 28. *Ont*.), vel propoſitioni alicui veræ contradicit (§. 524. *Log*.). Quæ igitur ſunt ſupra rationem, ea principiis rationis, in quorum quoque numero contradictionis principium eſt, contradicere debent. Erunt adeo quæ ſunt ſupra rationem contra eandem (§. 454.). Enimvero quæ ſunt ſupra rationem, non debent eſſe contra eandem (§. *cit*.). E.

§. 457.

Poſſibilia potius eſſe debent.

Quæ ſupra rationem ſunt, ea poſſibilia eſſe debent (§. 456. *Th. nat*. 85. *Ont*.).

Atque adeo lapidem habemus Lydium, quo myſteria genuina a ſpuriis ſeparantur, neque opus eſt, ut quis vereatur, ne, ſi quæ ſunt ſupra rationem admittat, neſcio quas aniles fabulas ſub myſteriorum titulo ſibi obtrudere cogatur. Etenim ubi demonſtrare poteris, quod pro myſterio habetur contradictionem involvere, id in illorum numerum, quæ ſunt ſupra rationem, minus recte referri patet. Cavendum vero ne contradictionem apparentem cum vera & probationem qualemcunque cum demonſtratione confundas: quem in finem probe tenenda ſunt ea, quæ de contradictione in philoſophia prima (§. 30. & ſeqq. *Ontol*.) & de demonſtratione in philoſophia rationali (§. 522. & ſqq. *Log*.) docuimus.

§. 458.

Myſterium quid ſit.

Quod ſupra rationem eſt, uno nomine *Myſterium* dici ſolet.

§. 459.

Indemonſtrabilitas ejus.

Myſteria ex principiis rationis demonſtrari nequeunt (§. 458. 454.).

§. 460.

§. 460.

Mysteria non sunt impossibilia, sed possibilia (§. 458. 456 sq.): *quod vero impossibile, mysterium esse nequit* (§. 79. *Ont.* 456. 454. *Th. nat.*). Num sint possibilia.

§. 461.

Quod supra rationem est, id non est contra eandem (§. 454.). Enimvero etsi ex principiis rationis demonstrari non possit, non tamen hic sequitur, quod principiis rationis repugnet, seu iisdem contradicat: alias enim demonstrari posset, quod contradictionem involvat (§. 524. *Log.*), consequenter quod impossibile sit (§. 79. *Ontol.*): quod fieri omnino nequit (§. 456.). Cur quod supra rationem est, ideo non est contra eandem.

§. 462.

Mysteria non contradicunt principiis rationis (§. 458. 461. 454.). Num mysteria contradicant rationi.

§. 463.

In revelatione divina mysteriis locus est (§. 451. 454. 458.). In revelatione divina mysteria contineri debent.

Probe notandum est, hic nobis esse sermonem de revelatione dogmatum seu veritatum universalium, non tantummodo de revelatione factorum, veluti futurorum prædictione: nec a veritate abhorret, siquidem futura, quæ prædicuntur, in numerum mysteriorum referri velis, quamdiu non adimpletur prædictio.

§. 464.

Revelatio divina continere nequit, quæ rationi, vel experientiæ contradicunt, seu, quod perinde est, in eadem contineri nequeunt, quæ contradicunt propositionibus ex principiis rationis demonstratis aut factis, quæ certa experientiæ fide constant (§. 539. 535. 634. *Log.* 302. 301. 294. *Th. nat.*). Criterium tertium a veritatibus præter revelationem cognoscibilibus.

§. 465.

Veritates necessariæ sunt, quarum oppositum simpliciter impossibile. *Veritates* vero *contingentes* sunt, quarum oppositum in se non impossibile, sed tantummodo sub certa conditione. Veritatum necessariarum & contingentium discrimen.

 Ita

Ita simpliciter impossibile est, ut tres in triangulo rectilineo anguli sint duobus rectis majores vel minores (§. 240. *Geom.*). Enimvero simpliciter impossibile non est, ut Sol per aliquod temporis spatium eundem erga tellurem retineat situm, etsi posito hoc rerum ordine id fieri minime possit, deficiente nempe causa, quæ mutationem situs continuam impedire possit. Et hujus generis sunt, quæ de factis naturæ demonstrantur in Physica, utpote ad corporum existentiam eorumque modificationes spectantia, quas esse in se contingentes, minime autem absolute necessarias constat (§. 81. *Cosmol.* & §. 314. *Ontol.*).

§. 466.

Contradictio apparens quando in revelatione locum habere possit.

Revelatio divina contradicere nequit veritatibus necessariis (§. 465. Th. nat. 79. Ontol. 497. 593. Log. 294. Th. nat.); potest tamen contradicere apparenter veritatibus contingentibus absolute spectatis (§. 465. Th. nat. 31. Ont.).

Veritates geometricæ necessariæ sunt, in revelatione adeo divina contineri nequeunt, quæ iisdem contradicunt. Veritates contingentes sunt, quæ mutationes rerum naturalium concernunt: in revelatione adeo divina contineri possunt, quæ iisdem contrariantur, ita tamen ut re accuratius perpensa contradictio nonnisi apparens sit. E. gr. In Physica docemus, fœminam non posse concipere sine mare, consequenter virginem non posse parere, quæ virum nondum experta est. Sed id quidem ita sese habet, quamdiu naturaliter fieri concipitur conceptio. Enimvero absolute impossibile non est, ut per miraculum, hoc est, virtute Dei virgo concipiat absque mare. Quamobrem ubi hoc factum affirmatur in revelatione divina; quod contrarium est veritati contingenti docetur, sed contradictio tamen nonnisi apparens est. Etenim Physicus negat id fieri posse naturaliter, absque miraculo, revelatio divina id factum esse perhibet supernaturaliter, per miraculum.

§. 467.

Criterium quartum ab agendis desumtum.

Revelatio divina præcipere nequit, quæ legi naturæ & animæ essentiæ ac naturæ repugnant. Supponimus, quod alibi demonstrabimus, quicquid juri naturæ conforme est, id esse rationi conforme. Quamobrem quod juri naturæ repugnat, id rationi contradicit. Jam conf. §. 464. *Quod erat unum.*

Porro

Porro natura animæ eadem cum essentia ipsius (§. 66. 67. *Psychol. rat.*). Jam vide §. 300. 79. *Ontol.* 313. *Th. nat.* *Quod erat alterum.*

§. 468.

Si demonstrari possit, quomodo is, qui sibi divinitus quid revelatum affirmat, naturali facultatum animæ usu ad istius cognitionem pervenire potuerit, quod pro divinitus sibi revelato venditat; idem pro divinitus revelato haberi nequit (§. 539. Log. 56. 118. Ontol.). Quoniam absonum est, idem eodem tempore ab eodem homine simul naturaliter & per revelationem divinam cognosci; quod in præsente casu pro divinitus revelato venditatur, pro tali haberi nequit.

Criterium quintum a modo perveniendi ad cognitionem.

§. 469.

Quod per somnium naturale alicui innotescit, id pro divinitus revelato haberi nequit (§. 327. rat. 67. 62. empir. 69. 76. rat. 468. Th. nat.). Adde etiam §. 419. *rat.* *Quod vero per somnium supernaturale innotescit, id divinitus revelatur (§. 328 sq. 70 sq. rat. 450. 470. Th. nat.).*

Revelatio divina per somnium facta quomodo dignoscatur.

§. 470.

Deus solus miracula patrare potest (§. 524. Cosm. 71. 75. rat.). Quamobrem si quod ens præter Deum miracula patrare debet, necesse est, ut præter eum adhuc sit ens quoddam aliud ab animabus & mundo diversum, cui potentia miraculosa convenit. Enimvero si demonstrationem, qua Deo omnipotentiam vindicavimus, (§. 349.), eo modo resolvas, quem (§. 522. *Log.*) præscripsimus, evidenter admodum patebit rationem sufficientem omnipotentiæ Deo attributæ in ejus definitione, consequenter in essentia ipsius contineri (§. 177. & sqq *Log.*). Quamobrem cum attributum entis sit, cujus sufficiens ratio in essentia ejusdem continetur (§. 157. *Ontol.*); omnipotentia est attributum Dei, consequenter quia attributa entis unius non possunt communicari enti alteri (§. 45. *Psych. rat.*), soli Deo convenit. Non datur igitur ens aliud a mundo diversum præter Deum, quod miracula patrare possit, atque adeo Deus solus est, qui ea patrare valet.

Deus solus miracula patrare potest.

§. 471.

§. 471.

An potentia miraculosa a Deo enti alicui communicari possit.

Potentia patrandi miracula nulli enti a Deo communicari potest, ut scilicet id propria sibi virtute, etsi aliunde accepta, miracula edat. Ex §. 470. patet, rationem potentiæ miraculosæ in essentia Dei contineri, consequenter esse attributum ipsius (§. 157. *Ontol.*). Sunt vero attributa incommunicabilia (§. 45. *Psychol. rat.*). E.

§. 472.

Collatio doni miraculosi in quo consistat.

Deus facultatem patrandi miracula non aliter homini vel enti cuidam alteri conferre potest, quam si velit ad eorum nutum ipsemet miracula patrare (§. 363.). Quamobrem si velit aliqua edere ad aliorum nutum, quin id fieri possit, dubitandum non est. Quando igitur is miraculum fieri vult, cujus nutum tanquam conditionem spectare visum est Deo, sub qua miracula facere velit; omnipotentia divina actus miraculosus determinatur: unde spectantibus ab eo, qui idem fieri vult, fieri videtur, eidemque adeo tanquam causæ efficienti tribuitur (§. 886. *Ontol.*). Et quia Deus, cujus immutabilis est voluntas (§. 368.), miraculum ad istius nutum facit, perinde est, ac si hic potentiam miraculosam propriam haberet, consequenter hoc modo Deus facultatem patrandi miracula homini vel enti cuidam alteri conferre potest. Jam vide §. 470 sq.

Explicamus hic modum patrandi miracula, qui in creatura aliqua intelligitur, eodem modo, quo *Cartesius* commercium inter animam & corpus explicavit, motusque communicationem in corporibus (§. 589. *Psychol. rat.*). Quamobrem quæ de systemate causarum occasionalium integro capite demonstrata sunt, ea facultatem patrandi miracula, quæ creaturæ alicui competit, egregie illustrant. Hic quæritur, quomodo ad nutum hominis vel entis cujusdam alterius consequi possit, quod a Deo solo, ab ipso minime fieri potest. Atque in hoc posteriori casu dici nequit, quod systema causarum occasionalium generaliter acceptum principio rationis sufficientis adversetur (§. 606. *rat.*): etenim cum per ipsum plenissime intelligatur, quomodo ens quoddam a Deo diversum facultatem patrandi miracula habere possit, rationem ejus sufficientem continet (§. 56. *Ontol.*), atque adeo principio rationis sufficientis adversum non est (§. 70. *Ontol.*).

§. 473.

Si Deus enti cuidam miracula patrandi facultatem confert, id nonnisi eorundem causa occasionalis est (§. 472. *Th. nat.* 590. *rat.*). Qualis causa sint entis, quibus facultas patrandi miracula collata.

§. 474.

Juxta S. S. facultas patrandi miracula viris divinis non aliter collata, quam quod Deus ad eorum nutum miracula patravit. Vid. *Jos.* X, 14. Obedit alteri, qui voluntatem suam alterius voluntati subjicit, facturus ea, quæ alter fieri vult. Deus igitur teste Scriptura sacra fecit solem stare ad nutum Josuæ, consequenter facultas patrandi miracula non aliter competebat Josuæ, quam quatenus Deus ad ejus nutum miraculum facere volebat, ipse vero jussu suo solem in eo, quem habebat, situ retinere minime poterat. Adde *Marci* XVI, 17 sqq. & vers. 20. Collatio facultatis patrandi miracula qualis S. S. conveniat.

§. 475.

Ecstasis dicitur is hominis status, in quo sensus ac motus voluntarii prorsus cessant, solis vitalibus superstitibus, & homo insolita sibi audire ac videre sæpe videtur. Ecstasis quid dicatur.

§. 476.

Visio dicitur repræsentatio vivida rerum, qualis a sensu fieri solet, vi imaginationis facta sive in ecstasi (*Act.* XI, 5.), sive vigilantibus (§. 92. *empir.* *Exod.* III, 1. coll. *Act.* VII, 30.). Vocatur etiam *Visus*, item *Visum*. Visio quid sit.

§. 477.

In visionibus ideæ materiales, quæ phantasmatis respondent, eandem celeritatem habent, quam haberent, ubi ab objecto sensibili in organum sensorium agente producerentur (§. 219. *rat.* 476. *Th. nat.*). Idearum materialium conditio in cerebro.

§. 478.

Quoniam communiter ideæ materiales in motu minus celeri consistunt, si phantasmati quam si ideæ sensuali respondent (§. 208. *rat.*), in visionibus autem contrarium accidit (§. 477.); *in visionibus status cerebri*, in quo sunt ideæ materiales (§. 206. *rat.*), *talis esse nequit, qualis communiter obtinet.* Status cerebri in visionibus.

Hinc apparet, cur in ecstasi communiter visiones contingant: tum enim ex statu præternaturali totius systematis nervosi, quem quoad nervos sensorios sentiendi, quoad motorios movendi impotentia loquitur (§. 475.), statum præternaturalem cerebri, unde nervi omnes propagantur, facile colligere licet. Hoc principio habemus opus, ut intelligatur visionem vim corporis non statim excedere, si vi imaginationis repræsententur talia, qualia tibi visa nunquam recordaris, sit ita quod communiter imaginatio nonnisi ante percepta reproducat (§. 95. *Psychol. empir.*) & dividat atque componat (§. 140. 143. *Psychol. empir.*).

§. 479.

Cur visiones in ecstasi vel quasi contingant.

Quoniam denique actus imaginationis clariores sunt, si sint soli, quam si sensationibus coëxistant (§. 101. *empir.*), in ecstasi vero sensationibus nullus prorsus sit locus (§. 475.); ideo patet ratio *cur in ecstasi visiones communiter contingant* & cur, si vigilantibus accidere debent, animus a sensationibus sit abducendus, consequenter *quæ vigilantibus obtingunt, quasi in ecstasi fiant.*

Nimirum in ecstasi a causis præternaturalibus, quas vocant Medici, animus a sensu abducitur, ut adeo veluti ex corpore abreptus videatur, commercio cum eodem omni ad sensum sublato: ast quando vigilantibus obtingit visio, visionarius animum sua sponte a sensu abducere debet, quem habitum obstetricante natura usu sibi comparare debet, sicuti in aliis accidit, atque adeo quasi in ecstasi est, cum fieri non possit, ut ab omni sensatione abducat animum, neque ut motu voluntario sese privet.

§. 480.

Visionis naturalis & supernaturalis differentia.

Visio naturalis est, quæ per naturam imaginationis explicari potest. Ast *Visio supernaturalis* est, quæ per naturam imaginationis explicari nequit.

§. 481.

Convenientia & differentia visionum & somniorum.

Visio est species somnii, sed in qua repræsentationes sunt multo clariores, quam in somniis ordinariis esse solent. Vide §. 476. 475. *Theol. nat.* 121. *empir.* de visionibus in ecstasi; & §. 476. de

de visione, quæ vigilantibibus obtingit. Unde apparet, eas recte pro somnio haberi.

Enimvero in visione quæ repræsentantur, tanta claritate fulgent, ut pro sensu perceptis reputentur, atque adeo in casu altero, quo inter ea, quæ sensu percipiuntur, apparent, quoad claritatem ab iisdem minime distinguantur, & hinc cum ceteris una præsentia existimentur (§. 476.). Sed de phantasmatibus, qualia communiter habemus, vid. §. 96. *empir.*

§. 482.

Quoniam somnium supernaturale miraculum (§. 331. *Psychol. rat.*), visio vero somnii quædam species est (§. 481.); *visio etiam supernaturalis quin miraculum sit, dubitari nequit.* Visio supernaturalis qualis.

§. 483.

Similiter si naturale somnium est, initium capere debet per sensationis legem & per legem imaginationis continuari (§. 327. *Psychol. rat.*). Quamobrem cum visio naturalis somnii quædam sit species (§. 481.); *visio quoque naturalis initium capere debet per legem sensationis & continuari per legem imaginationis.* Visio quænam naturalis.

§. 484.

Quoniam in somnio supernaturali initium non est a sensatione, utut per legem imaginationis continuetur (§. 328. *Psych. rat.*), aut integrum per legem imaginationis minime continuatur (§. 329. *Psychol. rat.*); *visio* etiam *supernaturalis initium capere non debet per legem sensationis, etsi postea per legem imaginationis continuetur, aut per legem imaginationis continuari debet (§. 481.).* Visio supernaturalis qualis sit.

§. 485.

In visione quacunque tam naturali (§. 206. rat.), quam supernaturali (§. 330. rat.) singulis phantasmatis ideæ materiales in cerebro respondent, in supernaturali quidem supernaturales & ipsæ (§. 481.). Status cerebri in visionibus.

§. 486.

Anima etiam in visione, quæ fit per ecstasin, operationes intellectus edere potest, veluti judicare & ratiocinari. Etenim visio, An intellectus in visione operari possit.

visio, quæ fit per ecstasin, propriissime citra ullam fictionem, somnii quædam species est (§. 481.). Jam vide §. 419. *rat.*

Si quis in hisce lucem majorem desideret, is integras demonstrationes, quas de somniis dedimus in Psychologia rationali, ad visiones transferat, neque enim re alia opus esse deprehendet, quam ut vocabulo somnii substituat alterum visionis.

§. 487.

Revelatio divina per visionem quomodo dignoscatur.

Quod per visionem naturalem alicui innotescit, id pro divinitus revelato haberi nequit (§. 481. 480. 482 469.): quod vero per visionem supernaturalem innotescit, id divinitus revelatur. (§. 481. 469.). Posterius etiam patet ex §. 482. 470.

§. 488.

Visio quando apparitio videatur.

Si visio vigilanti obtingit, apparitio esse videtur. Etenim si visio vigilanti obtingit, quod per eandem repræsentatur, eadem claritate gaudet, qua objecta cetera, quæ sensu percipiuntur (§. 476.). Quamobrem cum phantasmata ab ideis sensualibus coëxistentibus non distinguantur, quam quod gradu claritatis differant (§. 97. *empir.*), impossibile omnino est, ut, quod vi imaginationis repræsentatur, in præsente casu ab eo, quod sensu percipitur, distinguatur, sed perinde ac cetera sensu percipi videtur. Quamobrem objectum, quod in visione nobis veluti præsens sistitur, perinde ac cetera sensibilia præsens esse videtur, sicque visio vigilanti facta videtur apparitio.

§. 489.

Quod Deus non patret miracula superflua.

Quod naturaliter fieri potest, id Deus non demum per miraculum efficit (§. 566. Cosm. 325. 368. Th. nat.). Fieri ergo non potest, ut quicquam contra naturæ ordinem fieri velit, quam ubi, quod intendit, secundum naturæ ordinem consequi non possit. Jam vide §. 566. *Cosm.*

§. 490.

Revelationis modus quando actus mixtus.

Si necesse non est, ut totus actus revelationis sit miraculosus, modus revelationis ex miraculosis & naturalibus simul componi debet (§. 489.).

Ponamus

Ponamus e. gr. revelationem fieri per somnium. Cum somnium naturale sit, quod a sensatione initium capit (§. 326. *Psych. rat.*), supernaturale vero reddatur, ubi per legem imaginationis minime continuatur (§ 329. *Psych. rat.*); ubi revelatio homini per somnium contingit, nihil obstat, quo minus a sensatione initium capiat, sed per legem imaginationis minime continuetur, hoc est, ut in somnio naturaliter orto divinitus quid homini reveletur. Idem omnino eodem modo obtinet, ubi revelatio per visionem fit vigilanti. Etenim si non obstent rerum præsentium perceptiones, quo minus iisdem supernaturaliter jungatur rei cujusdam absentis tanquam præsentis repræsentatio, id quod revelandum continens; non demum opus est, ut animus hominis a sensu abducatur, quemadmodum in ecstasi fieri solet, consequenter necessitas nulla urget, ut Deus per miraculum in ecstasin perducat eum, cui quid revelandum, & in hoc statu ei repræsentet, quæ ipsi revelanda sunt. Principium præsens non alienum a foro Theologorum: etenim sub eo continetur, quod affirmant; Deum quoad stylum secutum genium loquentis. Miracula nimirum supplent defectum naturæ, consequenter non adhibenda, nisi ubi natura fini a Deo intento minime satisfacit.

§. 491.

In revelatione divina singula iis verbis enunciari vel iis signis repræsentari debent, ex quibus mentem Dei loquentis vel revelantis ex asse intelligit is, cui fit revelatio (§. 277. *Th. nat.* 289. *emp.* 352. *Th. nat.*). Criterium secundum a stylo revelationis divinæ.

§. 492.

In revelatione divina non plura occurrunt verba, nec pauciora, quam quæ ad mentem Dei revelantis intelligendam sufficiunt, & ea seliguntur verba, quorum beneficio eandem assequi certo datur ei, cui fit revelatio (§. 491. *Th. nat.* 271. *emp.*). Quæ circa vocabula in revelatione divina occurrentia tenenda.

Hominibus solenne est, ut plus dicant, vel minus, quam voluerant, unde interpretatio extensiva & restrictiva ortum suum ducit. Ast in rationem inquirentibus patet, tribuendum id esse partim imperfectæ ipsorum cognitioni, partim imperitiæ linguæ; quorum neutrum in Deum omniscium cadit.

§. 493.

Num dentur in ea voces inanes.

E. *In revelatione divina verbis singulis suæ respondere debent notiones, ex intentione Dei iisdem jungendæ (§. 492.).*

§. 494.

Quænam notiones in ea supponantur.

Si quid Deus homini revelat, non alias præsupponere potest notiones vocabulis jungendas, quam quæ animo ejus jam inhærent, aut quas in se habet, dum ipso opere ea in se experitur, quæ ipsi revelat (§. 941. *Log.*).

§. 495.

Quomodo ad notiones in ea suppositas perveniatur.

Hinc & consequitur, quod *non aliæ in revelatione divina supponi possint notiones, quam quæ a rebus præsentibus abstrahuntur, atque adeo diversum a mente Dei revelantis is fingat sensum, qui ab illis diversas verbis ejusdem jungit* (§. 942. *Log.*).

§. 496.

Quinam stylus ei conveniat.

In revelatione divina stylus non minus regulis Grammaticæ universalis, quam Rhetoricæ rationalis convenire debet. Suppono in Grammatica universali ea demonstrari, quæ in omni lingua sunt observanda, siquidem voce mentem tuam exprimere velis. Ignorare vero Deus (§. 277.) haud quaquam potest, quæ ad mentem suam voce rite exprimendam requirantur, consequenter cum eam hominibus innotescere velit, alias enim revelatione supersederet, stylus utique regulis Grammaticæ universalis convenire debet.

Suppono secundo in Rhetorica rationali demonstrari, qua utendum sit dictione, tum ut ideæ rerum non satis manifestarum reddantur clariores, tum ut animus loquentis quoad eas intimius perspiciatur, tum ut excitentur in eo, ad quem verba fiunt, affectus convenientes. Jam vide §. 156.

§. 497.

Decretum quid sit.

Decretum est determinatio voluntatis ad aliquid agendum, vel non agendum.

§. 498.

Consultatio est actus intellectus, quo disquiritur, quid sit agendum, quid non agendum. Dicitur etiam *Consilium*. Consultatio vel Consilium quid.

§. 499.

Consultatio decretum præcedit, decretum consultationem sequitur (§. 497 sq.). Consultatio decretum præcedit.

§. 500.

Consultationi locus non est nisi in re dubia. Etenim si res fuerit dubia, nobis minime liquet, utrum quid sit bonum an malum, vel quidnam eorum, quæ æque fieri possunt, sit melius. Quamobrem (§. 889 sq. 898. *emp.*) voluntas determinari nequit ad agendum, vel non agendum, quamdiu ignoratur, utrum bonum sit, an malum, ut hoc agamus, vel non agamus, & quidnam horum melius sit, quæ nos agere posse agnoscimus & quorum unum eligere volumus. Quodsi ergo voluntas determinari debet, necesse est, ut ante disquiratur, utrum quid sit bonum, an malum, & quidnam eorum, ex quibus unum eligere debemus, sit melius, consequenter quid sit agendum, quid non agendum. Jam vide §. 498. Ubinam consultationi locus sit.

De re vero manifesta conf. §. 318. 498.

§. 501.

Deus consultatione opus non habet (§. 302. 301. 160. 500.); *tribui tamen eidem potest per eminentiam.* Num Deo conveniat consultatio.

Jam Deus (§ 302. 160. 301.) quid in unoquoque rerum genere optimum sit, statim perspicit & quænam eidem cedant intelligit primo statim intuitu. Quamobrem cum Deus plura sibi possibilia simul repræsentat & quidnam eorum optimum sit perspicit, hoc ipso eidem adest, quod ens finitum demum consultatione consequitur (§. 498.), nempe quid agendum sit, quid non agendum, intelligit. Jam conf. §. 845. *Ont.*

§. 502.

Consultatio seu *Consilium Dei* est actus intellectus divini, Consultatio Dei quid sit.

quo quid agendorum optimum sit, certo judicio definit, aut, si mavis, summa certitudine intuetur.

§. 503.

Propositum. *Propositum* est actus voluntatis, quo determinatur executio decreti.

Decreto determinatur voluntas ad aliquid agendum: proposito eadem voluntas efficitur constans, ut adeo veluti in quadam decreti repetitione & approbatione consistat. Perpendentibus, quod decretum est, placet & ideo ad ejus executionem fertur animus.

§. 504.

Æternitas decreti divini. *Deus omnia decrevit ab æterno* (§. 497. 319.).

§. 505.

Decreta divina temporaria nulla. *Nulla dantur decreta Dei temporaria*, seu *in tempore demum facta* (§. 320. 497.).

§. 506.

Liberrima sunt. *Decretum Dei liberrimum est* (§. 497. 431.).

§. 507.

Non sunt casus purus. *Decretum Dei non est casus purus* (§. 497. 432.).

§. 508.

In se intelligibilia sunt. *Decretum Dei*, quod casus purus non est, *rationem sufficientem habet* (§. 94. *Cosm.*), consequenter *per ea, quæ Deo & rei decretæ insunt, intelligi potest, cur Deus eam potius decreverit, quam non decreverit* (§. 56. *Ont.*).

§. 509.

Immutabilitas decreti divini. *Decretum Dei est immutabile* (§. 497. 368.).

§. 510.

An Deum pœnitere possit decreti. *Deum nunquam pœnitere potest ejus, quod decrevit* (§. 497. 368.).

§. 511.

Intelligit Deus, quæ decernit. *Deus decreta sua penitus intelligit* (§. 316. 497.).

Atque hinc apparet, quod nulla adsit ratio, cur decreti sui eum unquam pœniteat, quemadmodum hominibus accidere solet.

§. 512.

§. 512.

Decreta Dei omni homini, immo omni enti intelligenti finito incomprehensibilia (§. 359. 358. 497.). Incomprehensibilitas decretorum divinorum.

§. 513.

Decreta Dei omni homini imperscrutabilia (§. 398. 497.). Imperscrutabilitas.

§. 514.

Deus decernere potest, quæ cur decreverit, homo intelligere nequit (§. 399. 497.). Deus decernere potest cujus rationem homo non intelligit.

§. 515.

Deus decernit, quod est optimum tam in se, quam in relatione ad seipsum (§. 390. 497.). Quænam Deus decernat.

§. 516.

Decreta divina Deum decent (§. 335. 497.). Deum decent.

§ 517.

In essentia & attributis divinis, & hisce quidem omnibus simul sumtis (§. 395.), *continetur ratio, cur hoc potius decernere maluerit, quam aliud* (§. 332. 516.); consequenter cum per rationem intelligatur, cur quid sit (§. 56. *Ontol.*), *per essentiam & attributa divina, sed ea simul sumta, intelligitur, cur Deus hoc potius decreverit, quam aliud.* Quomodo decreta ipso digna.

§. 518.

Deus non potest decernere, quod attributis ipsius repugnat (§. 445. 497.). Quænam Deus decernere non possit.

§. 519.

Deus eorum, quæ in mundo fiunt, nihil in particulari decernit absolute spectatum, sed in relatione ad totum (§. 441. 497.). An quid in particulari decernat.

§. 520.

Decretum Dei est numero unicum (§. 60 sq. *Cosm.* 319. 160. *Th. nat.*). Deus sibi mundum tanquam ens unum & singula coexistentia & successiva tanquam unius totius partes repræsentavit ab æterno & actualitatem quoque totius mundi & omnium eorum, Dei decretum est unicum.

(*Th. nat. contr. T. I.*).

rum, quæ in ipso sunt, simul unico voluntatis actu decrevit. Et quamvis Deus miracula facere possit, quotiescunque vult (§. 363), & hinc sequentem mundi partem immutare valeat, ut non sit eadem, quæ ad ipsum in idea ejusdem spectat (§. 367.); quoniam tamen non minus semetipsum (§ 141.), quam cetera omnia quæcunque cognitu possibilia sunt, cognoscit (§. 154.), ab æterno quoque novit, quomodo per miracula partem mundi sequentem immutare, seu hanc rerum naturalium seriem interpolare possit. Quodsi ergo interpolatio seriei rerum naturalium per miracula ad majorem faciat mundi perfectionem & eum reddat Deo magis dignum, idem ab æterno cognovit, nec concipi potest in Deo idea seriei naturalis, nisi una cum interpolatione per miracula possibili. Quamobrem ubi Deo volenti, quod perfectioni totius universi & summæ rerum perfectioni, quam habere possunt, convenit (§. 443.) & cum perfectionibus ipsius consentit (§. 445.), visum fuerit seriem rerum naturalem per miracula interpolare; nec aliter existentiam ejus decrevit quam eo, quo ipsi visum est, modo per miracula interpolandam. E.

§. 521.

Quomodo decretum Dei spectetur tanquam multiplex.

Si in serie rerum a Deo decreta insunt, quæ non necessario nexu inter se cohærent, sed quarum aliæ ad actum perduci poterant absque aliis; decretum Dei unicum a nobis considerari & potest, & debet tanquam multiplex. Ponamus e. gr. seriem hanc rerum, quæ existit, miraculis esse interpolatam. Cum constet, seriem rerum ad actum perduci potuisse nulla interpolatione per miracula facta, nec minus certum sit, Deum liberrime decernere omnia (§. 506); in se non implicat, ut series rerum præsens ad actum perducenda absque ulla interpolatione per miracula facta decerneretur. Nostro igitur concipiendi modo Deus libere decrevit actualitatem præsentis rerum seriei, quatenus spectatur in se, nulla interpolatione per miracula facta, nec minus libere decrevit interpolationem ejusdem seriei per miracula, & libere quoque utrumque decrevit simul. Nostro igitur concipiendi modo duæ sunt voluntatis divinæ determinationes, quarum una absque altera esse poterat,

terat, consequenter unicus ille voluntatis divinæ actus, quo decretum ipsius continetur (§. 520.), tanquam duo decreta spectari *possunt* (§. 497.).

Quoniam decreta Dei sunt actus voluntatis divinæ (§. 497.), voluntatis vero divinæ datur aliqua ratio objectiva (§. 339.); cur Deus quædam simul decreverit, cum unum absque altero decernere potuisset, objectiva quædam ratio dari debet Quamobrem cum ratio objectiva ab objecto desumatur (§. 118.) & per eam intelligatur, cur quid sit potius quam non sit (§. 56. *Ontol.*); quædam rei uni decretæ inesse debent, per quæ intelligitur, cur non decreta sit altera. Quoniam adeo res decretæ a se invicem dependent (§. 851. *Ontol.*); si distincte hanc dependentiam cognoscere velimus, decretum Dei tanquam multiplex a nobis spectari *debet*.

§. 522.

Futuritio rerum unde.

Per decretum Dei res decreta facta est futura. Etenim si ea spectetur ante decretum, quatenus ejus idea est in intellectu divino, nonnisi possibilis intelligitur, (§. 152.), nimirum intrinsece talis, & ubi ad potentiam Dei refertur, existere posse (§. 343.), adeoque extrinsece possibilis agnoscitur (§. 111. *Cosmol.*). Quodsi jam decretum Dei accedit, tunc vide §. 497. 509. Per decretum adeo res decreta habet, ut spectetur tanquam a potentia ad actum traducenda, adeoque tanquam futura (§. 584. *Ontol.*).

§. 523.

Hinc est præscientia futurorum.

Qui novit, quod quid sit a Deo decretum, is quoque novit certo futurum (§ 522.).

§. 524.

Præscientia divina demonstrata.

Deus præscivit omnes effectus rerum materialium & omnes nostras cogitationes, seu quicquid in hac rerum serie in tempore existit, ab æterno (§. 519. 141. 523. 504. 232. 235. 233.).

§. 525.

Relatio rerum decretarum ad potentiam ipsius.

Quicquid Deus decrevit, id etiam facere potest (§. 352. 497.) *& in tempore facit, quemadmodum decrevit* (§. 509. *Theol. nat.* 291. *Ont.*).

§. 526.

Effectus decreti in re decreta.

Decretum Dei nihil in re decreta mutat (§. 497. 434. 192. 352. *Th. nat.* III. *Cosm.*). Talem igitur decernit, qualem possibilem intrinsece & extrinsece novit, hoc est, qualem a se fieri posse intelligit, antequam eam ad actum perducere velit.

§. 527.

Nec contingentiam, nec libertatem tollit.

Decretum Dei nec contingentiam, nec libertatem tollit §. 526. *Th. nat.* 291. *Ont.*).

§. 528.

Quomodo se res habeant ante & post decretum quoad intellectum divinum.

Res decretæ præscibiles fuere ante decretum (§. 246. 227. 231. 522), *sed actu præscitæ post decretum* (§. 522. 231.).

Ante decretum Deus spectavit, res, quas decernere poterat, siquidem ipsi ita videretur (§. 506.), tanquam præscibiles, hoc est, cognovit, si hanc vel istam rerum seriem ad actum perducendam decerneret, hæc vel ista certo fore futura, ut adeo præscibilitatis cognitio sit conditionata quædam præscientia, quæ tota hac propositione continetur: Si hic mundus ad actum perducitur, hæc quoque certo futura sunt. Jam per decretum divinum ponitur antecedens, nimirum hunc mundum per omnipotentiam Dei ad actum perducendum esse, adeoque Deus decreti sui non ignarus (§. 511.) novit, quod eandem ad actum perducere velit, omnipotentiæ suæ certus (§. 349.) perspexit, eundem a se ad actum deduci posse, & immutabilitatis decreti sibi conscius (§. 509.), nullo modo de ejus executione dubitare potuit. Quamobrem post decretum poni quoque debet consequens, atque adeo Deus cognoscit, hæc esse certo futura. Quicquid igitur hic dicendum, hoc syllogismo hypothetico comprehenditur.

Si hic mundus ad actum perducitur, hæc quoque certo futura sunt.

Atqui hic mundus ad actum perducetur.

Ergo hæc quoque certo futura sunt.

Major sistit per scientiam simplicis intelligentiæ res decretas tanquam præscibiles ante decretum. Minor ponit decretum & conclusio respondet præscientiæ, ut adeo pateat, quomodo posito decreto, ponatur præscientia & cur illo posito hæc etiam poni possit. Nimirum nisi res essent

essent præscibiles ante decretum, non præscirentur post decretum, nisi quibus idem existentiæ necessitatem imponeret, consequenter aut decretum Dei omnem tolleret libertatem, aut actiones liberæ præsciri minime possent.

§. 529.

Præscientia Dei in re præscita nihil mutat (§. 528. 231. 526.). Adeoque talis res præscitur, qualis ante ipsum præscibilis erat, hoc est, talis futura intelligitur vi præscientiæ, qualis futura fieri posse intelligitur vi simplicis intelligentiæ. Rerum immutabilitas per præscientiam.

Immutabilitas rerum per præscientiam pendet ab immutabilitate per decretum. Obtinent eadem in humanis, ut adeo nihil adsit difficultatis.

§. 530.

Perscientia Dei nec contingentiam, nec libertatem tollit (§. 529.). Contingentiam & libertatem non tollit.

§. 531.

Deus præscit ab æterno status quoslibet in omni elemento rerum materialium & eorundem dependentiam a se invicem in omnibus (§. 236 sq. 528. 504.). Præscientia statuum elementorum.

§. 532.

Præscientia divina infallibilis est (§. 294. 232. 237. 235. 231. 522. 509. 497. 511. 523. 529.). Ejus infallibilitas.

Si præscientia Dei fallere posset, aut Deus ignorare deberet, quid in serie aliqua rerum actum consequi possit, ubi eam decreverit; vel ignorare deberet, quamnam rerum seriem decreverit; vel decretum suum mutare deberet in tempore. Atqui vide de primo §. 232. 235. 237. 231. de secundo §. 511. de tertio §. 509.

§. 533.

Quod Deus ab æterno præscivit, id in tempore, quemadmodum præscivit, certo futurum. Pone non fieri, aut non fieri eo, quem Deus præscivit, modo. Necesse igitur est, ut Deus judicet, aliquid esse futurum, quod futurum non est, vel esse futurum hoc modo, cum hoc modo futurum non sit, consequenter falsum pro vero habet (§. 478. *Log.*), adeoque errat (§ 593. *Log.*). Sed vide §. 532. *Th. nat.* Consectarium infallibilitatis.

§. 534.

Æternitas præscientiæ divinæ.

Deus omnia præscivit ab æterno (§. 528. 504.).

§. 535.

Quænam ad hanc rerum seriem pertineant.

Quicquid Deus præscivit, illud vel jam fuit, vel præsens est, vel olim erit (§. 533.).

§. 536.

A Deo præscita habent veritatem determinatam.

Hinc consequitur: *si quid Deus præscivit; id veritatem determinatam habuisse ab æterno.* Etenim de eodem ab æterno affirmari potuit, quod sit extiturum; negandum vero fuit, quod non sit extiturum. Jam vide §. 106. *Cosmol.*

§. 537.

Quænam ab æterno habeant veritatem determinatam.

Omnes effectus rerum materialium & omnes nostræ cogitationes, omnesque status in omni elemento rerum materialium & eorundem dependentia a se invicem in omnibus, veritatem determinatam habuere ab æterno (§. 524. 531. 536.).

§. 538.

Differentia rerum ante & post decretum spectatarum.

Si ea, quæ contingunt, spectentur ante decretum; veritas eorum determinabilis (§. 528. 231. Th. nat. 105. Ont.): si vero spectentur post decretum, veritas eorundem determinata est (§. 528. 231. Th. nat. 106. Cosm.).

§. 539.

Relatio actus contingentium ad præscientiam.

Veritatem determinatam ea, quæ contingunt, ab æterno habuere, non quia Deus ea præscivit; sed Deus ea præscivit, quia veritatem determinatam ab æterno habuere, seu, quod perinde est; *Nihil in tempore contingit, quia Deus præscivit; sed Deus ea præscivit, quia contingunt (§. 528. 538.).* Consequenter ratio sufficiens præscientiæ est eorundem determinata veritas (§. 56. *Ont.*). Jam posita ratione sufficiente ponitur id, quod propter eam potius est quam non est (§. 118. *Ont.*). E. ea, quæ contingunt, præsciuntur, quia veritatem determinatam habent.

§. 540.

Fortuna quid dicatur.

Fortuna est concursus causarum minime prævisus ad effectum homini vel bonum, vel malum. Dicitur *Fortuna secunda,*

da, quando effectus inde pendens nobis judicatur bonus; ast *Fortuna adversa* audit, quando effectus inde pendens nobis censetur malus.

§. 541.

Definitio fortunæ, quam dedimus, est recepto usui loquendi conformis. Patet hoc eunti per exempla. An sumatur in significatu recepto.

§. 542.

Ex parte Dei fortuna nulla est (§. 524. 540.); sed tantummodo ex parte hominum eidem locus est. Ex parte Dei fortunæ locus non est, sed ex parte hominum.

§. 543.

Deus fortunam omnem præscivit ab æterno (§. 524. 540.). Præscientia fortunæ.

§. 544.

Fortuna quoque omnis Deo præscibilis fuit ante decretum (§. 232 sq. 540. 231. 433. 497.) & facta futura per decretum (§. 522.). Quomodo se habeat fortuna ad decretum.

§. 545.

Deus fortunam non decrevit absolute spectatam, sed in relatione ad totum (§. 540. 519.). Quomodo Deus eam decernat.

§. 546.

Malum metaphysicum per se ante decretum rebus decretis inhæret (§. 300. 291. Ont. 372. Th. nat.), nec ab iis per idem separari potest (§. 379. 381.). Malum metaphysicum num a decreto dependeat.

Qui ideas rerum arbitrarias (§. 191.) fingunt, limitationes determinationum essentialium per decretum ideis rerum inferunt, & sic in doctrina mali difficultatibus inextricabilibus implicantur. Qui vero essentias rerum æternas & necessarias agnoscunt; limitationes determinationum essentialium ante decretum in ideis rerum, quatenus vi principii contradictionis, adeoque per naturam intellectus (§. 27. *Ont.*), insunt in intellectu divino, considerant, & hoc pacto circa originem ac permissionem mali & concursum Dei ad malum nihil difficultatis sentiunt, quod non superari posset.

§. 547.

Ob malum metaphysicum an res a Deo decretæ.

Deus rem nullam decrevit ob malum metaphysicum, quo laborat (§. 519-521. 382.). Deus igitur in particulari nihil decrevit, nisi quatenus in idea mundi optimi simul continetur. Quoniam itaque mundum hunc adspectabilem ad actum perducendum decrevit, quia idem optimus tam in se, quam in relatione ad seipsum (§. 515.), non vero ob malum metaphysicum, quo carere nequit (§. 376.); ideo nec rem ullam aliam decrevisse dicendus est ob malum metaphysicum, quo laborat.

Toto cœlo differunt, decernere id, a quo malum metaphysicum removeri nequit, & decernere idem ob malum metaphysicum, cui obnoxium est, seu quia eidem obnoxium est, v. gr. decernere, ut existat homo, cujus facultas cognoscitiva admodum limitata est, & decernere, ut homo existat, quia facultas ejus cognoscendi admodum limitata est. Etenim illud fit, non attento malo metaphysico, seu imperfectione, cui ens finitum quâ tale obnoxium est; hoc vero fieri non poterat, nisi malo metaphysico, seu imperfectione ista, motivi vicem subeunte, quod naturæ voluntatis repugnat (§. 904. *Psychol. empir.*).

§. 548.

Qualem perfectionem ab ente excludat malum metaphysicum.

Malum metaphysicum est absentia perfectionis alienæ, non propriæ. Etenim malum metaphysicum consistit in limitationibus essentialium determinationum (§. 372.). Quamobrem cum ens limitatum habere nequeat nisi determinationes essentiales limitatas, & per easdem in esse hujus entis constituatur (§. 144. *Ontol.*); majoris quoque perfectionis capax non est, nec fieri potest, quam quæ vi illarum limitationum locum habet (§. 168. *Ontol.*). Quamobrem eo major, quæ concipitur, perfectio limitibus ampliatis, est alterius entis, cui limites sic ampliati conveniunt, adeoque aliena. Jam cum quid in se malum sit, quatenus quædam imperfectio ipsi inhæret (§. 371.), adeoque perfectio quædam de eodem negatur; limitationes essentiales tantummodo removent perfectionem alienam, non propriam. E.

§. 549.

Malum physicum & morale an repugnet mundo optimo.

Mala physica & moralia in mundo omnium possibilium perfectissimo & optimo locum habent (§. 326. 382.).

§. 550.

§. 550.

Malum physicum & morale non obstant, quo minus in mundo, qui existit, major sit perfectio, quam in ceteris possibilibus (§. 373 sq.). Nemo non videt malum physicum & morale tantummodo arguere imperfectionem in subjecto, si in se spectetur, consequenter in parte hujus universi. Atqui vide §. 542 sq. 547. *Cosm.* E.

An malum physicum & morale repugnent majori perfectioni mundi.

Ponderanda sunt & quæ de notione perfectionis in genere (§. 503. & sqq *Ontol.*), & de perfectione mundi in specie (§. 535. & sqq. *Cosmol.*) docuimus.

§. 551.

Deus non decrevit quod est melius in parte, sed decrevit quod est melius in toto (§. 393. 515.).

Quomodo Deus decernat.

§. 552.

Malum physicum & morale seriei huic ita implicatur (§. 54. *Cosmol.* 373 sq. *Theol. nat.*), *ut eadem salva separari ab ea minime possit.* Ponamus jam mala physica & moralia a serie hac rerum esse separanda; quæ in eadem relinquuntur, non amplius connectuntur. Quamobrem cum mundus ad spectabilis non amplius subsistat, nexu successivorum sublato (§. 55. *Cosm.*); malum physicum & morale seriei huic ita implicatur, ut eadem salva separari minime possit. Quodsi supponas in eorum locum intrudi aliud, seu eadem mutari in contrarium; sequens mundi pars non amplius erit eadem, quæ alias futura erat (§. 116. *Cosm.*). Atque adeo ne sic quidem malum physicum & morale ab hac serie rerum eadem salva separari poterit.

Mala physica & moralia e mundo tolli nequeunt.

Diversa ratio est, qua malum metaphysicum huic seriei rerum inhæret, & qua mala physica & moralia eidem implicantur. De metaphysico conf. §. 375. 381. 376. 380. Ast malum physicum pendet a nexu rerum & morale a libertate humana, consequenter tam illud (§. 80. *Cosmol.*), quam hoc contingenter existit (§. 935. *Psychol. empir.*), nec per miraculum auferri repugnat (§. 553.), atque nonnisi hypotheticam habet necessitatem (§. 554.).

§. 553.

Quomodo tolli possint.

Malum physicum & morale tolli potest per miracula in casu quolibet singulari patranda. De malo physico conf. §. 373. *Th. nat.* 97. *Cosm.* 898. *Ont.* Si ergo contingere non deberent, actio causæ impedienda foret. Enimvero cum in ea serie, in qua ponitur, talis causa deficiat; per miraculum foret impedienda (§. 519. *Cosm.*), quod Deus facere potest §. 363.

De malo morali vide §. 374. *Th. nat.* 942. *empir.* Quamobrem si malum morale removeri deberet; impediendæ forent volitiones ac nolitiones animarum ab ipsis elicitæ. Enimvero non animæ repugnat velle, quod non vult, & nolle, quod vult (§. 941. *Psych. empir.*); sed tantummodo deficit in ea ratio sufficiens, cur velit, quod jam non vult, vel nolit, quod jam vult (§. 118. *Ontol.*). Volitiones itaque ac nolitiones animæ in eadem impediri nequeunt nisi per miraculum (§. 70. *Psych. rat.*). Jam vide §. 363.

Enimvero sive hæc, sive illa spectes, ex demonstratis patet, in utroque casu per miraculum non tolli nisi effectum unum malum, nec nisi actionem unam malam. Quamobrem si omne malum physicum & omne malum morale ex hac rerum serie arceri deberet; tot opus esset miraculis, quot in ea dantur mala physica, quot mala moralia. E.

Propositioni huic & præcedenti magna vis inest ad extricandos nodos, qui circa permissionem mali nectuntur.

§. 554.

Mali physici & moralis necessitas qualis?

Malum physicum & morale nonnisi hypothetice necessarium. De malis physicis lege §. 373. *Th. nat.* 102 104 sq. *Cosm.* de moralibus repete §. 374. *Th. nat.* 936. 935. *empir.* 317. *Ont.*

Quoniam tamen anima se determinat ad volendum & nolendum motivis suis convenienter (§. 932. *empir.*); eædem rationem sufficientem habent (§. 887. *empir.*), sed cum per essentiam animæ determinatæ non sint (§. 940. *empir.*), in alio ab essentia diverso eandem agnoscunt. Quamobrem cum id nonnisi hypothetice necessarium sit, quod rationem in alio ab essentia diverso agnoscit (§. 320. *Ont.*); ipsæ quoque volitiones ac noli-

tiones

tiones animæ, consequenter & malum morale ab ipsis pendens, nonnisi hypotheticæ est necessitatis.

§. 555.

Deus tollere potest malum physicum & morale in dato aliquo casu, etsi idem non tollat ex integra serie rerum: eo autem sublato sequens seriei pars non amplius eadem manet (§. 552. *Th. nat.* 48. *Cosm.*). Quamobrem si supponas, tolli malum physicum vel morale aliquod in uno quodam casu, non ideo tolluntur mala physica & moralia omnia in omni casu, adeoque in integra rerum serie. Non igitur repugnat, tolli malum physicum vel morale in casu aliquo dato, etsi non tollatur ex integra serie rerum. Jam conf. §. 553. 363. *Quod erat unum.* De *altero* lege §. 553. *Th. nat.* coll. §. 533. 531. *Cosm.*

Sublatio particularis mali physici vel moralis.

§. 556.

Sublato malo physico & morali ex tota hac rerum serie, ipsa hæc rerum series permanere nequit omnium possibilium perfectissima (§. 552. 555. 549.).

An sublato malo physico & morali mundus fiat melior.

Malum physicum & morale ita implicatur huic rerum seriei, quemadmodum zizaniorum radices implicantur radicibus tritici, Christo docente, ut avelli non possit, nisi simul evellatur bonum, quod cum eo connectitur. Sublato igitur malo physico & morali, series hæc non fit deterior, propterea quod ipsum aufertur, sed quod simul auferatur bonum, cui, malo absente, non amplius locus est naturaliter in hac rerum serie. Quemadmodum itaque ante ostendimus, huic rerum seriei majorem esse perfectionem, quam ceteris, non propter malum physicum & morale, quod in eadem datur, sed quia hoc ipsum non obstat, quo minus tota rerum series sit ceteris possibilibus perfectior; ita quoque hic dicendum, rerum præsentem seriem non ideo fieri imperfectiorem, quod malo physico & morali careat, sed quod eo sublato, carere debeat bono, quod eidem inexistit. E. c. Hanc rerum seriem nihil magis nobilitat, quam Christus & tota œconomia salutis. Sublato malo morali ex hac rerum serie, tollitur quoque ex eadem Christus, tollitur tota œconomia salutis, id quod nemo negare ausit. Ecquis vero non intelligit, si ad Deum rem omnem referat (§. 395.), eam rerum seriem decenter ab eo fuisse electam, in qua regnum gratiæ cum

regno naturæ copulatur? Immo quis non intelligit, si eam in se consideret, copulato regno gratiæ cum regno naturæ, majorem in hac serie resultare perfectionem (§. 552. *Cosmol.*).

§. 557.

Quatenus Deus res aliter facere non possit.

Deus rem nullam potuit facere aliter quam fecit, quoad determinationes essentiales & attributa (§. 303 sq. 279. *Ont.* 344. *Th. nat.*).

§. 558.

Quomodo mala physica consequantur.

Mala physica per easdem regulas motus consequuntur, per quas consequuntur cetera in hac rerum serie, quæ mala non sunt (§. 373. *Th. nat.* 511. *Cosm.*).

Non ergo peculiaris quædam requiritur causa ad mala physica actuandum, quæ in ceteris locum non habet. Nimirum positis hisce rebus, positisque his regulis motus, in mundo materiali hæ consequuntur mutationes, non aliæ: in earum vero numero reperiuntur mala physica.

§. 559.

Non adversantur naturæ ordini.

Mala physica non fiunt contra naturæ ordinem, sed juxta eundem (§. 558. *Th. nat.* 559. 565. *Cosm.*).

Si e. c. terræ motu subvertuntur ædificia, effectus hic naturæ malum physicum appellatur, quatenus scilicet nocet hominibus, quorum sunt ista ædificia & qui eadem inhabitant. Enimvero quatenus effectus naturæ est, per essentiam & naturam causarum naturalium atque regulas motus, quibus naturæ impositus est ordo, eodem modo explicantur, quo phænomena naturæ reliqua, seu effectus quicunque alius naturalis, ut adeo, si physice consideremus subversionem ædificiorum terræ motu factam & inde secutam cladem hominum eadem inhabitantium, nihil hic occurrat, quod non in quovis naturæ effectu alio eodem modo sese habeat & vi essentiæ ac naturæ rerum consequatur.

§. 560.

Sublatio mali physici contra naturæ ordinem.

Si Deus per miraculum malum physicum tolleret; effectus malo physico contrarius foret contra naturæ ordinem, seu, *quod perinde est, Deus salvo naturæ ordine malum physicum tollere nequit* (§. 566. 519. *Cosm.* 553. *Th. nat.*).

§. 561.

§. 561.

An mala physica turbent ordinem naturæ.

Naturæ ordo non turbatur per mala physica (§. 559. Th. nat. 290. Ont.); turbatur vero, si quod ex hac rerum serie aufertur (§. 553. 470. 560.).

§. 562.

Præscientia malorum physicorum.

Malum physicum Deus præscivit ab æterno (§. 373. 553. 524. 511. 497. 555. 231.).

§. 563.

Quatenus mala non sint.

Mala physica in relatione ad mundum integrum non sunt mala (§. 373. 559. 561. 550. 556. 371.).

Sic intelligetur, sub quo schemate mala physica ingrediantur hanc rerum seriem: secus enim difficultates evitare non licebit, quæ adversus Dei bonitatem ab iisdem derivantur. Immo hoc etiam perspicillo opus est, ne absurdum videatur, mala physica non modo consistere cum summa mundi perfectione, sed hanc absque illis subsistere ne quidem posse. Ventus e. c. impetuosus prosternit arbores & tecta dejicit ædium, adeoque tendit ad vastationem sylvarum & destructionem ædium, consequenter damnum infertur hominibus, qui ex sylvis fructus percipiunt, & qui ædes incolunt, quatenus dejectis tectis incommoda percipiunt & in iis reparandis sumtus profundere tenentur. Quod tendit ad destructionem rei, id utique malum in relatione ad ipsam dicendum est: unde ventus impetuosus malus est in relatione ad sylvas, vel etiam arbores, quæ prosternuntur, & in relatione ad ædificia, quorum tecta dejiciuntur, ac per consequens in relatione ad homines, quibus sylvarum vastatio & ædium ruina nocet. Enimvero prostratis arboribus & dejectis ædium tectis ventus ruinam non minatur universo, cum in rerum successivarum serie, in qua eadem materia juxta perennes leges rerum præsentium structuræ & texturæ convenienter instar alicujus vertumni mutatur continuo in alias aliasque formas, cum sufficiente ratione ac pulcherrimo ordine, quo melior concipi nequit, unius generatio necessario sit alterius corruptio, adeoque interitus singularium totam rerum seriem reddere nequit imperfectiorem. Quo igitur nomine ventus malus dicitur sylvis, ædibus earundemque possessoribus, eo malus non est in relatione ad totum universum, tum demum eidem infestus futurus, ubi ad ipsius destructionem tenderet.

§. 564.

Cur non repugnet perfectioni mundi.

E. *Malum physicum minime obstat, quo minus tota rerum series sit omnium possibilium perfectissima* (§. 563. 561. *Th. nat.* 562. *Cosm.*). Repete §. 550. *Th. nat.*

§. 565.

Mala physica quatenus talia censeantur.

Mala physica non censentur talia nisi respectu & in relatione partium, immo particularum universi ad se invicem (§. 371. 563. 373.).

Vide exemplum §. 563. *not.*

§. 566.

An Deus ea qua talia decreverit.

Deus non decrevit mala physica, quatenus talia sunt (§ 565. 563. 519.).

Probe notandum est, quo respectu Deus mala physica decreverit, ne decretum bonitati ipsius opponatur. Absit autem, ut quis ideo sibi persuadeat, Deum in decreto suo non habuisse quoque rationem malorum physicorum qua talium: etenim licet ea non decreverit, propterea quod talia sunt, non tamen inde sequitur, ipsum ideo malorum physicorum qua talium nullam in decreto suo habuisse rationem. Contrarium ostendetur, cum de sapientia Dei acturi sumus. Pertinet huc directio ad bonos fines & hoc ipso mala physica faciunt ad decorem universi.

§. 567.

Actio interna & externa quænam sit.

Actiones humanæ internæ dicuntur volitiones ac nolitiones animæ, seu actus ex facultate appetendi & aversandi eliciti. Ast *actiones externæ* appellantur motus volitionibus ac nolitionibus animæ respondentes, seu quibus ea exequimur, quæ anima vult & non vult.

§. 568.

Physicum & morale in actione humana.

Actiones tam internæ, quam externæ vel spectantur physice, vel moraliter. *Actiones internæ physice spectatæ* sunt volitiones ac nolitiones, quatenus sunt mutationes in anima contingentes. Similiter *actiones externæ physice spectatæ* sunt motus volitionibus ac nolitionibus animæ respondentes, quatenus sunt mutationes in corpore accidentes. Ex adverso *actiones inter-*

næ moraliter spectatæ sunt eædem volitiones ac nolitiones animæ, quatenus vel bonæ, vel malæ sunt. Ac similiter *Actiones externæ moraliter spectatæ* sunt iidem motus corporis volitionibus ac nolitionibus animæ respondentes, quatenus vel boni, vel mali sunt.

§. 569.

Si actio mala interna physice spectetur, per leges easdem appetitus ac aversationis nascitur, quibus bona (§. 567 sq. *Th. nat.* 896. 904. 907. *emp.* 568. *Th. nat.*). Actiones internæ malæ quomodo actuentur.

§. 570.

Actiones internæ animæ tam bonæ, quam malæ, quatenus physice spectantur, ordine quodam naturali seu physico consequuntur (§. 569.). Consequenter unicuique actioni internæ animæ, sive bona fuerit, sive mala, in serie perceptionum ac appetitionum & aversionum, unicuique animæ propria (§. 524. *Psychol. rat.*), per easdem leges, consequenter & regulas (§. 903. 905 *Psychol. empir.*), suus determinatur locus. Quamobrem cum ordine sibi invicem res succedant, siquidem per easdem regulas unicuique successivorum locus suus determinatur (§. 478. *Ont.*), actiones internæ omnes animæ tam bonæ, quam malæ, quatenus physice spectantur, ordine quodam consequuntur. Enimvero lex appetitus & aversationis, qua nititur ordo iste, animæ naturalis est (§. 522. *Psych. rat.*), consequenter & ipse animæ naturalis. E. Actionum internarum ordo naturalis.

Videmus igitur in eo, quod maxime irregulare est Deoque opus suum deformat in particulari, inesse aliquid regulare quatenus a Deo pendet. Et sane vi hujus regularitatis fieri potest, ut conservetur in toto perfectio, non obstante imperfectione partium.

§. 571.

Per actiones malas internas ordo naturalis in serie perceptionum atque appetitionum & aversionum minime turbatur (§. 570.). Consequenter non sunt contra ordinem naturalem animæ, aut, si mavis, contra ordinem naturæ animarum. Quamobrem cum ordo hinc turbetur, aut, si mavis, interrumpatur, si quid contra eundem fit (§. 565. *Cosmol.*); evidens An actiones malæ turbent ordinem naturalem modificationum animæ.

dens est, per actiones malas internas ordinem naturalem in serie perceptionum atque appetitionum & aversionum animæ minime turbari.

Quemadmodum naturæ ordo dicitur, quem in agendo natura observat; ita etiam ordo naturæ in anima recte appellatur, quem anima qua agens physicum, hoc est, quatenus per naturam suam apta est agere, in agendo observat. Quemadmodum enim ille in modificationibus virium motricium deprehenditur (§. 558. *Cosmol.*), ita hic in modificationibus vis animæ insitæ, in qua natura ejus consistit (§. 67. *rat.*), observatur. Et quemadmodum ille continetur regulis motus (§. 559. *Cosmol.*) ita hic absolvitur regulis, quas anima in agendo observare conatur (§. 76. *rat.*). Quemadmodum denique secundum naturæ ordinem fit in mundo materiali, quod secundum regulas motus fit, & contra eundem, quod hisce repugnat; ita & secundum ordinem naturæ in anima fit, quod secundum leges, quas anima observat in agendo, contingit, & contra eundem, quod iisdem repugnat. Unde porro sequitur, ordinem naturæ in anima tum demum turbari, quando quid contra eum in anima accidit, sicuti in mundo materiali turbatur ordo naturæ, quando quid contra eundem contingit.

§. 572.

Actiones externæ malæ qua physicæ quomodo consequantur.

Actiones malæ externæ, quatenus physice spectantur, eodem modo consequuntur, quo bonæ (§. 568. Theol. natur. 962. empir.). Enimvero quacunque hypothesi in explicando commercio inter animam & corpus utaris, motus voluntarii, hoc est, a voluntate animæ pendentes (§. 936. *Psychol. empir.*), eodem modo consequuntur omnes, ac si anima in corpus influeret, seu vi sua motus voluntarios in corpore produceret, nullo prorsus discrimine inter bonas atque malas (§. 537. *Psychol. rat.*). E.

Propositionem hanc distinctius demonstrare licet, si systema aliquod explicandi commercium inter animam atque corpus eligas.

§. 573.

Quomodo actiones externæ qua physicæ se habeant in quovis systemate.

In systemate harmoniæ præstabilitæ actiones malæ externæ, quatenus physice spectantur, fiunt secundum consuetum naturæ ordinem (§. 615. *rat.* 65. 511. 560. 559. 565. *Cosm.* 568. *Theol. nat.*):

nat.): *ast in systemate influxus physici* (§. 579. 560. *rat.* 568. *Theol. nat.* 571. *rat.* 193. 195. 472. *Ontol.* 565. *Cosm.* 568. *Theol. natur.*) & *causarum occasionalium* (§. 601. 571. *rat.* 473 *Ontol.* 607. *rat.* 565. *Cosmol.* 568. *Theol. natur.*) *eædem fiunt secundum peculiarem ordinem, quo consuetus continuo turbatur seu interrumpitur.*

Hoc pacto liquet, quænam hypothesis explicandi commercium inter animam & corpus magis satisfaciat in concursu Dei ad malas hominum actiones & in explicando modo, quo malum decreto divino substat. In systemate harmoniæ præstabilitæ duplex datur ordo naturæ, quorum alter est naturæ animarum, alter naturæ mundi materialis. Neuter alterum ullo modo turbat & actiones malæ, si physice spectentur, fiunt secundum ordinem priorem, quatenus internæ sunt, secundum ordinem posteriorem, quatenus externæ sunt, ut adeo in eo, quod moraliter spectatum maxime irregulare est, nihil tamen irregularitatis observetur, quatenus physicum est. In systemate causarum occasionalium & influxus physici triplex naturæ ordo est: primus respicit naturam animæ in se spectatam, secundus naturam mundi materialis, & tertius dependentiam naturæ animæ & naturæ rerum universæ in mundo adspectabili a se invicem. Ordo naturæ animæ per ordinem, qui respicit mutuam naturæ animæ ac mundi materialis dependentiam a se invicem, & quem intermedium brevitatis gratia vocare libet, continuo turbatur seu interrumpitur, & ordo similiter naturæ universæ eundem ordinem intermedium sibi continuo experitur adversum.

§. 574.

Actiones malæ internæ, quatenus moraliter spectantur, animam & ejus statum reddunt imperfectiorem (§. 567 sq. *Th. nat.* 565. *emp.* 371. *Th. nat.*). Quales sint actiones malæ quoad animam.

§. 575.

Actiones malæ externæ, quatenus moraliter spectantur, corpus & statum nostrum externum reddunt imperfectioni obnoxium (§. 567 sq. *Th. nat.* 565. *emp.* 371. *Th. nat.*). Quales sint quoad corpus & statum externum.

§. 576.

Malum morale verum malum est (§. 374. 568. 574 *seq. Th. nat.* 568. *emp.*). Malum morale est malum verum.

§. 577.

Qualis imperfectio sit malum morale.

Malum morale consistit in imperfectione accidentali (§. 576 *Theol. nat.* 568. *empir.*). Jam perfectio omnis aut essentialis est, aut accidentalis, & illa quidem consensu determinationum essentialium, hæc vero consensu determinationum accidentalium continetur (§. 528. *Ontol.*). Enimvero essentiales determinationes sunt immutabiles (§. 300. *Ontol.*); quamobrem & perfectio essentialis tam animæ, quam corporis immutabilis est, consequenter anima & corpus imperfectiora fieri nequeunt nisi quoad perfectionem accidentalem. Et cum status rei mutabilibus intrinsecis atque extrinsecis constituatur (§. 706. *Ontol.*); perfectio status essentialis esse nequit, consequenter nec in eum cadit nisi accidentalis imperfectio. E.

§. 578.

Mali moralis cum perfectione essentiali pugna.

Malum morale contrariatur perfectioni essentiali (§. 528. 504. *Ont.* 577. *Th. nat.*).

Corpus e. c. humanum eam habet structuram, ut functiones omnium organorum vitalium tendant ad ejus conservationem & organa cetera ita comparata sunt; ut eorum motus conservationi corporis & ejus destructioni convenienter determinari possit. Unde motus isti in se indifferentes fiunt vel boni, vel mali, prouti vel ita determinantur, ut ad conservationem corporis quid conferant, vel alio modo, ut ad ejus destructionem tendant. Corpus humanum essentialiter perfectum est, quatenus functiones organorum vitalium in conservationem corporis adeo pulchre conspirant & organorum ceterorum functiones eidem fini convenienter determinari possunt: ast idem accidentaliter perfectum evadit, ubi horum functiones similiter eo determinantur modo, ut conservationem corporis promoveant, minime autem eidem contrarientur. Quodsi vero contingat, eas determinari ita, ut conservationi corporis contrarientur, veluti si manus porrigatur ad cibum grati saporis, sed sanitati infestum, hicque in os ingestus deglutiatur; imperfectio hinc oritur accidentalis, quam adeo contrariari perfectioni essentiali liquet. Etenim essentialis perfectio respicit sanitatem tanquam finem; accidentalis imperfectio eandem tanquam finem minime respicit, respicit

ſpicit enim tanquam finem ex grato ſapore percipiendam voluptatem, quæ per accidens ſanitati contrariatur. Et hoc pacto intelligitur, quomodo malum morale contrarietur perfectioni eſſentiali.

§. 579.

Ratio determinans mali moralis.

Malum morale per aliam rationem determinatur, quam perfectio hominis eſſentialis. Ponamus malum morale per eandem rationem determinari, per quam determinatur perfectio eſſentialis. Quoniam perfectio accidentalis eandem rationem determinantem habet, quam habet eſſentialis (§. 529. *Ontol.*); malum morale conſiſtere debet in perfectione hominis accidentali: quod abſurdum (§. 577.). Idem patet ex §. 577. *Th. nat.* 503 ſq. 192. 505 ſq. 529. *Ont.*

§. 580.

Quomodo malum morale irrepat in actiones liberas.

Malum morale abuſu libertatis irrepit in actiones liberas. Actiones liberæ internæ ſunt volitiones ac nolitiones animæ (§. 567.), adeoque per eſſentiam animæ non determinatæ (§. 940. *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque anima ſe ipſam determinat ad volendum & nolendum (§ 932. *Pſychol. empir.*), ita ut volitiones ac nolitiones in ſe contingentes ſint (§. 935. *Pſychol. empir.*), adeoque oppoſitæ æque poſſibiles (§. 294. *Ontol.*); evidens eſt eas quoque ab anima contraria ratione determinari poſſe, quam qua determinantur. Jam malum morale, aut, quod perinde eſt, actio libera, cui idem inhæret (§. 374.), per aliam rationem determinatur, quam perfectio hominis eſſentialis (§. 579.). Determinari igitur quoque poterat per rationem eandem, qua perfectio eſſentialis determinatur, & hoc pacto ad perfectionem hominis accidentalem faceret (§. 529. *Ontol.*), conſequenter mala minime foret (§. 577.). Quoniam adeo anima in volendo ac nolendo libera (§. 942. *Pſychol. empir.*), vi libertatis ſuæ ſe in hanc potius, quam alteram contradictionis partem determinat (§. 941. *Pſychol. empir.*), libertate autem ſua omnino abutitur, ſi eam per aliam rationem determinat, quam per quam determinatur perfectio eſſentialis; malum morale abuſu libertatis in actiones liberas irrepere patet.

§. 581.

An Deus illud velit.

Deus malum morale velle nequit, aut fieri non potest, ut Deus velit malum morale (§. 383. 370. 577.).

Ceterum hinc liquet quam sit necessarium intrinsecam bonitatem ac malitiam actionum humanarum agnosci, secus enim fieri haud quaquam poterit ut demonstretur, Deum non velle malum morale, cum quid demum moraliter malum agnoscatur, ubi Deum istud nolle supponitur.

§. 582.

An mundum elegerit ob illud?

Deus mundum hunc non elegit ob malum morale, quod in eo existit (§. 581. *Th. nat.* 941. *emp.*).

§. 583.

Cur Deus eo non obstante hanc rerum seriem decreverit.

Malum morale obstare minime potuit, quo minus Deus existentiam hujus universi decerneret (§. 515. 370. 582. 552. 556. 550.).

§. 584.

Permissio quid sit.

Permittere dicimur, quod cum ab alio neque fieri, neque non fieri velimus, quo minus idem fiat, impedire nolumus. Unde *permissio* est volitio non impediendi aut nolitio impediendi, quod ab alio nec fieri, nec non fieri volumus. Quodsi ideo impedire nolumus, quia non possumus, *permissio* dicitur *involuntaria*, subinde etiam coacta: quo in casu in vernacula dicimus, ich muß es geschehen lassen. Si vero impedire nolumus, quod possumus, *permissio voluntaria* appellatur: quo in casu in vernacula dicere solemus, ich will es geschehen lassen.

Si quis ad volendum & nolendum indifferens est, nullæ suppetunt rationes, cur quid velit, vel nolit, tuncque quid fiat, minime curamus, nec proprie a nobis permitti dicitur ut idem fiat, sit ita quod per inconstantiam loquendi subinde permitti dicatur. Ubi vero quid permittimus, prostant rationes, ob quas quid ab altero fieri nolumus: prostant etiam rationes, cur idem ab ipso non fieri velle non possimus, ut adeo quæsitus, num id fieri velis, nec respondere possis, velle te ut fiat,

fiat, nec respondere valeas, velle te ut non fiat. Cum singulæ rationes sint sufficientes, volitiones duæ contrariæ simul poni debebant: quod cum fieri non possit (§. 28. *Ontol.*), inter duas volitiones contrarias resultat actus quidam intermedius, volitio non impediendi, vel quod a te impediri non posse agnoscas, adeoque inanem operam sumere nolis; vel quod rationes sint sufficientes, cur non impedire, quam impedire malis. In permissione adeo involuntaria sive coacta impedire velles, quo minus fieret, si posses, adeoque adest volitio impediendi conditionata, sed inefficax, quia a conditione impossibili suspenditur: unde dicere solemus, nos velle libenter impedire, quo minus fiat, sed cum non possimus, permittendum esse, ut fiat, non tamen id fieri bona nostra voluntate. Ast in permissione voluntaria impedire velles, quo minus fieret, nisi prostarent rationes in contrarium, quæ tibi persuadent, consultius esse ut non impedias, quam ut impedias.

§. 585.

Deus malum morale permittere decrevit (§. 581. 583. 553. 584.). Decretum Dei de permissione mali.

§. 586.

Non dedecet Deum permissio mali moralis (§. 333. 556. 584.). Permissio mali Deum non dedecet.

§. 587.

Deus mala moralia præscivit ab æterno (§. 585. 504. 511. 231.). Præscientia malorum moralium.

§. 588.

Malum morale Deo placere nequit (§. 431. Th. nat. 941. emp. 581. Th. nat.). Deo non placet malum.

§. 589.

Mundus hic Deo non magis placet ceteris ob malum morale, quod in eo datur (§. 588.): hoc tamen non obstat, quo minus ceteris magis placeat (§. 331. 550. 556.). An mundus placeat ob malum morale.

§. 590.

Deo juxta S. S. tribui debet consilium, decretum & propositum eo sensu, quo hæc ipsi tribuimus in antecedentibus. Ephes. I, 11. S. S. Deo tribuit consilium, decretum & propositum.

I, 11. vocabulum βȣλὴ denotat actum consultationis, quo disquiritur, quid sit agendum & non agendum (§. 498.). Deus juxta S. S. omniscius est (§. 303. 301. 216.). Quamobrem etsi consultatione non sit opus nisi in re dubia (§. 500.), consequenter Deus consultatione minime habeat opus (§. 501.); quid tamen fieri in quolibet casu debeat, cum vi omniscientiæ suæ perspiciat, perinde est ac si deliberasset, quid fieri optimum sit. Quamobrem quando in S. S. Deo consilium seu consultatio tribuitur, id non aliter accipi potest, quam quod Deus summa certitudine intueatur, quid agendorum optimum sit, ita ut ab eo nil quicquam fiat, quod ab hominibus fieri solet, quando absque deliberatione seu nullo consilio quid faciunt. Jam vide §. §. 502. 501.

Jam vero docente Apostolo Deus facit omnia juxta consilium voluntatis suæ. Consilium in se spectatum actus intellectus est, non voluntatis (§. 502.). Quamobrem quando Deus dicitur operari omnia juxta consilium voluntatis suæ; id alio sensu accipi non potest, quam quod Deus non faciat, nisi quod faciendi seria ipsi jam fuit voluntas, antequam faceret; non autem velle, nisi quod velle quis potest certo consilio, seu prævia omni deliberatione ad certo quid statuendum necessaria. Juxta S. S. adeo Deus determinavit voluntatem suam ad faciendum, quod facit, eo modo, quo ens intelligens eandem determinare poterat, prævia consultatione. Enimvero ista voluntatis ad aliquid agendum determinatio est id, quod decretum appellare solemus (§. 497.). Atque adeo liquet, Apostolum Deo tribuere decretum.

Rationem reddit Apostolus, cur simus prædestinati secundum propositum Dei, quia Deus omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Quamobrem per propositum intelligi nequit nisi volitio exequendi decretum. Etenim si indeliberato quid agere vellet, non satis pervidens, quid agendorum optimum sit; fieri poterat, ut meliora edoctus decretum suum mutaret, sicque propositum ipsius non foret constans. Sed quia non decernit, nisi quod summa certitudine intuetur tanquam agendorum optimum; voluntas suum exequendi decretum constans

ſtans eſt, ac ideo, quod decernit, exequi etiam vult & quemadmodum vult ſuo tempore exequitur. Enimvero actus voluntatis, quo determinatur executio decreti, a nobis dicitur propoſitum. E. S. S. Deo tribuit propoſitum noſtro ſenſu (§. 503.).

§. 591.

Decreta Dei juxta S. S. ſunt æterna, ſeu Deus ab æterno juxta eandem decrevit, quicquid decrevit. Decreta Dei juxta S. S. ſunt actus voluntatis divinæ (§. 590. 497.). Enimvero quicquid Deus vult, ſecundum S. S. ab æterno voluit (§. 409.). Ergo. Adde *Epheſ.* III, 11. Æternitas decretorum juxta S. S.

§. 592.

Decreta Dei juxta S. S. imperſcrutabilia ſunt. Vide iterum §. 419. Imperſcrutabilia ſunt juxta S S.

§. 593.

Decretum Dei juxta S. S. liberrimum eſt. *Rom.* XI, 18. *Jac.* I, 18. adde §. 590. *Th. nat.* 941. 937. *emp.* Idem patet ex §. 497. 410 ſq. *Th. nat.* 941. *emp.* Decretum Dei cur juxta S. S. ſit liberum.

§. 594.

Decretum Dei juxta S. S. immutabile eſt. *Hebr.* VI, 17. vocabulum Græcum τὸ ἀμετάθετον vi quidem originis immobilitatem ſignificat: cum vero uſurpetur de rebus, quæ moveri proprie loquendo non poſſunt, facile intelligitur, quod immutabilitatem indigitare debeat. Quod enim immutabile eſt, immotum dicitur ſenſu metaphorico. Jam vide §. 590. 502. 499. 390. Immutabilitas decreti juxta S. S.

Adde *Pſalm* XXXIII, 11.

Sancte *Jeſ.* XIV, 27. affirmat, non reperiri ullum, qui Dei conſilium vel decretum irritum facere poſſit. Juxta S. S. adeo decretum Dei non modo immutabile eſt ex parte Dei, quem nunquam pœnitere poteſt, quod decrevit *Num.* XXIII, 19; verum etiam extra Deum non datur aliqua cauſa, quæ ipſum conſilium ſuum atque decretum mutare cogat.

§. 595.

Quicquid Deus decrevit, illud certo evenit ſuo tempore juxta S. S. (§. 594.) & *Jeſaiæ* cap. XIV, 27. Adde *Jeſ.* XLVI, 10. Futuritio rerum a decreto pendens juxta S. S.

§. 596.

§. 596.

Deus decernit, quæ ipsum decent juxta S.S.

Decreta divina juxta S. S. Deum decent. Vide §. 412. coll. §. 497. 590.

§. 597.

Certitudo executionis decretorum divinorum.

Deus juxta S. S. decreta sua certo exequitur. *Num.* XXIII, 19.

§. 598.

Præscientia juxta S. S. Deo tribuenda.

Deus præscivit omnia juxta S.S. ipsas etiam cogitationes ac libera hominum decreta. *Jes.* XLIV, 7. Adjice *Jes.* XLII, 8. *Jes.* XLVIII, 3. 4. 5. *Ps.* CXXXIX, 3. 4. Illud autem notatu dignum est, quod David dicat Deum intelligere cogitationes suas *a longinquo*. Etenim hæc dictio modum prævisionis clarissime exprimit, siquidem recorderis eorum, quæ demonstrata sunt (§. 232. 233.). Deo nimirum ea, quæ in mundo materiali contingunt, præscibilia sunt per nexum eorundem (§. 232.), & quæcunque in serie integra perceptionum ac appetitionum atque aversionum continentur, per nexum modificationum animæ, qui per leges facultatum resultat, ac inprimis libera decreta per motiva præscibilia sunt (§. 233. 234.). Enimvero cum Deus omnia, etiam juxta Scripturam sacram, cognoscat simul, seu actu unico (§. 216.) & hinc intuitive (§. 207.); tota rerum series ipsi præsens exhibetur, antequam quicquam in eadem actu datur, &, si quid in ea sumitur tanquam actu existens, quæ deinde sequuntur, tanquam aliquo intervallo ab eodem remota spectantur, quatenus unum sequentium ad actum pertingere nequit, nisi aliis intermediis ante suo ordine ad actum successive perductis. Quamobrem si quis ideam quandam hujus prævisionis sibi formare voluerit, non sub alia imagine eadem exhiberi potest, quam per visionem rei e longinquo spectatæ. Etenim ubi oculus consistit, objecta vicina nobis præsentia sunt & ea repræsentant id, quod in serie perceptionum & appetionum ac aversionum animæ sumitur tanquam actuale. Objectum e longinquo positum dato intervallo a nobis separatur per objecta intermedia ab oculo nostro usque ad ipsum continua serie posita, & hoc ipsum cogitationem aliquam, quæ post eam, quæ actu datur, sequitur, objecta autem intermedia cogitationes

nes intermedias repræſentant, quibus demum præteritis iſti locus eſt. Quemadmodum itaque objectum e longinquo ſpectatum tibi præſens fieri nequit, niſi omnia intermedia præſentia fuerint; ita quoque cogitationem venturam præſentem fieri non poſſe intelligitur, niſi omnibus intermediis ante præſentibus. Et hoc modo intelligitur, quomodo omnia Deo ſint præſentia ab æterno, hoc tamen non obſtante, ventura ſpectari poſſint tanquam e longinquo.

Ceterum modus iſte ventura e longinquo ſpectandi, quatenus Deo tribuitur, patet per ea, quæ habentur §. 161.

§. 599.

Malum morale juxta S. S. Deo placere nequit. *Pſalm.* V, 5. coll. §. 938 ſq. *empir.* 341. 411. *Th. nat.* Adde *Matth.* XXV, 31 ſqq.

Malum morale Deo diſplicet juxta S. S.

§. 600.

Malum morale Deus præſcivit ab æterno & permittere decrevit. *Actor.* II, 22. 23.

Præſcientia & decretum permiſſivum mali moralis juxta S. S.

§. 601.

Malum morale juxta S. S. huic rerum ſeriei ita implicatur, ut, niſi bonum ſimul tollere velis, inde auferri nequeat, ac ideo a Deo permittitur. *Matth.* XIII, 24. & ſeqq. Vi ſignificatus parabolæ Deus malum morale ex hac rerum ſerie non tollit, ſed eidem locum in eadem relinquit, ne cum malo ſimul tollatur bonum. Ratio ex ſimili patet. Zizania eradicari non poſſunt, quin ſimul triticum eradicetur, ſi tritici & zizaniorum radices ſibi invicem implicantur.

Ratio permiſſionis mali juxta S. S.

§. 602.

Permiſſio mali Deum non dedecet juxta S. S. Patet hoc ex eadem parabola de zizaniis inter triticum. Sane paterfamilias minime reprehendi poteſt, quod zizania una cum tritico creſcere ſinat, quæ eradicari minime poſſunt, niſi ſimul eradicato tritico; ſed prudentiæ œconomicæ tribuendum, quod ſollicite ac circumſpecte caveat, ne ſpe meſſis ſibi proficuæ excidat & lucro majori inhians omne perdat. Servi autem, qui zizania

An permiſſio mali Deum deceat juxta S. S.

evellere volunt, imperitiæ redarguuntur, quod damnum inde secuturum minime respiciant.

CAPUT IV.
DE
SAPIENTIA ET BONITATE DEI.

§. 603.

Datur finis cur Deus mundum produxerit.

Datur finis aliquis, ob quem Deus hoc universum produxit, seu *Deus produxit hoc universum propter finem aliquem (§. 325 sq. Th. nat. 70. 932. Ont.).*

§. 604.

Datur finis decreti de mundo producendo.

Deus existentiam mundi alicujus & hujus mundi in specie propter finem aliquem decrevit. Ex §. 430. 351. evidens est, quod ad mundum aliquem & in specie ad hunc mundum producendum voluntatem libere determinaverit, consequenter & existentiam alicujus mundi & in specie hujus mundi decreverit (§. 497.). Quamobrem cum Deus faciat quod decrevit, quemadmodum decrevit (§. 525.); mundum vero hunc fini cuidam convenienter produxerit (§. 603.); necesse est ut eidem fini convenienter eundem decreverit.

§. 605.

Datur finis permissionis mali.

Deus malum morale permittere decrevit ob eundem finem, ob quem existentiam hujus mundi decrevit (§. 519. 585. 604.).

§. 606.

Particularia in mundo referuntur ad finem totius.

Deus nihil eorum, quæ ad hanc rerum seriem spectant, decrevit nisi respectu finis, ob quem decrevit existentiam totius universi. Vide §. 605.

§. 607.

§. 607.

Perfectio mundi est medium, quo finis, quem Deus per existentiam mundi intendit, obtinetur (§. 603. Th. nat. 937. Ontol.). Medium, quo obtinetur finis mundi.

§. 608.

Finis, cur Deus hunc mundum produxerit, est patefactio sui ipsius, seu perfectionis suæ absolute summæ (§. 370. 402. 387.). Quoniam ex signo cognoscitur præsentia rei signatæ (§. 952. *Ont.*); ex summa mundi perfectione cognoscitur, quod verus Deus existat & summa gaudeat perfectione (§. 387.). Si vero mundus non sit omnium possibilium perfectissimus, nec summa Deum gaudere perfectione inde inferri potest. Quoniam adeo perfectio mundi est medium, quo Deus finem per productionem mundi a se intentum consequitur (§. 607.); finem alium intendere non potuit, quam quod per mundum seipsum, adeoque summam sui ipsius perfectionem patefacere voluerit. Finis universi quinam sit.

Patet adeo finem, quem sibi Deus in producendo mundo proposuit & propter quem eundem producere decrevit, ex ipsa ejus tanquam agentis & mundi tanquam medii natura fluere.

§. 609.

Finis, cur Deus mundum hunc produxerit, & ab æterno producere decreverit, etiam juxta S. S. est patefactio sui ipsius. Juxta *Rom.* I, 20. per creationem hujus universi, invisibilia Dei, veluti sempiterna ejus virtus & divinitas, intelliguntur ab effectu scilicet ad causam argumentando, tanquam a signo ad signatum (§. 961. *Ont.*). Monet autem Apostolus *vers. 20. 21.* id factum esse ideo, ut homines Deum tanquam verum Deum colant, &, ut sint inexcusabiles, ubi hoc non fecerint. Unde intelligitur, voluisse Deum ab æterno, ut homines per ea, quæ fecit, attributa ipsius cognoscant, quod sensu duce, quemadmodum res materiales, quæ sunt in mundo, cognosci minime possint. Jam lege §. 932. *Ontol.* Finis creationis seu electionis mundi secundum S. S.

§. 610.

Complexus attributorum divinorum, quatenus a creatura rationali agnoscitur, dicitur *Gloria Dei.* Unde *gloriam suam* Gloria Dei quid sit.

 mani-

manifestare dicitur Deus, quatenus perfectionem suam absolute summam, aut, si mavis, attributa sua hominibus revelat. Et homo dicitur *promovere gloriam divinam*, quatenus verbis & factis testatur, se agnoscere perfectionem Dei absolute summam & quod eadem gaudeat pro certo habere.

De *affectu gloriæ* vide §. 765. *emp.* Vocabulum itaque ad Deum translatum retinet receptum significatum, quantum permittit differentia, quæ inter Deum atque homines intercedit. In affectu gloriæ propriam perfectionem referimus ad aliorum judicium: in gloria Dei perfectio Deo propria refertur ad judicium creaturæ intelligentis. Homo de eo gaudet, quod perfectio sui agnoscatur ab aliis, seu quod sibi persuadeat, eam ab iis agnitum iri: quod etsi de Deo dici non possit proprie loquendo, cum beatitudo ipsius non pendeat a creatura; per eminentiam tamen hoc ipsi gaudium tribui potest. Atque hinc est, quod gloria divina dicatur ipsa summa Dei perfectio ad judicium creaturæ rationalis relata.

§. 611.

Manifestatio gloriæ divinæ per mundum.

Deus decrevit existentiam hujus mundi ad manifestandum gloriam suam (§. 608. 610. *Th. nat.* 932. *Ont.*). Adde *Job.* II, 11.

§. 612.

Eadem S. S. conveniens.

Deus quoque juxta S. S. per mundi creationem manifestavit gloriam suam (§. 609. 611.).

§. 613.

Cur Deus malum morale permittat.

Deus malum morale permittere decrevit ad manifestandum gloriam suam (§. 611. 605.).

§. 614.

Idem S S conforme probatur.

Deus etiam juxta S. S. permittere decrevit malum morale ad manifestandum gloriam suam. Patet id ex parabola de zizaniis inter triticum. Quemadmodum paterfamilias prudentiam suam manifestavit finendo crescere zizania, ita quoque Deus sapientiam suam probat, quod malum morale permittat, non tollendum salva perfectione mundi (§. 556.), quæ medium est finem per creationem ejusdem intentum obtinendi (§. 607.).

Pertinet

Pertinet huc decretum redemtionis, quo universa salutis oeconomia continetur.

§. 615.

Mundus hic, qui existit, est fini a Deo intento convenientissimus, & Deus eundem ideo ex ceteris possibilibus elegit, quod fini a se intento omnium maxime conveniat (§. 326. 370. 402.). E. Per hunc ipsum mundum gloria divina (§. 610.) magis illustrari potest, quam per quemcunque alium utpote qui eadem extensione signum naturale spiritus perfectissimi esse nequit (§. 329. 401. 404.). Jam finis, cur Deus hunc mundum potius producere decreverit, quam alium, est patefactio perfectionis suæ summæ (§. 608.), adeoque manifestatio gloriæ suæ (§. 610.). E. hinc intelligitur *primum*. De *secundo* vide §. 325. & antec. hujus §. 615. Quomodo hic mundus se habeat ad finem & cur Deus eum elegerit.

§. 616.

Mundus optimus fini a Deo intento omnium maxime convenit (§. 382. 405. 615.). Quomodo sese habeat mundus optimus ad finem.

Itaque nil quicquam obstat, quo minus mundus optimus definiatur per eum, qui fini a Deo intento maxime convenit. Atque hinc porro patet, affirmare, quod Deus non fecerit mundum optimum, idem esse ac contendere, quod fecerit mundum, qui fini a se intento ex asse non satisfacit. Notandum hoc est adversus hostes mundi optimi, eos scilicet, qui mundum hunc fieri potuisse meliorem somniant, sublatis malis physicis & moralibus.

§. 617.

Malum physicum & morale non obstat, quo minus hic mundus fini a Deo intento omnium maxime conveniat, sed potius huc facit, ut eidem omnium maxime conveniat (§. 550. 607.). Idem patet ex §. 550. 328. 400. 403. 329. 401. 404. 610. 608. Non minus intelligitur ex §. 556. 607. De malo morali in specie conf. §. 613. 610. 608. Malum morale & physicum quomodo se habeat ad finem mundi.

§. 618.

Finis, quem Deus per productionem universi intendit, est omnium optimus, qui per productionem alicujus mundi intendi potest (§. 615. 608. 394. *Th. nat.* 952. *Ont.*). Qualis sit finis a Deo intentus.

§. 619.

Idem in genere evincitur.

Finis, quem Deus sibi constituit, est omnium possibilium optimus (§. 383. 385.).

Quando enim homines sibi constituunt finem, qui optimus non est, aut quinam optimus sit ignorant, aut alia ipsis objiciuntur impedimenta, cur constitui optimum non sit consultum. De Deo vero conf. §. 302. 301. 70. 349. 347.

§. 620.

Libertas Dei in constituendo fine.

Deus finem sibi constituit liberrime (§. 431.).

§. 621.

Quomodo Deus finem consequatur.

Deus finem, quem per existentiam hujus mundi intendit, ex asse consequitur (§. 608. 615. 325. 382. 402. coll. 387.). Porro vide §. 607. *Th. nat.* 684. *rat.*

§. 622.

Quinam mundus gloriæ divinæ manifestandæ maxime inserviat.

Per mundum omnium possibilium perfectissimum seu optimum Deus gloriam suam omnium maxime manifestat (§. 328. 400. 403. 329. 401. 404. *Th. nat.* 952. *Ont.* 325. 382. 610. *Theol. natur.*), *ita ut nec infinitus intellectus in eo quicquam desiderare possit* (§. 838. *Ont.*).

§. 623.

Dei de modo manifestationis gloriæ suæ judicium.

Deus decrevit producere mundum, qui suo judicio omnium maxime manifestat gloriam suam (§. 622. 167.).

Dicis: omni creaturæ intellectus admodum finitus est, adeoque comprehendere nequit modum manifestationis gloriæ divinæ, qualis per integrum hoc universum prodit. Satisfacit igitur abunde mundus non optimus. Nulla vero his inest concludendi vis. Artifex peritus, etsi norit non dari præter se alium, qui de operis perfectione judicium ferre possit, non ideo male facit opus, quod is, cujus gratia fit, nævum detegere non possit. In proprio judicio acquiescit, faciens opus, quod sibi artifici satisfacit. Si quis aliter facit, vel mala fide imperitis imponit, vel horum inopia adductus volentibus facit opus, quale desiderant. Præterea verum omnino non est, quoad hominem perinde esse, sive Deus fecerit mundum optimum, sive non optimum. Patet enim ex superioribus, hominem agnoscere non per alium, quam opti-

optimum mundum, Deum perfectionem suam manifestare posse tanquam absolute summam: sit ita, quod ipsam mundi hujus perfectionem, qua ceteris præstat, comprehendere minime possit. Neque si praxin spectes, in quam theoria influit, perinde est, sive sumas Deum fecisse mundum optimum, sive ponas, eum fecisse mundum non optimum. Sumatur hypothesis, fecisse Deum mundum non optimum; & redigantur ea, quæ de Deo cognoscuntur, in systema veri nominis, quo omnes propositiones inter se connexæ exhibentur, & veritas unius per veritatem aliarum evincitur; satis superque experieris, modo acumine non destituaris, inanem operam sumi.

§. 624.

Deus elegit medium, quo finem, quem per mundi hujus existentiam intendit, certo consequitur (§. 608. 607. 325. 328. 400. 403. 168. 386. 349. *Th. nat.* 956. *Ont.*). Medium, quale a Deo electum.

§. 625.

Deus in genere eligit media, quibus fines intentos certo consequitur. Idem in genere evincitur.

Deus vi omniscientiæ suæ novit omnia media, quibus finem intentum consequi datur (§. 302. 301.). Fieri adeo haud quaquam potest, ut in eligendis mediis a vero aberret. E. Idem patet ex §. 624.

§. 626.

Deus non constituit fines particulares nisi in relatione ad finem totius mundi (§. 519. 497.). Quomodo Deus fines particulares constituat.

Nisi Deus fines particulares, quos intendit, referret ad finem totius mundi, sibimetipsi subinde contrariaretur. Etenim finis particularis contrarius esse posset vel fini totius mundi, vel fini cuidam particulari alteri. Neque enim alia datur ratio, quod fines particulares, quos homines sibi præstituunt, sæpissime sibi invicem contrarientur, quam quod ad finem aliquem ultimum eosdem minime referunt, vel quod de ultimo quodam fine prorsus solliciti non sunt, vel quod parum curant, utrum finis particularis eidem conveniat, an vero adversetur. Sed de Deo vide §. 520. 160.

§. 627.

§. 627.

Quales iidem sint.

Fines particulares, quos Deus in hoc universo constituit, ad patefactionem perfectionis suæ absolute summæ, seu manifestationem gloriæ suæ referri debent (*§. 626. 608. 610.*).

§. 628.

Finis ultimus quidnam sit.

Finis, quem Deus per existentiam totius mundi intendit, est finis ultimus (§. 626. *Th. nat.* 855. 943. *Ont.*).

§. 629.

Qualis sit finis ultimus.

Patefactio summæ Dei perfectionis seu manifestatio gloriæ divinæ est finis ultimus, quem Deus per existentiam hujus universi intendit (§. 628. 608. 610.).

§. 630.

Finium subordinatio quid sit.

Finis unus dicitur *subordinari alteri*, si constituitur ob alterum, seu, si ideo constituitur, quia constituitur alter, aut quia alter ante fuit constitutus.

§. 631.

Subordinatio finium Deo vindicata.

Deus fines particulares subordinat ultimo (§. 626. 628. *Th. nat.* 855. *Ont.* 630. *Th. nat.*).

§. 632.

Quonam omnes fines in hoc universo tendant.

Deus fines omnes particulares subordinat patefactioni summæ, qua gaudet, perfectionis, seu manifestationi gloriæ divinæ (*§. 629. 631.*), consequenter cum finis unus subordinetur alteri, quatenus unus propterea constituitur, quod constitutus sit alter (§. 630.); *Deus finem quemcunque particularem ideo intendit, quia gloriam suam per existentiam hujus universi manifestare, seu perfectionem suam summam patefacere vult.*

§. 633.

Subordinatio finium particularium inter se Deo vindicata.

Deus omnes fines particulares sibi invicem subordinat (§. 631. 630.). Quamobrem cum fieri non possit, ut plures fines particulares subordinentur fini ultimo, quin sibi invicem subordinentur; patet Deum omnes fines particulares sibi invicem subordinare.

§. 634.

§. 634.

Si quis finis alteri subordinatur, ad hunc alterum se habet ut medium ad finem (§. 630. *Th. nat.* 937. *Ont.*). Quomodo finium subordinatio fiat.

§. 635.

Deus fines omnes ita sibi invicem subordinat, ut remotiorum media sint propiores & omnes tandem simul medium finis ultimi (§. 633. 631. 634. *Th. nat.* 943. *Ont.*). Subordinatio finium quomodo a Deo fiat.

§. 636.

Deus eligit media, quæ via brevissima ad finem ducunt (§§. 302. 301. *Theol. natur.* 941. *Ontol.* 312. *Theol. natur.* 887. *empir.* 687. *rat.*). Media a Deo qualia eligantur.

§. 637.

Homo viam brevissimam, qua Deus incedit in prosequendo fine, difficulter cognoscere potest in casu particulari. Etenim plurimi sunt fines, quos Deus simul intendit: id quod propter rerum multitudinem & insignem earum varietatem in hoc universo in dubium vocari minime potest. Enimvero si quis plurium finium consequendorum gratia facit, quod unius consequendi gratia fieri necesse non erat, is per ambages non incedit (§. 687. *Psych. ration.*), etsi ad unum tantummodo finem animum advertenti per ambages incedere videatur (§. 685 *Psychol. rat.*). Atqui homo fines omnes particulares, quos simul consequendos sibi proposuit in hoc universo, minime perspectos habet. E. Respectu quorundam per ambages incedere videri potest Deus, quando via brevissima incedit. Difficultas agnoscendi viam brevissimam in casu particulari.

§. 638.

Deus constituit fines, qui ipsum decent (§. 632. 332.). Quales fines Deus quoad se constituat.

§. 639.

Deus fines naturæ suæ convenientes constituit (§. 638. 332.). Conveniunt cum natura divina.

§. 640.

Deus est sapiens (§. 639. 625. 633. 635. *Th. nat.* 678. *rat.*) *& sapientia ejusdem summa atque perfectissima est* (§. 619. 625. 636. 621. 635. *Th. nat.* 689. *rat.*). Sapientia Dei.

§. 641.

Sapientia in decreto condendi mundi.

Deus existentiam hujus universi sapienter decrevit (§. 604. 639. 624. 626. 635. *Th. nat.* 678. *rat.*).

§. 642.

Quanta sit hæc sapientia.

Deus existentiam hujus mundi sapientissime decrevit, ita ut majore sapientia uti non potuerit (§. 618. 624. 621. 636. 635. *Th. nat.* 689. *rat.*).

§. 643.

Quousque extendatur sapientia in decreto divino.

Deus omnia in hoc universo sapienter, immo sapientissime decrevit (§. 504. 520. 519. 641. 642.).

§. 644.

An etiam ad permissionem mali moralis.

Deus mali quoque *moralis permissionem sapientissime decrevit* (§. 585. 643.).

§. 645.

Quænam in numerum finium a Deo intentorum referenda.

Quæ ex natura & essentia rerum materialium consequuntur, fines sunt a Deo intenti: essentiæ vero & natura rerum sunt media, quibus fines istos consequitur (§. 232. 231. 522. 519. 497. *Th. nat.* 932. 937. *Ont.*).

Constat e. c. eam esse oculi structuram, ut visibilium imagines vi ejusdem in fundo ipsius delineari possint. Deo structura oculi ab æterno perspecta fuit, nec ignotum esse potuit, vi ejusdem visibilium imagines in oculo delineari posse (§. 300. 319.). Quamobrem cum rerum actualitas pendeat a voluntate (§. 433.), consequenter a decreto Dei (§. 497.); quin Deus oculum homini & animalibus esse voluerit, aut hominem & animalia bruta, quibus est oculus, ad actualitatem perduci decreverit, ut visibilia in fundo oculi delinearentur, dubitari nequit. Jam cum id, cujus gratia Deus actualitatem oculi, aut, si mavis hominum & animantium brutorum, quibus oculus est, decrevit, sit finis ab ipso intentus (§. 932. *Ontol.*); delineatio visibilium in fundo oculi est utique finis a Deo intentus. Et quia porro in structura oculi, utpote corporis organici (§. 274. *Cosmol.*), ratio continetur, cur imago visibilium in ejus fundo delineari possit (§. 277. *Cosmol.*), medium vero est, quod rationem continet, cur finis actum consequatur

ſequatur (§. 937. *Ontol.*); quin ipſa oculi ſtructura, conſequenter eſſentia ejusdem (§. 276. *Coſmol.*), ſit medium, quibus finem iſtum conſequitur Deus, dubitandum non eſt.

Nulla eſt exceptio, quæ ex eſſentiis & natura rerum conſequuntur, ea neceſſario conſequi, adeoque in numero finium eſſe haud quaquam poſſe. Etenim non in finium numero ſunt, quatenus ex eſſentiis & natura rerum conſequuntur, ſed quatenus libere a Deo intenduntur. Nemo ſane negat per ſtructuram oculi fieri haud quaquam aliter poſſe, quam ut imago viſibilis in oculo delineetur. Hoc tamen minime obſtat, quo minus imago in oculo delineanda ſpectetur tanquam finis a Deo intentus in ipſius decreto mundi condendi. Neque enim Deus delineationem imaginis in oculo intendit, quia ex ſtructura ejusdem ſequitur; ſed quod fini ultimo, quem per creationem mundi conſequi voluit, convenit exiſtere hominem, in cujus oculo iſtiusmodi delineatio fiat. Quemadmodum itaque finem ultimum liberrime conſtituit, ita non minus libere finem hunc particularem iſti ſubordinatum conſtituiſſe intelligitur. Nullus profecto datur finis, qui non neceſſario conſequatur ex medio, alias enim poſito medio non poneretur finis actu, conſequenter medium eidem obtinendo minime inſerviret. Hoc tamen nexu neceſſario inter finem atque medium, quatenus is per hoc ad actum deducendus (§. 937. *Ontol.*), non obſtante, finis libere conſtituitur & media ad eundem certo ducentia, libere eliguntur.

§. 646.

Uſus rei dicitur dependentia actualitatis rei cujusdam alterius, quæ mala non eſt, ab eadem. Quodſi hæc mala fuerit, *Abuſus* appellatur. *Uſus rei quid ſit.*

E. gr. Gladio vulnus lethale infligere licet alteri, adeoque inflictionis vulneris actualitas a gladio dependet. Quodſi hoc fiat ſui defendendi cauſa, ut vim vi repellamus, id licitum eſſe, in Jure naturali demonſtratur. Habet ergo gladius uſum in ſui defenſione. Enimvero ſi ex vindicta alteri vulnus infligitur ob injuriam, qua quis ſe affectum arbitratur; id licitum non eſt. Abutitur adeo gladio, qui eodem vulnus infligit alteri injuriam ſibi illatam vindicaturus.

§. 647.

Quando in finem degeneret.

Si usus gratia quid producitur, usus in finem abit (§ 932. *Ontol*).

In rebus humanis multi deprehenduntur usus, qui e numero finium exulant, tum quod omnes rerum, quos habere possunt, usus minime prævidemus, tum quod prævisos intendere nolumus, de aliorum commodis parum solliciti, modo nostris prospiciamus.

§. 648.

Usus rerum naturalium inter fines referendi.

Usus rerum naturalium sunt fines a Deo intenti (§. 155. 144. 646. 319. 519. 647.).

§. 649.

Item usus rerum artificialium.

Usus rerum omnium artificialium sunt fines a Deo intenti (§. 302. 301. 319. & demonstr. §. 648.).

§. 650.

Cognitio operum artis Deo tribuenda.

Deus opera artis plenius intelligit & per ea plura in hoc universo intendit ipsis inventoribus (§. 302. 301.). E. Omnes quoque rerum artificialium usus, quos habere possunt, perspectos habet, ita ut ne minimus quidem cognitioni ejus sese subducere queat. Enimvero nemo inventorum omnes prospicit usus, quos opus suum habere potest; sed data demum occasione alii in eosdem incidunt: immo sæpissime impossibile ipsi est vel maxime obvios meditando assequi usus, ubi opus jam invenit. E. Prodit *primum*.

De *altero* vide §. 649. *Theol. natur.* coll. §. 932. *Ontol.*

§. 651.

Fortuna est in numero finium.

Omnis fortunæ adversæ pariter & secundæ effectus sunt in numero finium a Deo intentorum (§. 542 - 544. 540. *Th. nat.* 932. *Ontol.*).

§. 652.

Effectus fortunæ fini ultimo subordinati.

Deus omnes fortunæ effectus subordinat fini ultimo (§. 651. 631.).

§. 653.

Cur gloria Dei per eos manifestetur.

Fortunæ effectus omnes, sive ea secunda fuerit, sive adversa, sunt medium patefaciendi perfectionem suam summam, seu *manifestandi gloriam suam* (§. 629. 652. 634.).

§. 654.

§. 654.

Deus effectus fortunæ aliis finibus particularibus subordinat, ita ut sint media aliorum consequendorum (§. 651. 633 sq.). Aliis finibus sunt subordinati.

Proderit horum meminisse in praxi, ut reverenter expectemus eventus futuros nobis revelaturos, quod rationis lumine usi perspicere non valemus.

§. 655.

Omnes usus rerum naturalium & artificialium a Deo fini ultimo subordinantur (§. 648 sq. 631.). Usus ultimo fini subordinati.

Inde est, quod usus differat ab abusu. Si enim fini ultimo non subordinarentur, nulla foret differentia in modo dependentiæ actualitatis rei cujuspiam ab altera, consequenter nec differentia inter usum atque abusum (§. 646.). Habent autem usus in se quid, ut ad finem ultimum referri possint, & ex adverso abusui quid inest per se, ut ad finem ultimum eundem referri repugnet.

§. 656.

Usus rerum naturalium & artificialium Deus ideo intendit, ut sint medium patefaciendi perfectionem suam summam, seu manifestandi gloriam suam (§. 648 sq. 632. 634.). Quomodo subordinentur.

Habemus adeo principium, quod usui ab abusu distinguendo sufficit.

§. 657.

Deus usus rerum artificialium & naturalium finibus particularibus aliis subordinat (§. 648 sq. 633.). Usus aliis finibus particularibus subordinati.

§. 658.

Deus ea, quæ ex essentiis & natura rerum consequuntur, & sibi invicem, & fini ultimo subordinat, ita ut sese invicem habeant per modum medii ad finem (§. 645. 633. 631. 635.). Subordinatio eorum, quæ ex essentia & natura rerum fluunt.

§. 659.

Quæ ex essentiis & natura rerum consequuntur, a Deo ita sibi invicem subordinantur, ut per ea patefiat summa ipsius perfectio, seu gloria ejus manifestetur (§. 658. 629. Th. nat. 937. Ont.). Gloria Dei per rerum naturam manifestata.

§. 660.

Multitudo finium in universo.

Totum universum est plenum finibus a Deo intentis (§. 645. 648 sq. 651.).

§. 661.

Quomodo natura & corpora agant propter fines.

Corpora & tota rerum natura agunt propter fines a Deo intentos, ac si ipsamet eos intenderent (§. 645. 658. Th. nat. 168. Ont. 505. Cosm. 118. Ont.).

Inde est, quod animantia bruta videantur agere cum ratione & ratione melius uti ipsis hominibus. Quæ enim ipsis tribuitur ratio, non ipsorum, sed Dei ratio est. Inde porro est, quod rerum natura fingatur ens intelligens sapientia maxima instructum. Quæ enim naturæ rerum tribuitur sapientia, ipsa Dei sapientia est, quam per naturam rerum nobis patefacere constituit. Sane ipsæ machinæ hominum opera constructæ rectius exequuntur id, cujus gratia constructæ sunt, quam vulgo ab hominibus fieri assolet.

§. 662.

Frustra quid facere dicamur.

Frustra quid facere dicimur, quod vel nullo fine facimus, vel quod fini, quem intendimus, consequendo minime sufficit.

§. 663.

Deus nil frustra facit.

Deus nihil facit frustra (§. 640. Th. nat. 678. 689. rat. 352. 662. Th. nat.).

§. 664.

Mos agendi naturæ.

Natura nihil facit frustra & via agit brevissima (§. 661. 645. Th. nat. 142. 145. Cosm. 663. 636. Th. nat.).

§. 665.

Nexus rerum in hoc universo in quonam consistat.

In hoc universo seu mundo adspectabili coëxistentium nexus consistit in dependentia finis a medio; nexus vero successivorum in dependentia causati a causa & finis a medio & actionis causæ efficientis a fine simul.

Quoniam modificatio unius coëxistentium rationem sufficientem in altero habet (§. 160. *Ont.*); res una coëxistentium quoad modificationes ab altera pendet (§. 851. *Ont.*), consequenter unum coëxistentium esse usui alteri coëxistentium (§. 646.). Sunt

Sunt vero usus rerum naturalium fines a Deo intenti (§. 648.). Quamobrem cum coëxistentia inter se connectantur, quatenus unum eorum usui est alteri (§. 646. *Th. nat.* & §. 10. *Cosm.*); coexistentia in hoc universo connectuntur per finales rationes. E. (§. 645.). *Quod erat unum.*

Quoniam actus contingentium, adeoque successivorum (§. 80. *Cosm.*), in hoc universo determinatur per seriem contingentium, quæ a se invicem dependent ut effectus a sua causa (§. 83. *Cosm.*); in serie successivorum præcedens est causa sequentis. Quoniam porro ea, quæ in mundo existunt, facta sunt futura per decretum Dei (§. 522.), adeoque ideo ad actum perducuntur, quia Deus eadem ad actum perduci voluit (§. 497.); quin Deus ideo existere voluerit causam, ut existeret causatum dubitari nequit. Enimvero si agens intelligens causam ideo producit, ut existere possit causatum; nexus rerum successivarum consistit in dependentia causati a causa & dependentia finis a medio, & actionis causæ efficientis a fine simul (§. 34. *Cosm.*). E. *Prodit quoque alterum.*

Spinosa nexum rerum fatalem statuit, non quod absoluta earundem necessitas ex causarum concatenatione, quam vocat, sequatur; sed quod sicuti enti omni intelligenti, ita etiam ipsi Deo omnem in agendo libertatem ademit, quam ipsi in decernendo summam vindicavimus (§. 506.). Unde nullum in serie rerum finibus fecit locum, ita ut rerum nexus tantummodo ipsi sit dependentia causati a sua causa, non vero simul dependentia finium a mediis, quemadmodum nos adstruximus, & tota causarum concatenatarum series absoluta necessitate dependeat a Deo, quam nos ab hac dependentia procul arcemus.

§. 666.

Nexus rerum in hoc universo sapientia divina constitutus (§. 53 sq. Cosm. 665. Th. nat. 678. rat. 645. Th. nat.). **Fons nexus rerum.**

§. 667.

Nexus rerum in hoc universo ab absoluta necessitate liber est (§. 59. 300. Cosm. 192. 522. 506. Th. nat. 302. Ont.). **Immunitas nexus ab absoluta necessitate.**

Nimirum si Deo ita visum fuisset, alia existere potuisset rerum inter se connexarum series, atque adeo alius quoque daretur rerum nexus.

xus. Hic non quæstio est, num eventus in hoc universo sint necessitati obnoxii, quia datur rerum nexus, sed num hic rerum nexus sit absolute necessarius, ita ut alium dari per se repugnet, cujus utique contrarium hic demonstravimus.

§. 668.

An malum morale sit finis a Deo intentus.

Deus malum morale non intendit tanquam finem (§. 581. Th. nat. 932. Ont. 880. emp.).

Idem constat ex §. 582. *Th. nat.* 932. *Ont.* Non minus intelligitur idem ex §. 585. 584. *Th. nat.* 932. *Ont.*

§. 669.

Malis metaphysicis non est inter fines locus.

Deus mala metaphysica non intendit tanquam fines (§. 547. Th. nat. 932. Ont.).

Deus mundum hunc produxit gloriæ suæ manifestandæ causa, seu ut per eum patefieret summa, quæ ipsi est, perfectio (§. 608.). Elegit hunc mundum præ ceteris, propterea quod summo suo judicio ad manifestandam gloriam suam omnium maxime facit (§. 623.). Malum metaphysicum huic mundo inhæsit inseparabiliter (§. 381.), antequam ejus existentia nostro concipiendi modo decerneretur (§ 546.). Quamobrem cum non obstaret, quo minus hic mundus fini a Deo intento conveniret (§. 617.); nulla erat ratio, cur a fine proposito desisteret. Atque adeo malo metaphysico in hoc universo locus est, etiamsi a Deo existentiam hujus universi decernente non fuerit intentum tanquam finis.

§. 670.

Quatenus mala physica non sint fines.

Deus mala physica non intendit tanquam finem, quatenus mala sunt (§. 566. 497. Th. nat. 932. Ont. 880. emp.).

Nimirum si res ipsa pateretur, Deus mala physica ex hoc universo omnia abesse juberet. Vidimus vero id summa hujus mundi perfectione salva fieri minime posse (§. 556.). Non igitur insunt huic seriei, quia Deo per se placent; sed in ea tolerantur, quia insunt seriei rerum, quæ alia de causa Deo maxime placet.

§. 671.

Perfectio mundi unde enascatur.

Perfectio mundi enascitur ex possibilitate subordinationis finium particularium & ultimi. Cum enim finis sit id, propter quod

quod causa efficiens agit (§. 932. *Ont.*) & ultimus sit is, propter quem ceteri omnes sunt (§. 943. *Ont.*); detur autem mundi a Deo conditi finis ultimus (§. 682.). Per finem hunc ultimum intelligitur, cur Deus aliquem potius mundum condiderit, quam nullum, & cur hic, quem produxit, talis præcise sit, non alius, consequenter finis ultimus est ratio, cur hæc series rerum fuerit producta & ab æterno a Deo decreta, generalis (§. 56. *Ontol.*). Per definitionem finis patet similiter, per fines particulares, quorum plena est natura rerum (§. 660.), intelligi, cur hasce potius res, quam alias existere voluerit Deus, consequenter eos esse rationes, cur res tales successivæ ac simultaneæ insint huic seriei rerum, ac ideo rationes simultaneorum & successivorum particulares sunt (§. 56 *Ont.*). Quoniam vero fines particulares fini ultimo subordinantur per modum medii ad finem ducentis (§. 635.), adeoque in particularibus continetur ratio, cur ultimus actum consequatur (§. 937. *Ont.*); rationes rerum simultanearum ac successivarum particulares in hac serie tandem in aliquam generalem resolvuntur. Jam vide §. 540 *Cosm.*

§. 672.

Perfectio mundi consistit in explicabilitate ejus per finium particularium & ultimi subordinationem (§. 671. Th. nat. 932. Ontol.). **Perfectio mundi in quo consistat.**

§. 673.

Perfectio mundi consistit in aptitudine patefaciendi perfectionem Dei summam seu manifestandi gloriam ipsius (§. 672. 629. 632.). **Idem specialius explicatur.**

§. 674.

Mala physica & moralia finibus in hac rerum serie a Deo intentis ita implicantur, ut eorundem & finis ultimi subordinatio eo, quo nunc, modo iisdem ablatis non amplius fieri possit (§. 556. 671. 326.). **Mala physica & moralia finibus rerum implicantur.**

Propositio hæc patet iis, qui rerum in hoc universo nexum introspiciunt, & experientia confirmatur, siquidem ad eundem animum advertas, expendendo mala & quæ inde secuta fuere bona, non secutura, nisi malis fuisset locus.

(Th. nat. contr. T. I.)

§. 675.

Mala bonis implicantur.

Mala physica & moralia in hac serie ita implicantur bonis, ut, si mala inde auferre velis, bona una cum ipsis auferas (§. 674. 671. 645. 648 sqq. 370.). Adde §. 601.

§. 676.

Malorum in hoc mundo inexistentia a sapientia divina pendet.

Deus salva sapientia summa atque perfectissima sua mala physica & moralia tollere nequit ex hac rerum serie (§. 674. *Th. nat.* 678. *rat.* 640. *Th. nat.*).

§. 677.

Cur eadem ipsi non repugnent.

Mala, tam physica, quam moralia, minime obstant, quo minus hujus mundi existentiam & omnia, quæ in eodem sunt, sapientissime decreverit (§. 676.). Vide §. 642. 643.

§. 678.

Ea nexum rerum non subducunt sapientiæ divinæ.

Eodem modo patet, *mala physica & moralia etiamsi insint nexui rerum, non tamen obstare, quo minus is sapientia divina sit constitutus* (§. 666.).

Cum tritissimum sit, non esse facienda mala, ut inde eveniant bona; multi non vident, quomodo Deum deceat producere rerum seriem, cui mala physica & moralia inexistunt. Nemo non videt totum, quicquid est, difficultatis enasci ex hypothesi de essentiis rerum arbitrariis (§. 191.).

§. 679.

Directio mali in bonum finem.

Malum dicitur dirigi in bonum finem, si, quando mutari non potest, eodem utamur tanquam medio consequendi finem bonum.

Non vero, dum quis ita dirigit, dici potest, eum facere malum, ut inde eveniant bona: neque enim malum ideo ipse promovit, ut haberet motivum flectendi animum; sed cum ipso non volente evenisset, nec factum infectum fieri possit, ipso malo bene utitur.

§. 680.

Directio divina malorum in bonum finem.

Deus in hoc universo mala physica & moralia dirigit in bonum finem (§. 674.). Quamobrem cum per ipsa mala physica atque moralia intelligatur, cur fines isti ad actum perducantur in hac

hac rerum serie; quin ratio actualitatis ipsorum in illis contineatur dubitari haud quaquam potest (§. 56. *Ont.*). Enimvero cum in numero mediorum sit, quicquid rationem continet, cur finis actum consequatur (§. 937. *Ont.*); Deus malis physicis atque moralibus, quæ salva sapientia sua tollere nequit ex hac rerum serie (§. 676.), utitur tanquam medio consequendi fines, qui ipsum decent (§. 638.), consequenter bonos (§. 370.). Jam vide §. 679.

§. 681.

Deus mala physica & moralia tandem dirigit ad manifestationem gloriæ suæ (§. 680. 632. 634. 679.). Directio malorum ad gloriam Dei.

§. 682.

Possibilitas directionis malorum physicorum & moralium ad bonos fines, seu, quod mala physica & moralia ita insint huic seriei rerum, ut ad bonos fines & mediantibus hisce tandem ad gloriam Dei dirigi possint, pertinent ad perfectionem hujus universi (§. 679. 681. 629. 679. 635. 671.). Possibilitas directionis malorum ad bonum finem facit ad perfectionem universi.

Etsi itaque illa directio non sit ratio sufficiens, cur Deus mala moralia præsertim in hoc mundo existere voluerit; fuit tamen sufficiens ratio, cur illis in eodem reliquerit locum, hoc est, cur ob illa hujus existentiam decernere non intermiserit.

§. 683.

Quoniam possibilitas directionis malorum physicorum & moralium ad bonos fines & mediantibus hisce ad gloriæ divinæ manifestationem pertinet ad perfectionem hujus universi (§. 682.), atque adeo perfectionis universi partem quandam singularem absolvit, qua ea careret, si nullis malis in eodem esset locus; ideo jam patet, *quod mala physica & moralia faciant, ut major sit in hoc universo perfectio, etsi ob eorum inexistentiam mundus non possit dici perfectior.* Faciunt, ut major sit in mundo perfectio.

§. 684.

Directio malorum physicorum & moralium proficiscitur a sapientia divina (§. 680 sq. 679. 629. *Th. nat.* 678. *rat.*). Directio malorum unde.

§. 685.

Mala faciunt ad gloriam Dei.

Mala physica & moralia faciunt ad manifestationem sapientiæ divinæ (§. 680 sq. 684.).

§. 686.

Sapientia Deo juxta S. S. vindicata.

Deus in Scriptura sacra dicitur sapiens eodem sensu, quo nos eundem sapientem esse probavimus, & juxta eandem solus est, qui sapiens dici meretur 1 *Tim.* I, 17. & *Jud. vers.* 25. Deus dicitur μόνος σοφὸς, solus sapiens, atque adeo sapientia Deo tribuitur tanquam prædicatum proprium, coll. 1 *Reg.* III, 16 sqq. 28. 1 *Reg.* IV, 30. 34. *cap.* V, 12. §. 932. 937. *Ont.* 428. *emp.* 678. *rat.* 640. *Th. nat.* Dum vero juxta S. S. solus est, qui sapiens dici meretur; facile hinc intelligitur, eum esse sapientem in omnibus. Jam vide §. 692. *rat.* Nec minus inde perspicitur juxta S. S. tantam esse sapientiam Dei, ut omnis creaturæ sapientia ejus respectu pro nulla reputari debeat: quod utique idem est ac Deo tribuere sapientiam infinitam, seu omnium, quæ concipi potest, maximam.

§. 687.

Consensus S. S. quoad finem ultimum & directionem malorum ad eundem.

Deus etiam juxta S. S. constituit finem ultimum hujus universi manifestationem gloriæ suæ & ad eundem finem dirigit mala moralia atque physica. *Prov.* XVI, 4. Deus dicitur universa fecisse propter seipsum, impium quoque ad diem malum. Jam vide §. 429. *Rom.* I, 20. §. 420. 423. *Th. nat.* 932. 943. *Ont.* de *primo.*

Jam porro Deus dicitur etiam impios fecisse ad diem malum propter seipsum. Per diem malum intelligitur tempus, quo mala physica iisdem infliguntur. Quamobrem cum Deus propter seipsum quid faciat, quatenus per id gloriam suam manifestat; hominem fecisse dicitur, quem noverat mala perpetraturum, & mala physica eidem immittere decrevit, ut hoc ipso manifestaret gloriam suam.

§. 688.

Et circa directionem malorum ad bona.

Deus juxta S. S. mala dirigit ad bona. Illustre exemplum hujus directionis S. S. exhibet in Josepho *Gen.* XXXVII. & sqq.

§. 689.

Modus, quo bona a malis dependent in hoc universo.

Bona in mundo non dependent a malis quatenus mala sunt, sed quatenus mala moralia sunt actiones physicæ, physica autem causæ natu-

naturales. Vendebatur Josephus a fratribus mercatoribus Ismaëlitis & ab his in servitutem deducebatur in Ægyptum. In Ægypto calumniis mulieris malæ in carcerem conjiciebatur, & ibi somniorum interpretandi occasionem nactus ob artem, qua in iis interpretandis excelluit, Pharaoni commendari merebatur; cui cum eandem probaret, ad summam dignitatem evehebatur. Nemo non videt Josephum ad tantam in Ægypto dignitatem nunquam fuisse ascensurum, nisi a fratribus fuisset venditus in servitutem & a Potiphare in carcerem conjectus. Quoniam venditio ista erat moraliter mala, nec minus calumniæ uxoris Potipharis, ob quas in carcerem conjiciebatur, malis moralibus accenseri debent; evectio Josephi ad summam in Ægypto dignitatem dependebat a malo morali. Venditio ista mala erat, quod proficiscebatur ex odio fratrum in fratrem, nec ullum venditoribus esset jus vendendi. Enimvero non ideo deducebatur in Ægyptum, quod ex odio esset venditus & quod esset venditus ab iis, quibus nullum vendendi jus erat; sed ideo tantum, quod esset venditus mercatoribus in Ægyptum iter facientibus. Quamobrem evidens est, dignitatis summæ collationem, quatenus dependet a venditione in servitutem, dependere a mala actione, non quatenus moraliter, sed quatenus physice spectatur, hoc est, quatenus fuere motus in corpore actiones ad venditionem requisitæ, non quatenus hi motus responderunt volitionibus malitiosis atque injustis (§. 568.), consequenter a malo morali, non quatenus malum est, sed quatenus in numero rerum naturalium locum habet. Similiter Josephus non ideo ad dignitatem summam evectus, quod per malitiam mulieris lascivæ & per injustitiam Potipharis mariti ejus in carcerem conjectus & per ingratitudinem Prægustatoris in eodem dententus fuisset; sed ideo tantum evenit, quod in carcerem conjectus & in eodem detentus fuisset. Unde patet ut ante, collationem dignitatis summæ, quatenus dependet ab injusta Josephi in carcerem detrusione & ejus in eodem detentione, dependere a mala actione, non moraliter, sed physice spectata (§. 568.), consequenter non a malo morali, qua tali, verum quatenus

tenus actiones, quibus malum inhæret, sunt in numero rerum naturalium.

Si Josephi evectio ad dignitatem summam dependeret a malo morali qua tali, cum malum morale proveniat ab intentione agentium, necesse fuisset, ut & fratres improbi, & mulier calumniatrix, & Potiphar ex credulitate injustus, & Prægustator ingratus improbitate, calumniis, injustitia & ingratitudine illam intendissent; quod quam sit a vero alienum, nemo non videt. Malum igitur qua malum in bonum minime influit. Unde etiam est, quod malum tribuatur hominibus libertate sua abutentibus; directio vero ad bonum ad Deum autorem referatur, a quo est rerum in universo nexus.

§. 690.

Imperscrutabilitas sapientiæ in quo consistat.

Sapientia dicitur *imperscrutabilis*, si fines ab agente intenti, vel media, quæ ad eosdem consequendos eligit, vel finium quoque subordinatio penitus nobis non fuerint perspecta, nec a nobis certo cognosci possunt.

§. 691.

Imperscrutabilitas sapientiæ divinæ.

Sapientia divina omni homini, immo intelligenti finito imperscrutabilis (§. 660. 665. 645. 648 seq. 651.). Nemo igitur hominum fines omnes a Deo intentos perspicere ac certo cognoscere valet. Quoniam per media finis ad actum deducitur (§. 937. *Ontol.*); qui fines omnes perspicere nequit, nec media omnia perspicere valet, per quæ fines ad actum deducuntur. Unde porro liquet, neminem hominum intelligere media omnia, quibus Deus in hoc universo fines suos consequitur. Jam cum fines sibi invicem subordinentur, ut remotiorum media sint propiores & omnes tandem simul medium finis ultimi (§. 635.), consequenter finium subordinatio omnis non intelligatur, nisi finibus singulis earumque mediis perspectis; ultro consequitur, neminem mortalium omnem finium subordinationem perspicere ac certo cognoscere posse. Jam vide §. 690. Idem patet ex §. 541. *Cosmol.* 671. 634. *Theol. natur.* coll. §. 87. *Log.* 690. *Th. natur.*

Porro qui intellectu finito præditus est, ejus intellectus limitatus est (§. 173.). Jam conf. §. 468. *Ontol.* 275. *empir.* Aliter ergo

ergo is limitari nequit, quam quod non extendatur ad omnia possibilia nec eadem prorsus distincte sibi repræsentare valeat. Unde intellectus limitatus ea omnia, quæ in hoc universo insunt, distincte perspicere ac certo cognoscere nequit. Fieri adeo non potest, cum in numero finium sit, quicquid ex essentia & natura rerum consequitur (§ 645.) & omnis rerum coëxistentium & successivarum nexus in dependentia finis a medio consistat (§. 665.), ut intellectus finita vi fines omnes, qui insunt huic seriei rerum, a se invicem distinguantur & media ad eosdem ducentia detegantur, consequenter nec intellectus finitus finium omnium subordinationem penitus perspicere ac certo cognoscere valet. Jam evolve §. 690.

Aliud vero est finium cognoscendorum impossibilitas, aliud eorundem cognoscendorum difficultas. Aliud est finium cognoscendorum impossibilitas simpliciter talis, qua ab omni finis cognitione arcemur; aliud vero finium plurimorum cognoscendorum impossibilitas, quæ maximam partem eorum, qui a nobis cognosci possunt, facit minimam illorum, qui cognosci nequeunt. Imperscrutabilitas sapientiæ divinæ arguit finium cognoscendorum impossibilitatem simpliciter talem & eorum, qui a cognitione nostra non prorsus removentur, cognoscendorum subinde difficultatem; non vero tollit omnem finium cognoscendorum possibilitatem, etsi subinde nobis iidem videantur inaccessi. Quod contra *Cartesium* notandum, qui fines inter arcana Dei retulit, & ex philosophia propter imperscrutabilitatem proscripsit.

§. 692.

Sapientia divina etiam juxta S. S. imperscrutabilis. Rom. XI, 33. vocabulum βάθος proprie profunditatem significat. Significatur ergo tantam esse sapientiam divinam, ut eam assequi minime valeamus. Assequimur sapientiam, siquidem nobis perspicere licet fines ab agente intentos & media ad eosdem ducentia (§. 678. *Psychol. ration.*), consequenter & finium subordinationem, quippe quæ fit per modum mediorum ad finem (§. 634.). Quare si eam assequi non valemus, aut fines pervestigare non possumus, aut media detegere nequimus, aut in finium subordinatione eruenda frustra desudamus. Jam lege §. 690.

Consensus S. S. quoad imperscrutabilitatem sapientiæ divinæ.

§. 690 sq. Non sine admiratione ergo exclamat apostolus, quam impervestigabiles sunt viæ ejus! Constat phrasi S. S. vias Dei appellari media, quibus utitur ad fines, quos intendit, consequendos, quatenus sunt apta ad eos consequendos, commodissima metaphora. Quemadmodum enim via nos ducit ad metam, ad quam contendimus; ita media ducunt ad finem, quem intendimus, ubi fuerint apta. Et sane hac ipsa appellatione denotatur, Deum semper uti mediis, quæ certo & via brevissima ad finem ducunt (§. 625. 636.). Ex mente itaque Apostoli sapientiam Dei assequi minime valemus, propterea quod comprehendere non possumus, cur hoc vel isto modo agat Deus, ignorantes aptitudinem mediorum ad finem consequendum, quia nec fines satis explorare, nec media, si vel maxime illi perspecti nobis essent, ad eos consequendos maxime apta divinare licet.

§. 693.

Immensitas sapientiæ divinæ.

Sapientia divina immensa est (§. 640. *Theol. natur.* 825. 53. *Ontol.*). Cum vero quantitas limitata non possit fieri illimitata, quotiescunque sumatur (§. 175.); fieri nequit, ut sapientia limitata quæcunque tandem degeneret in divinam, quotiescunque sumatur, consequenter limitata quæcunque, hoc est, quæ inest intellectui finito, divinæ prorsus heterogenea est (§. 364. *Ontol.*), adeoque pro mensura divinæ assumi haud quaquam potest (§. 441. *Ontol.*). Quamobrem cum præter sapientiam divinam illimitatam & limitatam concipi nulla possit (§. 53. *Ontol.*); nulla prorsus reperiri potest mensura sapientiæ divinæ. E. (§. 41.).

§. 694.

Consensus S. S.

Sapientia divina etiam immensa est juxta S. S. eodem sensu, quo nos immensitatem ejus modo adstruximus 1 *Tim.* I, 17. & Judæ vers. 25. coll. 1 *Reg.* IV, 30. 34. Adde *Rom.* XI, 33.

Neque enim imago alia immensitatem sapientiæ divinæ magis repræsentat, quam abyssus immensæ profunditatis, in stuporem conjiciens eos, qui eam explorare conantur.

§. 695.

§. 695.

Per *Bonitatem* intelligimus pronitatem ad aliorum perfectionem promovendam, aut, si mavis, promptitudinem promovendi perfectionem alterius. Unde *Bonus erga alios* dicitur, qui pronus est ad aliorum perfectionem promovendam, seu qui se facilem præbet ad eam promovendam. Bonitas quid sit.

§. 696.

Qui bonus est in alios, is aliis bona conferre studet pro virili (§. 695. 370.). Quænam faciat erga alios bonus.

§. 697.

Qui aliis bona pro virili conferre studet, in alios bonus est (§. 370. 695.). Character boni in alios.

§. 698.

Deus enti cuicunque tantundem confert boni, quantum salva sapientia ipsius fieri potest. Essentiæ rerum a Deo sunt (§. 192 *Th. nat.* 153. *Ont.*). Enimvero in consensu determinationum essentialium continetur perfectio essentialis (§. 528. *Ontol.*). Omnis ergo perfectio essentialis a Deo est. Et quia Deus rem nullam aliter facere potest, quoad determinationes essentiales, quam facit (§. 557.), tantundem perfectionis essentialis eidem tribuit, quantum recipere valet. Porro modi rerum, qui cum in accidentium numero sint (§. 779. *Ontol.*) ad determinationes accidentales spectant, rationem sui sufficientem in aliis entibus agnoscunt (§. 160 *Ontol.*) & in eorum cum determinationibus essentialibus consensu perfectio accidentalis consistit (§. 528. *Ontol.*). Quamobrem cum Deus ens unumquodque in perfectissima rerum serie collocaverit (§ 326.) & mala, quæ permittit (§. 585.), vi sapientiæ suæ (§. 677.) in bonum finem dirigat (§. 680.), eaque salva sapientia sua summa atque perfectissima tollere nequeat (§. 676.); tantundem quoque perfectionis accidentalis, consequenter boni (§. 370.), tribuit enti cuicunque, quantum salva ipsius, quæ summa est (§. 640.), sapientia fieri potest. Quantum boni Deus conferat in creaturas.

§. 699.

Bonitas Dei summa.

Deus summe bonus est, ita ut bonitatem majorem concipi repugnet (§. 698. 697.).

§. 700.

Signum bonitatis.

Qui bonus est in alterum, eundem amat (§. 696. *Th. nat.* 939. 938. 542. 558. 641. *emp.*).

§. 701.

Fons bonitatis.

Qui alterum amat, is erga eum bonus est (§. 652. 511. *emp.* 695. *Th. nat.*).

§. 702.

Bonitas erga bruta & res inanimatas.

Qui res inanimatas, vel animantia bruta amat; is erga ea bonus est (§. 655 sq. *emp.* 695. *Th. nat.*).

§. 703.

Signum amoris inanimatorum & brutorum.

Qui bonus est erga animantia bruta vel res inanimatas, is non minus has, quam illa amat (§. 695. *Theol. natur.* 511. 657. 652. *emp.*).

§. 704.

Amoris divini objectum.

Deus amat entia omnia, quæ ut existerent decrevit, seu quæ fecit (§. 699. 698. 700. 703.).

Nemo non videt, Deum entia omnia non eodem complecti amore, & maxime quidem ac proprie amare entia rationis capacia veluti homines.

§. 705.

Animus Dei erga homines.

Deus ex hominum ac in genere entium rationis capacium felicitate voluptatem percipit (§. 633. *emp.* 704. *Th. nat.*).

§. 706.

Felicitas entis rationalis objectum voluntatis divinæ.

Deus hominum & in genere creaturæ rationalis cujuscunque felicitatem vult (§. 705. *Th. nat.* 542. 941. *emp.* 431. *Th. nat.*).

§. 707.

Infelicitatem velle nequit.

Deus infelicitatem hominum & in genere entis rationalis cujuscunque velle nequit (§. 706. *Th. nat.* 28. *Ont.*).

§. 708.

§. 708.

Homines fiunt infelices abusu libertatis (§ 374. 371. *Th. nat.* 568. 518. 637. *emp.* 580. *Th. nat.*). Infelicitas hominum unde.

§. 709.

Ex eo, quod homines sint infelices, colligi nequit, quasi Deus erga eos non sit summe bonus (§. 708. 707.). Bonitas Dei defensa.

§. 710.

Potentia libertate abutendi est malum metaphysicum (§. 716. 168. 580. 578. 577. 372.). Potentia libertate abutendi quale sit malum.

§. 711.

Potentia abutendi libertate ne per miraculum quidem ab homine auferri potest (§. 710. 381.). An tolli possit.

§. 712.

Potentia abutendi libertate inhæsit ideæ hominis ante decretum, nec per hoc ab eadem separari potuit: ob eam tamen Deus existentiam hominis minime decrevit (§. 710. 546. 547.). Quomodo spectetur in decreto divino.

§. 713.

Deo abusus libertatis præscibilis fuit ab æterno (§. 580. 587. 302. 319. 301.), *eundemque ab æterno præscivit* (§. 528. 522.). Abusus libertatis præscibilitas & præscientia.

§. 714.

Deus abusum libertatis permittere (§ 585. 580.) *sapientissime* (§. 644.) *decrevit.* Permissio abusus libertatis.

§. 715.

Abusus libertatis non obstat, quo minus hic mundus sit omnium perfectissimus (§. 556 580.), *nec salva perfectione* (§. 550. 580.) *mundi ac sapientia* (§. 676.) *Dei impediri potest.* Abusus libertatis ad mundum & Deum relatus.

Patent hinc rationes, cur Deus abusum libertatis permittere decreverit, etsi non velit hominem libertate sua abuti.

§. 716.

Quomodo a Deo impediri possit.

Abusus libertatis a Deo impediri nequit nisi per miraculum, quando scilicet homo aliquis libertate sua actu abutitur. Ponamus enim Davidem adulterium committere cum Bethsaba. Nemo non novit, quod is adulterium sibi in hoc casu repræsentet tanquam bonum jucundum (§. 561. *Psychol. emp.*), ac ideo ipsum appetat (§ 904. *Psychol. empir.*), abusus libertate sua, quatenus per eam bonum jucundum honesto præfert (§. 941. *Psychol. empir.*). Quodsi jam Deus hunc libertatis abusum impedire debuisset, actum appetitionis in actum aversionis sua omnipotentia, qua facere potest quicquid intrinsece possibile (§. 343.), determinare debebat. Quoniam itaque per se patet aversionis rationem sufficientem in natura animæ Davidis non contineri, consequenter nec in vi repræsentativa universi, in qua natura animæ consistit (§ 67. *Psychol. ration.*), supernaturale vero in anima est, cujus ratio sufficiens in vi repræsentativa universi non continetur (§. 70. *Psychol. ration.*); erit aversio adulterii in eo casu supernaturalis. Est vero miraculum in anima, quod in eadem supernaturale est (§. 71. *Psychol. ration.*). Quamobrem & aversio adulterii in hoc casu miraculum in anima est. Quodsi supponas, stante appetitione adulterii, a Deo impediri motus in corpore, qui ad explendum animæ desiderium requiruntur, in corpore accidit quidpiam, cujus ratio sufficiens in essentia & natura ejus non continetur. Quamobrem cum status iste corporis supernaturalis miraculum sit (§. 510. *Cosmol.*); consummatio quoque adulterii, manente appetitione, impediri nequit nisi per miraculum, consequenter nec abusus libertatis a Deo impeditur nisi per miraculum. E.

§. 717.

An ejusmodi miraculum Deum deceat.

Non decet Deum abusum libertatis per miraculum impedire (§. 715. 326 370. 402 sq. 387. 349. 629. 332).

Loquimur hic de impeditione universali abusus libertatis, non vero de particulari. Cum enim simpliciter non repugnet, ut Deus per miraculum seriem rerum immutando mutet in meliorem (quod num & quando fieri possit, ipsius omniscentiæ ac sapientiæ summæ relinquendum);

dum); ita nec dici ſimpliciter poteſt, quod non detur in hac ſerie rerum caſus quidam particularis, ubi impeditio abuſus libertatis miraculoſa facit ad majorem hujus univerſi perfectionem.

§. 718.

Deus non potuit hominem facere absque potentia abutendi libertate ſua (§. 380. 710.).

An Deus hominem illabilem potuerit facere.

Qui ſumunt, Deum potuiſſe facere hominem illabilem, feciſſe tamen labilem, docere nequeunt, quomodo hoc cum bonitate Dei conſiſtat.

§. 719.

Ideo homo non abutitur libertate, quod eadem abuti poteſt (§. 171. Ont.), conſequenter *potentia abutendi libertate non eſt ratio ſufficiens ipſius abuſus (§. 118. Ont.).*

An abuſus libertatis ratio ſufficiens ſit potentia abutendi.

§. 720.

Potentia abutendi libertate abſolute neceſſaria eſt (§. 710. 375.); ipſe autem abuſus abſolute neceſſarius non eſt (§. 315. 302. 112. Ont. 580. 374. Th. nat. 942 941 emp.).

Num neceſſitas inſit abuſui libertatis.

Nobis nunc non eſt ſermo de eo, num abuſus libertatis facile evitari poſſit in omni caſu; ſed num prorſus impoſſibile ſit & quidem abſolute, ut evitetur in eo caſu, quo eadem abutimur: plurimum enim differt abuſum libertatis prorſus evitare non poſſe & eundem ſubinde difficulter evitare poſſe. Impoſſibilitas abſoluta evitandi abuſum libertatis in omni caſu, quo eadem abutimur, tollit libertatem; aſt difficultas eundem ſubinde evitandi cum eadem conſiſtit. Neque hic ſermo eſt de eo; num in quibusdam caſibus vel pro certo hominum nonnullorum ſtatu abuſus libertatis pro neceſſario reputari poſſit, cum hæc neceſſitas tantummodo hypothetica ſit, minime vero abſoluta.

§. 721.

Deus non potuit facere hunc mundum abſque hominibus, qui in eodem exiſtunt (§. 60 ſq. 59. Coſm. 300. 533. Ont. 62. Coſm.).

An Deus hunc mundum absque hominibus facere potuerit.

Propoſitio præſens maximæ utilitatis eſt in diſpellendis nebulis, quæ circa exiſtentiam mali in hoc univerſo cooriuntur. Etenim plerique ſibi imaginantur ſpatium vaſtum inane, in quo Deus producere potuit, quicquid voluit, potentiam metientes ex voluntate, poſſibilitatem

tatem rerum ex potentia. Corpora mundi totalia ſibi repræſentant per modum ædium, quas Deus pro arbitrio extruxit, ubicunque ipſi commodum viſum fuerit. Quemadmodum itaque domus una in urbe extrui poteſt, ut ideo non neceſſe ſit ſimul extrui alteram, aut una excitari poteſt urbs, ut aliam una condi non ſit opus, ita quoque Deum corpus mundi totale unum feciſſe ſumunt, ut propterea non fuerit aliud eidem coëxiſtens una producendum. Porro ſicuti domum, quam extruximus, vel quibusdam habitandum concedere, vel vacuam ab habitatoribus relinquere poſſumus; ita quoque Deum corpora mundi totalia & hæc inter tellurem quoque noſtram vel vacua relinquere potuiſſe, vel creaturis quibusvis habitanda concedere. Et quemadmodum domino domus integrum eſt, cuinam domus ſuæ uſum concedere velit; ita quoque Deum terram inhabitandam dare potuiſſe non tantum hiſce, qui in eadem degunt, hominibus; ſed etiam aliis melioribus. Quoniam itaque experientia docemur, homines, qui terram incolunt, libertate ſua abuti poſſe, & ab hoc abuſu promanare omne malum; absque ulla hæſitatione inferunt, potuiſſe Deum hominibus non labilibus terram habitandam concedere, ac malum morale ex terra profligare, conſequenter mundum producere absque hiſce hominibus, qui terram incolunt.

§. 722.

Num abuſus libertatis permiſſio bonitati repugnet.

Deus ſalva bonitate ſumma, quæ ipſi eſt, facere potuit hominem, qui libertate ſua abuti poſſet (§. 718. 698. 695. 699.), & quem eadem abuſurum prævidebat (§. 713-715. 717. 698 ſeq. 695. 370.).

Nemo bonitati hominum adverſari judicat, ſi in gratiam alterius non facit, quod vel phyſice, vel moraliter impoſſibile, etſi alteri id ipſum commodum accideret, immo maxime ſalutare foret.

§. 723.

Malorum moralium & phyſicorum nexus.

Ex malis moralibus mala phyſica neceſſario conſequuntur.

Ponamus, Cajum comedere cibum ſanitati noxium, quia bene ſapit. Sumo, appetitionem ac comeſtionem hujus cibi eſſe malum morale. Sumo porro, morbum eſſe imperfectionem corporis, ſeu ſtatum ejus reddere imperfectiorem, quam foret, ſi quidem is abeſſet, conſequenter cum reſpectu corporis noſtri

nostri malum physicum sit, quod statum ejus, vel ipsummet corpus imperfectioni cuidam obnoxium reddit, quemadmodum respectu totius mundi malum physicum est, ob quod ejus status imperfectior reddi censetur, quam foret, si idem abesset (§. 373.), patet morbum in numero malorum physicorum esse, præsertim cum ipsemet hic mundus censeatur hoc nomine imperfectior, quod per naturam causarum naturalium corpora humana fiant morbis obnoxia. Quoniam igitur ex comestione cibi corpus incidit in morbum, a quo liberum foret, si ab eodem abstineremus; ex malo morali sequitur malum physicum, cui non foret in hac rerum serie locus, nisi in eadem locus esset malo morali. Et quia naturaliter fieri non potest, ut corpus in morbum non incidat, si eum capiamus cibum, a quo morbus tanquam effectus proficiscitur (§. 898. *Ont.*); ex malo morali necessario consequitur malum physicum.

Necessitas utique in casu propositionis præsentis nonnisi hypothetica est, quatenus nimirum supponitur, effectum naturalem quemcunque per miraculum a Deo impediri posse. Ceterum nexus necessarius inter malum morale atque physicum probe perpendendus, cum ad intrinsecam actionum malitiam agnoscendam plurimum faciat.

§. 724.

Homo ruere dicitur *in mala*, quando ea agit, unde mala necessario consequuntur, sive ea physica fuerint, sive moralia. Unde si physica fuerint, *in physica;* si moralia *in mala moralia ruere* dicitur. **In mala quomodo ruat homo.**

§. 725.

Non repugnat bonitati divinæ, quod hominem in mala ruere sinat (§. 722. 580. 723 *sq.*). **Idem fit salva bonitate Dei.**

Etsi propositio potissimum de malis physicis loquatur vi demonstrationis; per hanc ipsam tamen patet, quod etiam de moralibus intelligenda sit, ubi homo ea agit, unde mala moralia consequuntur, veluti dum habitum mala perpetrandi sibi acquirit, adeoque in vitia incidit, immo dum ex vitio uno incidit in alia plura, & habitus male agendi sive vitia indies majora capiunt incrementa.

§. 726.

§. 726.

Num salva sapientia.

Deus salva sapientia sua impedire nequit, ne homo in mala, sive physica, sive moralia ruat (§. 724. Th. nat. 942. emp. 715. Th. nat.).

§. 727.

Bonitas Dei quomodo dijudicanda.

De bonitate Dei judicari nequit nisi in relatione ad totum universum & omnia ipsius attributa (§. 391 sq. 395. 695.).

§. 728.

Cautio in dijudicanda bonitate Dei.

Multo minus de eadem judicare licet, quoad hominem unum in singulari citra relationem ad totum genus humanum (§. 727.).

§. 729.

Homo non eo, quo Deus, modo de bonitate ipsius judicat.

Homo de bonitate divina eodem, quo Deus, modo judicare nequit (§. 695. 699. 727. 396.).

§. 730.

Incomprehensibilitas bonitatis divinæ.

Bonitas Dei homini incomprehensibilis est (§. 729. 170.).

§. 731.

Imperscrutabilitas bonitatis quid.

Bonitas dicitur *imperscrutabilis*, si modum, quo quis promovet perfectionem alterius, non penitus perspicimus, nec certo cognoscere valemus.

§. 732.

Imperscrutabilitas bonitatis divinæ.

Bonitas Dei nobis imperscrutabilis est (§. 729. 731.).

§. 733.

Bonitatis divinæ effectus singularis.

Directio malorum ad bonum finem est bonitatis divinæ (§. 680. 679. Th. nat. 554. emp. 695. Th. nat.).

§. 734.

Beneficium Dei speciale.

Quamobrem cum malum dirigatur ad bonum finem, si homo malis physicis utitur ad evitanda moralia (§. 679.); *bonitatis divinæ est, si Deus mala physica homini immittit, ut adversus malum morale præmuniatur, vel ab eodem desistat (§. 733.).*

§. 735.

§. 735.

Quoniam similiter malum dirigitur in bonum finem, si malo minore avertitur majus (§. 679.); *bonitatis divinæ est, non modo si Deus homini malum physicum minus immittit, ut eodem avertatur majus; verum etiam si permittit, ut malum morale minus committat, quo a majore avertatur* (§. 733.). Aliud.

§. 736.

Bonitati divinæ acceptum ferendum, si homo in iis ponitur circumstantiis, quibus & mala physica, & moralia, quibus sub aliis obnoxius fieri poterat, avertuntur (§. 697.). Adhuc aliud.

§. 737.

Bonitati divinæ acceptum ferendum, si homo ponitur in iis circumstantiis, sub quibus bonorum tam physicorum, quam moralium sit compos (§. 666. *Th. nat.* 689. *rat.* 698. 697. *Th. nat.*). Adhuc aliud.

Maximum ad artem semper gaudendi præsidium in bonitate divina latet; maximo divina bonitas adjumento est, ut animus reddatur sorte sua contentus.

§. 738.

Totum universum est plenum bonitatis divinæ (§. 698. 733 sqq. 697.). Extensio bonitatis divinæ.

§. 739.

Bonitatis divinæ est, quod in hoc universo unum inserviat usibus alterius (§. 648 sq. *Theol. nat.* 932. *Ontol.* 370 sq. 646. 697. *Th. nat.*). Per mutuos rerum usus exercita.

Bonitati divinæ e. c. tribuendum, quod Deus eum fecerit globum terraqueum; ut stato tempore pluvia gignatur terram nostram irrigatura & agros ac campos fœcundatura.

§. 740.

Nexus rerum in hoc universo bonitate divina constitutus est (§. 53 sq. *Cosm.* 665. 648 sq. 739. *Th. nat.*). Nexus rerum ab ea pendet.

§. 741.

Nexus rerum in hoc universo sapientia ac bonitate divina simul constitutus est (§. 740. 666.). Item a sapientia & bonitate simul.

§. 742.

Deus est bonus erga nos & alios.

Bonitati divinæ acceptum ferendum, si qui homines nobis quomodocunque inserviant (§. 739.).

§. 743.

Incomprehensibilis est magnitudo bonitatis divinæ.

Magnitudo bonitatis divinæ est omni homini incomprehensibilis (§. 695. 370.). Magnitudo bonitatis æstimanda venit, tum ex magnitudine bonorum, quæ conferuntur in alios, tum ex multitudine eorum, in quæ bona conferuntur. Enimvero totum universum, quocunque te vertas, est plenum bonitatis divinæ (§. 738.). Quamobrem bonitatis divinæ magnitudinem nemo animo concipere valet, nisi qui totum universum penitus cognoscit, ut entia singula, quæ per omne tempus in eodem existunt, distincta notione sibi repræsentare valeat & quidnam in singula boni Deus conferat perspiciat. Id ipsum vero in nos non cadit. E. (§. 170.).

Cum incomprehensibilitate, de qua (§. 730.) dictum, minime confundenda est incomprehensibilitas magnitudinis bonitatis divinæ, quatenus ea per totum hoc universum diffunditur, de qua loquitur præsens propositio.

§. 744.

Bonitas Deo tributa in S. S.

Deus in S. S. dicitur bonus eodem sensu, quo nos eundem summe bonum esse demonstravimus. *Psalm.* CVI, 1. CVII, 1. CXVIII, 1. *Psalm.* CXLVI, 8. 9. Ex his igitur intelligitur, Deum in S. S. dici bonum erga alios, quatenus pronus est ad aliorum entium perfectionem sive essentialem, sive accidentalem promovendam.

§. 745.

Bonitatis divinæ magnitudo immensa juxta S. S.

Bonitas Dei juxta S. S. summa atque immensa est. Matth. XIX, 16. 17. Quoniam qui Christum magistrum bonum appellabat, ab eo doceri desiderabat, quid fieri a se debeat, ut vitæ æternæ campos reddatur; ipsum utique bonum dicebat in relatione ad alios. Quamobrem cum ex interrogatione responsionis interpretatio fieri debeat, quia interrogans non aliter accipit mentem respondentis, quam quatenus interrogationi suæ convenit; dicendum omnino est, Christum quoque Deum appellare bonum in relatione ad entia alia. Hanc igitur bonitatem relativam

tivam (§. 695. 370. 744.), nonnisi uni Deo propriam esse Christus pronunciat. Negat adeo hominem ullum bonum erga alios dici posse, si bonitatem ejus referas ad divinam. Constat Christum ipsum homines quosdam vocare bonos, eosque opponere malis, qui inimico sunt in alios animo *Matth.* V, 45. & seqq. Quamobrem (§. 891. *Log.*), ad Deum solum bonum applicanda sunt, quæ de Deo juxta S.S solo sapiente (§. 694.) dicuntur. Solus sapiens est, quatenus ejus sapientia est omni sapientiæ entis cujuscunque finiti heterogenea; ita bonus quoque solus est, si bonitas entis cujuscunque finiti sive absolute, sive in relatione ad entia alia spectata, pro nihilo reputanda sit. Maxima ergo est & immensa bonitas Dei.

§. 746.

Amor Dei erga omnes creaturas juxta S. S.

Deus juxta S.S. amat res omnes tam animatas, quam inanimatas, inprimis vero homines. Vid. *Ps.* CXLV, 9. coll § 700. *Gen.* I. & II. de voce טוב. De voce רחם conf. §. 687. 692. 701 sq. *emp.* Quod vero homines inprimis amet, docet *Joh.* III, 16. & 1 Epist. III, 1.

§. 747.

Voluntas divina tendit in felicitatem hominum juxta S. S.

Deus non vult hominum infelicitatem, sed vult eos esse felices juxta S.S. *Ezech.* XXXIII, 11. Sumo, mortem, cui obnoxius fit homo peccando, designare omnem infelicitatem, in quam sese præcipitem dat; sicuti e contrario vita denotat felicitatem, quæ bene ac recte agentem comitatur. E.

§. 748.

Infelicitas unde juxta S. S.

Homo se reddit juxta S. S. infelicem abusu libertatis. *Deut.* XXXI, 19. coll. *Deut.* XI, 26.

§. 749.

Directio mali ad bonum finem juxta S.S. bonitatis divinæ.

Directio mali ad bonum finem juxta S. S. tribuenda bonitati divinæ. *Genes.* XLV, 5. 4. coll. §. 697. & *Rom.* XV, 4.

§. 750.

Item usus rerum naturalium.

Bonitati divinæ tribuendum juxta S. S. quod in hoc universo unum inserviat usibus alterius. *Matth.* V, 44. & sqq. jubet Christus nos benefacere his, qui oderunt nos, & orare pro iis,

 qui

qui persequuntur & calumniantur nos. Addit vero hanc rationem, quod Deus Solem suum oriri faciat super bonos & malos, & pluat super justos & injustos. Et mox præcipit, nos perfectos esse debere, sicuti Deus, pater noster cœlestis, perfectus est. Usum adeo Solis, quem experimur in his terris, usumque pluviæ in numerum beneficiorum refert divinorum. Jam vide §. 695.

§. 751.

Beneficia hominum Deo tribuenda juxta S. S.

Bonitati divinæ acceptum ferendum est juxta S. S. si quid boni in nos confertur ab hominibus.

Josephus tempore famis patri fratribusque suis alimenta præbebat, ne fame perirent vel ob annonæ caritatem ad incitas redigerentur. Beneficium hoc erga parentem ac fratres Deo autori acceptum fert. *Gen.* XLV, 5. 7 & *vers.* 8. addit: Dei voluntate huc missus sum. Reddit Josephus ipsemet rationem, cur hoc beneficium sit Deo autori tribuendum. Ait nimirum: Deus fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti. His autem verbis indigitat, se ideo benefacere posse patri atque fratribus, quod Deus ipsi largitus fuerit benefaciendi facultatem.

§. 752.

Bona omnia juxta S. S. ad Deum referenda.

Juxta S. S. bonitati divinæ acceptum ferendum, si homo ponitur in iis circumstantiis, sub quibus bonorum tam physicorum, quam moralium sit compos. *Gen.* XLV, 5. & sqq. Dignitas & potestas, qua fruebatur Josephus, erant bona physica (§. 370. 373.); gratus in parentem animus, amor fratrum, animus ab omni vindictæ cupidine alienus, studium benefaciendi non minus inimicis, quam amicis bona erant moralia (§. 370 374.). In iis adeo circumstantiis positus erat, quibus & bonorum physicorum, & moralium compos reddebatur. Id vero Deo acceptum ferebat.

Idem inculcat Paulus 1 *Cor.* IV, 7.

Idem docet Jacobus c. I, 17.

§. 753.

§. 753.

Juxta S. S. totum universum est plenum bonitatis divinæ, Psalm. CXIX, 64. Vocabulum חסד bonitatem denotare eo sensu acceptam, quo nos vocabulum sumimus (§. 695.), ex *Gen.* XXIV, 12. 14. 49. abunde patet. Diffusio bonitatis divinæ.

Scriptura sacra non excitat nisi attentionem ad ea, quæ a nobis observari possunt. Quamobrem cum observationes communes ultra superficiem Telluris sese non extendant, si corpora partialia spectes; de diffusione bonitatis divinæ verba faciens non nisi Telluris mentionem injicit. Quod vero quæ de Tellure dicuntur, ad corpora mundi totalia cetera quoque applicentur, patet ex *Psalm.* LVII, 11. ubi legitur misericordiam Dei magnificatam esse usque ad cœlos. Jam vide §. 406.

CAPUT V.

DE

CREATIONE ET PROVIDENTIA DIVINA.

§. 754.

Si mundus aliquis materialis ad actum perducendus, elementa rerum materialium ad actum perducenda sunt (§. 119. 177. 182. 62. *Cosm.* 793. 791. 770. 149. *Ont.*). Quænam in producendo mundo ad actum perducenda.

Idem discitur ex §. 62. *Cosm.* 686. *Ont.* 182. *Cosm.*

§. 755.

Si hic mundus ad actum perducitur, hæc quoque elementa rerum materialium ad actum perducenda sunt (§. 754.) adde §. 569 sq. *Cosm.* Quænam elementa produci debuerint.

§. 756.

Fuerunt producta ab alio.

Elementa rerum materialium producta sunt, seu facta ab alio (§. 90. 198. 191. 80. 82. 197. *Cosm.* 690. *Ont.*).

Idem patet ex §. 561. *Cosm.* 294. 279. *Ont.* 569. *Cosm.* 294. 310. *Ont.* 31. *Th. nat.* 690. *Ont.*

In superioribus jam evicimus, elementa rerum materialium non esse entia a se (§. 52.), unde facile inferri potest, ea esse facta sive producta ab alio, cum quod a se non est, nec vi propria existat, sed aliena indigeat, ut existere possit (§. 27.); consequenter actualitatem ab alio habere.

§. 757.

Mundum esse factum ab alio.

Mundus hic adspectabilis factus est ab alio (§. 101. *Cosm.* 279. 294. 310. 690. *Ont.*).

§. 758.

Mundi & elementorum productio cui tribuenda.

Deus fecit mundum & ipsa elementa rerum materialium (§. 70. 67. 64. *Theol. natur.* 56. *Ontol.* 192. 181. 522. 525. 223. *Theol. natur.*).

Triplex mundi distingui potest status, nimirum status nudæ possibilitatis, status futuritionis & status actualitatis. Status nudæ possibilitatis absolute necessarius est, competit enim mundo, quatenus ejus idea in intellectu divino (§. 181.), necessario ac immutabiliter datur (§. 189. 190.). Status futuritionis consideratur post decretum, quippe cum per hoc in illum mundus ex statu puræ possibilitatis fuerit perductus. Status denique actualitatis præsens est, & ex statu futuritionis in eundem perductus est mundus omnipotentia Dei. Triplicem hunc statum probe discernere tenemur, ne in dijudicanda dependentia mundi & rerum in eo contentarum a vero aberremus.

§. 759.

Productio mundi ex nihilo.

Deus hunc mundum produxit ex nihilo (§. 758. 754. *Th. nat.* 182. *Cosm.* 691. *Ont.*).

Ex nihilo producitur, si ei, quod ex nihilo oriri debebat, existentia confertur (§. 690. *Ontol.*), & ex nihilo oritur, quod existere incipit, cum nihil ejus antea actu esset (§. 540. *Ontol.*). Quamobrem mundum ex nihilo produxit Deus, quatenus eidem existentiam seu actua-

actualitatem impertitus est, cum nihil prorsus ejus antea actu esset. Nimirum ex *not.* §. *prac.* constat, antequam mundus a Deo produceretur, totum nonnisi idealiter extitisse in intellectu divino, & per voluntatem Dei certum fuisse, quod actualitas eidem sit conferenda, consequenter nihil prorsus ad eum quomodocunque pertinens actu fuisse. Deus igitur, quod in se spectatum nonnisi possibile erat, ad actum perduxit, cum nihil ejus actu extaret.

§. 760.

Deus creavit mundum hunc adspectabilem (§. 759. *Th. nat.* 697. *rat.*). Creatio mundi.

§. 761.

Deus constituit hunc naturæ ordinem, dum hæc, non alia rerum materialium elementa produxit (§. 569. *Cosm.*). Ordo naturæ quomodo constitutus.

Patet adeo, quomodo ordo naturæ contingens sit, seu ab absoluta necessitate liber (§. 561. *Cosmol.*), etsi natura ipsa, quæ in agendo hunc ordinem observat (§. 557. *Cosmol*) necessario agat. Patet etiam, quomodo Deus præscribere potuerit naturæ aliquem ordinem & hæc ipsi obedire teneatur. Nimirum substantias simplices, quæ activæ sunt, produxit, quibus insunt vires hoc & non alio modo modificabiles, & quæ adeo non alio, quam hoc modo agere possunt, cum aliæ substantiæ istiusmodi simplices produci possent, quæ alio modo modificabiles alio etiam, quam hoc modo agere poterant. Intelligitur hinc porro modus contingentiam naturæ ordinis ex ipsa elementorum natura a priori demonstrandi, etsi nondum plene percipiatur, cum phænomenorum in mundo materiali ex substantiis simplicibus tanquam ex suo fonte ortum paulo penitius inspicere debeamus, antequam demonstratio concinnari possit.

§. 762.

Creator mundi dicitur, qui hunc mundum adspectabilem creavit. *Autor ordinis naturæ* vocatur, qui naturæ ordinem constituit. Creator mundi & autor ordinis naturæ quinam.

§. 763.

Deus est creator mundi & autor ordinis naturæ (§. 760 *sq.* 762.). Quisnam sit.

§. 764.

Quomodo hunc mundum produxerit.

Deus hunc mundum adspectabilem & hæc in eodem, non alia corpora produxit, dum hæc, non alia elementa rerum materialium ad actum perduxit (§. 571. 182. 176. 119. *Cosm.*).

§. 765.

Actus creationis est unicus.

Deus mundum hunc adspectabilem produxit & ordinem naturæ constituit uno eodemque actu (§. 764. 761.).

Vulgo sumunt, Deum creasse rudem quandam & indigestam molem, quam *Chaos* dixere veteres. Ex hac deinde materia variis modis divisa & in motum concitata fecisse corpora & ordine suo disposuisse. Hisce tandem conveniente modo ordinatis præscripsisse certum ordinem, quem natura observaret. Enimvero qui ita sentiunt, secundum notiones imaginarias philosophantur, ad imitationem earum confictas, quas de productione operum artificialium consecuti.

§. 766.

Actus creationis in quo consistat.

Actus creationis consistit in perducendis ad actum talibus substantiis, nullo alio præexistente in easdem influente (§. 765. 761. 764. 759. *Th. nat.* 540. 690. *Ont.* 182. 177. *Cosm.*).

Artifices & in universum homines opus aliquod producentes nihil substantiale ad actum perducunt, quod antea non erat. Unde ex nihilo nihil facere possunt. Quicquid faciunt, ex materia quadam præexistente faciunt, ut adeo ipsorum actus cum actu creationis nihil prorsus commune habeat.

§. 767.

Potentia creatrix num Deo propria.

Naturæ rerum nulla competit potentia creatrix; sed ea soli Deo propria est. Etenim naturæ vi non producuntur nisi corpora, consequenter cum corpora sint entia composita (§. 119. *Cosmol.*), nonnisi composita. Enimvero composita oriuntur citra rei cuiusdam ex nihilo ortum (§. 542. *Ontol.*), consequenter citra ullam creationem (§. 697. *Psychol. ration.*). Ergo naturæ vi nihil creatur. E. *Quod erat unum.* De *secundo* vide §. 760.

Ponamus, si fieri potest, naturæ competere potentiam creatricem. Quoniam natura est vis motrix (§. 506. *Cosmol.*), vis motrix

motrix autem non sunt nisi vires, quæ insunt elementis, confuse perceptæ (§. 110. *Psychol. ration.*); natura distincte percepta est aggregatum omnium virium activarum, quæ insunt elementis. Sunt vero elementa substantiæ simplices (§. 182. *Cosmol.*), consequenter cum ens simplex ex alio simplici existente oriri nequeat (§. 688. *Ontol.*), nec vi elementorum aliæ substantiæ simplices produci possunt, ex nihilo utique producendæ (§. 691. *Ontol.*). Naturæ igitur potentia creatrix tribui nequit (§. 697. *Psychol. ration.*). De Deo autem lege §. 67. 64. 670.

Deo ergo potentia creatrix non tribuitur propter simplicitatem, sed propter aseitatem.

§. 768.

Creatio mundi miraculum est (§. 767. *Theol. natur.* 523. *Cosmol.*). Creatio mundi miraculum est.

§. 769.

Mundus per miraculum cœpit, consequenter *primus mundi status miraculosus est* (§. 760. 768.). Primus mundi status qualis.

§. 770.

Ordo naturæ per miraculum constitutus (§. 765. 768.). Ordinis naturæ constitutio qualis.

§. 771.

Primus status mundi per essentiam & naturam rerum intelligibili modo explicari nequit (§. 769. *Theol. nat.* 510. *Cosm.* 56. *Ont.*). Primus mundi status intelligibiliter explicari nequit.

§. 772.

Miraculum primigenium dicitur, unde quid originem suam derivat in universo, a quo deinceps alia naturaliter pendent. Miraculum primigenium.

§. 773.

Creatio mundi & ordinis naturæ constitutio miraculum primigenium est (§. 768. 770.). Atque adeo non minus mundus, quam ordo naturæ originem suam a miraculo derivat. Quæ vero Est creatio mundi & constitutio ordinis naturæ.

vero deinceps fiunt, rationem sufficientem in essentia & natura corporum continent, adeoque naturaliter fiunt (§. 509. *Cosmol.*). Jam vide §. 772.

§. 774.

Effectus naturales a miraculo pendent.

Quæcunque naturaliter fiunt in mundo adspectabili, vi miraculi primigenii consequuntur (§. 566. *Cosmol.* 773. *Theol. natur.*).

§. 775.

Incommunicabilitas potentiæ creatricis.

Potentia creatrix nulli enti a Deo communicari potest (§. 768. 767. 471.).

§. 776.

Differentia potentiæ divinæ a potentia creaturarum.

Potentia divina non modo magnitudine differt a potentia naturæ & animarum nostrarum; verum ipsa specie, seu potentia alterius prorsus generis est. Vide de Deo §. 766. 775. *Th. natur.* De naturæ potentia & animarum nostrarum. vide §. 196. 507. *Cosm.* 56. *rat.* 705. 703. 791. 779. *Ont.* Patet itaque, potentia Dei ad actum perduci substantias; potentia naturæ atque animarum nostrarum nonnisi accidentia. Præterea potentia divina possibilia ad actum perduci ex nihilo, seu nullo alio præexistente, quod quomodocunque in ejus actualitatem influere possit; potentia autem naturæ atque animarum nostrarum nihil ad actum perduci nisi in subjecto præexistente. E. (§. 343. 354.).

§. 777.

Creaturæ definitio.

Creatura dicitur ens a Deo creatum, seu, quod perinde est, ex nihilo productum.

§. 778.

Creaturæ quænam sint.

Totus mundus adspectabilis & omnia elementa rerum materialium sunt creaturæ Dei (§. 760. 758. *Th. nat.* 691. *Ontol.* 182. *Cosmol.* 777. *Th. nat.*).

§. 779.

Idem ulterius ostenditur.

Corpora non modo in prima origine rerum producta; verum etiam hodienum genita, quatenus non sunt nisi aggregata elementorum, creaturæ Dei sunt (§. 176. *Cosm.*).

§. 780.

§. 780.

Animæ humanæ a Deo creatæ in prima rerum creatione. (§. 59. 67. *Th. nat.* 541. *Ont.* 698. 704 sq. *rat.*). **Creatio animarum.**

§. 781.

Animæ humanæ sunt creaturæ (§. 780. 777). **Sunt creaturæ.**

§. 782.

Totus homo, qua animam scilicet atque corpus, *est creatura Dei* (§. 51. *rat.* 781. 779.). **Totus homo est creatura.**

§. 783.

Animæ brutorum a Deo creatæ sunt. Cum animæ brutorum observent legem sensationum (§. 754. *Psych. ration.*) quam scilicet observant humanæ; eodem modo patet, eas non esse entia a se (§. 59.), consequenter nec necessario existere (§. 32.), adeoque ortas esse (§. 541. *Ontol.*). Jam vide §. 768. *ration.* 767. 775. *Th. nat.* **Creatio animarum brutorum.**

Nunc patet, entia omnia, quæ præter Deum existere novimus, esse creaturas.

§. 784.

Ens unum dicitur *speculum rei alterius*, si per determinationes illi intrinsecas seu per ea, quæ ipsi insunt, colligi possit, quid hæc sit, quatenus scilicet per illius cognitionem pervenitur ad cognitionem hujus. **Speculum rei quid dicatur.**

Cum ea, quæ directe videri a nobis minime possunt, per reflexionem videantur in speculo, ut adeo visum non effugiant, quæ alias eidem subducerentur; ita similiter per ens istud, quod rei alterius speculum appellatur, res hæc altera nobis innotescit, quæ alias cognitioni nostræ subduceretur.

§. 785.

Creaturæ omnes sunt specula perfectionum divinarum (§. 777. 629. 632.). Creaturas singulas Deus ideo fecit, ut per eas perfectiones suas patefaceret. Enimvero Deus alio modo perfectiones suas per creaturas patefacere non potuit, quam si tales fecit, ut ex iis, quæ ipsis insunt, colligi possit, quænam sint **Creaturæ quid sint.**

 per-

perfectiones divinæ. Cum vero Deus utatur mediis, quibus finem, quem intendit, ex asse consequitur (§ 625.); talia creavit omnia entia, ut ex iis, quæ ipsis insunt, colligi queat, quænam sint perfectiones divinæ. Nunc vide §. 784.

§. 786.

Quænam perfectionum divinarum specula dentur.

Quoniam & corpora (§. 779), & animæ tam hominum (§. 781.), quam brutorum creaturæ sunt (§. 783.); immo totum universum creatum est (§. 778); *corpora quoque omnia & animæ omnes, immo totum universum, sunt specula perfectionum divinarum* (§. 785.).

§. 787.

Creatio mundi ex nihilo S. S. conformis.

Deus etiam juxta S. S. mundum creavit ex nihilo. Conf. *Gen.* I, 1. coll. §. 68. Quando dicitur Deus mundum creasse in principio, id ita intelligendum, quod mundum creaverit, quando nondum ens erat ab alio, adeoque nihil extra Deum ac præter Deum existebat. Antequam igitur mundus crearetur, nihil extitit præter Deum, consequenter mundus non est factus ex aliquo præexistente, quod quomodocunque in actualitatem ipsius influere poterat. Atque ideo juxta S. S. Deus fecit mundum, cum nihil ejus antea actu esset. Jam vide §. 540. 690. *Ontol.* 760. *Th. natur.*

Adde *Heb.* XI, 4.

§. 788.

Deus creator juxta S. S.

Deus etiam creator dicitur in S. S. eodem sensu, quo supra eundem creatorem esse evicimus, & juxta eandem potentia creatrix ipsi propria (*Rom.* I, 25. *1 Petr.* IV, 19. coll. §. 787. 762 seq.).

§. 789.

Creaturæ, quæ dicantur in S. S.

Quicquid præter Deum existit, in S. S. creatura appellatur eodem sensu, quo supra creaturas esse omnia evicimus. *Rom.* I, 25. creator & creatura sibi invicem opponuntur, & creatoris nomine verus Deus, & qui ibidem solus Deus esse perhibetur, indigitatur. Unde apparet, creaturæ nomine designari, quicquid præter Deum existit.

§. 790.

§. 790.

Creaturæ nomine in S. S. non modo vocantur ea, quæ in primæva creatione a Deo producta sunt; verum etiam omnia, quæ deinceps vi naturæ ad actum perducuntur. Vid. 1 *Tim.* IV, 4. Ade *Ecclef.* XI, 1.

Late sumitur vocabulum creaturæ in S. S.

§. 791.

Creaturæ etiam juxta S. S. sunt specula perfectionum divinarum eo sensu, quo supra idem demonstravimus. Vid. *Rom.* I, 20. Ex iis adeo, quæ facta sunt, de Deo cognoscuntur, quæ in sensus minime incurrunt. Quæ a Deo facta sunt, sunt creaturæ (§. 777.), etiam juxta S. S. (§. 789.). Ex creaturis adeo cognoscuntur, quæ Deo insunt, nec in sensus nostros incurrere possunt. Ea, quæ insunt Deo, non insunt creaturis, adeoque intuitive cognosci nequeunt. Necesse igitur est, ut ex iis, quæ creaturis insunt, ratiocinando colligantur, quæ sunt in Deo, consequenter creaturæ hoc modo factæ sunt, ut per ea, quæ ipsis insunt, colligi possit, quod hæ sint perfectiones Deo competentes. Jam vide §. 784 sq.

Creaturæ quid sint juxta S. S.

§. 792.

Ante creationem mundi nec tempus (§. 160. 355. 760. *Th. nat.* 52. 54. 76 *Cosm.* 780. *Th. nat.* 524. *rat.* 574. *Ont.*), *nec spatium* (§. 760. 758. *Th. nat.* 589. *Ont.* 104 sq. *rat.*) *erat; utrumque vero cum ipso mundo cœpit.* De tempore vide §. 760. 780. *Th. nat.* 52. 54. *Cosm.* 524. *rat.* 574. *Ont.* De spatio conf. §. 51. 53. 76. *Cosmol.* 589. *Ontol.*

Tempus & spatium quando cœperit.

Qui notione spatii imaginaria confisi ipsum ens absolutum esse fingunt, in quo Deus mundum tanquam in receptaculo quodam collocavit, concedere tenentur spatium extitisse, antequam mundus crearetur, immo eundem a Deo creari non potuisse, antequam spatium extaret, in quo eundem collocaret. Unde aut spatium ante mundum a Deo creatum, aut ipsum æternum ac increatum esse admittere tenentur. Sed quicquid horum statuas, inextricabilibus difficultatibus intricaris, manifesto indicio in notione spatii sumi, quæ a veritate abhorrent. Nihil vero dubii est, ubi veram spatii notionem amplexus ex eadem ratiocinaris. Idem propemodum dicendum est de tempore, siquidem

habeas pro ente absoluto, quod juxta durationem rerum fluit, atque adeo extitisse fingitur, antequam crearetur mundus, ita ut æternitas concipiatur per modum temporis infiniti, quemadmodum spatium per modum extensionis infinitæ.

§. 793.

An mundus citius creari potuerit.

Quoniam ante creationem mundi tempus nullum fuit, sed cum ipso mundo demum cœpit (§. 792); *mundus citius creari non potuit, quam creatus est.*

Nimirum quæstio hæc, utrum mundus citius creari potuerit, nec ne, nullum habet sensum, si ad notionem realem temporis non imaginariam animum advertas.

§. 794.

An mundus major & minor condi potuerit.

Similiter *mundus majus spatium occupare non potuit, quam occupat, nec major, nec minor condi potuit (§. 792. Th. nat. 60. 73. Cosm. 345. Ont.).*

§. 795.

An extra mundum detur spatium.

Nullum datur extra mundum spatium (§. 117. Theol. nat. 589. Ont. 55. 60. Cosm.): spatia tamen diversa ab eo, quod mundus hic occupat, possibilia sunt (§. 101. Cosm. 342. 433. Th. nat. 48. Cosm. 589. Ont.).

§. 796.

Quomodo spatium a Deo factum.

Deus fecit spatium, dum produxit elementa rerum materialium inter se connexa (§. 571. Cosm. 589. Ont.).

§. 797.

Quomodo tempus.

Deus fecit tempus, dum elementa rerum materialium continuis mutationibus obnoxia produxit (§. 197. Cosmol. 569. 574. Ontol.).

§. 798.

Quomodo creaturæ sint specula perfectionum divinarum.

Creaturæ sunt specula perfectionum divinarum, quatenus ab attributis divinis dependent (§. 851. 56. Ont. 784. Th. nat.).

§. 799.

Mundus est speculum existentiæ necessariæ Dei.

Mundus integer & quicquid in eodem existit, est existentiæ Dei necessariæ speculum quoad contingentiam (§. 310. Ont. 67. 71. Th. nat. 118. Ont. 784. Th. nat.).

§. 800.

§. 800.

Mundus integer & quicquid in eodem existit, quatenus contingens est, seu quoad contingentiam ab existentia Dei necessaria dependet (§. 799. 798.).

Dependentia mundi a Deo quoad contingentiam.

Ut mundus existat, non sufficit, quod existat Deus; neque enim mundus ex Deo necessario emanavit, quemadmodum lumen ex sole, sed liberrime ab eodem productus est. Quamobrem verum quidem est, nisi existeret Deus, ens necessarium, nec extiturum mundum, ens contingens; non tamen ideo quod Deus necessario existit, necessario quoque existit mundus hic adspectabilis: poterat enim Deus & nullum creare mundum (§. 430.), & creare alium ab hoc diversum (§. 342.). Quamobrem mundus quoad existentiam suam non unice dependet ab existentia Dei necessaria. Enimvero notandum est, nos hic non loqui de integra existentia, sed tantummodo de contingentia, quæ eidem inest. Quatenus enim quid contingens est, eatenus supponit ens necessarium, cum contingenter existere nihil posset, nisi quid necessario existeret. Atque eatenus necessitas existendi in ente uno est ratio, cur quid contingens existere possit, sicque quod contingenter existit, non quoad existentiam, sed quoad contingentiam, quæ eidem inest, ab eo dependet.

§. 801.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem existit quoad essentiam suam dependet ab intellectu divino (§. 192. 181. Th. nat. 61. Cosm. 56. 851. 154. Ont.).

Dependentia mundi quoad essentiam a Deo.

§. 802.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem datur, est speculum intellectus divini per essentiam suam (§. 798. 801.).

Quomodo intellectum divinum repræsentet.

§. 803.

Mundus & quicquid in eo est quoad actualitatem dependet a potentia Dei (§. 61. Cosm. 759. Th. nat. 690. 540. Ont. 697. rat. 767. Th. nat. 851. Ont.), quoad actualitatis contingentiam a liberrima ejus voluntate (§. 101. Cosm. 325. 331. 334. 321. 351. Th. nat. 941. emp. 56. 851. Ont. 101. Cosm. 342. 433. Th. nat. 294. Ont. 101. Cosm.).

Dependentia mundi a potentia & liberrima Dei voluntate.

Cotin-

Contingentiam actualitatis ab actualitate distinguimus, & sigillatim dependentiam actualitatis in se spectatæ, seposita contingentia, a Deo consideramus. Quamobrem si mundus, ex Deo necessario emanaret, ita ut sine mundo actuali concipi minime posset; hoc tamen non obstante actualitas ejus dependeret a Dei potentia. Quamobrem mundus a potentia Dei creatrice dependet, quatenus ejus actualitas in se spectatur, seposita inquisitione, utrum ea sit contingens, nec ne. Enimvero ubi jam consideras actualitatem mundi tanquam contingentem, tum ea amplius intelligi nequit, nisi animum simul ad liberrimam Dei voluntatem advertas.

§. 804.

Mundus Dei potentiam & liberrimam voluntatem repræsentat.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem existit, est speculum potentiæ divinæ quoad actualitatem suam; speculum liberrimæ voluntatis ejusdem quoad actualitatis contingentiam (§. 798. 803.).

§. 805.

Dependentia mundi a sapientia Dei.

Mundus hic adspectabilis, & quicquid in eodem existit, a sapientia divina dependet quoad nexum universalem omnium cum omnibus (§. 665. 643. *Th. nat.* 678. *rat.* 56. 851. *Ont.*). Idem patet ex §. 666.

§. 806.

Quomodo sapientiam repræsentet.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem existit est speculum sapientiæ divinæ quoad nexum universalem omnium cum omnibus (§. 798. 805.).

Quoniam nexus iste consistit in dependentia mediorum a fine, per eundem in universam hanc rerum seriem, qua mundus adspectabilis constituitur (§. 55. *Cosmol.*), fines introducti sunt. Et ideo fines rerum sunt scala, per quam ad sapientiam divinam ascenditur. Dari fines in hoc universo & nexum rerum consistere in dependentia finis a medio non ante constare potest, nisi ubi probatum fuerit, causam efficientem dari hujus universi, quæ sit agens intelligens, & eam ideo produxisse causas, ut existere possint in hac rerum serie causata (§. 31. *Cosmol.*). Unde a finibus rerum existentia Dei demonstrativa ratione probari nequit.

§. 807.

§. 807.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem existit a bonitate divina dependet per rerum nexum, quatenus vi ejusdem unum inservit usibus alterius (§. 739. Th. nat. 56. 851. Ont.). Dependentia mundi a bonitate Dei.

§. 808.

Mundus & quicquid in eodem datur a bonitate Dei dependet quoad perfectionem suam (§. 698. 697. Theol. nat. 56. 851. Ontol.). Ulterius expenditur.

§. 809.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem existit est speculum bonitas divinæ quoad perfectionem suam & nexus rerum utilitatem (§. 808. 807. 798.). Quomodo bonitatem repræsentet.

§. 810.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eo datur dependet ab omniscientia Dei per nexum rerum, quatenus universalis & optimus (§. 300. 302. 301. Th. nat. 56. 851. Ont.). Dependentia mundi ab omniscientia.

Quia Deus omniscius est, ipsi quoque perspectum, quot modis omnia possibilia inter se connecti possint, & qualis ex nexu coëxistentium elementorum rerum materialium nascatur nexus successivorum vi essentiæ ac naturæ eorundem, nec eum fugere potuit, in quonam mundo nexus rerum optimus locum habeat. Fieri adeo potuit, ut omnia cum omnibus optimo modo connecterentur, quia omniscius est. Quodsi omniscientia destitueretur, non nisi casu in nexum rerum optimum incidere potuisset: sit ita, quod universalitas sua veluti sponte ex essentia & natura rerum resultasset, siquidem quid possibile fingatur absque distincta ejus in intellectu divino idea (§. 192.).

§. 811.

Mundus speculum omniscientiæ divinæ est per nexum rerum, quatenus is universalis atque optimus est (§. 810. 798.). Mundus omniscientiam Dei repræsentat.

§. 812.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem datur dependet a ratione Dei summa per nexum rerum universalem, quatenus eidem insunt veritates universales inter se connexæ (§. 200. 203. 261. 263. 271. 279. Th. nat. 483. emp. 56. 851. Ont.). Dependentia mundi a ratione Dei.

§. 813.

Mundus eam repræsentat.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem datur est speculum rationis divinæ summæ per nexum rerum, quatenus eidem insunt veritates universales inter se connexæ (§. 812. 798.).

§. 814.

Dependentia mundi ab æternitate Dei.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem existit dependet ab æternitate Dei per essentiarum æternitatem (§. 195. 189. 192. 74. *Th. nat.* 56. 851. *Ont.*) *& veritatem rerum transcendentalem* (§. 498. 232 sqq. 181. 74. *Th. nat.* 851. *Ont.*). Adde §. 163.

§. 815.

Mundus repræsentat eam.

Mundus & quicquid in eodem existit est speculum æternitatis divinæ per essentiarum æternitatem & veritatem transcendentalem, quæ rebus omnibus inest (§. 798. 814.).

§. 816.

Idem ulterius expenditur.

Patet quoque ex §. 499. *Ont.* 815. *Th. nat. mundum & quicquid in eodem datur esse speculum æternitatis divinæ, quatenus ipsis insunt veritates logicæ, sine ullo temporis respectu, aut ab æterno tales.*

§. 817.

Dependentia entis omnis a Deo.

Ens omne a Deo dependet quoad possibilitatem intrinsecam ab intellectu ejus (§. 192. *Th. nat.* 111. *Cosm.* 56. 851. *Ont.*), *quoad extrinsecam a voluntate* (§. 111 *Cosm.* 433. *Th. nat.* 56. 851. *Ont.*), *quoad existentiam a potentia* (§. 223. *Th. nat.* 56. 851. *Ont.*) *& quoad certitudinem futuritionis ab immutabili Dei decreto* (§. 522. 504. 509. *Th. nat.* 293. 56. 851 *Ont.*). *Quoad contingentiam actus vero ab existentia Dei necessaria seu aseitate (§. 90. Cosm. 67. 63. Th. nat. 851. Ont. 32. Th. nat.).*

§. 818.

Quomodo ens omne Deum repræsentet.

Ens omne in hoc universo, quatenus ens est, est speculum aseitatis & existentiæ necessariæ, intellectus, voluntatis, potentiæ ac immutabilis voluntatis divinæ, consequenter *Deum repræsentat tanquam ens a se & necessarium, quod intellectu, voluntate & potentia præditum, & vi immutabilis ejus decreti autorem sui agnoscit* (§. 817. 798.).

Nimirum

Nimirum hoc modo Deum repræsentat, quatenus in se spectatur, citra relationem ad alia.

§. 819.

Ens omne, quatenus spectatur cum ceteris in systema relatum, Deum repræsentat tanquam sapientem & bonum, eundemque omniscium ac summa ratione præditum (§. 142. 806. 809. 811. 813. 784.). Quomodo Deum in systemate repræsentet.

Videmus adeo, quam necessarium sit ea, quæ in hoc universo existunt, spectari inter se connexa, siquidem divinitatem ex operibus creationis cognoscere volueris. Etenim si singula tantummodo in se spectentur, fieri non potest, ut Dei sapientiam, bonitatem, omniscientiam & rationem summam loquantur (§. 818.).

§. 820.

Mundus totus adspectabilis Deum repræsentat tanquam ens æternum (§. 815.), *quod necessario existit* (§. 799.), *intellectu* (§. 802.) *& voluntate liberrima* (§. 804.) *atque omnipotentia* (§. 804.) *præditum, sapientia* (§. 806.) *ac bonitate summa* (§. 809.), *omniscientia* (§. 811.) *& ratione maxima* (§. 813.) *instructum* (§. 784.). Quomodo totus mundus Deum repræsentet.

§. 821.

Autor naturæ dicitur, qui naturam fecit. Autor naturæ.

§. 822.

Autor naturæ Deus est (§. 507. 180. 182. *Cosm.* 110. *rat.* 758. 821. *Th. nat.*). Quinam sit.

Cum creatio sit productio ex nihilo (§. 697. *ration.*); proprie loquendo Deus naturam non creavit; sed creavit substantias, quibus natura inest, atque hoc modo Autor naturæ factus. Hinc & communiter non dicitur creator naturæ; sed naturæ autor.

§. 823.

Deus mundum hunc adspectabilem creavit & naturam rerum fecit uno eodemque actu (§. 764.). Quomodo natura in creatione facta.

§. 824.

Natura in hoc universo diversa est ab omnipotentia Dei (§. 507. 180. 196. *Cosm.* 349. *Th. nat*). Naturæ & Dei diversitas.

Bbb bb 2 §. 825.

§. 825.

Deus naturæ leges præscripsit.

Deus naturæ leges præscripsit ab essentia corporum minime pendentes, quatenus produxit elementa, quibus insunt vires hoc, non alio modo modificabiles. Cum natura rerum tandem redeat ad vim activam elementorum; natura in agendo alias leges observare nequit, quam quæ ex modo, quo vires activæ in elementis modificantur, resultant. Quamobrem Deus effecit, ut natura rerum has in agendo observaret leges, quatenus produxit elementa, in quibus vis activa hoc modo, non alio modificatur. Jam vero corpora sunt elementorum aggregata (§. 176. *Cosm.*) & aggregata fiunt extensa, quatenus extra se invicem existunt & uniuntur (§. 221. *Cosm.*). Quamobrem cum in genere de elementis rerum materialium, non spectata eorum, quæ actu dantur, differentia specifica, evicerimus, ea extra se invicem existere (§. 219. *Cosm.*) ac unita esse (§. 220.), quin alia quæcunque elementa extra se invicem existere debeant, si a Deo producerentur, & inter se uniri possint, dubitari nequit, consequenter extensio non modo oritur ex aggregatione horum elementorum, verum etiam oriri poterat ex aggregatione elementorum aliorum. Quoniam itaque extensio non dependet a modo, quo vires elementorum modificantur, consequenter a differentia specifica eorundem, ab eadem vero dependent leges, quas natura in agendo observat; leges quoque istæ in extensione rationem sufficientem minime habent (§. 851. *Ont.*). Jam vero corporis essentia consistit in modo, quo partes tales, non aliæ junguntur (§. 140. *Cosm.*), consequenter ad modificationes extensi tota redit. Leges adeo, juxta quas operatur natura, rationem nullam agnoscunt in essentia corporum. E.

Inest rebus creatis agendi necessitas, agunt tamen ex liberrima Dei voluntate sic & non aliter. Et hoc modo contingentia rerum a libertate voluntatis divinæ derivatur, quæ in rebus creatis deprehenditur.

§. 826.

Quomodo leges illæ præscriptæ.

Deus naturæ leges præscripsit in prima rerum creatione (§. 825. 764. 760.).

§. 827.

§. 827.

Natura rerum leges a Deo ipsi præscriptas observare tenetur in agendo (§. 825.). Cur natura has leges violare nequeat.

§. 828.

Quamdiu hic mundus adspectabilis durat, idem naturæ ordo (§. 761) *conservatur & cursus naturæ* (§. 119. 97 sqq. 509. 567. *Cosm.*) *idem est.* Constantia ordinis & cursus naturæ.

§. 829.

Mundus hic adspectabilis interire nequit, nisi per annihilationem (§. 119. 176. *Cosm.* 698. *Ont.*). Interitus mundi.

§. 830.

Si corpus interit, nullum elementum rei materialis interit. (§. 125. 182. *Cosm.* 698. *Ont.* 55. 205. *Cosm.*). Elementorum constans conservatio.

§. 831.

In corporis interitu nihil substantiale perit (§. 177. 182. *Cosm.* 830. *Th. nat.*). Conservatio substantialis in corporum interitu.

§. 832.

In ortu corporum nullum elementum rei materialis oritur (§. 125. 182. *Cosm.* 691. *Ont.*). Conf. denuo dicta ad §. 830. *Theol. natur.* Elementa nova non oriuntur.

§. 833.

In corporis ortu nihil substantiale producitur (§. 177. 182. *Cosm.* 832. *Th. nat.*). Conservatio substantialis in ortu corporum.

§. 834.

Deus hodie nihil amplius creat, nec creabit quicquam, quamdiu hic mundus adspectabilis existet (§. 832. *Th. nat.* 691. *Ont.* 697. *rat.*). Quod in interitu corporum nihil creetur novi, per se patet. Modificationes vero corporum existentium & per aliquod temporis intervallum durantium non sunt nisi variationes limitationum (§. 830. *Ontol.*), neque ideo quicquam in iisdem ex nihilo producitur (§. 833. *Ontol.*), consequenter nihil in iisdem creatur (§ 697. *Psychol. ration.*). Quamobrem hodie nihil amplius creatur (§. 767.). Deus hodie nil creat.

Enimvero quæ hodie datur ratio, cur Deus nihil amplius creet, eadem subsistit, quamdiu mundus hic adspectabilis subsistet; & quod futurum est tempus, erit aliquando perinde ac hoc præsens. E. (§. 118. *Ont.*).

Idem patet ex §. 60. *Cosm.* 300. *Ont.* 645. 621. 640. *Th. nat.* 678. *rat.* Adde *Gen.* II, 2.

§. 835.

Quamdiu eadem elementa subsistant.

Quamdiu mundus hic adspectabilis durat, eadem semper elementa rerum materialium subsistunt (§. 60. 119. 571. 176. Cosm. 45. Ont.).

§. 836.

Cur in mundo nihil annihiletur.

Nihil annihilatur, quamdiu mundus hic adspectabilis existit (§. 835. Theol. natur. 541. Ont. 182. Cosm. 698. Ont. 125. Cosm. 833. 830. Ont.).

§. 837.

Immutabilitas naturæ.

Natura rerum non mutatur, sed eadem semper manet, quamdiu hic mundus adspectabilis durat (§. 507. 182. 180. *Cosm.* 835. *Th. nat.* 290. *Ont.*).

§. 838.

An natura senio languescat.

Quoniam natura rerum non mutatur, sed eadem semper manet, quamdiu hic mundus adspectabilis existit (§. 837.), tamdiu quoque ordo naturæ conservatur (§. 828.), consequenter eædem semper subsistunt regulæ motus (§. 559. *Cosmol.*), adeoque & leges (§. 303. *Cosmol.*) ab eadem in agendo violari nesciæ (§. 827.); *naturæ vires nunquam deficere, nec ipsa quasi senio languescere potest.*

Nullo experimento, nulla observatione oppositam sententiam firmari posse non minus certum est, cum a natura corporis humani ad naturam universam nulla sit argumentatio, in corporis interitu nullo elemento pereunte (§. 831.): quod utique fieri deberet, siquidem naturæ universæ aliqua accideret mutatio.

§ 839.

§. 839.

Quoniam *naturæ vires* nunquam deficiunt, *a Deo* quoque *per miraculum reficiantur opus non est.* An Deus vires naturæ reficere teneatur.

Abjecte nimis sentiunt de sapientia & omnipotentia Dei, qui naturam subinde manu emendatrice opus habere statuunt, ne in confusionem ruant omnia, quemadmodum index horologii eget nonnunquam directione, ut bene indicet tempus.

§. 840.

Creatura existentiam propria virtute contiuare nequit (§. 26. *Theol. natur.* 45. *ration.* 777. 766. *Theol. natur.* 310. *Ontol.*). An creaturæ propria virtute existentiam continuare possint.

§. 841.

Necesse ergo *est, ut virtute Dei eandem continuent*, consequenter *Deus, quam in principio dedit creaturis existentiam, eandem quoque dare pergit, quamdiu durant* (§. 840. 777. 766.). Virtute Dei existunt.

§. 842.

Conservatio est actio, qua rebus creatis datur, ut in esse suo perseverent, seu ut existere pergant. Conservationis definitio.

§. 843.

Creatura nulla seipsam conservare potest (§. 840. 842.); sed a Deo conservetur necesse est (§. 841 sq.). Creaturæ conservatio.

§. 844.

Actio conservationis & creationis in Deo non differunt (§. 766. 843. 842. 841. 840.). Qualis actio sit conservatio.

Deus pergit dare actualitatem substantiali, quemadmodum dare cœpit in prima rerum origine. Unde quoad Deum creatio & conservatio non differunt; sed una potius eademque actio sunt.

§. 845.

Conservatio continuata creatio est (§. 844.). Est continuata creatio.

§. 846.

Potentia conservatrix Deo propria.

Potentia conservatrix, qualis Deo competit, ipsi soli propria, naturæ rerum non competit (§. 844 & 767.).

§. 847.

Quomodo mundus & ordo naturæ a Deo conservetur.

Deus mundum adspectabilem & hæc in eodem corpora atque hunc naturæ ordinem conservat, quatenus actum indesinenter largitur hisce rerum materialium elementis (§. 764. 761. 845.).

§. 848.

Actus conservatorius versatur circa substantiale rerum.

Mundus hic adspectabilis & quicquid in eodem est una cum ordine naturæ conservatur, quatenus Deus indesinenter efficit, ut substantiale existat, consequenter *dum, quod substantiale est in corporibus, conservat* (§. 177. *Cosm.* 847. *Th. nat.*).

§. 849.

Omnia conservantur uno actu.

Deus mundum hunc adspectabilem & quæcunque in eodem sunt corpora, atque naturam rerum ejusque ordinem conservat uno eodemque actu (§. 765. 823. 844. 842.).

§. 850.

Quomodo mundus sensibilis conservetur.

Mundus sensibilis conservatur, si materia & vis motrix, seu natura rerum conservetur (§. 202. *Theol. natur.* 509. 140. 145. *Cosm.*). Ergo posita materia & vi motrice ponitur mundus sensibilis (§. 118. *Ontol.*). Jam. conf. §. 842.

§. 851.

Num limites conserventur & creentur.

Limites rerum nulla indigent conservatione divina, quemadmodum nec creatione (§. 468. *Ont.* 168. 141. *Cosm.*). Enimvero facile patet, si substantiæ limitatæ existentia conferatur, adeoque si eadem vel creetur (§. 766.), vel conservetur (§. 842.), per se adesse limites, veluti si materia seu extensum limitatum (§. 141. *Cosm.*), creetur vel conservetur, per se adesse figuarum (§. 621. *Ontol.*) E.

E. c. Limes ligni est figura ovalis mensæ. Quamdiu lignum conservatur, figura quoque subsistit, nec ulla conservatione indiget.

§. 852.

§. 852.

Limites creaturarum mutabiles a natura mutantur. De elementis vide §. 196 sq. *Cosm.* 703 sq. 830. *Ont.* 870. *Ontol.* 145. *Cosm* De corporibus conf. §. 191. 506. *Cosm.* 110. *rat.* De animabus lege §. 55. 60. *rat.* de brutorum animabus consule § 573 sqq. *rat.* 776. 870. *Ont.* 145. *Cosm.*

Naturæ actio quo sese extendat.

Atqui præter hæc entia non cognoscuntur alia rationis lumine §. 778 sq. 781. 783. 777.); in his autem omnibus limites mutantur a natura. E.

§. 853.

Potentia naturæ non est nisi potentia modificandi substantias (§. 703. Ontol.), seu potentia modificatrix (§. 848. 833. Th. nat. 832. Ont. 852. Th. nat.).

Potentia naturæ qualis sit.

§. 854.

Natura rerum tantummodo accidentia ad actum perducere & conservare (§ 853. Th. nat. 704. 779 Ont. 842. Theol. nat.), nihil vero ad actum ejus, quod substantiale est, conferre valet (§. 768. *Ont.*). Posterius etiam patet ex §. 177. 182. *Cosm.* 691. *Ont.* 697. *rat.* 842. 845. 775. 846. *Th. nat.*

Quænam natura efficere valeat.

§. 855.

Potentia naturæ non est nisi productrix & conservatrix accidentium, consequenter *sola divina est productrix & conservatrix substantiarum* (§. 854.).

Qualis sit potentia naturæ.

§. 856.

Potentia naturæ corporibus ex aliis præexistentibus producendis & productis conservandis sufficit (§. 126. *Cosm.* 854. *Th. natur.*).

Corpora illa oriuntur & conservantur.

§. 857.

Animæ humanæ non possunt conservari a natura (§ 48. 729. 732. *rat.* 854. *Th. nat.*), *sed a solo Deo conservantur* (§. 843. 781. *Th. nat.* 698. *rat.* 845. *Th. nat.*).

Animarum humanarum conservatio.

Ut corpora conserventur (§. 842.), nonnisi accidentia conservanda sunt, cum eorum essentia tanquam entium compositorum (§. 119. *Cosmol.*) meris accidentibus constet (§. 789. *Ontol.*). Enimvero si anima

conſervari debet, quæ ſubſtantia ſimplex eſt (§. 48. *rat.*), ſubſtantia conſervanda. Corporum conſervatio, quæ fit naturæ vi, ſupponit conſervationem ſubſtantialitatis; ſed conſervatio animæ eſt ipſa ſubſtantialitatis conſervatio.

§. 858.

Conſervatio animarum brutorum.

Animæ brutorum non poſſunt conſervari a natura (§. 753. 759. 768. *rat.* 854 *Th. nat.*), *ſed a ſolo Deo conſervantur* (§. 843. 783. 777. *Th. nat.* 768. *rat.* 845. *Th. nat.*).

§. 859.

Quomodo quid annihiletur.

Si conſervatio divina ceſſet, creaturæ annihilantur (§ 842. 844.). Siquidem conſervatio divina ceſſare ponatur, creatura amplius exiſtere nequit, & dum exiſtere deſinit, nihil ejus actu ſupereſt. Jam vide § 540. *Ont.*

§. 860.

Annihilatio poſitivum non requirit.

Ad annihilationem nulla requiritur actio poſitiva, ſed tantummodo actionis omiſſio (§. 859.).

§. 861.

Annihilatio ſoli Deo poſſibilis.

Solus Deus aliquid annihilare poteſt; natura nihil annihilare valet (§. 860. 859. 846.).

§. 862.

Ab ejus voluntate dependet.

A voluntate divina unice pendet, num quid annihilare velit (§. 352. 431.).

De hac voluntate cum nullum per hanc rerum ſeriem nobis præbuerit indicium, nec ex attributis divinis a priori colligi poſſit, num quid annihilare velit; ex lumine rationis demonſtrari nequit, num Deus quidpiam annihilaturus ſit, quod creavit.

§. 863.

Mundus quomodo interire poſſit.

Mundus adſpectabilis a Deo annihilari poteſt (§. 778. 843. 859. 506. 525. 862.).

§. 864.

An per ſe in nihilum recidere poſſit.

Ipſa natura mundum annihilare nequit, nec mundus vi propria tandem in nihilum recidere poteſt (§. 861.).

§. 865.

§. 865.

Animæ hominum atque brutorum seipsas annihilare nequeunt (§. 861.). An animæ se annihilare posfint.

§. 866.

Anima efficere nequit, ut ipsamet intereat, aut semeipsam destruere non potest (§. 732. rat. 865. Th. nat.). Animæ interitus in ipsius potestate non est.

§. 867.

Annihilatio miraculum est (§. 861. Theol. natur. 523. Cosmol.). Annihilatio est miraculum.

§. 868.

Conservatio divina miraculum est (§. 768. 845.). Item conservatio totius mundi.

§. 869.

Sine conservatione divina natura rerum nihil agere potest (§. 855. Th. nat. 791. Ont. 848. 846. Th. nat.). Necessitas conservationis divinæ.

§. 870.

Nulla creatura sine conservatione divina quicquam agere valet (§. 859. Th. nat. 540. Ont.). Idem expenditur.

§. 871.

Neque animæ humanæ, neque animæ brutorum agere possunt, nec totus homo quicquam agere valet sine conservatione divina (§. 781. 783. 777. 782.). Idem probatur.

§. 872.

Ens unum dicitur *concurrere ad actionem entis alterius*, quatenus in actione ipsius continetur aliquid rationis, cur agat alterum. Quando ens unum concurrat ad actionem alterius.

Ita ad homicidium concurrit, qui illud suadet vel jubet: etsi enim consuasio vel jussio non contineat homicidii rationem sufficientem, continet tamen aliquid rationis, ac ideo ab homicida quæsito, cur hoc fecerit, allegatur.

§. 873.

Concursus adeo *ad actionem alterius* est actio, quæ in se continet aliquid rationis, cur agens agat, vel egerit. Quamobrem cum per rationem intelligatur, cur quid potius sit, quam non Concursus quid sit.

non sit (§. 56. *Ont.*); *per concursum ex parte intelligitur, cur agens agat, vel egerit.*

§. 874.

Concursus Dei ad actionem naturæ & creaturarum.

Deus ad singulas actiones naturæ, & singulas creaturarum actiones, immo actiones animarum tam hominum, quam brutorum, & quascunque hominum actiones per conservationem concurrit (§. 869. 871. Theol. natur. 56. Ontol. 872. Theol. natur.).

§. 875.

Ejus universalitas.

Concursus Dei per conservationem universalis est (§. 874.).

§. 876.

In quonam consistat.

Deus in concursu universali conservat substantiam agentis (§. 875. 848. 857 sq.) *& largitur vires agendi.* (De substantiali in corporibus vide §. 177. 182. 196. 180. *Cosm.* 847. *Theol. natur.* De anima humana & brutorum conf. §. 53. 60. 753 sq. *ration.* 776. *Ont.* 857 sq. *Th. nat.*).

§. 877.

Quomodo Deus largiatur vires agendi.

Deus agenti in concursu universali tribuit agendi vires, quatenus actum indesinenter impertitur substantiis absque viribus istis existere minime valentibus. Vis animæ humanæ (§. 57. *ration*), ipsi essentialis (§. 66. *ration.*) est. Idem valet de animabus brutorum §. 753 sqq. *rat.* Cumque vis elementorum (§. 196. *Cosmol.*) & unde vis activa corporum resultat (§. 180. *Cosmol.*), sit primum, quod de ipsis concipi potest, & unde cetera deducuntur, quæ de iisdem cognoscuntur (§. 197. & sqq. *Cosm*); quin ipsis quoque sit essentialis dubio caret (§. 168. *Ontol.*). Quamobrem cum essentiæ rerum sint immutabiles (§. 300. *Ontol.*), nec Deus animas hominum atque brutorum & elementa rerum materialium absque istis viribus ad actum perducere potest. Jam vide §. 875. 842.

§. 878.

Specificatio actionum creaturarum undenam sit.

Specificatio actionum a creaturis est (§. 713. 167. 56. *Ont.*). Per essentiam ergo agentis intelligitur, cur tales sint ipsius actiones

nes, adeoque tales sunt agentis actiones, quia hæc ipsi essentia est. Specificantur adeo actiones creaturarum per essentiam earundem, consequenter actionum specificatio a creatura est.

E. c. Homo movet brachium. Quodsi intelligere volueris, cur hoc modo brachium movere possit; ex structura ejusdem redditur ratio. Structura brachii est essentia ejusdem (§. 276. *Cosmol.*), Redditur adeo ratio ex essentia brachii, cur istiusmodi sit motus. Per eam intelligitur possibilis, etiamsi actu hoc modo non moveatur brachium. Concurrit Deus ad motum brachii, tum quatenus sine ejus actione non conservatur brachium hoc modo mobile, tum quatenus homini largitur vires, quibus motus brachii per essentiam possibilis ad actum perducitur. Perducitur autem ad actum viribus homini propriis & specificatur seu talis fit per essentiam brachii. Homo adeo movet brachium per naturam suam, & movet hoc modo per essentiam suam, sed movere non posset, nisi Deus substantiam ejus conservaret & vires agendi largiretur, hoc est, nisi ipsi daret, ut brachium movere posset.

§. 879.

Creaturæ in agendo dependent a Deo (§§. 870. 872. 876. 873. *Th. nat.* 56. 851. *Ont.*). Dependentia creaturarum in agendo a Deo.

§. 880.

Homo etiam *a Deo in agendo dependet* (§. 782. 879.). Et eodem modo etiam patet, quod *anima in volendo a Deo dependeat* (§. 781.). Item hominis.

Quando de actionibus hominum hic nobis sermo est, has intelligimus, quæ ab anima atque corpore simul proficiscuntur, & ideo *humanæ* appellari solent, liberæ autem, quatenus a libertate voluntatis pendent.

§. 881.

Actiones creaturarum a Deo dependent qua actiones, hoc est, in genere spectatæ (§§. 876 sq. *Th. nat.* 56. 851. *Ont.*), *non vero qua tales seu in specie consideratæ* (§§. 878. *Th. nat.* 56. 851 *Ont.*). Qualis sit illa dependentia.

Quodsi actio qua talis, seu in specie spectata a Deo dependeret, ratio aliqua ejus in Deo contineretur, cur talis potius sit, quam alia (§. 851. *Ontol.*), adeoque intelligi penitus non posset, cur talis sit, nisi

per ea, quæ Deo insunt (§. 56. *Ontol.*). Enimvero vel Physica loquitur, nos actiones creaturarum intelligibili modo explicare posse per ea, quæ rebus insunt, non recurrendo ad attributa divina. Et idem quoque de actionibus humanis qua animam elucescet ex philosophia morali: immo de actionibus animæ jam patet ex Psychologia rationali.

§. 882.

Dependentia actionum humanarum & volitionum a Deo.

Actiones quoque singulæ hominis qua actiones, seu in genere spectatæ, non autem qua tales, seu in specie consideratæ a Deo dependent, & in specie *singulæ etiam volitiones qua volitiones, seu in genere spectatæ a Deo dependent, non autem qua tales, seu quatenus tendunt ad hoc objectum, non ad aliud* (*§. 782. 781.*).

E. gr. Ponamus hominem injurias sibi illatas vindicaturum velle necem inimici. Quod velit a Deo est: nisi enim Deus actualitatem impertiretur & vim activam largiretur, fieri non posset ut vellet, propterea quod cessante actione divina, qua actualitatem & vim activam adipiscitur, in nihilum recideret (§. 859.). Enimvero quod hæc volitio dirigatur in necem inimici, id homini tribuendum, non Deo.

§. 883.

Concursus Dei ad actiones malas.

Deus ad actiones malas hominis non concurrit, quatenus malæ sunt (*§. 879. 876. 882 574 sq*)*; sed quod malæ sint, ab homine habent* (§. 878. 782.).

§. 884.

Uberius idem explicatur.

Deus concurrit ad id, quod physicum est in actionibus malis, non vero ad id, quod morale est, seu quod perinde est, *concurrit ad actiones malas, quatenus physice spectantur, non autem quatenus spectantur moraliter* (*§. 882 sq. 568.*).

E. gr. Ponamus furem extendere brachium ad rem alienam auferendam. Quod brachium extendere valeat, concursui divino tribuendum. Quod idem ad nutum animæ extendere valeat, huic itidem acceptum ferendum. Enimvero quod velit extendere ad rem alienam auferendam & ea intentione actu extendat; id nonnisi hominis est, libertate sua, qua fruitur, abutentis. Extensio brachii & volitio hujus extensionis physicum quid est, homini quippe naturalis. Quod vero hæc actio tendat ad auferendum alteri, quod suum est, moralitatem habet, & quidem mala est.

§. 885.

§. 885.

Deus non concurrit ad abusum libertatis, qua abusum (§. 580. 883.). Concursus Dei ad abusum libertatis.

Vide etiam §. 932. *empir.* 581. *Theol. natur.*

§. 886.

Deus non concurrit ad imperfectionem hominis accidentalem (§. 577. 884. 374.). Et ad imperfectionem hominis.

Ponamus hominem negligere occasionem scientia rerum scitu ipsi maxime necessariarum animum imbuendi. Cum Deus non determinet voluntatem ad neglectum istum, sed homo (§. 923 *Psychol. empir.*) libertate sua abutens (§. 580.), etsi actus volitionis physice spectatus non eliciatur sine concursu divino (§. 884.); homo ignorantia illa laborat Deo non concurrente. Quamobrem quia nemo non fatetur, istiusmodi ignorantiam ad imperfectionem hominis eamque accidentalem referri debere (§. 528. *Ontol.*); evidens est, Deum ad hanc imperfectionem accidentalem minime concurrere.

§. 887.

Imperfectio accidentalis tota ab homine est, consequenter *homo semetipsum reddit accidentaliter imperfectum (§. 886).* Homo seipsum reddit accidentaliter imperfectum.

§. 888.

Deus non vult (§. 581. 577.), sed tantummodo permittit hominem fieri accidentaliter imperfectum (§. 585. 525. 577.). Quatenus imperfectio accidentalis a Deo dependeat.

§. 889.

Deus non concurrit ad actiones malas, quatenus tendunt ad imperfectionem hominis & status ipsius; sed homo se statumque suum ipsemet imperfectiorem reddit (§. 883. 568. 574 sq.). Concursus Dei ad intrinsecam actionum malitiam non extendendus.

§. 890.

Deus velle nequit, ut homo se statumque suum reddat imperfectiorem (§. 581. 568. 574 sq.), *sed tantummodo permittit, ut homo hoc faciat* (§. 585. 525. 374.). Quomodo versetur circa actiones malas qua tales.

§. 891.

Non dedecet Deum permittere, ut homo se statumque suum imperfectiorem reddat (§. 586. 374. 568. 574 sq.). Permissio imperfectionis accidentalis Deum non dedecet.

§. 892.

§. 892.

An imperfectio hominis accidentalis repugnet perfectioni summæ mundi & fini a Deo intento.

Quod homo se statumque suum imperfectiorem reddat, minime obstat, quo minus mundus sit omnium possibilium perfectissimus, nec quo minus fini a Deo per creationem universi intento magis satisfaciat ceteris (§. 550. 617. 568. 374. 574 sq.).

§. 893.

Concursus divini ad actiones malas restrictio.

Deus non concurrit ad actiones malas, nisi quatenus concurrit ad ordinis naturæ conservationem, sive eum qua animam spectes (§. 884. 569 sq.), *sive eundem in mundo adspectabili consideres* (§. 572 sq.).

§. 894.

Limitationes originariæ.

Limitationes originariæ dicuntur, quæ per essentiam rebus insunt, consequenter vel sunt determinationum essentialium, vel attributorum.

§. 895.

Earum immutabilitas.

Limitationes originariæ a rebus inseparabiles sunt (§. 894. *Th. nat.* 300. 291. *Ont.*). Vide § 66. *rat.*

§. 896.

A Deo auferri non possunt.

Deus rem nullam, neque etiam hominem, absque limitationibus originariis producere potest (§. 379. 894.).

Quæcunque de malo metaphysico in anterioribus demonstrata sunt, ad omnes limitationes originarias promiscue applicanda veniunt.

§. 897.

Mali moralis ortus.

Malum morale ex limitationibus originariis oritur seu *per limitationes originarias fieri potest, ut actiones hominis sint moraliter malæ* (§. 580. *Th. nat.* 896. *empir.* 374. *Th. nat.*). Nemo non confitetur hominem in judicando errare posse, propterea quod facultas cognoscendi, qua gaudet, limitata est. Etenim si ea esset illimitata, quemadmodum intellectus divinus (§. 166.), omnia quoque nobis repræsentaremus distincte (§. 164.), consequenter fieri non poterat, ut malum videretur bonum & bonum ex adverso malum. Malum igitur morale oritur ex limitationibus facultatis cognoscitivæ, ac inprimis intellectus, cujus est judicare (§. 325. *empir.*). Jam vis repræsentativa universi essentia-

ſentialiter limitata tum quoad objectum, tum quoad modum repræſentandi objectum (§. 66. *ration.*), ac ideo quoque ipſe intellectus, qui rationem ſufficientem in iſta vi habet (§. 387. *ration.*), adeoque hac poſita & ipſa ponitur (§. 118. *Ontol.*), iisdem limitationibus obnoxius eſt (§. 279. *empir.*). Nunc vide §. 894.

Quamvis malum morale per limitationes originarias ſit poſſibile, per eas tamen non neceſſarium eſt, propterea quod in iisdem non contineatur ratio ſufficiens actus, adeoque poſitis limitationibus originariis malum morale non ponitur niſi quoad potentiam, nondum vero quoad actum.

§. 898.

Deus hominem talem producere non potuit, ut impoſſibile eſſet actiones malas ab eodem perpetrari (§. 897. 896.). An Deus hominem illabilem creare potuiſſet.

Ceterum jam patet, potentiam abutendi libertate ex limitationibus originariis reſultare. Etenim ſi intellectus non limitaretur formaliter, nec bonum videri poterat, quod eſt malum, nec viciſſim malum, quod bonum eſt, conſequenter nec malum appeti poterat ſub ratione boni, nec bonum averſabile foret ſub ratione mali, quemadmodum in abuſu libertatis accidit.

§. 899.

Gubernatio eſt directio actionum ad certum finem. Gubernatio quid ſit.

§. 900.

Deus gubernat hoc univerſum (§. 603. 628. 626. 631. 633. 645. *Th. nat.* 713. *Ont.* 629. 681. 779. 782. 899. *Th. nat.*). Deus gubernat hoc univerſum.

§. 901.

Deus gubernat hoc univerſum, dum omnia inter ſe connectit (§. 665. 661. 666. 635. 899.). Gubernatio univerſi in quo conſiſtat.

§. 902.

Deus mundum ſapientia ſua gubernat (§. 901. 666.). Quomodo gubernet.

§. 903.

Deus bonitate ſua hoc univerſum gubernat (§. 901. 740.). Gubernatio Dei a bonitate pendens.

§. 904.

Ordo naturæ & directio mali ad bonum est gubernationis divinæ.

Ordo naturæ (§. 559. 133 sq. 566. *Cosm.* 661. *Th. nat.* 561. *Cosm.* 825. 900. 899. *Th. nat.*) *& directio malorum* (§. 680. 899.) *ad bonos fines pertinet ad gubernationem universi.*

§. 905.

Voluntas Dei de directione actionum humanarum.

Deus vult, ut homo actiones suas liberas dirigat ad perfectionem sui statusque sui (§. 890.).

§. 906.

Voluntati divinæ conformiter determinandæ.

Ergo *actiones voluntati divinæ conformiter determinat, qui eas ad sui statusque sui perfectionem dirigit* (*§. 905.*).

§. 907.

Deus istam directionem vult.

Bonitatis divinæ est, quod velit hominem actiones suas dirigere ad sui statusque sui perfectionem (*§. 905.*). Ergo quin sit pronus ad ejusdem perfectionem promovendam, dubitari nequit. Jam conf. §. 695.

§. 908.

Bonitatem divinam quinam agnoscit.

Qui actiones suas liberas ad sui statusque sui perfectionem dirigit eo animo, ut voluntati divinæ conformiter eas dirigat (*§. 906.*); *bonitatem Dei in se agnoscit*, & vicissim *qui bonitatem Dei in se agnoscit, actiones suas liberas ad sui statusque sui perfectionem dirigere vult, atque actu dirigit, nisi vel ignorantia, vel aliis causis* suo loco distinctius explicandis *in transversum agatur.* Adde §. 907.

Si consilium nobis impertitur amicus, de cujus bono in nos animo sumus persuasi; idem sequimur, hanc, cur sequamur, reddentes rationem, quod certi simus ipsum nobis non suadere nisi quod nobis salutare.

§. 909.

Voluntas Dei de actionibus humanis respectu aliorum.

Deus etiam vult, ut homo actiones suas dirigat ad aliorum hominum statusque eorundem perfectionem (§. 557. 568. *empir.* 28. *Ont.* 699. 695. *Th. nat.*).

Quemadmodum creaturæ ceteræ nostris inservire possunt usibus; ita homo unus alteri auxilio esse potest. Et sicuti usus rerum inanimatarum & animantium brutorum sunt fines a Deo intenti (§. 648.), ac ideo

ideo Deus velle dicendus est, ut creaturæ hosce sibi mutuo præstent usus (§. 932. *Ontol.*); ita quoque dubitari nequit, quin hominibus dederit aliis inserviendi vires, ut unus alteri auxilium præstet.

§. 910.

Si homo actiones suas dirigit ad aliorum statusque eorundem perfectionem; voluntati divinæ conformiter easdem dirigit, seu, quod perinde est, *directio actionum ad aliorum statusque eorundem perfectionem voluntati divinæ conformis* (§. 909.). Directio actionum voluntati divinæ conformis.

§. 911.

Deus ergo *non vult, ut homo promoveat perfectionem sui statusque sui cum imperfectione aliorum statusque eorundem* (§. 909. 905.), adeoque *non vult, ut bonum nostrum promoveamus cum malo alterius* (§. 557. 568. *empir.*). Inseparabilitas boni alieni a proprio.

§. 912.

Perfectio hominis statusque ejusdem, ad quam Deus vult ut dirigat actiones suas, accidentalis est (§. 528. 300. 291. *Ontol.*). Cum itaque fieri non possit, ut perfectio essentialis ulla capiat incrementa; ea omnino perfectio, ad quam homo dirigere debet secundum Dei voluntatem actiones suas, & quam promoveri iisdem vult Deus, essentialis esse nequit. E. (§. 528. *Ont.*). Ad quam perfectionem actiones dirigendæ ex voluntate Dei.

§. 913.

Actiones naturales dicuntur, quæ ab arbitrio nostro minime pendent, aut, quæ ex essentia & natura rei necessario consequuntur. Opponuntur *liberis*, quæ ab arbitrio nostro pendent, seu ex essentia & natura rei non necessario consequuntur. Actio naturalis quænam sit.

§. 914.

Si actiones liberæ tendere debent ad perfectionem nostram statusque nostri, cum naturalibus per easdem rationes finales determinari debent (§. 503. 705. 530. *Ont.*). Identitas determinationis actionum liberarum & naturalium.

§. 915.

Deus utique *vult, ut actiones liberas per easdem rationes finales determinet homo, per quas determinantur naturales* (§. 905. 909. 914.). Hæc identitas est voluntati divinæ conformis.

§. 916.

Diversitas determinationis eidem contraria.

Ergo *patet; Deum nolle, ut homo actiones liberas per diversas rationes finales determinet, quam per quas naturales determinantur (§. 915.).*

Determinatio actionum naturalium ab essentiis rerum pendens (§. 913) a Deo est, qui rebus hasce essentias dedit, quatenus eas existere decrevit ab æterno ac in tempore ad actum perduxit. Sibimetipsi adeo foret contrarius, si vellet actiones liberas per rationes diversas ab iis determinari, per quas determinantur naturales. Ita fieri non potest, ut Deus velit, hominem vesci cibis sanitati nocuis, qui vult hominem esse sanum ac eam fecit corporis humani structuram, ut singulæ organorum vitalium functiones ad conservationem ejus pulcherrime conspirent.

§. 917.

Perfectio hominis in quo consistat.

Perfectio hominis consistit in aptitudine repræsentandi perfectionem Dei summam, seu manifestandi gloriam ipsius (§. 818 sq.). Quamobrem cum ens sit per determinationes essentiales, unde ceteræ pendent (§. 168. *Ontol.*), & vi earundem cum rebus ceteris in systema redigi possit (§. 167. *Ontol.*); determinationes essentiales ac ceteræ independentes hominem aptum efficiunt ad repræsentandam perfectionem Dei. Quoniam itaque determinationes omnes essentiales ac ceteræ inde necessario resultantes tandem ad repræsentationem perfectionis divinæ tendunt; perfectio hominis, tam essentialis, quam accidentalis naturalis (§. 528. *Ontol.*), in aptitudine repræsentandi perfectionem Dei summam consistit. Quodsi actiones liberæ per easdem rationales finales determinentur, per quas determinantur naturales, quemadmodum vult Deus (§. 915); eædem quoque ita determinandæ sunt, ut homo per eas aptus efficiatur ad repræsentandam perfectionem ipsius summam. Unde quæ hinc enascitur perfectio (§. 503 *Ontol.*) eaque accidentalis (§. 528. *Ont.*), etiam quatenus a libertate ejus pendet, in aptitudine repræsentandi perfectionem summam Numinis consistit. E. Vide rursus §. 673.

Hæc propositio maximo usui est in philosophia practica, ubi ostendemus, quomodo officia hominis erga Deum ad gloriæ divinæ illustrationem

tionem tandem redeuntia diffundantur per omnia officia reliqua & omnes adeo hominis actiones liberas. Taceo ea, quæ per hanc propositionem in Theologia revelata clarius intelliguntur: quo refero gravitatem peccati, quæ multum momentum in ea habet.

§. 918.

Deus vult, ut homo dirigat actiones suas liberas ad manifestationem gloriæ divinæ (§. 905. 917.). Vult Deus actiones humanas dirigi ad sui gloriam.

§. 919.

Homo per determinationem actionum liberarum non aliter manifestare potest gloriam divinam, quam si attributa divina per modum motivorum in eandem influant, seu, quod perinde est, *si attributa divina sint motiva actionum liberarum* (§. 887. *emp.* 118. 113. *Ontol.* 610. *Theol. natur.*). Idem patet ex §. 610. *Th. nat.* 888. *empir.* Gloria Dei manifestatur per actiones liberas.

§. 920.

Deus vult, ut homo actiones suas dirigat ad perfectionem totius universi (§. 905. 909.) Quamobrem cum perfectio hominis omnis consistat in aptitudine repræsentandi perfectionem Dei summam (§. 917.), non potest non velle, ut ita actiones suas liberas dirigat, quo quoad perfectionem accidentalem, quæ ab iis pendet (§. 912.), tum ipse, tum alii apti sint ad repræsentandum perfectionem divinam. Enimvero perfectio totius mundi consistit in aptitudine patefaciendi perfectionem Dei summam (§. 673.) & creaturæ omnes sunt specula perfectionum divinarum (§. 785.). quatenus per determinationes ipsis intrinsecas colligi potest, qualia sint attributa divina (§. 784.), adeoque perfectionem Dei summam repræsentant. E. Voluntas Dei de directione actionum liberarum respectu universi.

Sublimis hæc veritas, quæ vulgo non agnoscitur, maximi momenti est non minus in philosophia morali, quam in omni religione tam naturali, quam revelata.

§. 921.

Deus velle nequit, ut actiones suas liberas homo dirigat ad imperfectionem totius universi (§. 920. *Theol. nat.* 28. *Ont.*). Directio actionum eidem contraria.

§. 922.

Providentia quid sit.

Decretum Dei de conservatione & gubernatione rerum omnium in hoc universo & concursu ad earundem actiones dicitur *Providentia divina*. Et hinc Deus rebus *providere* dicitur, quatenus eas conservat & gubernat atque ad actiones earundem concurrit.

§. 923.

An detur.

Datur Providentia divina (§. 843. 874. 883 sq. 900. 524 sq. 504. 922.).

§. 924.

Immutabilitas ejus.

Providentia divina æterna & immutabilis est (§. 922. 504. 509.).

§. 925.

Objectum providentiæ divinæ.

Providentia divina sese extendit ad omnia, quæ sunt ac fiunt in hoc universo, nec quicquam judicari debet adeo abjectum, ad quod sese non extendat providentia divina (§. 843. 874. 900. 899. 922.).

§. 926.

Universalitas decreti divini.

Ergo *nihil quoque adeo abjectum videri debet, cujus Deus non habuerit rationem, cum conservationem ac gubernationem hujus universi decerneret, & cujus conservationem & gubernationem non decreverit ab æterno (§. 504.).* Adde §. 925. 922.

Avicula, quæ decipula capitur, res vilis æstimatur. Sed vi corollarii præsentis Deus ab æterno decrevit, quod eo momento, quo capitur, capi debeat. Et quia de ejus conservatione statuit decreto suo æterno; non interire potest nisi eo momento, quo ejus interitum decrevit.

§. 927.

Providentia divina quomodo executioni detur.

Deus providet rebus per nexum rerum in hoc universo (§. 901. *Theol. natur.* 851. *Ontol.* 10. *Cosmol.* 922. *Theol. natur.*). Vide §. 83. *Cosmol.*

§. 928.

§. 928.

Deus sapientia, bonitate (§ 927. 741.) *ac potentia* (§ 922. 855. 876. 856. 869.) *providet rebus.*

Dependet providentia a sapientia, bonitate ac potentia Dei.

§. 929.

Ordo naturæ & directio malorum ad bonos fines (§. 904. 922) *una cum eorum permissione* (§. 585.) *pertinet ad providentiam divinam.*

Ordo naturæ & permissio ac directio mali est providentiæ divinæ.

Quodsi permissionem non decrevisset, nec de ejus directione ad bonos fines decernere quid potuisset. Atqui decretum de directione mali ad providentiam divinam spectat. E.

§. 930.

Quoniam ordo naturæ pertinet ad providentiam divinam (§. 929.), quæ vero in mundo adspectabili fiunt, secundum naturæ ordinem fiunt (§. 566. *Cosmol.*); *Quæcunque naturaliter fiunt, secundum providentiam divinam fiunt.*

Naturalia fiunt secundum providentiam

§. 931.

Nihil nobis accidere potest mali, qualecunque tandem sit, nisi Deo providente (§. 929.) adeoque (§. 928.) *secundum sapientiam atque bonitatem ipsius.*

Itidem fata sinistra hominum.

§. 932.

Fortuna pertinet ad providentiam divinam, aut si mavis, subest providentiæ divinæ (§. 540. 543. 651. 652. 654. 665. 927.). Idem patet ex §. 540 sq. 930.

Nec non fortuna.

§. 933.

Deus providentia sua enti cuicunque tantundem confert boni, quantum salva sapientia ipsius fieri potest (§. 928. 696.).

Quomodo Deus consulat creaturis providentia.

§. 934.

Deus providentia sua tantundem ab ente quocunque arcet mali, quantum salva sapientia ipsius fieri potest (§. 933.).

Idem ulterius deducitur.

§. 935.

Non repugnat providentiæ divinæ, quod Deus hominem in

Mala physica & moralia

providentiæ non contrariantur.

in mala tam physica, quam moralia ruere sinat (§. 725 seq. 928.).

§. 936.

Conservatio rerum per causas secundas est providentiæ divinæ.

Quod res una in universo faciat ad conservationem alterius, id tribuendum est providentiæ divinæ (§. 922. 447. 497. 525.).

§. 937.

Item mutui rerum usus.

Quod unum inserviat usibus alterius in universo, tribuendum est providentiæ divinæ (§. 925.). Idem patet ex §. 739. 928. nec non ex §. 927. 648. 665.

§. 938.

Modus providendi.

Deus rebus in hoc universo ita providet, ac si ad ea, quæ fiunt, attentus hodie demum decerneret, quid fieri debeat, seu, quid facere ac permittere velit. Cum enim Deus decernat, quod ipsum decet (§. 516.), consequenter cujus in attributis ipsius continetur ratio, cur hoc potius decernat, quam aliud (§. 332.), sit vero sapientissimus (§. 640.) ac summe bonus (§. 699.); si hodie demum attentus ad ea, quæ fiunt, quidpiam decerneret, non sane aliud decernere posset, quam quod salva ipsius sapientia ac bonitate decerni poterat. Jam vide §. 726. 825. 733 sq. 735. *Th. nat.* 689. *ration.* Atqui Deus æterno suo decreto, quo providentia omnis continetur (§. 922.), omnia in hoc universo sapienter, immo sapientissime decrevit (§. 643.), & enti unicuique tantumdem conferre boni statuit, quantum sapientia ipsius salva fieri potest (§. 698.) consequenter bonitati suæ convenienter decrevit (§. 697.), ut ideo rebus singulis, qualescunque tandem fuerint (§. 926.), sapientia ac bonitate sua provideat (§. 928.). Mala physica non decrevit, quatenus talia sunt (§. 566.), adeoque non in relatione ad partes (§. 565.), sed potius ad totum universum (§. 563.), & moralia tantummodo permittere statuit (§. 585.), quatenus abusu libertatis irrepunt in actiones liberas (§. 580.), utrique in hac rerum serie faciens locum, quatenus salva sapientia summa tolli nequeunt (§. 676.). Mala autem tam physica, quam moralia dirigit ad bonum finem (§. 680.). Denique æterno suo decreto, quo providentia continetur (§. 922.), nihil

nihil eorum, quæ fiunt in mundo, absolute spectatum decrevit, sed in relatione ad totum (§. 519.), non constituens fines particulares nisi in relatione ad finem totius mundi (§. 626.). E. (§. 922. 924.).

§. 939.

Deus per concursum suum præsentia distinguit a præteritis atque futuris (§. 181. 74. 156. 207. 160.). Omnia ergo, quæ ad mundum præsentem quomodocunque spectant, Deo præsentia sunt ab æterno in æternum, sive præsentia sint, sive præterita, sive adhuc futura. Jam de concursu Dei conf. §. 874. 876. *Theol. natur.* 723. *Ont.* 877. *Theol. natur.* Quamobrem cum sibi conscius sit semper & sui, & eorum, quæ sibi repræsentat (§. 187.); quænam sint, ad quæ jam concurrit, hoc est, præsentia cognoscit, adeoque a præteritis & adhuc futuris distinguit (§. 228.). Deus præsentia a præteritis & futuris distinguit.

Nemo non ex eo cognoscit opus aliquod sibi præsens, cui conficiendo operam impendit.

§. 940.

Deus præterita tanquam præterita sibi repræsentat per dependentiam præsentium ab iisdem & futura tanquam futura per eorundem dependentiam a præsentibus (§. 161. *Th. nat.* 87. *Cosm.* 116. 851. *Ont.* 939. *Th. nat.*). Quomodo præterita & futura qua talia agnoscat.

§. 941.

Deus recordatur continuo omnium præteritorum (§. 160. 939 sq. 238.), *nec ullius unquam oblivisci potest* (§. 940. 181. *Th. nat.* 173. 215. *emp.*). Deus omnium recordatur, nullius obliviscitur.

Posterius etiam patet ex §. 181. 188. 344. 187. 160. 939 sq. *Th. nat.* 215. *emp.*

Deus ideas nullas in particulari producit, sed semper idea totius universi eadem claritate in intellectu ipsius fulget, ob simultaneam cognitionem omnium (§. 160.). Quamobrem præsens ubi fit præteritum, idea ejus non evanescit in intellectu divino, quemadmodum in humano, adeoque non opus est, ut denuo reproducatur, quippe continuo contenta tanquam idea particularis in idea totius universi. Deus igitur,

tur, quando recordatur, non perinde ac homines, ideas, quas ante habuerat, postquam evanuerant, iterum reproducere tenetur. Ideæ rerum præteritarum cum non reproducantur a Deo, quemadmodum a nobis; ita quoque fieri non potest, ut recognitio præteritorum in eo locum habeat, qua nos ideas reproductas recognoscimus, nobis conscii, quod eas jam ante habuerimus (§. 173. *Psych. emp.*). Respondet nimirum actui recognitionis repræsentatio præteriti tanquam præteriti per dependentiam præsentis ab eodem (§. 940.): quæ cum sit in Deo continua, nec fingi in eodem potest impotentia præterita recognoscendi, in qua oblivio consistit hominum (§. 215. *Psychol. empir.*).

§. 942.

Scientia visionis Dei.

Deo competit scientia visionis (§. 574. 533. 760. 843. 900. 939 sq. 230.).

Scientia visionis Deo competit quoad intellectum: dependet tamen partim a decreto ipsius, partim a potentia creatrice ac conservatrice, quæ cum creatrice eadem (§. 845.), quemadmodum ex demonstratione intelligitur. Nemo igitur miretur, quod, cum jam supra de intellectu divino agentes scientiam visionis definiverimus (§. 230.), nunc demum ex intervallo demonstremus, eam Deo competere. Quoniam enim vi demonstrationis pendet a decreto Dei quoad præscientiam æternam futurorum, a potentia creatrice & conservatrice quoad cognitionem præsentium tanquam præsentium, præteritorum tanquam præteritorum & futurorum adhuc tanquam futurorum; eam Deo non ante vindicare licuit, quam postquam de decreto divino & ejus executione, creatione scilicet ac conservatione, egimus. Scientiæ visionis demum est locus post decretum & actum creationis & conservationis, quando nempe mundus spectatur tanquam certo exstiturus aut actu existens. Scientia adeo visionis a scientia simplicis intelligentiæ (§. 226. 221.) recte distinguitur, habetque distinctio fundamentum in re.

§. 943.

Conservatio rerum Deo S. S. autoritate vindicanda.

Deo juxta S. S. tribuenda est rerum omnium in hoc universo conservatio eodem sensu, quo supra eandem ipsi vindicavimus *Act.* XVII, 24. 25 & 26. 28. coll. §. 845. Et ex eadem ratione alibi in sacris omnia Deo tribuuntur, quæ in natura rerum quomodocun-

cunque generantur, ſecundum naturæ ordinem, veluti *Job.* V, 10. cap. XXXVIII, 25.

§. 944.

Item concurſus Dei ad actiones creaturarum.

Deus juxta S. S. concurrit ad omnes creaturarum actiones. Dicimur l. c. moveri in Deo. Actiones hominis externæ fiunt motu organorum corporis, ſive voluntariæ fuerint, ſive naturales. Juxta S. S. ergo homo nullam edit actionem ſine Deo. Per ea igitur, quæ inſunt homini, penitus intelligi nequit, cur agat, ſi actionem prorſus diſtincte concipere velis, conſequenter non tota ratio ſufficiens actionis in ſolo homine reperitur (§. 56. *Ontol.*), ſed reſtat quidpiam, quod quærendum in Deo. Jam vide §. 872. Actiones naturales ab arbitrio noſtro minime pendent, ſed totæ ex natura & eſſentia rei conſequuntur (§. 913.), adeoque homini cum corporibus omnibus communes ſunt. Quoniam itaque Deus juxta S. S. ad actiones hominum naturales concurrit; quin juxta eandem dicendus ſit etiam concurrere ad actiones quaſcunque corporum quorumlibet, conſequenter ad actiones quaslibet naturæ (§. 507. *Cosm.*), dubitandum non eſt.

§. 945.

Concurſus ad actiones malas juxta S. S.

Deus juxta S. S. concurrit etiam ad malas hominum actiones, ſed non quatenus malæ ſunt. Concurrit Deus ad omnem motum noſtrum (§. 944.). Quamobrem cum actiones malæ ſint non minus motus organorum corporis, quam bonæ; Deus ex mente Apoſtoli ad actiones quoque malas concurrit. Enim vero actiones malæ non ideo ſunt malæ, quia ſunt motus organorum corporis, ſed quia tendunt ad noſtri ſtatusque noſtri vel alterius ſtatusque ejusdem imperfectionem (§. 565. *emp.*). Ergo Deus non concurrit ad actiones malas, quatenus malæ ſunt. Actiones externæ phyſice ſpectantur, quatenus ſunt motus organorum corporis; moraliter vero, quatenus vel bonæ, vel malæ (§. 568.). Quoniam itaque Deus ad actiones hominis concurrit, quatenus ſunt motus organorum corporis; Deus ad actiones malas juxta S. S. concurrit, quatenus ſpectantur phyſice, non autem quatenus ſpectantur moraliter (§. 884.). Exempli loco ſit Joſephi hiſtoria coll. §. 874. 943.

§. 946.

Universalitas providentiæ divinæ juxta S.S.

Deus juxta S. S. rerum etiam vilissimorum curam gerit, seu nihil judicari debet adeo abjectum, quod non sit objectum providentiæ divinæ Matth. X, 29. & sqq. cap. VI, 20. & sqq.

§. 947.

Diversitas judicii nostri ac Dei de usu rerum.

Quæ sunt exigui usus nostro judicio, talia non sunt judicio Dei (§. 119. 87. 116. Cosmol. 228. 646. 161. 156. 207. Theol. nat.). Omnem igitur usum, quem habet in serie rerum unumquodque in determinando actu sequentium, sive propinquum, sive quocunque intervallo remotum, Deus distinctissime cognoscit ac intuitive. De usu adeo rerum judicat in relatione ad totum universum. Enimvero nemo nescit, nos in usu rerum immediato acquiescere, immo sæpissime ne hunc quidem attingere, consequenter exigui usus æstimare, quorum usus immediatus non magni momenti est, & nullius usus reputare, quorum nullum perspicere valemus, aliter prorsus judicaturos, siquidem divina mentis acie integrum rerum nexum intuitive pervestigare daretur. E.

Pretium rebus decernimus ex usu, quem præbent: immo plurimi res æstimare non solent nisi ex usu, quem nobis præbent. Unde vilia & abjecta videntur, quæ exiguum aut nullum usum habere judicantur, saltem quæ nobis nulli usui sunt; in pretio vero habentur, quorum multum & magnum experimur usum. Vides itaque Deo non videri vilia & abjecta, ideoque contemnenda, quæ nostro judicio talia habentur, etsi supponas eundem quoque rerum pretium statuere ex usu, quem præbent aliis. Sunt subinde partes quædam exiguæ in machinis, quas mechanismi imperiti abesse posse existimant, salva machina, non agnoscentes usum immediatum, nedum mediatum, quem habent. Has abjectas judicat imperitus Mechanicæ; sed aliter longe sentit Mechanicus, cui operis sui adest idea distincta; qua omnem usum mediatum per totam machinam sese diffundentem perspicit. Ceterum hæc propositio probe perpendenda, ne indignum videatur Deo rerum minimarum cura: qua negata aut in dubium vocata proclivis est ad omnem prorsus providentiam divinam negandam lapsus.

§. 948.

§. 948.

Deus juxta S. S. omnia gubernat in hoc universo, eodem prorsus sensu, quo nos gubernationem rerum omnium eidem vindicavimus. Corpora dividuntur in totalia & partialia, quorum illa sunt juxta S. S. Sol, Luna, Stellæ atque terra; hæc vero, quæ in Tellure generantur, inanimata & animata. Jam de sole vid. *Matth.* V, 45. *Psalm.* CIV, 19 sqq. De terra conf. *Eccles.* I, 4. *Jes.* XLV, 18. *Job* V, 10. *Psalm.* CXLVII, 7 sqq. *Matth.* V, 45. *Psalm.* CIV, 13 sq. *Job.* XXXVIII, 25 sqq. *Prov.* XVI, 33. 1 *Sam.* X, 9. *Psalm.* CXV, 25. *Apoc.* XVII, 17. *Gen.* XLV, 8. coll. §. 899 sq.

Gubernatio Deo juxta S. S. tribuenda.

§. 949.

Deo tribuenda juxta S. S. providentia eodem sensu, quo ipsi eandem vindicavimus (§. 943 sq. 948. coll. §. 922 sq.).

Providentia Deo juxta S. S. tribuenda.

CAPUT VI.

DE

JURE DEI IN CREATURAS.

§. 950.

Actio libera recta est, quæ rationem sufficientem in essentia & attributis agentis habet, consequenter nulli determinationi essentiali vel attributo contradicit. *Minus recta* est illa, quæ determinationi alicui essentiali vel attributo contradicit.

Actio recta & minus recta.

Obiter monemus rationem istam, per quam patet rectitudo actionis, non semper desumendam esse immediate ab essentia vel attributo agentis, verum etiam mediate ab iis, quæ longa licet ratiociniorum concatenatorum serie inde deducuntur. Vernacula dicimus eine unrechte Handlung, & de committente, er habe unrecht gethan.

§. 951.

Differentia actionum liberarum quoad rectitudinem est id, quod *Moralitatis* nomine venit.

Moralitas actionum.

§. 952.

Possibilitas & impossibilitas physica & moralis.

Physice impossibile est, quod potentiæ agentis vel viribus ejusdem repugnat. Ex adverso *physice possibile* est, quod potentiæ agentis vel viribus ejusdem non repugnat. Ast *moraliter impossibile* est, quod salva actionis rectitudine fieri nequit: Et e contrario *moraliter possibile est*, quod eadem rectitudine salva fieri potest.

§. 953.

Facultas agendi physica & moralis differt,

Facultas agendi physica est potentia agendi quod physice possibile est. *Facultas vero agendi moralis* est potentia agendi, quod moraliter possibile.

Ita facultatem agendi physicam habemus comedendi cibum quemvis quacunque quantitate, sive is sanitati prosit, sive noceat; ast facultatem agendi moralem non habemus nisi comedendi cibum sanitati amicum ea quantitate, qua eidem non nocet.

§. 954.

Jus quid sit.

Facultas agendi moralis *Jus* dici solet.

Qui cibos comedit sanitati amicos ea quantitate, quæ eidem non nocet, jus habere dicitur comedendi cibos sanos ea quantitate, quæ sanitati minime nocet. Non dico, quod jus ideo habeat in cibos, quos comedit: fieri enim poterat, ut comedat cibos alienos, in quos nullum jus habet. Sed hoc tantummodo dico, quod jus habeat ad comedendos istiusmodi cibos in genere spectatos, etsi non habeat jus ad hos præcise in singulari spectatos, qui sunt juris alterius.

§. 955.

Proprietas quid sit.

Jus disponendi de ipsa substantia rei pro arbitrio suo dicitur *Proprietas*. Et qui proprietatem rei habet *Proprietarius* appellatur.

§. 956.

Fructus quid dicatur.

Fructus dicuntur res ex rebus aliis quomodocunque provenientes.

§. 957.

Jus utendi quid sit.

Jus utendi est facultas moralis disponendi de quolibet rei usu pro arbitrio suo.

§. 958.

§. 958.

Jus fruendi est facultas disponendi de fructibus rei pro arbitrio suo. Jus fruendi quid sit.

§. 959.

Dominium dicitur jus pro arbitrio suo disponendi de ipsa rei substantia, ejus usu atque fructu. Dominium quid sit.

§. 960.

Dominium complectitur proprietatem atque jus utendi ac fruendi (§. 955. 957 sq. 959.). Quænam jura dominium complectatur.

§. 961.

Dominium dicitur *plenum*, quod proprietatem omnem ac jus utendi atque fruendi omne prorsus illimitatum continet. Dominium plenum.

§. 962.

Dominium est *minus plenum*, quando scilicet proprietas cum jure utendi ac fruendi sine omni prorsus limitatione ac restrictione nobis non competit. Minus plenum.

§. 963.

Deo competit dominium plenum totius universi ac naturæ rerum & omnium, quæ in eo sunt, sive in prima statim creatione fuerint facta, sive hodie demum generentur aut quomodocunque producantur a natura rerum (§. 759. 766. 765. 321. 351. 843. 846. 845. 849. 857 sq. 780. 783. *Th. nat.* 697. *rat.* 778 sq. 781. 783. 777. 859. *Th. nat.*). Deus igitur juxta §. §. cit. de toto hoc universo pro arbitrio suo disponere potest, nec non de tota natura rerum ac omnibus, quæ in eo sunt, sive in prima creatione fuerint facta, sive quomodocunque producantur a natura rerum, cum nihil insit creaturis, quod non habeant a Deo. Disponere autem potest non modo de ipsis creaturis, sed etiam de mutuis usibus, quos sibi invicem præstant, & cum quæ naturæ opera producuntur fructuum instar considerari possint (§. 956.), de fructibus quoque hujus universi, quoniam in ipsis rebus nihil reperitur, quod liberrimæ ipsius voluntati obstare aliquo modo possit. Jam vide §. 959. 961. Quale jus Deo competat in creaturas.

Quæ

Quæ valent de artifice opus quoddam proprio motu ex materia sua faciente, eadem quoque valere debent de Deo, omnia creante ex nihilo ac conservante ne in nihilum recidant, adeoque non influente ullo modo in opus ipsius, in quod alteri jus aliquod competat.

§. 964.

Dominus quid sit.

Dominus rei dicitur, cui competit dominium.

§. 965.

Deus dominus mundi, naturæ & omnium, quæ in mundo sunt.

Deus est dominus naturæ, totius mundi ac omnium, quæ in eo sunt, sive in prima creatione fuerint facta, sive hodie demum generentur, aut quomodocunque a natura producantur (§. 963 sq.).

§. 966.

Et omnium creaturarum.

Deus dominus est omnium creaturarum, ac in specie hominum atque omnium animantium, quocunque tandem nomine veniant (§. 965. 778 sq. 781. 783.).

§. 967.

Servus quinam sit.

Servus dicitur homo, qui est in dominio alterius.

§. 968.

Homines servi Dei.

Homines omnes sunt servi Dei (§. 966. 964. 967.).

§. 969.

Corpora & natura voluntatem Dei exequuntur.

Corpora & tota rerum natura agunt, quæ Deus vult (§. 661. Th. nat. 932. Ont.).

§. 970.

Homo actiones liberas secundum Dei voluntatem determinare debet.

Homo actiones liberas non determinare debet suo arbitratu, sed necesse est, ut eas determinet, quemadmodum vult Deus (§. 968. 967. 959. 646.).

§. 971.

Voluntatis propriæ abnegatio.

E. *Voluntas Dei ipsi esse debet loco propriæ voluntatis (§. 970.).*

Atque hinc patet, quid sit *abnegatio voluntatis propriæ*, scilicet propositum firmum nil quicquam agendi, nisi quod voluntati divinæ conforme.

§. 972.

§. 972.

Necessitas agendi secundum voluntatem Dei moralis est, non physica (§. 942 941. emp. 952 sq. Th. nat.).

Necessitas agendi secundum Dei voluntatem qualis.

§. 973.

Necessitas moralis agendi est id, quod uno nomine *Obligatio, passiva* scilicet, dici solet. Etenim *obligatio activa* non est nisi connexio motivi cum actione.

Obligatio passiva & activa.

§. 974.

Homo obligatus est ad actiones liberas non ex suo arbitratu, sed secundum voluntatem Dei determinandas (§. 970. 972 sq.).

Obligatio hominis ad agendum secundum voluntatem Dei.

§. 975.

Homo obligatur ad actiones liberas ad sui statusque sui, ac aliorum hominum statusque eorundem, immo ad perfectionem totius universi dirigendas (§. 974. 905. 909 920.).

Obligatio hominis qualis.

§. 976.

Homo obligatur ad actiones liberas per easdem rationes finales determinandas, per quas determinantur naturales (§. 974. 915.).

Idem expenditur.

§. 977.

Homo obligatur ad actiones suas liberas ad gloriæ divinæ manifestationem dirigendas (§. 974. 918.).

Adhuc idem consideratur.

§. 978.

Homo obligatur ad omittendas actiones, quæ voluntati divinæ contrariantur (§. 974.).

Obligatio ad actionum omissionem.

§. 979.

Homo obligatur ad non omittendas actiones voluntati divinæ conformes, & ad non committendas eidem contrarias (§. 974.).

Obligatio ad non committenda & non omittenda.

Obligatio, de qua hic agitur, *negativa* dici potest, quemadmodum altera de committendis, ac omittendis, quæ Deus committi ac omitti vult, *positiva*.

§. 980.

Obligatio negativa explicatur.

Homo obligatur ad non determinandum actiones suas liberas per rationes finales diversas ab iis, per quas determinantur naturales (§. 976. 972.).

Ponamus e. gr. hominem quendam modice capere cibum sanum, sed non quia sanitati corporis consequendæ prodest, verum ex avaritia, quia cibus iste vili comparatur pretio. Vi propositionis præsentis actio libera bona nondum dici potest, nec homo obligationi suæ ad cibum sanum modica quantitate sumendum satisfacit. Non sufficit agere quod bonum est, sed agendum etiam bene.

§. 981.

Eadem ulterius exposita

Homo obligatur ad non omittendum in actionibus liberis determinandis motiva ab attributis divinis (§. 977. 919. 972 sq.) ac in specie a dominio Dei in homines desumta (§. 966. 963.).

Actio igitur, ceteroquin recta, bona tamen nondum est, si omittantur motiva ab attributis divinis desumta. Probe hæc perpendenda veniunt, ut de rectitudine actionum humanarum judicium fieri possit.

§. 982.

Adhuc ulterius expenditur.

Homo obligatur ad omittendas actiones, quæ tendunt ad sui statusque sui atque aliorum hominum quorumcunque statusque eorundem imperfectionem (§. 978. 906. 910 sq.).

§. 983.

Consilium, suasio & jussus quomodo differant.

Consilium dare dicitur, qui significat, quid sibi videatur, ut fiat. *Suadere* dicitur, qui significat, quid fieri velit in alterius tamen arbitrio relinquens, quid facere velit. *Jubere* dicitur, qui significat, quid fieri velit, in alterius arbitrio non relinquens, quid facere velit. Unde *Consilium* est significatio ejus, quid danti videatur, ut fiat. *Suasio* est significatio voluntatis suæ de eo, quod fieri debet, ita tamen, ut in arbitrio alterius relinquatur, quid facere velit. *Jussus* vero est significatio voluntatis suæ de eo, quod ab altero fieri debet, ita ut in arbitrio ipsius non relinquatur, quid facere velit.

§. 984.

§. 984.

Jussus ejus, qui habet jus alterum obligandi, dicitur *Præceptum.* Definiri etiam potest, quod sit jussus alterum obligans. **Præceptum quid sit.**

§. 985.

Dissuadere alteri quid dicitur, qui ei significat nolle se, ut hoc faciat, ita tamen ut in ejus arbitrio positum relinquat, utrum id omittere velit, nec ne. Ast *vetare* dicitur nobis, si voluntatem suam alteri ita significet, quod quid ab eodem fieri nolit, ut in ejus arbitrio positum non relinquat, utrum id omittere velit, nec ne. Quodsi qui quid vetat, habeat jus alterum obligandi, ne hoc faciat, *prohibere* id dicitur. Unde *Dissuasio* est significatio noluntatis nostræ de facto alterius, liberum alteri relinquens, num idem omittere velit. *Vetatio* est significatio noluntatis nostræ de facto alterius, in arbitrio alterius non relinquens, num idem omittere velit. Ast *Probibitio* est vetatio ejus, qui habet jus alterum obligandi ad quid omittendum, vel non faciendum. **Dissuasio, vetatio & prohibitio quomodo differant.**

§. 986.

Deo competit jus obligandi hominem ad actiones non suo arbitratu, sed juxta voluntatem divinam determinandas (§. 968. 967. 959. 973.). **Jus obligandi divinum.**

Dominium Dei plenum est (§. 963.), adeoque quicquid in eodem juris concipi potest, prorsus illimitatum est. Quamobrem jus quoque obligandi hominem nulla prorsus limitatione imminutum. Atque ideo nulla concipi potest actio libera, quæ eidem eximi possit, ac modus obligandi arbitrio Dei prorsus relictus.

§. 987.

Deus hominem obligat ad actiones non suo arbitratu, sed juxta voluntatem ipsius determinandas. Constat, ex quibusdam actionibus sequi necessario mala physica, & alia eadem contingenter comitari; ex quibusdam ex adverso necessario sequi bona physica, & alia eadem contingenter comitari. Quoniam hæc debentur nexui rerum in hoc universo (§. 10. *Cosmol.* §. 118. *Ontol.*); Deus autem hoc universum gubernat, dum omnia **Obligatio divina asserta.**

inter se connectit (§. 901.); quin voluntate Dei ista consequantur, dubitandum non est. Enimvero actiones nobis repræsentamus tanquam bonas, quatenus ex iisdem consequuntur bona physica & hæc alia contingenter comitantur, ast tanquam malas, quatenus inde necessario resultant mala physica & hæc alia contingenter comitantur, consequenter mala physica cum actionibus nostris connexa sunt motiva nolitionis; bona autem physica motiva volitionis (*§. 890. Psychol. empir.*). Quoniam itaque Deus motiva nolitionis ac volitionis cum actionibus liberis connectere voluit; hominem autem obligat ad certas actiones omittendas & alias committendas, quatenus motiva cum iisdem connectit (§. 973.); patet ipsum hominem obligare ad certam actionum liberarum determinationem. Constat autem Deo competere jus obligandi hominem ad actiones non suo arbitratu, sed secundum voluntatem ipsius determinandas (§. 986.). E.

§. 988.

Obligatio divina quo tendat.

Deus homines quoque *obligat ad dirigendas actiones suas ad sui & aliorum statusque sui ac aliorum, immo totius universi perfectionem atque gloriæ divinæ manifestationem*, consequenter etiam ad *omittendas actiones, quæ tendunt ad sui & aliorum statusque sui ac aliorum imperfectionem* (§. 28. Ontol.), *& ad non omittenda motiva ab ipsius attributis desumenda* (*§. 919.*). Adde §. 987. 905. 909. 920. 918.

§. 989.

Quænam præcipiat Deus.

Deus præcipit, ut homo actiones suas liberas dirigat ad sui aliorumque statusque sui ac aliorum, immo totius universi perfectionem ac gloriæ suæ manifestationem (§. 905. 909. 920. 918. 988. 986.). Quamobrem cum voluntas ipsius & obligatio de hac actionum directione per demonstrationes anteriores, nexum veritatum universalium patefacientes (§. 446. *Psychol. rat.*), adeoque beneficio rationis cognoscatur (§. 483. *Psychol. emp.*); homo autem rationem habeat a Deo (§. 786.), ejus usum tanquam finem intendente (§. 648.); quin suam homini voluntatem de actionum directione & obligatione ad eandem beneficio rationis significet, dubitari nequit. Jam vide §. 983 sq.

Equidem

Equidem demonſtratio tota procedit juxta canonem logicum, cui competit definitio, ei competit definitum (§. 344. *Log.*), utpote in applicatione ac definitione præcepti, quæ in definitionem juſſus reſolvitur (§. 983.), conſiſtens; non tamen inconſultum eſt, ut probe perpendatur, quomodo iſta applicatio fiat. Nimirum ut conſtet, Deum præcipere eam actionum liberarum directionem, quam abunde inculcavimus, demonſtrandum eſt 1. ipſum eandem velle, 2. voluntatem ſuam nobis patefacere, 3. nec in arbitrio noſtro relinquere, num voluntatem noſtram ſuæ conformare velimus, & 4. facere hoc uſum jure ſuo nos obligandi. Ea enim ſunt præcipientis requiſita, quorum uno deficiente præceptum nullum eſt (§. 983 984.).

§. 990.

Deus probibet, ne homo actiones ſuas liberas dirigat ad ſui ac aliorum imperfectionem, & ne omittat actiones tendentes ad ſui & aliorum ſtatusque ſui & aliorum perfectionem, atque ne omittat motiva in determinandis actionibus liberis ab attributis divinis deſumta (§. 989. 919. 984. 983. 986. 988. 985 ſq.). Quodnam Deus prohibeat.

§. 991.

Bonitatis divinæ eſt, quod velit hominem actiones ſuas dirigere ad aliorum ſtatusque eorundem perfectionem (§. 695.). Cur Deus directionem actionum ad aliorum perfectionem velit.

§. 992.

Præcepta Dei ac prohibitiones ejusdem a bonititate divina proficiſcuntur (*§. 989 ſq. 984. 983. 985. 907. 991.*). Fons præceptorum & prohibitionum.

§. 993.

Præcepta ac prohibitiones Dei non ſunt nuda conſilia (§. 984 ſq. 973. 984. 983. 985.). Præcepta ac prohibitiones Dei non ſunt conſilia.

§. 994.

Deus ad actiones bonas concurrit, quatenus bonæ ſunt (§. *989. 370. 990. 371. 986. 988. 973. 968. 966. 974. 872.*). Concurſus Dei ad actiones bonas.

Quando ad hunc concurſum referunt theologi, quod largiatur vires bonum agendi, id ad Theologiam revelatam pertinet: loquuntur enim de viribus gratiæ, quas neſcit ratio.

§. 995.

Dominium rerum a Deo hominibus concessum.

Deus hominibus concessit dominium earum rerum, quibus ad promovendam sui & aliorum atque status sui & aliorum perfectionem habent opus (§. 988. 973. 959.).

§. 996.

Usus & abusus dominii.

Homo dominio a Deo concesso utitur, si de iis disponit ad promovendam sui & aliorum statusque sui & aliorum perfectionem; abutitur vero, si disponit ad promovendam sui & aliorum statusque sui & aliorum imperfectionem (§. 963 995. 974. 370 sq. 646.).

§. 997.

Qualis sit Dominus Deus.

Deus Dominus summe bonus est (§. 699. 698 966.).

§. 998.

Idem expenditur.

Deus servos suos amat (§. 968. 965. 997. 700.), *eos vult esse felices, non infelices* (§. 966. 968. 706 sq.).

§. 999.

Dominium Dei juxta S. S.

Deo juxta S. S. competit dominium in creaturas, quale ipsi in superioribus vindicavimus. Jerem. XVIII, 3. & sqq. coll. §. 959. 963. 759. 765.

§. 1000.

S. S consensus circa actionum liberarum directionem.

Deus præcipit in S. S. ut actiones nostras liberas dirigamus ad nostri aliorumque statusque nostri ac aliorum perfectionem eodem prorsus sensu, quo hanc actionum directionem ab eo præcipi in superioribus demonstravimus. Matth. V, 48. coll. §. 412. 332. *Th. nat.* 56. 503. *Ont.* 913 sq. 989. *Th. nat.*

Adde vers. 44. *Matth.* XIX, 19. & *horas subsecivas* A. 1730. Trim. vern. num. V. p. 343 sqq.

§. 1001.

Consensus S. S. quoad prohibitiones divinas.

Hoc ipso simul patet (§. 1000.), quod *juxta S. S.* etiam *prohibeat actionum liberarum directionem ad nostri aliorumque statusque nostri ac aliorum imperfectionem eodem sensu, quo nos eandem ab ipso prohiberi in superioribus demonstravimus* (§. 990.).

§. 1002.

§. 1002.

Deus hominem juxta S. S. obligat ad agenda & non agenda eodem sensu, quo idem in anterioribus probavimus. Deus *Exod.* XX, 5. 6. mala physica comminatur praecepta ejus transgredientibus; bona autem pollicetur iis, qui eadem custodiunt. Jam vide §. 890. *emp.* 593. 973. 687. *Th. nat.* Consensus S. S. quoad obligationem.

§. 1003.

Deus juxta S. S. hominibus concessit dominium rerum omnium, quae usui ipsi esse possunt. Gen. I, 28. 29. coll. §. 999. 959. Adde de dominio nobis concesso § 954. 967. 956. 958 sq. 1000. sq. Consensus S. S. quoad dominium rerum hominibus concessum.

CAPUT VII.

DE

ATTRIBUTIS DIVINIS, QUÆ PER ANTERIORA DEMONSTRANTUR.

§. 1004.

D*eus est ens infinitum* (§. 67. 167. 357. 124. *Th. nat.* 643. *rat.* 144. *Ont.*). Infinitudo essentiae divinae.

Deus adeo vi demonstrationis per ipsam essentiam suam infinitus est; ut adeo infinitudo ab eodem inseparabilis sit (§. 300. 291. *Ontol*).

§. 1005.

Deus est substantia per eminentiam (§. 1004. *Th. nat.* 847. *Ontol.*). Substantialitas Dei.

§. 1006.

Deo modi nulli actu insunt, per eminentiam tamen modificabilis est (§. 1004. *Th. nat.* 840. 846. *Ont.*). Modi per eminentiam Deo tribuendi.

E. gr.

E. gr. Alii mundi possibiles sunt, in quibus ad actum deducerentur possibilia, quæ in præsente actum non consequuntur (§. 101. *Cosmol.*), Deo non minus intime perspecti, ac is, qui existit (§. 141. 156.), & eos is non minus ad actum perducere poterat, quam hunc produxit (§. 342.), qui unus tantummodo existit (§. 117.). Ex parte adeo objecti absolute impossibile non est, ut existat mundus alius quicunque a præsente diversus. Porro Deus hunc, qui existit, ex ceteris elegit mundum liberrimus ab omni coactione externa (§. 321.), atque interna (§. 351. 430.). Absolute itaque impossibilis non est electio & productio mundi alterius cujuscunque. Hæc per ea, quæ Deo insunt, possibilis concipitur, non tamen per ea necessario determinatur. Est igitur electio ac productio mundi alterius ab eo, qui existit, diversi analogum modi (§. 842. *Ontol.*). Et quatenus modi hoc analogum in Deo concipitur, per eminentiam modificabilis est. Atque hæc essentiæ divinæ modificatio per eminentiam in causa est, quod in iis, quæ de Deo concipimus, aliud sit ordine prius, aliud posterius, etsi nullum sit prius, nullum posterius tempore, quemadmodum in entibus finitis, in quibus ob modificationem seu modorum variationem successioni locus. Quoniam tamen aliquid ordine prius, aliud posterius est altero; ideo nos, qui ratiocinando unum ex altero colligere debemus intuitiva Dei cognitione destituti, per modum successionis in Deo concipimus, quæ simul insunt, ob modificationem per eminentiam, salva exclusione reali omnium modorum.

§. 1007.

Qualis Spiritus sit Deus.

Deus est Spiritus infinitus (§. 124. 1004.).

§. 1008.

Quomodo Deo actio competat.

Actio Deo competit per eminentiam (§. 1004. Th. nat. 848. Ont.).

§. 1009.

Immutabilitas divina.

Deus prorsus immutabilis est (§. 1004. Theol. nat. 839. Ont.).

Per mundi creationem & conservationem nulla intrinseca Deo accidit mutatio; sed tantummodo extrinseca, quatenus oritur relatio, cui antea non erat locus, nimirum ut jam Deus si creator, conservator & gubernator universi, quod ante non erat.

§. 1010.

§. 1010.

Sapientia quoque *bonitas* & *omnipotentia ejus prorsus immutabilis,* consequenter *fieri nequit, ut vel sapientia, vel bonitas, vel omnipotentia Dei ulla unquam capiat incrementa, vel decrementa* (§. 1009. 640. 699. 349.). Immutabilitas sapientiæ ac bonitatis divinæ.

§. 1011.

Quicquid Deo inest, id vel ad essentialia, vel ad attributa pertinet, aut, si quid modi analogum est, id per modum attributi inest (§. 1004. *Th. nat.* 841. *Ont.*). Quomodo Deo insint, quæ de ipso prædicantur.

§. 1012.

Essentialia (§. 142 sq. 303. *Ont.*) & *attributa* (§. 304. *Ont.*) *Deo inexistunt absoluta necessitate; modorum vero analoga, etsi per modum attributorum insint, necessitate tantummodo hypothetica* (§. 1004. *Th. nat.* 842. 79. 279 301 sq *Ont.*). Ex §. §. cit. apparet Analoga modorum tantummodo hypothetice necessaria esse, consequenter nonnisi hypothetica necessitate inexistere. Est vero Deus prorsus immutabilis (§. 1009.), adeoque quod ab æterno ipsi æterno (§. 74.) inexistit, idem inexistere quoque debet in æternum (§. 291. *Ontol.*). Fieri adeo nequit, ut præter hæc analoga modorum, quæ ipsi insunt, alia ipsis opposita insint unquam actu. Quoniam itaque ea in re cum attributis conveniunt, quorum utpote absoluta nacessitate inexistentium oppositum Deo unquam inesse nequit, per modum attributorum insunt. Differentia inexistentiæ.

Modus, quo quæ de Deo prædicantur eidem insunt, probe perpendendus, si quidem omnis difficultas circa libertatem voluntatis divinæ evanescere debet. Sane qui eum probe cognitum atque perspectum habet, ei libertati non amplius contraria videbitur electio mundi optimi, ita ut electio alterius pro moraliter impossibili habenda. Quæ vi principii contradictionis inferuntur, qualia sunt, quæ ab aseitate & intellectu divino pendent, ea absoluta necessitate Deo conveniunt: quæ vero vi principii rationis sufficientis consequuntur, qualia sunt, quæ a voluntate Dei pendent, ea nonnisi hypothetica necessitate de Deo enunciantur. In rebus finitis, in quibus successioni est locus, contraria diverso tempore inesse possunt, essentialibus ac attributis manenti-

(*Th. nat. contr. T. I.*).

bus iisdem: unde modi rebus non insunt instar attributorum, quorum opposita nunquam inesse possunt. Ast in ente infinito, in quo omnia simul insunt, quæ actu inesse possunt (§. 838. *Ontol.*), id singulare est, quod modorum analogis inexistentibus opposita nunquam actuinsint, atque hactenus cum attributis conveniant.

§. 1013.

Deus semper idem.

Deus semper idem permanet ab æterno in æternum (§. 1009. *Th. nat.* 291. *Ont.* 74. *Th. nat.*).

§. 1014.

Deus non est in tempore.

Deus non est in tempore (§. 1009. 1013. *Th. nat.* 291. 181. 574. *Ont.*).

§. 1015.

Mundus & ens finitum est in tempore.

Mundus (§. 48. 55. *Cosm.* 574. *Ont.*) & *omne ens finitum* (§. 835. 834. 705. 574. *Ont.*) *in tempore est.*

§. 1016.

Differentia æternitatis Dei ac temporis infiniti.

Æternitas Dei & tempus infinitum differunt (§. 74. 39. 71. *Th. nat.* 279. *Ont.* 1009. 1013. *Theol. natur.*). Æternitas igitur Dei consistit in actualitate immutabili eorum, quæ ipsi insunt. Atqui de tempore vid. §. 574 *Ont.* Idem ergo infinitum dici nequit, nisi quatenus nullum assignari potest initium, nullus finis, consequenter limes nullus, ultra quem augeri amplius potest sive ex parte ante, sive ex parte post, quemadmodum loquuntur philosophi, hoc est, nisi in sensu mathematico (§. 796. *Ontol.*).

§. 1017.

Æternitatis divinæ incommunicabilitas.

Æternitas Dei nulli enti finito communicari potest (§. 39. 1015. *Th nat.* 796. *Ont.* 1014. 74. 39. *Th. nat.*).

Æternitas nimirum Dei est attributum divinum ex aseitate fluens ac infinitudine. Jam vide §. 45. *rat.*

§. 1018.

Præsentia quid sit.

Ens unum præsens dicitur *alteri*, si ita coëxistunt, ut uni quidpiam insit, cujus ratio immediata datur in altero. Quoniam itaque ens unum ab altero dependet, quatenus ejus, quod ipsi

ipsi inexistit, ratio in hoc altero continetur (§. 851. *Ontol.*); *ens unum, quod alteri præsens est, quoad determinationes intrinsecas vel actu dependet, vel saltem dependere potest ab altero propter coëxistentiam.* Quodsi duo entia coëxistentia A & B simul consideramus atque ea, quæ ipsis in se spectatis seu absolute conveniunt, perpendentes porro inquirimus, an inter ea, quæ ipsi B conveniunt absolute, quidpiam occurrat, per quod aliquid de A intelligi possit, quod absque eo intelligi non poterat, adeoque in casu præsenti nonnisi coëxistente B, ens A ad B refertur, & eodem modo B ad A referri potest §. 855. *Ontol.*). Quamobrem patet *præsentia ad se invicem referri quoad coëxistentiam. Præsentia* igitur definiri potest per relationem entium quoad coexistentiam, ideo quia coëxistunt, quoad determinationes intrinsecas vel actu a se invicem dependentium, vel dependere saltem valentium.

In propatulo est, quod præsentia supponat coëxistentiam, ut ea non sit nisi coëxistentium. Non tamen sola coëxistentia ad præsentiam sufficit, alias anima adhuc præsens foret corpori mortuo, nondum corrupto, cum utraque substantia adhuc existat, consequenter anima a corpore separata & corpus mortuum, sed nondum corruptum, in coexistentium numero sint (§. 569. *Ontol.*). Omnis adeo quæstio huc redit, quid in coëxistentibus porro supponi debeat, ut tanquam sibi invicem præsentia considerari possint. Præsentiam ipsam non esse determinationem aliquam enti intrinsecam, nemo non admittit, consequenter non nisi in relatione quadam quoad determinationem intrinsecam consistere potest, cui propter coëxistentiam locus est. Jam si determinationes intrinsecas coëxistentium spectes, aut eædem a se invicem dependent, aut non dependent. Nemo affirmaverit, relationem fieri in præsentia quoad independentiam determinationum intrinsecarum, alias enim Sol horto præsens dici debebat, quando radiis suis eum amplius non ferit. Relinquitur itaque, ut in præsentia fiat relatio quoad determinationes intrinsecas dependentes. Adeoque præsentia est relatio entium quoad coëxistentiam, quatenus unum coëxistentium pendet ab altero quoad determinationes intrinsecas. E. c. Sit anima corpori vivo præsens, & corpus vivum animæ præsens.

§. 1019.

Præsentia agentis.

Si ens unum A in alterum B agit, A ipsi B præsens est, seu agens præsens est patienti. Vide §. 714. 290. 122. 112. 851. *Ont.* de eo, quod B patiens ab agente A dependeat; de coëxistentia conf. §. 569. *Ont.* de præsentia inde orta consule §. 1018.

Unde liquet, qui admittit actionem alicujus entis in aliud; eum quoque admittere debere agentis præsentiam respectu patientis eo sensu, quem vocabulum præsentiæ ex communi loquendi usu accepit.

§. 1020.

Præsentia agentis ob possibilitatem proximam agendi.

In quodcunque ens agens liberum agere potest, modo velit; ei præsens est (§. 1019.).

E. gr. Si quis fuerit in Bibliotheca & librum quendam ex repositorio, cui adstat, tollere possit, modo velit; eidem libro præsens est. Vide §. 1018.

§. 1021.

Sensui quænam præsentia.

Quod sensu percipimus, id nobis præsens est (§. 56. *empir.* 1019. *Th. nat.*).

§. 1022.

Speciale casus.

Quicquid videmus, vel tangimus, & cujus vocem vel sonum quemcunque audimus eo, in quo sumus loco editum, id nobis præsens est (§. 68. *emp.*).

§. 1023.

Præsentia animæ & corporis mutua.

Anima corpori & corpus animæ præsens est per unionem, seu quatenus illa cum eodem unitur (§. 723. 539. *rat.* 851. *Ont.* 1018. *Th. nat.*).

§. 1024.

Quamdiu duret.

Anima corpori & corpus animæ per omnem vitam præsens est, dum autem corpus moritur, præsens eidem anima esse desinit (§. 1023.).

§. 1025.

Animæ corpus mortuum præsens esse nequit.

Animæ corpus mortuum præsens esse nequit (§. 733. 111. 129. *rat.* 851. *Ont.* 1018. *Th. nat.*).

§. 1026.

§. 1026.

Corpori mortuo, etiamsi nondum corruptioni obnoxio, anima præsens esse nequit (§. 733. *rat.* 56. 851. *Ont.*). Corpori mortuo nondum corrupto anima præsens esse nequit.

§. 1027.

Substantia simplex præsens esse nequit enti cuicunque alteri nisi tota (§. 673. *Ont.*). Substantia simplex tota præsens est.

§. 1028.

Anima tota præsens est corpori, cui unitur (§. 48. *rat.* 1023. 1027. *Th. nat.*). Anima tota præsens est.

§. 1029.

Anima immediate præsens non est nisi ei cerebri parti, ubi datur communicatio nervorum sensoriorum & motoriorum; mediate tamen toti corpori & singulis ejus partibus, per quas illi disperguntur (§. 1023. *Th. nat.* 723. 539. *rat.* 851. *Ont.*). Constat vero ex anatomicis experimentis motum musculorum perfici motu ex cerebro ad eosdem propagato. Vide §. 111. *rat.* 93. *empir.* 206. 403. 414. *rat.* Quamobrem cum ideæ materiales in cerebro sint motus nervorum sensoriorum, vel ex organo sensorio in idem propagati, vel ex istis in cerebro enati (§. 112. *rat.*), ex hisce vero nascantur motus nervorum motoriorum ad musculos propagandi, quemadmodum appetitiones ac aversiones ex perceptionibus ac operationibus intellectus, prouti requirit constans modificationum animæ ac corporis harmonia; corpus ab anima potissimum pendet quoad motus nervorum motoriorum in cerebro ex motibus in sensoriis nervis quomodocunque derivatos. Ex his ergo patet *primum* (§. 1018.). Animæ præsentia mediata & immediata in corpore.

Enimvero quoniam motu isto per nervos sensorios ad musculos propagato per experimenta anatomica determinatur motus voluntarius & spontaneus organi cujuscunque corporis nostri; mediantibus nervis motoriis motus voluntarii ac spontanei organorum corporis ab anima dependent, consequenter corpus ipsum quoad hosce motus mediate dependet ab anima eidem coëxistente. Ex his igitur intelligitur id, quod erat *alterum* (§. 1018.).

§. 1030.

Præsentia elementorum.

Elementa rerum materialium sibi præsentia sunt, si immediata ratio, aut, si mavis, proxima ratio mutationum, quæ accidunt in uno, continetur in mutationibus, quæ contingunt in altero (§. 209. Cosm. 851. Ont. 1018. Th nat)

Ex elementorum nexu, quo constituuntur corpuscula primitiva (§. 229. *Cosmol.*), facile probari potest, unum elementum multis simul præsens esse, & quidem singulis totum (§. 1027.), utpote substantia simplex (§. 182. *Cosmol.*).

§. 1031.

Præsentia substantiarum simplicium inter se.

Quoniam elementa sunt substantiæ simplices (§. 182. *Cosmol.*), & quæ de mutua dependentia quoad determinationes intrinsecas demonstrata sunt (§. 209. *Cosmol*), iisdem conveniunt, quatenus substantiæ simplices sunt, facile patet, quæ de præsentia elementorum demonstrata sunt (§ 1030.), ea quoque de præsentia substantiarum simplicium tenenda esse. Quamobrem *substantia simplex una, finita* scilicet, *substantiæ simplici alteri finitæ præsens est, quatenus ratio proxima sive immediata mutationum unius in mutationibus alterius continetur.*

§. 1032.

In loco esse quid dicatur.

In loco esse dicitur, quod determinatam quandam spatii partem implet. Quamobrem cum spatium impleatur, quatenus in spatio imaginario fingitur pars immobilis ejusdem extensionis cum eo, quod idem implet (§. 609. *Ontol.*); *in loco quid est, quatenus in spatio imaginario fingi potest pars immobilis ejusdem cum ipso extensionis.* Adde §. 599. 608. *Ont.*

Etsi ad communem usum imaginaria sufficiant; cavendum tamen ne cum realibus confundantur. Etenim ex hoc fonte propullulant omnes difficultates, quæ in doctrina de præsentia rerum in genere & de omnipræsentia Dei in specie occurrunt, non tollendæ, nisi imaginaria a realibus distinxeris.

§. 1033.

Cur corpus sit in loco, substantia simplex non item.

Omne corpus in loco est; substantia simplex in loco esse nequit (§. 1032. Th. nat. 122. Cosm. 675. Ont.).

§. 1034.

§. 1034.

Animæ non minus brutorum, quam hominum in loco esse nequeunt (§. 48. 753. rat. 1033. Th. nat.). Cur animæ non sint in loco.

§. 1035.

Elementa quoque *rerum materialium non sunt in loco* (§. 182. *Cosm.*). Item elementa.

§. 1036.

Deus quoque *in loco esse haud quaquam potest (§. 83. 1033.).* Et Deus.

§. 1037.

Localiter præsens esse dicitur, quod cum præsens est rebus aliis, in loco existit. Unde *præsentia localis* est, quæ cum existentia in loco conjuncta. Præsentia localis quænam.

§. 1038.

Hinc porro *in re aliqua localiter præsens* est, quod intra limites ejus, cui præsens est, rei certum occupat locum. Localis præsentia in re aliqua.

§. 1039.

Quodsi adeo partem imaginariam spatii consideres tanquam rem a corpore diversam, & eandem certo quodam limite circumscribis; *corpus in eo loco præsens* dicitur, quod intra istos limites seu terminos locum quendam occupat. Vide §. 61. *emp.* Præsentia in loco.

§. 1040.

Corpus omne præsens est in loco (§. 1033. 1032. 1039.) & localiter præsens rebus (§. 1033. 1037.), vel in rebus (§. 1038.). Corporis localis præsentia & præsentia in loco.

§. 1041.

Animæ humanæ & brutorum, immo ipsa elementa rerum materialium localiter præsentia non sunt (§. 1034 sq. 1028. 1037.). Illocalis præsentia animarum & elementorum.

§. 1042.

Deus localiter præsens esse nequit (§. 1036 sq.). Illocalis præsentia Dei.

§. 1043.

Corpus omne per essentiam suam existit in loco (§. 176. *Cosm.* 155. *Ont.* 1032. *Th. nat.*); *elemento autem uni* (§. 569. 590. *Ont.* Existentia in loco quibus conveniat & repugnet.

Ont. 106. *rat.* 182. *Cosm.* 673. *Ont.* 1032. *Th. nat.*), *multoque magis animæ ipsique Deo existentia in loco repugnat* (§. 48. 753. *rat.* 83. 1032. *Th. nat.*).

§. 1044.

Esse ut in loco quid sit.

Quod in loco non est, dicitur *esse ut in loco*, quando præsens est rei in loco existenti.

§. 1045.

Animæ sunt ut in loco.

Animæ tam hominum, quam brutorum sunt ut in loco (§. 1034. 1028. 1033. 1043 sq.).

§. 1046.

Præsentia Dei.

Deus præsens est rebus omnibus in toto universo (§. 840. sq. 842. 1019.).

§. 1047.

Deus totus creaturis præsens est.

Deus omni creaturæ totus præsens est (§. 83. 1005. 1046. 1027.).

Hinc patet, Deum non tantummodo virtute sua seu omnipotentia esse rebus omnibus præsentem, sed substantialiter, cum sine substantialitate concipi non possit Deus totus. Nec probatu difficile foret, nihil in Deo concipi, quod non in præsentiam ipsius certo quodam modo influat.

§. 1048.

Extensio præsentiæ divinæ.

Deus totus præsens est toti mundo adspectabili & singulis rerum materialium elementis, corporibus item singulis, sive in prima rerum origine productis, sive hodiernum genitis, singulis animabus humanis, singulis animabus brutorum (§. 1047. 778. 780. 783. 777.).

§. 1049.

Modus præsentiæ divinæ uberius explicatur.

Deus totus est præsens toti mundo & totus præsens singulis ejus partibus (§. 1048. *Th. nat.* 119. 61. *Cosm.*) *citra multiplicationem* (§. 329. 331. *Ont.*) & *diffusionem sui* (§. 1005. 85. *Th. nat.* 548. *Ontol.*).

§. 1050.

Intime præsens rei quid.

Rei intime præsens dicitur, in qua nihil concipi potest a tota

a tota diversum & diversum ab aliis, quæ simul ad eandem pertinent, cui non sit præsens.

§. 1051.

Deus intime præsens est rebus omnibus, quibus præsens est. Cum ens omne vel simplex sit, vel compositum (§. 685. *Ont.*); res etiam, quibus Deus præsens est, vel in simplicium, vel in compositorum numero esse debent. De simplicibus vide §. 673. 341. *Ont.* 1050. *Th. nat.* De compositis ex simplicibus conflatis conf. §. 182. 176. 119. *Cosm.* 1048. 1050. *Th. nat.* Intima præsentia Dei.

§. 1052.

Deus est ut in loco omni (§. 1036. 1048. 1044. 1043.). Existentia Dei ut in loco.

§. 1053.

Res omnes, aut, si mavis, creaturæ omnes Deo per eminentiam præsentes sunt (§. 1021. 157. *Theol. nat.* 67. *empir.* 228. 939. *Th. nat.*). Quomodo res omnes Deo sint præsentes.

Præsentia nihil denotat quod rebus intrinsecum est (§. 1018.). Quamobrem etsi creaturæ Deo per eminentiam præsentes dicantur, non tamen quid tribuitur creaturis, quod per eminentiam insit; sed tantummodo relatio quædam ad Deum, propterea quod ipsi quid per eminentiam inest.

§. 1054.

Omnipræsentia est præsentia ad omnia entia a se diversa extensa. Omnipræsentia quid sit.

§. 1055.

Deus est omnipræsens (§. 1048. 1051. 1046. 352. 342. 777. 1053 sq.). Omnipræsentia divina.

§. 1056.

Præsentia Dei omnium maxima est, quæ concipi potest (§. 1048. 1051. 1046. 343.). Magnitudo præsentiæ divinæ.

§. 1057.

Deus totus simul præsens est rebus omnibus (§. 1048 seq. 1051. 1053.). Adde §. 838. *Ont.* Præsentia divina simultanea est.

§. 1058.

Deo repugnans localis motus.

Deus non potest moveri de loco in locum (§. 1036. *Th. nat.* 642. *Ont.* 1052. 1044. 1057. 1051. 1050. *Th. nat.*).

§. 1059.

Rectitudo actionum divinarum.

Actiones Dei liberæ omnes rectæ sunt (§. 913. *Th. nat.*). coll. §. 851. 118. *Ont.* & §. 567. 335. 332. 950. *Th. nat.*

§. 1060.

Quomodo æstimanda.

Actionum divinarum rectitudo æstimanda ex essentia & attributis divinis omnibus simul sumtis (§. 950.).

§. 1061.

Difficultas judicii de ea.

Rectitudo actionum divinarum a nobis difficulter dijudicatur; sæpius tamen satis probabiliter cognoscitur (§. 1060. 446.).

§. 1062.

Constantia & perpetuitas voluntatis quid.

Constantia voluntatis est immutabilitas actus ejus in dato casu, seu quoad actionem unam. *Perpetuitas voluntatis* est identitas actus ejus in omni casu, seu quoad omnes actiones.

§. 1063.

Sanctitas quid.

Sanctitas est constans & perpetua voluntas non faciendi nisi quod rectum est.

§. 1064.

Qualis sit sanctus.

Qui sanctus est, & semper facere vult quod rectum est, & nullo in casu se a proposito suo dimoveri patitur, ut faciat quod rectum non est (§. 1062 sq.).

§. 1065.

Summa Dei sanctitas.

Deus est sanctissimus, ita ut sactitatem divina majorem concipere non detur (§. 1059. 368. 1062 sq.).

Rectitudo voluntatis deficit vel ex parte intellectus, quatenus agens ignorat, quid rectum sit, vel ex parte appetitus, quatenus ob rationes extrinsecas, quæ ipsi contrarium repræsentant tanquam appetibile, quod rectum agnoscit, non vult. Neutrum in Deo locum habet. Omniscius enim intime perspicit, quid sit rectum, ut ejus de actionis rectitudine judicium ne tantillo quidem a vero aberrare possit.

Volun-

Voluntas ejus non fertur nisi in optimum, adeoque voluptatum apparentium illecebris non flectitur in contrarium, quemadmodum humana. Nihil adeo in Deo, quod obstet, quo minus sit sanctissimus.

§. 1066.

Deus sanctissimum se probavit in creatione, sanctissimum probat in conservatione & gubernatione rerum (§. 1065. 1064. 760. 843. 901.). Idem patet ex §. 1059. 1064.

Ita se gessit in creatione, conservatione & gubernatione universi.

§. 1067.

Bonitas sapientiæ attemperata, aut, temperamentum bonitati vi sapientiæ adhibitum est *Justitia*. Ut adeo *Justus* sit, qui bonitatem sapientiæ attemperat, seu temperamentum bonitati vi sapientiæ adhibet.

Justitia quid sit.

E. c. Magistratus, cui finis civitatis, salus & tranquillitas ac securitas publica suprema lex est, per bonitatem fertur in salutem omnium civium, quibus singulis bene esse cupit: enimvero ne singulis consulat cum detrimento universitatis, vi sapientiæ finem civitatis consecuturus in eos, qui delinquunt, fini isti contrarium facientes, severe animadvertit, prout finis illius conservatio necessitatem imponit. Enimvero quid, quæso, facit Magistratus, dum hoc pacto se justum probat? Nonne bonitatem sapientiæ attemperat?

§. 1068.

Actio alium respicit directe, quæ fit alterius gratia; *indirecte* autem, quæ cum alterius gratia non fiat, alterius tamen simul rationem habet.

Respectus actionum ad alios directus & indirectus.

Directus est fundamentum justitiæ particularis, indirectus universalis. E. gr. Si quis termino solutionis comparente promte solvit, quod debet; solutio directe respicit alterum: ejus enim gratia fit, nimirum ut justo tempore accipiat, quod suum est, nec conquerendi causam habeat, quod suum sit penes alium. Enimvero si parens modice bibit vinum in prandio, quod certa quantitate haustum sanitati suæ conducere expertus, sanitatis conservandæ gratia; modicus vini haustus in prandio directe non respicit alterum, sed semetipsum. Enimvero quatenus exemplo suo docet liberos mensæ simul accumbentes, non esse hauriendum vinum, nisi quod ea, qua hauritur, quantitate

ſanitati conducere experti ſumus & motivum ſimiliter faciendi inſtillat; modicus vini hauſtus reſpicit liberos, adeoque alios, ſed indirecte. Per hanc ideam, quæ animo ingeneratur exemplo dato, acutiores quaſi per tranſennam conſpicient juſtitiam univerſalem per omnes omnino actiones liberas diffuſam, ſuo loco explicandam diſtinctius.

§. 1069.

Juſtitia circa quas actiones verſetur.

Juſtitia verſatur circa actiones alios vel directe, vel indirecte reſpicientes, ſeu juſti ſumus erga alios (§. 1067. 695. 1068.).

§. 1070.

Summa Dei juſtitia.

Deus eſt juſtiſſimus, ita ut juſtitiam divina majorem concipere non liceat (§. 699. 696. 698. 640. 1067.).

§. 1071.

Juſtitia actionum divinarum.

Omnes Dei actiones, ſive directe, ſive indirecte reſpiciant creaturas, juſtæ ſunt (§. 1070. 1069.).

§. 1072.

Deus tanquam creator, conſervator & gubernator hujus univerſi juſtus eſt.

Quicquid Deus fecit in prima rerum creatione, quicquid adhuc facit in earum conſervatione & gubernatione; juſtum & rectum eſt (§. 697. *rat.* 842 899. 1059. 1071. *Th. nat.*).

§. 1073.

Nihil niſi rectum & juſtum in naturæ ordine.

Nihil fecit in ordine naturæ, quod non ſit rectum atque juſtum, aut, *ſi mavis, quod non recte ac juſte fecerit* (§. 1072. 765.).

§. 1074.

Directio malorum ad bonum finem juſtitiæ divinæ eſt

Directio malorum ad bonum finem eſt juſtitiæ divinæ (§. 733. 684. 1067.). Vid. § 688.

§. 1075.

Et quod hominem in mala ruere ſinat.

Juſtitiæ divinæ eſt, quod hominem in mala phyſica & moralia ruere ſinat (§. 725 ſq. 1067.).

§. 1076.

Et permiſſio mali moralis.

Juſtitiæ divinæ eſt permiſſio mali moralis (§. 676. 580. 714. 722. 1067.).

Permiſſio mali, de qua hic loquimur, phyſica eſt; minime autem moralis, quæ a lege oritur. Vid. §. 990. Permiſſio phyſica tollit

tollit tantummodo coactionem externam, ne quis invitus omittere cogatur, quod vult facere: ast moralis, quæ dicitur, homini confert jus aliquid vel committendi, vel omittendi, & tertium obligat ad non impediendum agentem, qui suo jure utitur.

§. 1077.

Malum physicum ab eo, qui alterum obligandi aliquod jus habet, ob malum morale eidem immissum *Pœna* dicitur. Pœna quid dicatur.

§. 1078.

Deus hominem ob male facta punit. Constat experientia, ex malo morali sequi mala physica, alia quidem necessario, alia contingenter. Quoniam ea consequuntur vi nexus rerum in hoc universo, liberrima voluntate Dei constituti (§. 667.); quin Deus velit ex malo morali sequi illa mala physica, dubitandum non est. Et quoniam idem nexus rerum sapientia divina constitutus (§. 666.); vi cujus unum fit propter alterum (§. 689. *Psychol. ration.*); quin Deus ideo mali physici participem esse velit eum, qui malum morale commisit, similiter dubitandum non est. Jam vide §. 1077. 986. Deus punit ob male facta.

§. 1079.

Deus juste punit male facientes. Ex §. 1078. patet, pœnas, quibus Deus afficit homines ob male facta, inesse nexui rerum sapientia divina constituto (§. 666.). Enimvero Deus gubernat hoc universum, dum omnia inter se connectit (§ 901.), adeoque quod puniat homines ob male facta (§. 1078.), ad gubernationem hujus universi pertinet. Jam vide §. 1072. Justitia Dei in puniendo.

§. 1080.

Justitia vindicativa dicitur, qua pœnæ decernuntur & irrogantur male facientibus. Justitia vindicativa quid sit.

§. 1081.

Deo competit justitia vindicativa (§. 1078 sq. 1080.). Deo competit.

§. 1082.

Deum decet. *Justitia vindicativa Deum decet* (§. 588. 1081. 1080. 374. 577 sq. *Theol. natur.* 518. *Psychol. empir.* 374. *Theol. natur.* 542. *empir.*). Manifestat igitur justitia vindicativa mali moralis displicentiam, fini ultimo, quem per existentiam hujus universi intendit (§. 629.), consequenter sapientiæ, qua gaudet (§. 640.), summæ convenienter (§. 689. *ration.*). Jam vid. §. 332. *Theol. natur.*

§. 1083.

Convenit justitia vindicativa cum sanctitate Dei. *Justitia vindicativa convenit sanctitati divinæ*, seu *Deo tribuenda, quia sanctissimus est* (§. 1082. 332. 1080. 950. 1065. 1064.).

§. 1084.

Summa, qua Deus pereniter fruitur, voluptas. *Deus maxima fruitur voluptate, qua major concipi nequit, & quæ nulli creaturæ communicari potest* (§. 387. 141. 155 seq. 207. 162. *Theol. natur.* 511. 516 seq.), *& quidem perenniter* (*§. 1009.*).

§. 1085.

Beatitudo quid sit. *Beatitudo* est non impeditus progressus ad majores indies perfectiones.

§. 1086.

Beatitudinis gradus. *Beatitudo tanto major est, quanto majores sunt perfectiones, ad quas progressus non impeditur* (§. 1085.). Et quia ubi duo ad eundem progrediuntur perfectionis gradum, differentia non contemnenda, si unius progressus minus impeditur, quam alterius; *Beatitudo* quoque *major dicenda, si progressus ad majores indies perfectiones minus impeditur, quam si magis impeditur*: sit ita, quod beatitudini videatur extrinsecum.

§. 1087.

Summa beatitudo. *Summa beatitudo consistit in non impedita possessione ac fruitione perfectionum absolute summarum* (§. 1086.).

Nulla difficultas est, quod beatitudo summa videatur mutare genus, cum ea consistat in possessione perfectionis, quæ vero summa non est, in

in progressu ad perfectionem: id enim obtinet in omnibus, quæ enti finito & infinito quasi communia sunt, prædicatis. Vide e.c. de intellectu §. 169. 163. 160.

§. 1088.

Beatissimus dicitur, cui competit beatitudo absolute summa. *Qui beatissimus est, perfectionem summam ita possidet atque eadem fruitur, ut in possessione ac fruitione ejusdem nullo modo impediri possit* (§. 1087.). Beatissimus quinam sit.

§. 1089.

Deus beatissimus est (§. 387. 1009. *Th. nat.* 291. *Ont.* 1084. *Th. nat.* 511. *emp.* 956. 426. 70. 1088. *Th. nat.*). Summa Dei beatitudo.

§. 1090.

Beatitudo divina nulli enti finito communicabilis (§. 1089. 1088. 1087. 387. 1007. *Th. nat.* 45. *rat.*). Ejus incommunicabilitas

§. 1091.

Nec ea *homini ulli communicari potest* (§. 837. *Ont.* 1090. *Th. nat.*). In hominem non cadit.

§. 1092.

Datur quædam similitudo essentialis inter Deum & animam, quantam admittit differentia inter ens infinitum & finitum. De anima vide §. 62. 66 sq. 190. 529. *rat.* de Deo conf. §. 181. 121. 188. 83. 1005. *Th. nat.* 48. *rat.* Quamobrem cum substantiæ simplices distinguantur per vires ipsis inexistentes; ideo liquet inter Deum atque animam similitudinem quandam essentialem intercedere. Similitudo Dei & animæ.

De differentia, quæ inter Deum atque animam intercedit lege §. 184. 156. 160. *Theol. natur.* 62. *ration.* 838. 837. *Ontol.* 173. *Th. nat.*

Constabit hac collatione, animæ inesse, quæ Deo insunt, infinito ad finitudinem depresso, & Deo inesse, quæ animæ insunt, finito ad infinitudinem elevato. Immo per hoc ipsum intelligent acutiores, cur eorum, quæ Deo insunt, ad finitudinem depressione substantia simplex fiat

fiat anima ad unionem cum corpore quodem organico propendens; ast elevatione eorum, quæ animabus insunt, ad infinitudinem prodeat substantia simplex, quæ anima esse nequit, infinitudine quemadmodum in ceteris mutante genus. Inde est, quod Deus, anima mundi esse nequeat (§. 159.).

§. 1093.

Definitio Dei. *Deus definiri potest per substantiam, quæ omnes mundos possibiles sibi maxime distincte atque simul repræsentat (§. 141. 156. 160. 1005.).* Quæ igitur hic sumuntur, veritati consentanea sunt. Constat vero ex anterioribus, ex hac ipsa mundorum possibilium omnium repræsentatione distincta & simultanea rationem reddi tandem ceterorum omnium, quæ ipsi insunt. Quamobrem cum definitionem ingredi non debeant, quæ per ea, quæ simul definito insunt, determinantur (§. 730. *Log.*), adeoque rationem sufficientem in iisdem agnoscunt (§. 116. *Ont.*); vis hæc repræsentativa omnium mundorum possibilium, qua iidem distincte prorsus & simul repræsentantur, Deo definiendo sufficit.

§. 1094.

Essentia divina. *Essentia divina consistit in vi repræsentativa omnium mundorum possibilium distincta prorsus & simultanea* (§. 1093.). Hæc ipsa repræsentatio cum sit necessaria (§. 189.), necessarii vero oppositum impossibile esse constet (§. 279. *Ontol.*), cur Deo insit rationem nullam habet (§. 56. *Ontol.*), consequenter primum est, quod de Deo concipitur. Jam vide §. 168. *Ont.*

Non est quod excipias voluntatem liberam & potentiam creatricem exinde deduci minime posse. Id enim inde est, quod vim istam non intuitive cognoscamus, qualis in se est, sed ejus notionem formemus duce idea vis repræsentativæ universi nobis inexistentis. Quamobrem cum necesse sit ejus realitatem a posteriori demonstrari, nimirum per contingentem existentiam hujus universi; mirum sane non est, quod nonnisi supposita hujus universi existentia contingente voluntatem liberam & potentiam creatricem ex illa deducere valeamus, quemadmodum a nobis factum.

§. 1095.

Si notiones distinctas eorum, quæ animæ nostræ per essentiam & naturam ejus insunt, a limitationibus liberemus; notiones habemus perfectionum divinarum, seu attributorum Dei (§. 1092. *Th. nat.* 195. 210. *Ont.*). Quodsi ergo eorum, quæ animæ nostræ per essentiam atque naturam ipsius insunt, notiones distinctas quæsiveris; cum determinationes, quæ eas ingrediuntur, a se invicem distinguere (§. 87. *Log.*), immo si terminos quoque noveris, quibus illæ exprimuntur, alteri enumerare valeas, limitationes eorum, quæ animæ nostræ per naturam & essentiam ipsam insunt, perspicies. Quamobrem si inde tollas limitationes omnes, quæ adsunt; prodibunt notiones earundem rerum, quatenus conveniunt enti infinito, consequenter notiones eorum, quæ insunt Deo.

Quomodo ad notiones perfectionum divinarum perveniatur.

Deum intuitive non cognoscimus, cum rerum a nobis diversarum cognitio intuitiva ad sensus restringatur & imaginandi facultatem, quæ a sensu pendet (§. 117. *Psychol. empir.*). Deus igitur invisibilis (§. 89.) intuitive a nobis pro præsente cognoscendi modo cognosci nequit. Cognosci ideo debet per creaturas, quatenus ex iis, quæ ipsis insunt, colligimus, quæ Deo inesse debent. Enimvero si a rebus materialibus ad Deum argumentari volueris, notiones attributorum habere debes: neque enim eæ abstrahi possunt a rebus, unde fit argumentatio, cum iisdem non insint. Formandæ igitur sunt eo, quem in propositione præsente insinuavimus, modo. Atque hoc pacto patet cognitionem Dei, qualis jam in nos cadit, nobis esse possibilem propter animæ cum Deo similitudinem essentialem (§.1092.).

§. 1096.

Deo tribui possunt sensus per eminentiam (§. 157. 1053.).

Sensus Deo per eminentiam tribuendi.

§. 1097.

Deo etiam *visus & auditus per eminentiam tribui possunt* (§. 68. *emp.* 1096. *Th. nat.*).

Item visus & auditus.

§. 1098.

Deo per eminentiam inest imaginatio (§. 157. *Th. nat.* 92. *emp.* 228. 155 sq. 160. 207. 164. 939 seq. 1094. 874. *Theol. nat.* 845. *Ont.*). Vis nimirum repræsentativa mundorum omnium (*Theol. nat. contr. T. I.*).

Et imaginatio.

 possibi-

possibilium Deo essentialis, & potentia conservatrix, qua ad omnes creaturarum actiones concurrit, supplet vicem imaginationis illimitatæ, si talem fingere licet.

§. 1099.

Ac memoria.

Deo competit memoria per eminentiam (§. 175. 92. emp.). Imaginationem memoria supponit, nec sine ea in ente aliquo datur. Jam de Deo conf. §. 157. 155. 160. 939 sq. Quoniam itaque vi memoriæ res per ideas reproductas repræsentatæ tanquam præteritæ agnoscuntur (§. 175. *empir.*); vis repræsentativa hujus universi simultanea atque distincta Deo essentialis (§. 1092.) & potentia conservatrix, qua ad actiones creaturarum concurrit (§. 874.), memoriæ vicem supplet. E. (§. 845. *Ont.*).

Est vero absolute maxima Dei memoria (§. 194. *emp.*).

§. 1100.

Oblivio in Deum non cadit.

Oblivio rei nullius in Deum cadit (§. 155 sq. 160. 207. 940. *Th. nat.* 215. *emp.*).

§. 1101.

Appetitus sensitivus Deo non convenit.

Deo appetitus sensitivus nullo modo convenire potest (§. 580. *emp.* 156. *Th. nat.* 880. *emp.* 386. *Th. nat.*). Appetitus sensitivus nonnisi imperfecta quædam voluntatis species est. Quoniam itaque Deo competit voluntas absolute perfectissima (§. 386.), non alio quodam opus est, quod vicem appetitus sensitivi in eodem suppleat, consequenter appetitus sensitivus in Deo nec per eminentiam datur (§. 845. *Ont.*). E.

§. 1102.

Nec aversatio sensitiva.

Deo aversatio sensitiva nullo modo convenire potest (§. 582. *emp.* 156. *Th. nat.* 881. *emp.* 845. *Ont.*).

§. 1103.

Affectibus caret Deus.

Deus affectibus caret (§. 603. *emp.* 1101 sq. *Th. nat.*). Idem patet ex §. 605. *emp.* 156. *Th. nat.*

§. 1104.

Affectus Deo per eminentiam tribuendi.

Affectus Deo insunt per eminentiam (§. 1103. 156. 383. 385. 581. 588. *Theol. natur.* 605. 603. *empir.* 1059. *Theol. natur.* 845. *Ontol.*).

Patet

Patet hinc, quomodo explicandi sint affectus, quando de Deo usurpantur. E. gr. Deo tribuitur amor, quatenus is concipitur velle felicitatem creaturarum intelligentium, cum amor denotet dispositionem animi ad voluptatem ex alterius felicitate percipiendam (§. 633. *empir.*) & eodem impellitur amans ad voluptatem amanti creandam, ac tædium ab eo avertendum (§. 652. *emp.*).

§. 1105.

Præsentia localis per eminentiam Deo tribuenda (§. 1042 sq. 1048. 1033. 1039. 1037. *Th. nat.* 845. *Ont.*). Præsentia localis per eminentiam.

§. 1106.

Unus est Deus creator, conservator & gubernator universi. Ex antecedentibus patet, mundum a Deo uno pendere quoad creationem, conservationem ac gubernationem. Quamobrem cum plures dii præter rationem admitterentur, uno mundi creationi, conservationi ac gubernationi sufficiente; unus tantummodo Deus est creator, conservator & gubernator universi. Dependentia mundi ab uno Deo.

§. 1107.

Præter Deum unum mundi creatorem, conservatorem & gubernatorem non datur alius Deus (§. 387. 166. 388. 354. 640. 699.). Quodsi ergo alius adhuc poneretur Deus, unus non differet ab altero. Cum igitur inter plures Deos nulla concipi possit differentia specifica, unus nonnisi Deus possibilis (§. 181. *Ontol.*). Est vero Deus ens a se (§. 67.), consequenter ideo existit, quia possibilis (§. 34.). Unus adeo tantummodo Deus existit, adeoque præter unum istum Deum mundi creatorem, conservatorem & gubernatorem (§. 1106.) non datur alius, qui sit Deus. Cur Deus sit unicus.

Si res in statu puræ possibilitatis considerantur, non admittuntur tanquam plura, nisi quæ differunt: alias enim idem bis tantummodo poneretur, quod an fieri possit, demum quæritur, ubi de existentia quæstio incidit. Ita in serie numerorum non admittitur nisi unus binarius, cum inter duos binarios nulla intercedat differentia, & in serie naturali, quæ tantummodo omnes numeros possibiles exhibet, nulla datur ratio, cur binarius vel alius quicunque numerus bis poni debeat. Jam ei, quod possibile, existentia non repugnat (§. 133. *Ont.*); ut vero existat,

ratio sufficiens detur necesse est, cur existat potius, quam non (§. 70. *Ontol.*). Quodsi jam ens ideo existit, quia possibile, quemadmodum de ente a se & Deo ostendimus (§. 34. 67.), & unum tantummodo istiusmodi ens possibile concipitur, quemadmodum spiritus perfectissimus, qui est Deus (§. 387.), cur unum existat ratio sufficiens datur, utpote in possibilitate ipsius contenta: sed nulla datur, immo dari nequit ratio sufficiens, cur idem ens bis ponatur, propterea quod eadem intrinseca esse debet. Et hoc modo impossibile est, ut spiritus perfectissimus in serie entium actualium bis ponatur, quemadmodum binarius in aliqua numerorum serie, ubi ratio cur actu ponatur non in ipso binario, sed extra ipsum datur, consequenter per essentiam binarii non repugnat, ut in serie aliqua bis poni possit. Cum vero entia contingenter existentia rationem existentiæ suæ non habeant in seipso, sed extra se in alio (§. 310. *Ont.*); per se non implicat ens idem in singulari poni bis, sed ne bis ponatur sapientiæ divinæ repugnat. Unde jam patet, *principium indiscernibilium*, quod excludit existentiam duorum individuorum, per omnem rerum actualium seriem regnare, ita ut Deus, cui tanquam causæ primæ substant omnia, non habeat sui similem per ipsam essentiam suam; cetera vero non agnoscant sui similia individua seu in singulari per voluntatem ipsius, quæ summa sapientia regitur.

§. 1108.

Vita Dei in quo consistat.

Vita Dei consistit in continuo intellectus ac voluntatis actu (§. 124. Th. nat. 643. rat. 108. 163. 356. 160. 355. 319. 190. 368. 108. Theol. natur.).

§. 1109.

Vita creaturarum a Deo pendet.

Creaturæ viventes omnes vitam a Deo habent (§. 843. 870. 874. 876. 107 seq.).

§. 1110.

Consensus S. S quoad immutabilitatem.

Juxta S. S. Deus prorsus immutabilis. Jac. I, 17. Cum Deum Patrem luminum vocet, facile colligitur, hoc ipso nos moneri, ne, quæ de immutabilitate Dei dicuntur, ad solam voluntatem; verum etiam ad intellectum referamus. Et quia de datione boni sermo est, ad potentiam quoque extendenda sunt. Ne vero quis existimet, ex accidente fieri posse, ut quædam mutatio accidat; emphatice admodum affirmat, ne umbram quidem vicissitudinis penes Deum locum habere.

§. 1111.

§. 1111.

Deus juxta S. S. non est in tempore. Vid. *Jacobi* l. c. coll. §. 569. 574. *Ont.* Adde *Psalm.* XC, 4. item 2 *Pet.* I, 3.

Quoad negationem existentiæ in tempore.

§. 1112.

Deus juxta S. S. semper idem manet ab æterno in æternum. *Psalm.* CII, 27.

Et quoad identitatem eorum, quæ Deo insunt, constantem.

§. 1113.

Deo juxta S. S. tribuenda omnipræsentia, quæ locali per eminentiam respondet, ita ut in loco quidem non sit proprie loquendo, sit tamen ut in loco. *Actor.* XVII, 27. 28. 25. Adde *Jeremiam* c. XXIII, 23. *Psalm.* CXXXIX, 7. Repete §. 1054. 1046. 1018. item §. 100-102. 1033. 1032. 1105. 1044.

Quoad omnipræsentiam Dei.

§. 1114.

Juxta S. S. actiones Dei omnes rectæ sunt & sanctus dicitur eodem sensu, quo actionum rectitudinem & sanctitatem eidem vindicavimus in superioribus. De rectitudine conf. *Psalm. XXV*, 8. coll. §. 950. 1059. Superiorem enim Deus non habet, ad cujus voluntatem componendæ actiones essent. De sanctitate vide *Jes.* VI, 3. *Lev.* XIX, 2. coll. 1 *Thess.* I, 4. & §. 1063 sq.

Consensus S. S. quoad actionum rectitudinem & sanctitatem.

§. 1115.

Deo juxta S. S. tribuenda sanctitas absolute summa. Cum Hebræi careant superlativo; dicitur sanctus κατ' ἐξοχὴν, ita ut adjectivum sanctus sumatur substantive tanquam synonymon Dei veri, *Jes.* XL, 25. *Jes.* XL, 21. *Jes.* XXIX, 23.

Qualis Dei sanctitas juxta S. S.

§. 1116.

Juxta S. S. Deus justus est eodem sensu, quo supra eundem justum esse evicimus, & justitia etiam vindicativa eidem tribuenda. *Ps. CXLV*, 17. Quia h. l. justitia sanctitati contradistinguitur, necesse est, ut justitia spectetur in actionibus divinis, quatenus extra ipsum referentur ad entia alia ab ipso diversa, consequenter ad creaturas. Et sane ubi in sacris homines Deo justitiæ laudem tribuunt; eum justum pronunciant, quatenus in rectitudine actionis divinæ nihil reprehendi potest quoad ipsos. Vide *Exod. IX*, 27. Pertinet igitur hæc actio ad sapientiam di-

Consensus S. S. quoad justitiam.

vinam (§. 678. *ration.*), Deo juxta S. S. ſenſu (§. 686.) tribuendam. Pharao etiam non accuſat bonitatem divinam, nec conqueritur de nimia Numinis ſeveritate, ſed factum Dei ad ſe referens & agnoſcens, quod ſit ad voluntatem ſuam flectendam neceſſarium, per ſapientiam divinam rectum agnoſcit, quod per bonitatem minus rectum dici poſſe videbatur, ac ideo Deum juſtum appellat. Jam conf. §. 1067. 1070 Juſtitiam vindicativam in S. S. tribui Deo, patet inter alia ex *Pſalm. VII, 12.* coll. *Exod. XX, 5.* & *Matth. XXV, 41.* & ſeqq.

§. 1117.

Conſenſus S.S. quoad beatitudinem Dei.

Deo juxta S. S. tribuenda eſt beatitudo eodem ſenſu, quo eam ipſi vindicavimus. *1 Tim. VI, 15.* coll. *Pſalm. I, 1 ſqq. §. 1085. 1110. 1089.*

§. 1118.

Conſenſus S. S. quoad unitatem.

Deus juxta S. S. nonniſi unus eſt, nec datur præter ipſum alius, qui ſit Deus. *Deut.* VI, 4. *Epheſ.* IV, 6. & 1 *Tim.* II, 5. *Deut.* IV, 35. *Jeſ.* XLIV, 6. & c. XLV, 21. 22. 1 *Corinth.* VIII, 4.

§. 1119.

Qualis ſubſtantia ſit Deus.

Deus eſt ſubſtantia prima (§. 1005. 92.) *& increata* (§. 79. *Th. nat.* 541. 690. *Ont.* 697. *rat.*).

§. 1120.

Qualis cauſa ſit Deus.

Deus omnium rerum cauſa prima eſt (§. 90. *Coſm.* 67. 71. *Th. nat.* 866. 881. *Ont.*); *creaturæ ſunt cauſæ ſecundæ* (§. 777. *Theol. natur.* 697. *ration.*), *dependenter a prima operantes* (§. 879.).

F I N I S
PARTIS PRIMÆ THEOLOGIÆ NATURALIS.

THEO-

THEOLOGIA NATURALIS

METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATA.

PARS POSTERIOR,

QUA

EXISTENTIA ET ATTRIBUTA DEI EX NOTIONE ENTIS PERFECTISSIMI ET NATURA ANIMÆ DEMONSTRANTUR,

ET

ATHEISMI, DEISMI, FATALISMI, NATURALISMI, SPINOSISMI ALIORUMQUE DE DEO ERRORUM FUNDAMENTA SUBVERTUNTUR.

THEOLOGIÆ NATURALIS PARS II.

SECTIO I.

QUA EXISTENTIA ET ATTRIBUTA DIVINA A PRIORI DEMONSRTANTUR.

CAPUT I.

DE NOTIONE ENTIS PERFECTISSIMI ET EJUS EXISTENTIA.

§. 1.

Compossibilia dicuntur, quæ una eidem subjecto inesse possunt. Compossibilium definitio.

§. 2.

Essentialia entis compossibilia sunt (§. 143. 85. 142. *Ontol.*). Compossibilitas essentialium.

§. 3.

Item essentialium, attributorum & modorum.

Essentialia, attributa & modi cujuscunque entis (§. 300. 150. Ont.) in numero compossibilium sunt (§. 1.).

§. 4.

Possibilitas absoluta compossibilium.

Compossibilia in se spectata non sunt impossibilia (§. 132. *Ont. 1. Th. nat. T. 2.*), adeoque *possibilia* (§. 85. *Ont.*).

§. 5.

Realitas quid dicatur.

Realitatis nomine hic nobis venit, quicquid enti alicui vere inesse intelligitur, non vero per perceptiones nostras confusas inesse videtur.

E. gr. Intellectum animæ nostræ vere inesse intelligimus: est igitur quædam realitas. Ast colores objectis tales non insunt, quales per imagines nobis exhibentur, sed tantummodo propter confusas, quas de iis habemus, perceptiones inesse videntur. Realitates igitur non sunt, etsi corporibus insint realitates, quarum multiplici confusione a percipiente finito facta accidit, ut inesse videantur. Realitas hic opponitur phænomeno (§. 225. *Cosm.* 98 97. *rat.*).

§. 6.

Entis perfectissimi definitio.

Ens perfectissimum dicitur, cui insunt omnes realitates compossibiles in gradu absolute summo.

§. 7.

Illimitatum est.

Ens perfectissimum prorsus illimitatum est (§. 6. *Th. nat. T. 2.* 825. *Ont.*).

§. 8.

Limitum exclusio ex eo.

Omnis ergo *limitis expers est* (§. 7.).

§. 9.

Ejus immutabilitas.

Ens perfectissimum est prorsus immutabile (§. 8. *Theol. nat.* T. 2. 827. *Ont.*).

§. 10.

Infinitudo entis perfectissimi.

Ens perfectissimum est infinitum (§. 9. *Th. nat.* T. 2. 291. 838. *Ont.*).

Idem patet ex (§. 6. 1. *Th. nat.* T. 2. §. 838. *Ont.*).

§. 11.

§. 11.

Gradus absolute summus realitatis excludit omnem defectum. Posset enim eadem concipi major, nimirum in quo adest, quod deficere supponitur. Tunc vero non adesset gradus absolute summus, qui sumebatur.

Qualis sit gradus absolute summus realitatis.

§. 12.

Realitas in gradu absolute summo possibilis est (§. 5. *Th. nat.* T. 2. 135 sq. *Ont.*). Realitatem ergo omnem, præciso gradu spectatam esse possibilem patet. Jam gradus summus realitatis omnem excludit defectum (§. 11.), adeoque nihil ad eandem quomodocunque pertinens de ea negari potest. Impossibile igitur est, ut de realitate in gradu absolute summo idem & affirmari, & negari debeat. Jam vide §. 30. 85. *Ont.*).

Possibilitas realitatis in gradu absolute summo.

§. 13.

Ens perfectissimum possibile est (§. 6. 1. *Th. nat.* T. 2. 30. *Ont.* 6. 11. *Th. nat.* T. 2. 30. *Ont.*). Quodsi notio entis perfectissimi contradictionem quandam involveret, aut eam involveret quoad realitates, quæ eidem tribuuntur, aut quoad gradum, qui de istis sumitur (§. 6.). Neutro autem modo contradictionem involvit *per §. §. cit.* E. (§. 85. *Ontol.*).

Possibilitas entis perfectissimi.

§. 14.

Deus est ens perfectissimum, scilicet absolute tale.

Definitio hæc Dei nominalis est.

Dei definitio.

§. 15.

Deus realitates omnes compossibiles in gradu absolute summo continet (§. 14. 6.).

Quænam Deo insint.

§. 16.

Deus prorsus illimitatus est, nec ulli prorsus in eo dantur limites (§. 7. 8. 14.).

Limitum a Deo remotio.

§. 17.

Deus prorsus immutabilis est (§. 9. 14.).

Immutabilitas Dei.

§. 18.

Deus est infinitus (§. 14. 10.).

Infinitudo Dei.

§. 19.

Possibilitas Dei.

Deus quoque *possibilis est* (*§. 13 seq.*).

§. 20.

Existentia quod & qualis sit realitas.

Existentia necessaria (§. 24. *Th. nat.* T. 1. §. 5. *Th. nat.* T. 2.) *& contingens* (§. 80. *Cosm.* 294. 309. *Ont.* 5. *Th. nat.* T. 2.) *realitas est, illaque gradus absolute summi* (§. 311. 309. 310. 316. 452. 746. *Ont.*). In existentia vero gradus concipi nequeunt, quam quoad necessitatem existendi. Jam existentia necessaria est, vi cujus impossibile ens non existere (§. 279. *Ont.*); cum vi contingentis etiam non existere possit (§. 294. *Ont.*). Major itaque existentiæ gradus concipi nequit, quam qui existentiæ necessariæ convenit, consequenter ea gradus absolute summi est. Enimvero eadem quoque realitas est *per num. I.* hujus §. Est igitur realitas gradus absolute summi.

Sumimus hic, quod in parte prima demonstravimus, ens necessarium existere.

§. 21.

Existentia Dei.

Deus necessario existit (§. 15. 19. *Th. nat.* T. 2. 133. *Ont.* 20. 1. 20. *Th. nat.* T. 2.).

§. 22.

Quale ens sit Deus.

Deus ens necessarium est (§. 21. *Th. nat.* T. 2. 309. *Ont.*). *Ens contingens Deus esse nequit* (§. 310. *Ont.*).

§. 23.

Cujus vi existat.

Deus vi propria existit, seu *sibimetipsi ad existendum sufficit* (§. 22. *Th. nat.* T. 2. 26. *Th. nat.* T. 1.).

§. 24.

Aseitas Dei.

Deus ens a se (§. 22. *Th. nat.* T. 2. 33. *Th. nat.* T. 1.).

§. 25.

Independentia Dei.

Deus est ens independens (§. 24 *Th. nat.* T. 2. 30. *Th. nat.* T. 1.).

§. 26.

Undenam sit existentia ipsius.

Deus rationem existentiæ in essentia sua habet (§. 24. *Th. nat.* T. 2. 31. *Th. nat.* T. 1.).

§. 27.

§. 27.

Deus per essentiam existit, seu existentia ipsi essentialis est (§. 26. *Th.nat.* T. 2. 118. *Ont.*). Essentialitas existentiæ divinæ.

§. 28.

Deus ideo existit, quia possibilis (§. 24. *Theol. natur.* T. 2. 34. *Th. nat.* T. 1.). Cur Deus existat.

§. 29.

Deus nullum existendi initium, nullum finem habet (§. 21. *Th.nat.* T. 2. §. 279. *Ont.*). Interminabilitas existentiæ divinæ ab utraque parte.

§. 30.

Deus est æternus (§. 39. *Th.nat.* T. I. §. 29. *Th.nat.* T. 2.). Æternitas Dei.

§. 31.

Deus nec oriri (§. 541. *Ont.* 29. *Th. nat.* T. 2.), *nec interire potest* (§. 541. *Ont.* 29. *Th. nat.* T. 2.). Impossibilitas ortus & interitus Dei.

§. 32.

Deus annihilari nequit (§. 540. *Ontol.* 29. *Theol. natur.* T. 2.). Impossibilitas annihilationis Dei.

§. 33.

Deus est ens omnium primum & ultimum (§. 29. *Th. nat.* T. 2. §. 44. *Th. nat.* T. 1.). Primitas & ultimatio Dei.

§. 34.

Deus sempiternus est (§. 29. h. l. 75. *Th. nat.* T. 1.). Sempiternitas Dei.

§. 35.

Deus non est ens compositum (§. 21. 27. h. l. 279. 541. 533. 542. *Ont.*), *sed simplex* (§. 685. *Ont.*). Negatio compositionis de Deo ejusque simplicitas.

§. 36.

Deo tribui nequeunt, quæ composito, quatenus compositum est, seu vi definitionis tribuuntur (§. 35. h. l. 674. *Ont.*). Quænam Deo tribui repugnet.

§. 37.

Deo tribui nequeunt, quæ ullo modo defectum aliquem involvunt (§. 14. 6.). Idem ulterius expenditur.

§. 38.

Extensio cur Deo repugnet.

Deus extensus esse nequit (§. 35. h. l. 675. *Ont.*).

§. 39.

Immaterialitas Dei.

Deus corporeus seu materialis esse nequit (§. 38. h. l. 122. 141. *Cosm.*).

§. 40.

Organa corporea Deo non tribuenda.

Nec organa corporea eidem tribui possunt (§. 39.), consequenter cum organa sensoria sint corporea, *nec organa sensoria Deo tribui possunt.*

§. 41.

Indivisibilitas Dei.

Deus est indivisibilis (§. 35. h. l. 676. *Ont.*).

§. 42.

Figura cur careat Deus.

Deus nulla præditus est figura (§. 35. h. l. 677. *Ont.*).

§. 43.

Cur magnitudine.

Deus caret magnitudine (§. 35. h. l. 678. *Ont.*).

§. 44.

Spatium non implet.

Deus nullum spatium implere potest (§. 35. h. l. 679. *Ontol.*).

Qui Deo tribuunt extensionem, aut extensionem tribuere debent terminatam, aut interminatam. Si interminatam tribuunt, Deus per infinitum spatium diffunditur ipsumque implet: id quod propositioni præsenti repugnat. Si vero tribuunt terminatam, cum limes extensi figura sit (§. 621. *Ontol.*), Deus figura præditus est, quod contrariatur (§. 42.).

§. 45.

Differentia Dei a corporibus.

Deus prorsus differt a corporibus (§. 35. h. l. 683. *Ont.* 119. *Cosmol.*).

§. 46.

An Deus sit modificabilis.

Deo nulli insunt modi, per eminentiam tamen modificabilis est (§. 18. h. l. 840. 846. *Ont.*).

§. 47.

§. 47.

Deus est substantia per eminentiam. Vid. §. 1005. *Theol. nat.* T. I. Substantialitas Dei.

§. 48.

In Deo nulla datur statuum successio (§. 18. h. l. 838. 569. *Ont.*). Idem claret ex §. 17. h. l. 705. *Ont.* Nulla statuum successio in Deo locum habet.

§. 49.

Deo solo existente nullum datur tempus (§. 48. h. l. 574. *Ontol.*). Deo solo existente tempus non datur.

§. 50.

Æternitas Dei non est tempus infinitum (§. 30. 49.). Aeternitas Dei num sit tempus infinitum.

§. 51.

Æternitas Dei mundo incommunicabilis (§. 30. 48. h. l, 48 sq. 52. 59. *Cosm.* 300. *Ont.*). Num mundo communicari possit.

§. 52.

Æternitas Dei enti nulli finito communicari potest (§. 30. 48. h. l. 834. *Ont.*). Num enti nulli finito.

§. 53.

Æternitas Dei animæ humanæ incommunicabilis (§. 264. *rat.* 52. h. l). Num animæ humanæ.

§. 54.

Æternitas animæ a parte post (§. 744. *rat.* 39. *Th. nat.* T. I.) *diversa est ab æternitate Dei* (§. 50. 48.). Aeternitas animæ a parte post.

§. 55.

Deus non est in loco (§. 1032. *Theol. natur.* T. I. 44. h. l.). Illocalitas Dei.

§. 56.

Deus moveri nequit, nec successive alio alioque in loco esse potest (§. 55. h. l. 642. *Ont.*). Motus Deo repugnat.

§. 57.

§. 57.

Localis præsentia Deo repugnans.

Deus localiter præsens esse nequit (§. 55. h. l. 1037. *Th. nat.* T. 1.).

§. 58.

Mundus non est Deus, nec quicquid in eo observatur.

Mundus adspectabilis non est Deus, nec quicquam, quod in eodem observatur, esse Deus potest (§. 17.). Idem patet ex §. 48. h. l. 52. 55. *Cosm.* item ex §. 35. h. l. 62. *Cosm.*

§. 59.

Corpus terminatum Deus esse non potest.

Nullum corpus terminatum Deus esse potest (§. 123. *Cosmol.* 42 sq. h. l.).

§. 60.

Anima aliqua humana Deus esse nequit.

Deus non potest esse anima, qualis est hominum (§. 264 sq. *rat.* 18. h. l.).

§. 61.

Deus non potest esse homo.

Deus homo aliquis esse non potest (§. 59 sq.).

§. 62.

Elementa rerum materialium Deus non sunt.

Elementa rerum materialium Deus esse non possunt (§. 197. *Cosm.* 17. h. l.). Idem patet ex §. 203. *Cosm.* 18. *h. l.*

§. 63.

Quænam entia pertineant ad mundum.

Præter corpora eorumque elementa (§. 119. 61. 182. 176. *Cosm.*) *& animas non datur ens aliud, quod ad hunc mundum adspectabilem pertineat.*

Quoniam ens simplex ab elementis diversum ad mundum pertinere debet *per hypoth.* necesse est, ut ideo existat, quia hic mundus existit, consequenter vel in mundo integro, vel corpore aliquo, ejus parte (§. 119. *Cosmol.*) inesse debet quidpiam, per quod intelligitur, cur mundo existente ipsum etiam existat, adeoque vel in integro mundo, vel in aliqua ejus parte seu corpore aliquo continetur ratio, cur ipsum una cum elementis rerum, per quæ corpora aggregantur, existat (§. 56. *Ontol.*), & hinc vel cum mundo toto, vel cum aliquo corpore in eodem connecti debet (§. 10. *Cosmol.*). Entia duo, quatenus coëxistunt, inter se con-

se connectuntur, si unum in se continet rationem sufficientem modificationum alterius, aut mutationum quarumcunque in altero consequentium (§. 38. *Cosmol.*). Quamobrem substantia aliqua simplex cum corpore, aut mundo integro connecti nequit, nisi quatenus per ea, quæ in corpore, aut mundo integro accidunt, reddi potest ratio sufficiens eorum, quæ in ipso contingunt. Enimvero ens istiusmodi, cujus mutationum ratio reddi potest per ea, quæ in corpore aliquo contingunt, anima a nobis dicitur (§. 539. 540. *ration.*). Quare quæ præter entia simplicia rerum materialium elementa (§. 182. *Cosmol.*) existunt substantiæ simplices ad mundum pertinentes, animæ esse debent. E.

§. 64.

Deus diversus est a mundo adspectabili & omni, quod in eo datur (§. 58-60. 62 sq.). Diversitas Dei ab universo & omni quicquid in eo est.

§. 65.

Vis motrix, qualis in corporibus observatur, Deo tribui nequit (§. 296. *Cosm.* 5. 14. 6 *h. l.*). Negatio vis motricis de Deo.

Cave ne hinc inferas, Deum movere non posse corpus: neque enim ex propositione præsente sequitur, nisi quod motum in corpore producere nequeat eo modo, quo corpus unum movet alterum, in quod impingit.

§. 66.

Deus non est natura rerum (§. 506. *Cosm.* 65. *h. l.*). Dei a natura rerum diversitas.

§. 67.

Natura rerum Deus esse nequit (§. 508. *Cosm.* 47. *h. l.*). Idem constat ex §. 507. *Cosm.* 507. 65. *h. l.* Natura rerum Deus esse nequit.

§. 68.

Natura rerum non est ens perfectissimum (§. 67. 14.). Natura rerum non est ens perfectissimum.

§. 69.

Quæ animæ insunt realitates simplicitati compossibiles sunt (§. 48. *rat.* 1. *h. l.*). Realitates simplicitati compossibiles.

§. 70.

Quænam realitates Deo tribuendæ.

Realitates, quæ insunt animæ nostræ, Deo tribuendæ in gradu absolute summo (§. 15. 35. 69.).

§. 71.

Qualis vis Deo competat.

Deo competit vis repræsentativa omnium mundorum possibilium prorsus illimitata (§. 63 rat. 570. 11. b. l. 825. Ont. 101. Cosm. 468. 826. Ont.).

§. 72.

Qualis sit vis ista.

Vis repræsentativa in Deo est unicus immutabilis actus (§. 71. b. l. 723. Ont. 18. b. l. 838. Ont. 17. b. l.).

§. 73.

Quomodo Deo insit vis.

Vis Deo inest per eminentiam (§. 725. Ontol. 72. b. l.). Quamobrem id, quod vim appellamus, proprie loquendo ipsi non inest. Quoniam tamen unicus quidam in ipso datur actus repræsentationis omnium possibilium mundorum (§. *cit.*) & posita vi ponitur actio (§. 723. *Ontol.*); in Deo quid inest, quod vicem illius vis supplet, quæ proprie loquendo ipsi tribui nequit. Jam conf. §. 845. *Ont.*).

In ente finito vis continuo tendit ad status mutationem, veluti vis repræsentativa mundi in anima continuo ad alias aliasque repræsentationes, seu perceptiones: ast in ente infinito vis continuo tendit ad unum eundemque actum, ut ideo sit in se immutabilis, veluti vis repræsentativa mundi in Deo ad repræsentationem eandem omnium mundorum possibilium simultaneam atque prorsus distinctam. Dici nimirum potest, Deum continere omnes mutationes possibiles simul & hujus ratio sufficiens est vis Deo tributa, qua immutabilitas ejus omni ex parte limitis nescia ab æterno in æternum subsistit.

§. 74.

Quomodo Deo tribuantur actiones.

Deo actiones tribuuntur per eminentiam (§. 723. Ontol. 73. b. l.).

§. 75.

Impassibilitas Dei.

Deus prorsus impassibilis est (§. 714 seq. 851. Ont. 25. 15. 17. b. l.).

§. 76.

§. 76.

Deus sibimetipsi sufficientissimus est (§. 23. 26. h. l. 118. *Ont.* 15. 17. 75. h. l. 714. *Ont.* 427. *Th. nat.* T. 1.). Omnisufficientia Dei.

§. 77.

Deus ergo *nec ente quodam alio, nec re quadam alia extra se indiget ad sui conservationem* (§. 76. h. l. 427. *Theol. natur.* T. 1.). Independentia Dei quoad conservationem.

§. 78.

Quæ animæ insunt per modum facultatum, ea Deo non possunt tribui nisi per modum actus (§. 29. *empir.* 716. 713. *Ont.* 18. h. l. 838. *Ont.* 70. h. l.). Quomodo facultates animæ Deo tribuantur.

CAPUT II.

DE

INTELLECTU DEI.

§. 79.

DEus omnes mundos possibiles sibi simul repræsentat (§. 71 *seq.*). Simultanea omnium mundorum possibilium repræsentatio in Deo.

§. 80.

Deus omnia sibi simul in eodem mundo repræsentat (§. 569. 290. 705. *Ont.* 48. h. l.). Simultanea omnium in eodem mundo repræsentatio.

§. 81.

Deus omnes mundos possibiles sibi prorsus distincte repræsentat (§. 31 sq. 38 sq. *emp.* 71. 22. h. l. 825. *Ont.* 71. h. l.). Idem intelligitur ex §. 37. h. l. 24. 38. *emp.*). Distincta omnium mundorum possibilium repræsentatio in Deo.

Qui ex Psychologia rationali didicit, quod per confusas perceptiones plura a se invicem distincta repræsententur tanquam unum, quo ipso realitates in phænomena convertuntur; ei non erit dubium, quin confusio arguat defectum in repræsentando (§. 37.).

§. 82.

Qualis mundorum repræsentatio detur in Deo.

In Deo datur simultanea & prorsus distincta omnium possibilium mundorum repræsentatio (§. 79 sq. 81. 71. 72.).

§. 83.

Istius necessitas absoluta.

Repræsentatio omnium mundorum possibilium in Deo absolute necessaria est (§. 302. 85. *Ont.* 71. 72. h. l.).

Redarguuntur hinc erroris sui, qui cum *Poireto* sentientes fingunt, Deum pro arbitrio suo ideas rerum ab ipso diversarum in se admittere posse, quoties visum fuerit: quodsi vero videatur aliter, eas ab eodem abesse. Perperam nimirum voluntati liberæ subjiciunt, quod ab eadem minime pendet, & antecedenter ad voluntatem divinam in eodem ponendum.

§. 84.

Essentialis Deo est.

Repræsentatio omnium mundorum possibilium Deo essentialis est, seu, *per essentiam in Deo ponitur* (§. 83. *h. l.* 315. 115. *Ontol.*).

Equidem in nobis libertas voluntatis influit in determinationem actus repræsentationis mundi hujus adspectabilis, eumque a decreto dependentem facit (§. 151. & sqq. *rat.*). Sed inde non recte colligitur, actum repræsentationis totius mundi adspectabilis & ceterorum omnium possibilium itidem a libero Dei decreto dependere, consequenter Deum sibi hunc mundum adspectabilem, vel alium quemcunque, aut omnes simul sibi repræsentare posse, si velit, non autem repræsentare, si nolit. Ratio enim disparitatis in promptu est. Anima continuo (§. 190. *ration.*), etiam in somno (§. 191. *ration.*), producit ideam totius hujus universi per naturam suam (§. 67. *ration.*) & per essentiam (§. 66. *ration.*), & hactenus divinitatem imitatur (§. 71. 72.), estque idea seu repræsentatio totius mundi in eadem absolute necessaria (§. 315. *Ontol.*), quemadmodum in Deo (§. 183.). Enimvero ideam integram universi simul intueri (§. 194. *rat.*), consequenter non omnia, quæ eidem insunt, clare percipere potest (§. 193. *rat.*); quoad claras tamen perceptiones certas observare tenetur leges (§. 217. *rat.*), in quarum executione cum libertati locus sit (§. 151. & sqq. *rat.*), non ideæ productio, sed ejus intuitus a libertate pendet. Constat autem Deum simul omnia distincte sibi repræsentare (§. 79. 80. 81.), consequenter intuitum esse infinitum (§. 838. *Ontol.*) & prorsus illimitatum

(§. 825.

(§. 825. *Ontol.*). Per naturam igitur & essentiam entis infiniti ac prorsus illimitati fieri nequit, ut intuitus ideæ universi libertati ejus subjiciatur, quemadmodum natura & essentia entis finiti ac limitati admittit. Quod perceptiones claræ a libertate in nobis dependeant aliquo modo, id a defectu est, limitato nempe claritatis in percipiendo gradu, qualis Deo tribui nequit (§. 37.).

§. 85.

Possibilia derivativa sunt, quæ aliorum combinatione resultant: *primitiva* vero, quæ aliorum combinatione non resultant. *Primitiva* vel *prima* sunt, realitates scilicet, quæ alias non supponunt: vel *secunda*, sive *a primis orta*, quæ alias supponunt. Differentia possibilium primitivorum & derivativorum.

§. 86.

Deus omnium mundorum possibilium eorumque, quæ in ipsis sunt, atque sui ipsius conscius est (§. 81. h. l. 11 sq. *rat.* 70. h. l.). Quorum Deus sibi sit conscius.

Apperceptio Deo competit in gradu absolute summo (§. 70.): quod ut intelligatur, explicandum nobis est, quomodo apperceptioni gradus tribui possit. Vi apperceptionis nobis conscii sumus perceptionum nostrarum (§. 25. *empir.*), veluti sensationum (§. 65. *empir.*) & actuum imaginationis (§. 92. *empir.*). Nemo non novit, quoad apperceptionem eorum, quæ sensu percipimus & quæ imaginamur, magnam intercedere differentiam, ita ut nobis magis conscii simus eorum, quæ sensu, quam illorum, quæ imaginatione percipiuntur. Pendet illa differentia a claritate in percipiendo (§. 93. 96. 99. *empir.*). In Deo igitur nulla est claritatis diversitas quoad omnia, quæ sibi simul repræsentat, sed singula eadem sibi repræsentat claritate. Atque ideo omnium sibi æque conscius est, nec ulla hic fingi potest diversitas. Porro quilibet experitur, actum apperceptionis eodem modo sese ad omnia simul clare non extendere. Unde manavit, quod vulgo dicitur: pluribus attentus minor est ad singula sensus. Enimvero Deus simul quemadmodum eadem claritate sibi repræsentat omnia, ita etiam singulorum simul sibi eodem modo conscius est, consequenter opus non habet ut successive quemadmodum nos ad perceptiones partiales in totali contentas promoveat attentionem. Tantus igitur est in Deo apperceptionis actus, quo major concipi nequit.

§. 87.

Prima possibilia quænam sint.

Realitates, quæ Deo insunt, sunt prima possibilia (§. 33. *h. l.* 44. *Th. nat.* T. 1. 85. *h. l.*).

§. 88.

Realitates illimitatæ prima possibilia sunt.

Prima possibilia sunt realitates illimitatæ (§. 87. 16.).

§. 89.

Cognitio sui ipsius Deo competit.

Deus semetipsum cognoscit quam distinctissime & omnia, quæ ipsi insunt, unico actu sive simul cognoscit. Anima semetipsam cognoscit, cumque realitas sit, quicquid enti alicui vere inesse intelligitur, non vero per perceptiones nostras confusas inesse videtur (§. 5.), quin hæc sui ipsius cognitio realitas sit dubitari nequit. Jam vide §. 70. 11. Nemo non agnoscit, cognitionem sui ipsius, quæ datur in anima nostra, in eo deficere, quod non omnia, quæ eidem insunt, quæque in eadem contingunt, agnoscere & a se invicem distinguere valeamus, consequenter quod anima nostra non distinctissime se ipsam cognoscat (§. 38. *empir.*). Revolve §. 93. *empir.* 182 sqq. 198. 202. 524. *rat.* 404 sqq. 421 sq. 593 sq. *empir.* Necesse igitur est, ut Deus quam distinctissime cognoscat seipsum & omnia, quæ ipsi insunt. Nunc lege §. 48. h. l. 569. *Ontol.*

§. 90.

Primorum possibilium cognitio in Deo.

Deus prima possibilia quam distinctissime atque simul cognoscit (§. 89. 15 87.).

§. 91.

Possibilia primitiva secunda a primis oriuntur.

Possibilia primitiva secunda sive a primis orta nascuntur realitatum, quæ Deo insunt, diversa limitatione (§. 85. 88.). Quamobrem ex primis alia nasci non possunt nisi harum realitatum limitatione. Sunt vero eædem realitates, quæ Deo insunt (§. 87.). Ergo.

§. 92.

Omnium possibilium secundorum cognitio Deo vindicata.

Deus omnia possibilia primitiva secunda sive a primis orta quam distinctissime cognoscit (§. 90 sq. 87.). Enimvero anima nostra interminatum seu illimitatum variis modis limitare valet, atque limitationes possibiles illimitati cognoscit. Jam de Deo vide

vide §. 5. 70. 78. E. Possibilia primitiva prima omni possibili modo actu limitat & omnes eorundem possibiles limitationes quam distinctissime ac simul cognoscit.

§. 93.

Deo insunt omnes realitates in gradu absolute summo, seu præter eas, quæ Deo insunt, non dantur aliæ, quæ non insunt (§. 88. 87. 91. 15.). Omnium realitatum illimitarum inexistentia Deo vindicata.

§. 94.

Si omnia possibilia primitiva secunda seu a primis orta juxta principium contradictionis combinentur; essentiæ entium limitatorum resultant. Vi §. §. 91. 93. præter possibilia secunda seu a primis orta (§. 85.), non dantur alia, quæ enti limitato inesse possunt. Quodsi jam possibilia primitiva secunda secundum principium contradictionis combinentur, cum vi ejusdem impossibile sit, idem simul esse & non esse (§. 28. *Ontol.*); hoc ipso evidens est, ea simul eidem subjecto inesse posse, etsi ex uno non intelligatur, cur alterum simul insit, quoniam vi ipsius principii tantummodo attenditur, num una esse possint. Prodeunt adeo hac combinatione subjecta, quibus insunt, quæ sibi mutuo non repugnant, & quorum uno posito non ponendum quoque est alterum, quod una inest, consequenter quæ per se invicem non determinantur (§. 113. *Ont.*). Jam vide §. 143. *Ont.* Essentiæ entium limitatorum quomodo resultent.

§. 95.

Si possibilia primitiva secunda seu a primis orta secundum principium contradictionis combinentur; vi principii rationis sufficientis attributa entium limitatorum necessario resultant (§. 94. h. l. 157. 118. 304. *Ont.*), *una cum modis quoad potentiam & modorum ordine* (§. 160 118. 215. 217. 472. 176. *Ont.*) *atque dependentia entis limitati unius quoad modificationem suam ab aliis* (§. 160. 851. 704. 830. *Ont.*). Quomodo attributa & modi quoad potentiam resultent.

§. 96.

Si possibilia primitiva secunda secundum principium contradictionis combinentur; ideæ omnium substantiarum simplicium in singulari resultant vi principii rationis sufficientis (§. 94 sq.). Quoniam determinationes intrinsecæ constantes essentialia & attributa, Quomodo resultent ideæ substantiarum simplicium omnium in singulari.

tributa, variabiles autem modi sunt (§. 763. *Ont.*), illud autem perdurabile est, quod determinationes intrinsecas constantes habet (§. 767 *Ont.*), & modificabile, cujus modi variari possunt (§. 764. *Ontol.*); si possibilia primitiva secunda secundum principium contradictionis combinentur; resultant entia perdurabilia & modificabilia, consequenter (§. 768. *Ontol.*) substantiæ, aut potius substantiarum ideæ. Quicquid enti inest, id vel inter essentialia, vel attributa, vel modos locum habet §. 149. *Ontol.*). Quamobrem cum hoc modo resultent ideæ substantiarum, in quibus omnia attributa essentiis compossibilia modique successive inexistere valentes determinantur *per demonstrata & §. 225. Ontol.;* ideæ, quæ resultant, sunt substantiarum omnimode determinatarum & (§. 227. *Ont.*), substantiarum singularium. Enimvero possibilia primitiva secunda nascuntur limitatione realitatum Deo inexistentium (§. 91.), præter quas non dantur aliæ (§. 93.), consequenter cum Deus ens simplex sit (§. 35.), omnia simplicitati compossibilia sunt (§. 1.). Ideæ igitur substantiarum singularium, quæ vi principii rationis sufficientis ex combinatione possibilium primitivorum secundorum secundum principium rationis sufficientis facta resultant, sunt ideæ substantiarum simplicium singularium. E. (§. 85. *Ont.*).

§. 97.

Ideæ animarum & elementorum quomodo prodeant.

Ideæ animarum omnium tam hominum, quam brutorum (§. 48. 753. rat.), & singulorum elementorum rerum materialium (§. 182. Cosm.) prodeunt, vi principii rationis sufficientis, si possibilia primitiva secunda secundum principium contradictionis combinentur (§. 96.).

§. 98.

Cognitio essentiarum entium limitatorum & substantiarum simplicium Deo competit.

Deus omnes essentias entium limitatorum & omnes substantias simplices in singulari quoad essentiam, attributa & modificationes omnes possibiles quam distinctissime atque simul cognoscit (§. 92. 48 *h. l.* 569. *Ont.* 94. 96. 95. *h. l.*). Quamobrem cum nobis insit facultas possibilia primitiva secunda secundum principium contradictionis combinandi, quæ in realitatum animæ inexistentium numero est (§. 5.); Deo autem tribuendæ sint realitates omnes, quæ animæ nostræ insunt, in gradu absolute summo (§. 70.) &

70.) & quidem per modum actus, quæ animæ insunt per modum facultatum (§. 78.): quin Deus omnia possibilia primitiva secunda sive a primis orta actu combinet, dubitari nullo modo potest, consequenter patet, quod volumus. Conf. §. 89.

§. 99.

Cognitio omnium animarum & elementorum Deo asserta.

Deus (§. 98.) omnes animas, tam hominum, quam brutorum (§. 48. 753. rat.), & elementa rerum materialium singula (§. 182. Cosmol.) quoad essentiam, attributa & modificationes omnes possibiles, quam distinctissime atque simul cognoscit.

§. 100.

Quomodo ideæ corporum & mundorum possibilium ac in iis existere valentium hominum atque brutorum oriantur.

Si elementa omnia juxta principium rationis sufficientis combinentur, omnia non modo corpora possibilia (§. 182. 176. 194. 202. *Cosm.* 70. *Ont.*), *verum etiam omnes mundi possibiles* (§. 119. 61. 55. 205. *Cosm.* 851 *Ont.*) *resultant. Quodsi porro corporibus in eadem serie existentibus jungantur animæ vi ejusdem principii, in una qualibet etiam serie prodeunt homines ac bruta, quotquot in eadem naturaliter existere possunt, quoad scilicet ideas* (§. 63. 754 sqq. 62 sq. *rat.*). Quamobrem si vi principii rationis sufficientis jungendæ sunt corporibus, iis corporibus utique jungendæ, quæ organis sensoriis instructa sunt, ex quorum mutationibus reddi potest ratio perceptionum ipsarum. Tum vero homines prodeunt ac bruta, quæ in mundo dato existere valent.

§. 101.

Quales sint mundorum possibilium ideæ in Deo.

In Deo dantur ideæ omnium mundorum intelligibilium (§. 99 sq. h. l. 203. *Th. nat.* T. I.).

§. 102.

Quomodo Deus cognoscat omnia a se diversa.

Deus omnia a se diversa cognoscit per seipsum, seu quatenus seipsum cognoscit (§ 89. 93. 91 sq. 94. 98. 89. 96. 100.).

Ex modo, quo Deum omnia a se diversa intelligere ostendimus, clarissime perspicitur, quod docet D. *Thomas*, Deum cognoscere alia a se non in ipsis, sed in seipso, videntem alia per essentiam suam & omnia in se continentem. Nimirum realitates divinæ prorsus illimitatæ sunt. Eas cum Deus, qui infinita intellectus vi comprehendit (*Th. nat. contr. T. II.*).

 omnia,

omnia, perpetuo intueatur, nunquam non earundem sibi optime conscius, omnes quoque limitationes possibiles, & limitatorum combinationes omnes possibiles videt in seipso & per seipsum, atque hoc pacto continet omnia præter ipsum possibilia in se & ea simul indesinenter non potest non intueri. Omnis igitur rerum omnium cognitio Deo est, etiamsi nihil extra ipsum existat. Patet etiam Deum non cognoscere imperfectum, quia ipse imperfectus est, sicuti nos imperfectum cognoscimus, quatenus nostræ imperfectionis nobis sumus conscii, aut, si mavis, eandem intuemur, sed potius imperfectum omne cognoscere, quia summam suam perfectionem penitus cognoscit.

§. 103.

Necessaria omnium a Deo diversorum cognitio in Deo.

Quicquid præter Deum possibile est, id omne Deus necessario cognoscit (§. 102. 89. 5. 17. h. l. 291. 279. *Ont.*).

Nunc patet, quam absonum sit inferre, quod Deus ponatur dependens in creando a re, quæ sit ab ipso diversa, si essentiæ rerum seu earum ideæ quoad Deum sint necessariæ. Ideæ enim rerum insunt Deo tanquam in ipsa essentia ejus contentæ, etsi diversæ ab essentia ejus, & ab eadem pendent, non vero Deus pendet ab iis in cognoscendo, adeoque nec in creando dependens efficitur a re alia, quæ non sit Deus.

§. 104.

Intuitiva Dei cognitio.

Deus omnia cognoscit intuitive (§. 89. h. l. 286. *empir.* 102 sq. h. l.).

§. 105.

Singularium omnium cognitio Dei.

Deus omnia singularia in seipso videt, quæ in qualibet rerum serie, seu mundo quolibet locum habere possunt (§. 100 seq. 96. 99.).

§. 106.

Omnium universalium cognitio Dei.

Deus omnia universalia quam distinctissime atque simul cognoscit. Nos universalia cognoscere, nemo non novit (§. 634. *Log.*): nec in dubium revocare licet, hanc cognitionem in realitatum numero esse (§. 5.). Jam vide §. 70. h. l. 38. *empir.* 48. h. l.

§. 107.

§. 107.

Deus omnia universalia intuetur in omnibus singularibus vi principii rationis sufficientis omni possibili modo inter se combinatis (§. 232-234. *Ont.* 427. 444. *rat.* 286. *emp.*). Intuitus universalium in singularibus simul repræsentatis animæ nostræ realitas est (§. 5.). Nunc lege §. 70. 105. 82. Veritates universales connectuntur vi similitudinis essentialis, dependentiæ rei a seipsa & mutuæ dependentiæ rerum a se invicem quoad modificationes (§. 445. *rat.*). Dependet autem res a seipsa, quatenus ratio ejus, quod ipsi inest, continetur in aliis, quæ simul insunt, & ab alia dependet, quatenus ejus, quod ipsi inest, ratio continetur in alia, quæ cum ea simul existit vel extitit (§. 851. *Ontol.*). Quare veritates omnes universales seu ea, quæ de entibus universalibus omnibus in universum prædicari possunt, in singularibus intueri datur, si hæc omni possibili modo vi principii rationis sufficientis combinentur. E. Adde §. 275. *Th. nat.* T. I. Modus, quo Deus universalia cognoscit.

§. 108.

Deo competit omnis cognitio historica & philosophica, immo etiam mathematica (§. 2. 4. 10. *Disc. præl.*). Nemo non ad cognitionem eorum attentus, quæ in scriptis hominum continentur, intelligit, homini convenire & historicam, & philosophicam, & mathematicam rerum cognitionem, utut valde limitatam. Jam conf. §. 5. 70. Cognitio omnis historica, philosophica & mathematica Deo vindicata.

§. 109.

Deo competit acumen summum in genere, tum etiam acumen summum pervidendi abstracta in concretis in specie. Etenim nobis acumen competit, idque diversos admittit gradus (§. 332. *empir.*), ac in specie etiam acumen pervidendi abstracta in concretis (§. 336. *empir.*), idque itidem pro diversis gradibus abstractorum diversos admittit gradus (§. 335. *empir.*). Acumen vero est facultas in uno multa distinguendi (§. 332. *empir.*) & acumen pervidendi abstracta in concretis facultas perspiciendi universalia, præsertim in scala generum seu abstractorum altiora, in singularibus (§. 336. *empir.*). Nunc evolve §. 5. 70. Acumen Deo tribuendum.

§. 110.

Acumen summum quodnam sit.

Acumen absolute summum est, quo omnia, quæ diversa in uno sunt, a se invicem distinguuntur. Et in specie acumen summum pervidendi abstracta in concretis est, quo omnia universalia, quæ singularibus insunt, perspiciuntur (§. 332. 336. *empir.*).

Illustrationis ergo de nostro acumine admodum limitato vide §. 99 - 102. 186. *rat.*

§. 111.

Acumen Dei summum a priori demonstratur.

Acumen Dei absolute summum est, tum in genere spectatum (§. 105. 81. h. l. 38. *empir.* 91 sqq 110. h. l.), *tum quoad pervidendum abstracta in concretis in specie* (§. 106 sq. 110.).

§. 112.

Acumen quomodo insit Deo.

Acumen divinum actus est, non facultas (§. 332. *empir.* 109. 78. h. l.).

§. 113.

Intellectus Deo vindicatus.

Deo competit intellectus in gradu absolute summo (§. 82. h. l. 275. *empir.* 78. 5. 15. h. l.). Idem patet ex §. 275. *emp.* 5. 93. h. l.

§. 114.

Quomodo Deo insit.

Intellectus divinus actus est, non facultas (§. 113. h. l. 275. *emp.* 78. h. l.).

§. 115.

Intellectus divinus quid sit.

Intellectus divinus est omnium possibilium singularium & universalium distincta ac simultanea repræsentatio (§. 275. 278. *empir.* 113 sq. 105 sq. 99. 106. h. l.).

§. 116.

Summa perfectio ejus.

Intellectus Dei est omnium perfectissimus (§. 115. h. l. 647. *rat.*).

Idem constat ex §. 113. h. l. coll. §. 648. *rat.*

§. 117.

Negatio limitum de eo.

Intellectus divinus prorsus illimitatus est (§. 16. 113.).

§. 118.

Infinitudo intellectus divini.

Intellectus divinus infinitus est (§. 117. h. l. 173. *Th. nat.* T. I. 53. *Ont.*).

§. 119.

§. 119.

Intellectus divinus est omnium profundissimus (§. 113. 115. h. l. 38. 340. *empir.*). Idem patet ex §. 340 seq. *Psych. empir.* 5. 70. h. l. Ejus profunditas.

§. 120.

Intellectus illimitatus omnia simul repræsentat, quæcunque ejus vi repræsentari possunt (§. 827. *Ontol.* 275. *Psychol. empir.*). Simultanea repræsentatio intellectui illimitato convenit.

§. 121.

Notio intellectus divini prodit, si intellectum humanum (§. 279. 275. *empir.* 468. *Ontol.* 120. 115. h. l.), *vel ejus facultatem cognoscitivam inferiorem* (§. 54. 39. 32. 25. *empir.* 468. *Ontol.* 120. h. l.), *aut facultatem cognoscitivam, quæ animantibus brutis competit* (§. 94. 98. 92. *rat.* 54. *empir.* 750. 754 sq. *rat.* 120. h. l.), *ab omni prorsus limitatione liberes.* Notio intellectus divini quomodo prodeat.

§. 122.

Deo competit ratio in gradu absolute summo. Ratio in essentia animæ (§. 66. *ration.*) rationem sufficientem habet (§. 453. *ration.*), ac attributum animæ est (§. 157. *Ont.*), hominique absoluta necessitate convenit (§. 304. *Ont.*). Jam conf. §. 483. *emp.* 5. 70. h. l. Ratio summa Deo vindicata.

§. 123.

Ratio divina actus est, non facultas (§. 483. *empir.* 78. 122. *h. l.*). Ratio divina qualis sit.

§. 124.

Ratio divina est perspicientia nexus omnium veritatum universalium (§. 122. *h. l.* 471. *rat.*), *aut intuitus totius mundi rationalis* (§. 258. 263. *Theol. natur.* T. 1. 483. *empir.* 122 *seq. h. l.*). Ratio divina quid sit.

§. 125.

Deus intuetur omnem dependentiam universalium a seipsis & a se invicem (§. 124. h. l. 445. *rat.*). Universalium dependentia a se invicem Deo perspecta.

§. 126.

Theoriæ omnes Deo perspectæ.

Omnes rerum omnium theoriæ Deo perspectæ sunt (§. 106. 124. h. l. 467. *rat.*).

§. 127.

Ingenium Deo vindicatum.

Deo competit ingenium in gradu absolute summo (§. 66. 473. *rat.* 157. 304. *Ont.* 476. *emp.* 5. 70. h. l.).

§. 128.

Deus est ingeniosissimus.

Deus ingeniosissimus est (§. 476. *emp.* 127. *h. l.*).

§. 129.

Ingenium divinum quale.

Ingenium in Deo actus est, non facustas (§. 476. 29. *emp.* 716. *Ont.* 127. 78. *h. l.*).

§. 130.

Ingenium divinum quid sit

Ingenium divinum consistit in intuitu continuo omnis similitudinis, quæ rebus omnibus possibilibus inest (§. 127. 129. *h. l.* 476. *emp.* 17. *h. l.*).

§. 131.

Quomodo ei tribui possint mentis operationes.

Deo prima (§. 107. *h. l.* 230 *sq. Ont.* 106. *h. l.* 325 *seq.* 237. *emp.* 104. 115. *h. l.*) & *secunda* (§. 115. 86. *h. l.* 38. 325. *emp.* 201. *Log.* 343. 345 *seq. empir.*) *mentis operatio competit in gradu absolute summo, tertia vero eidem tribui nequit* (§. 104. 107. 105. *h. l.* 366. 325. *empir.*), *nisi per eminentiam* (§. 274. 271. *Th. natur.* T. 1.). Vel potest erui ex §. 125. *h. l.* 851. *Ontol.* 370 *empir.* 109. acumen scilicet, quo Deus omnia subjecto cuicunque inexistentia distinguit, vicem ratiocinationis sustinet (§. 845. *Ont.*).

Prima & secunda mentis operatio non supponunt nisi intuitum ideæ præsentis. Quamobrem cum Deus intueatur & seipsum, & mundos omnes possibiles simul in se (§. 104. & seqq.), prima & secunda mentis operatio nullum necessario involvunt defectum, & ad omnem cognitionem sufficiunt, adeoque Deo tribuuntur ideæ in gradu absolute summo. Quodsi nos successive omnia cognoscibilia cognitione intuitiva complecti possemus; nobis quoque prima & secunda mentis operatio satisfacere poterat: ast quia ideæ rerum, quas successive intuemur, multa involvunt, quæ intuitui nostro sese subducunt, immo multorum

multorum ideas, nonnisi mediantibus aliis in nobis excitare valemus, ideo tertia mentis operatione nobis opus est, qua ex intuitive cognitis colligimus, quorum intuitiva cognitio nobis vel prorsus negatur, vel saltem dato in casu. Involvit adeo tertia mentis operatio defectum primæ atque secundæ, atque ideo Deo tribui nequit (§. 37.). Inest tamen aliquid tertiæ mentis operationi, quod ab omni defectu liberum Deo non repugnat, scilicet quod per eam nobis manifestetur dependentia veritatum universalium, aut, si mavis, ipsorum entium universalium a se invicem, quatenus mundum constituunt rationalem. Hanc dependentiam Deus intuitive cognoscit vi acuminis absolute summi pervidendi abstracta in concretis (§. 110. 111.), atque adeo ipsum supplet vicem ratiocinationis omnium perfectissimæ, consequenter tertia mentis operatio Deo tribuitur per eminentiam (§. 845. *Ontol.*).

§. 132.

Dei judicia omnia intuitiva sunt, nullum discursivum est (*§. 131. h. l.* coll. *§. 52. Log. 111. 110. 104. h. l. 50. Log.*). Qualia sint Dei judicia.

§. 133.

Omnia Dei judicia eidem certa sunt (*§. 132. h. l. 197. 50. 538. Log.*). Idem patet ex §. 98. h. l. 157. 160. 118. 70. *Ont.* 476. 535. *Log.*). Certitudo judiciorum divinorum.

§. 134.

In cognitionem Dei nulla cadit incertitudo, seu, *ejus judicium nullum incertum est* (§. 133. h. l. 535. *Log.* 28. *Ont.*). Incertitudo in Deum non cadens.

§. 135.

Novit Deus, quænam enti cuicunque intellectus limitati cognitio incerta esse debeat. Nos non modo in genere cognoscimus, judicium intuitivum entis intellectu limitato incertum esse, si prædicatum subjecto convenire observare nequit (§. 538. *Log.*), & judicium etiam discursivum incertitudini obnoxium esse debere, si præmissæ vel unius syllogismos in demonstratione concatenatos ingredientis veritatem ignorat, vel nullam demonstrationis genuinæ formam animo comprehensam habet, vel non perspicit, num forma demonstrationis præsentis sit genuina (§. Incertitudinis circa cognitionem entium limitatorum obviæ cognitio Deo vindicata.

541.

541. *Log.*); verum etiam principiorum horum applicatione cognoſcere nobis datur, utrum nobis atque alteri certum eſſe debeat judicium aliquod, nec ne (§. 343. *Log.*). Jam conf §. §. 70.

Propoſitio hæc uſum non contemnendum habet in interpretandis oraculis divinis, ut intelligatur, cur hiſce potius verbis, quam aliis uti voluerit Deus, ut alia taceamus. Exemplo eſſe poteſt, quod in Horis Subſecivis A. 1729, Trim. Vern. n. V. de officio hominis circa injurias juxta mandatum Chriſti diximus.

§. 136.

Immunitas Dei ab errore.

Deus ab omni errore prorſus immunis eſt, ſeu Deus errare nequit (§. 133. h. l. 535. 593. *Log.*).

§. 137.

Quomodo in cognitione intuitiva error admitti poſſit.

In cognitione intuitiva admitti nequit error niſi diverſa pro iisdem habendo (§. 286. *emp* 51.). Quando plura in ideis vel notionibus rerum comprehenſa intuemur, aut eadem habemus pro iisdem, aut diverſa pro diverſis, aut eadem pro diverſis, aut denique diverſa pro iisdem. Quamdiu eadem pro iisdem, aut diverſa pro diverſis habemus, fieri haud quaquam poteſt, ut ſubjecto alicui tribuamus, quod ipſi non convenit, vel ab eodem removeamus, quod convenit, cum eadem pro diverſis habentes ſubjecto tamen unicuique tribuatur, quod ipſi convenit, conſequenter fieri nequit, ut falſum pro vero habeamus (§. 476. *Log.*). Relinquitur itaque, ut id tantummodo fieri poſſit, quando diverſa pro iisdem habemus. Jam vid. §. 593 ſeq. *Log.*

§. 138.

Probabilis cognitio Deo non competens.

Deus nihil probabiliter cognoſcit (§. 548. 549. *Log.* 133. h. l.)

§. 139.

Novit probabilem cognitionem entium limitatorum.

Novit Deus, quænam enti cuique intellectus limitati cognitio probabilis eſſe debeat. Nos novimus, quando judicium ſit probabile (§. 549. 551 ſqq. *Log.*) & utrum nobis atque alteri probabile eſſe debeat judicium aliquod, nec ne (§ 343. *Log.*). Jam conf. §. 5. 70. h. l.

§. 140.

§. 140.

Deo ratio sufficiens omnium penitus perspecta est (§. 130. *Ont.* §. 70. h. l.). Sufficiens omnium ratio Deo perspecta.

Idem constat ex §. 108. h. l. 4. *Disc. præl.* 70. *Ont.*

§. 141.

Deus rationem sufficientem omnium in ideis rerum intuetur (§. 140. 104. h. l. 286. *emp.*). Modus, quo Deus eam cognoscit.

§. 142.

Deus omnia requisita ad veritatem in casu quocunque date cognoscit (§. 546. *Log.* 140. *h. l.*). Omnia requisita ad veritatem cognoscit.

§. 143.

Deus veritatem omnem certo cognoscit (§. 142. *h. l.* 545. *Log.*). Veritatem certo cognoscit.

§. 144.

Deus in omni casu dabili determinabilitatem prædicati per notionem subjecti certo cognoscit (§. 143. h. l. 484. *Log.*). Et determinabilitatem prædicati per notionem subjecti.

§. 145.

Deo non est criterium veritatis aliud, quam quod in Logica dedimus (§. 144. h. l. 113. *Ont.* 204. 494 sq. *Log.*). Criterium veritatis divinum.

§. 146.

Deus in dato quocunque casu certo cognoscit repugnantiam prædicati cum subjecto (§. 144. *h. l.* 113. *Ontol.* 201. *Log.* 115. *Ont.* 307. *Log.*). Cognoscit repugnantiam prædicati cum subjecto.

§. 147.

Criterium falsitatis Deo *idem est, quod in Logica exhibuimus* (§. 146. *h. l.* 485. 496 *sq. Log.*). Criterium falsitatis divinum.

§. 148.

Criterium veritatis propositionis negativæ divinum itidem est, quod in Logica exhibuimus (§. 486. 485. *Log.* 146. h. l. 494. 40. 498. *Log.*). Criterium veritatis propositionis negativæ divinum.

Nulla est exceptio, etsi hoc criterium Deo sufficiat ad veritatem agnoscendam, non tamen ideo sequi, non dari adhuc criterium aliud eodem præstantius. Criterium enim hoc, non aliud, cognitioni Dei intuitivæ convenit & origini idearum omnium adæquatarum ex Deo supra demonstratæ (§. 87. & seqq.) consentit.

§. 149.

Cognoscit impossibilia.

Deus cognoscit omnia impossibilia (§. 81. *Ont.* 521. *Log.* 5. 70. h. l.). Idem patet ex §. 146. h. l. 490. *Log.*).

§. 150.

Opinio in Deum non cadit.

Cognitio divina ab omni opinione libera (§. 572. 569. *Log.* 134. h. l.).

Idem constat ex §. 572. *Log.* 37. h. l.

§. 151.

Opiniones entium limitatorum Deo notæ

Novit Deus omnium entium intellectu limitato præditorum opiniones (§. 572. 569. 541. *Log.* 135. h. l.).

Certo cognoscere, quod alteri non sit, nisi opinio, nullam in cognoscente imperfectionem arguit; sed quod hoc videat, intellectus potius perfectioni tribuendum.

§. 152.

Deo perspectum, cur in dato casu illis sit opinio.

Novit etiam Deus, cur entis intellectu limitato præditi cognitio in dato casu intra opinionum limites coarctetur. Cum nihil sit sine ratione sufficiente (§. 70. *Ontol.*); talis quoque detur necesse est, cur enti cuidam intellectu limitato prædito in dato casu non sit nisi opinio. Jam vide §. 140. h. l. 56. *Ont.*

§. 153.

Scientia summa per eminentiam Deo competens.

Deo competit scientia in gradu absolute summo per eminentiam (§ 569. *Log.* 126. *Ont.* 140. h. l.). Enimvero demonstratio, per quam nobis innotescit, notionem subjecti esse rationem sufficientem prædicati eidem tribuendi, syllogismis seu ratiociniis inter se concatenatis absolvitur (§. 467. 469. *Log.*), consequenter nulla nobis scientia est, sine tertia mentis operatione (§. 52. *Log.*). Jam vid. §. 131. h. l.

§. 154.

§. 154.

Deo competit scientia omnium singularium & universalium per eminentiam (§. 153.). Scientiæ divinæ objectum.

§. 155.

Novit Deus, quid sub data conditione futurum & non futurum esset (§. 144 146. h. l. 117. Ont. 305. Log.). Conditionata omnium cognitio Deo vindicata.

Idem intelligitur, si perpendimus, nobis quodammodo hanc cognitionem competere. Jam vid. §. 5. 70. 78.

§. 156.

Deo omnia sunt præscibilia, non modo quæ contingunt in mundo materiali, verum etiam quæ in animabus accidunt, ipsa earundem libera decreta, præscitque omnia (§ 232. 234. 233. 231. *Th. nat.* T. 1. 154. h. l.). Præscibilitas ac præscientia omnium Deo vindicata.

Idem constat ex §. 70. *Ontol.* 140. h. l. 56. *Ontol.* 231. *Th. nat.* T. 1.

§. 157.

Deus omnia præsentia tanquam præsentia cognoscit (§. 5. 70.). Præsentium qua talium cognitio Dei.

§. 158.

Sensus Deo non competunt (§. 67. *emp.* 127 sq. 129. *rat.* 81. h. l.) *nisi per eminentiam* (§. 156. h. l. 845. *Ont.*). Sensu quatenus Deo tribui possint.

§. 159.

Sensus per eminentiam Deo tributi denotant actum intellectus divini, quo omnia præsentia tanquam præsentia cognoscit (§. 158). Sensus per eminentiam tributi quid denotent.

§. 160.

Visus etiam & *auditus* (§. 68. *emp.*) *Deo per eminentiam tribui possunt* (§. 158.). Visus & auditus Deo tribuendi.

§. 161.

Visus in Deo denotat actum intellectus divini, quo res actu existentes quoad determinationes intrinsecas & mutuas ad se invi- Visus & auditus quid significet.

cem relationes præsentes dato quovis momento cognoscit: Auditus vero denotat actum intellectus, quo dato quovis momento in mundo sensibili auditu perceptibilia cognoscit (§. 159. h. l. 68. *emp.* 160. h. l. 228. *Th. nat.* T. 1. 70. h. l.).

Patet hinc visum per eminentiam Deo tributum extendi etiam ad ea, quæ in se invisibilia sunt. E. gr. Omnis substantia simplex, veluti anima nostra, invisibilis est per essentiam & naturam suam. Unde nemo hominum visu percipit cogitationes alterius, sed eas demum ex actionibus externis visu perceptis ratiocinando conjectat. Ast Deus etiam videt omnes nostras cogitationes. Etenim inter res actu existentes sunt etiam animæ nostræ, quarum ideæ dantur in intellectu divino (§. 97.) & quas Deus quoad essentiam, attributa & modificationes omnes possibiles quam distinctissime atque simul cognoscit (§. 99.). Quamobrem cum is præsentia omnia tanquam præsentia cognoscat (§ 157.); animarum quoque cogitationes præsentes tanquam præsentes cognoscere debet. Unde cum nos præsentia a nobis diversa, quatenus enti existenti actu insunt, non aliter quam visu percipere valeamus, Deo autem sensus per eminentiam tribuatur, quatenus actu intellectus præsentia tanquam præsentia cognoscit (§. 159.), quin visus per eminentiam ipsi tributus ad nostras quoque cogitationes præsentes extendendus sit dubitari nequit. Omnis sensus in se spectatus necessario defectum cognitionis involvit; ab eodem vero liberatus degenerat in actum intellectus sensu nobiliorem, qui ejus vicem in eo etiam casu supplet, quo in nobis deficit.

§. 162.

Organa sensoria Deo per eminentiam tribui nequeunt.

Organa sensoria ne per eminentiam quidem Deo tribui possunt. Sensus Deo per eminentiam tribuuntur, quatenus actu intellectus præsentia tanquam præsentia cognoscit (§. 159.): qui cum rationem sufficientem habeat in iis, quæ Deo insunt (§. 70. *Ont.*), per hanc vero intelligitur, cur eidem conveniat (§. 56. *Ont.*); aliud quid præterea in Deo non requiritur, per quod intelligibili modo explicetur, cur actus ille insit, & cur talis potius sit, quam alius. Quoniam itaque in nobis actus sensuum præter rationes, quas in anima agnoscunt (§. 63. *Psych. rat.*), vi ipsius essentiæ ejusdem explicabiles sunt per mutationes in organo sensorio contingentes, cur scilicet jam animæ insint & cur tales præcise sint (§. 66. 85. *Psych. emp.* & §. 78. *Psych. rat.*): nihil in Deo supponi

ſupponi neceſſe eſt, quod vicem organi ſenſorii, proprie loquendo eidem minime tribuendi (§. 40.), ſupplet. E. (§. 845. *Ontol.*).

§. 163.

Deo organa ſenſoria tribui nequeunt niſi metaphorice (§§. 40. 162.), quatenus ſcilicet actus intellectus divini præſentia tanquam præſentia cognoſcendi poſſibilis (§§. 85. empir. 537. rat.). Quo ſenſu tribuantur Deo.

Quamobrem cum per ea, quæ Deo inſunt, ſenſus per eminentiam in Deo poſſibilis ſit (§. 158.); eatenus ob ſimilitudinem quandam, ſive metaphorice Deo tribui poteſt organon aliquod ſenſorium, quatenus ſenſus per eminentiam in Deo poſſibilis. Conſiſtit autem ſenſus per eminentiam in actu intellectus, quo præſentia tanquam præſentia cognoſcit (§. 159.). Ergo.

Quodſi exiſtimes, id, per quod ſenſus per eminentiam in Deo concipitur poſſibilis, ſupplere vicem organi, adeoque repræſentare organum ſenſorium per eminentiam; multum falleris. Etenim mutatio in organo, per quam mechanice explicari poteſt actus quilibet ſenſationis, non eſt ratio ſufficiens ejusdem in ipſa anima, utpote quæ vi prædita eſſe intelligitur, qua rerum materialium ideas, adeoque & ſenſationes producit; ſed mutatio in organo tantummodo fundamentum limitationis continet (§. 547. *rat.*) & in ipſo ſyſtemate influxus phyſici nonniſi in limitationem influit (§. 569. *rat.*). In Deo (§. 16.) nulla re opus eſt, per quam limitatio determinetur, conſequenter nihil quoque in eodem datur, quod organo ſenſorio reſpondet.

§. 164.

Oculus Deo tribui nequit, niſi metaphorice (§. 69. 66. *emp.* 163. h. l.), *ad denotandam poſſibilitatem actus illius intellectus divini, quo res actu exiſtentes quoad determinationes intrinſecas & mutuas ad ſe invicem relationes præſentes dato quovis momento cognoſcit* (§. 163. 159. 161.). Vide *Th. nat.* T. I. §. 91. 103. Oculus quo ſenſu Deo tribuatur.

§. 165.

Auris Deo tribui nequit niſi metaphorice (§. 70. 66. *emp.* 163. h. l.), *ad denotandam poſſibilitatem actus intellectus divini, quo dato quovis momento auditu perceptibilia cognoſcit* (§. 163. 159. 160 ſq.). Auris quo ſenſu Deo tribuatur.

§. 166.

Præteritorum recordatio Deo vindicata.

Deus omnium præteritorum recordatur (§. 91. *empir.* §. 70. h. l.). Idem eruitur ex §. 183. *rat.* 71. 78. 86. 157. h. l.

Cum itaque simpliciter præsentia omnia tanquam præsentia cognoscat (§. 157.); præterita quoque omnia tanquam præterita sine ulla restrictione cognoscere debet, consequenter cum recordatio de Deo dicta denotet præteritorum cognitionem (§. 238. *T. 1. Th. nat.*); præteritorum omnium recordatur.

§. 167.

Imaginatio per eminentiam tribuenda.

Deo non competit imaginatio nisi per eminentiam (§. 98. 75. 125. 92. *emp.* 127 sqq. *rat.*). Vi ergo imaginationis absentia non prorsus distincte, sed maxima ex parte confuse atque obscure repræsentantur. Nunc ex §. 81. claret, quod Deo imaginatio proprie sic dicta convenire nequeat. Quod vero per eminentiam ipsi competat, elucet ex §. 92. *emp.* 228. *Th. nat.* T. 1. 115. h. l. coll. §. 845. *Ontol.* Intellectus scilicet imaginationis vicem supplet.

§. 168.

Immo tota facultas cognoscitiva inferior.

Deo facultas cognoscitiva inferior nonnisi per eminentiam tribui potest (§. 121. h. l. 845. Ont.).

§. 169.

Et memoria.

Deo memoria nonnisi per eminentiam tribui potest (§. 175. 173. emp. 80. 84. 86. h. l.). Memoria igitur proprie loquendo eidem tribui nequit; competit tamen per eminentiam (§. 166. 157. h. l. 228. *Th. nat.* T. 1. 86. h. l. 845. *Ont.*).

§. 170.

Oblivio in Deum non cadit.

Oblivio in Deum minime cadit (§. 215. *emp.* 37. h. l.).

§. 171.

Reminiscentia Deo repugnat.

Reminiscentia Deo nullo modo tribui potest (§. 230. 229. 92. 175. emp.). Ergo defectum quendam imaginationis atque memoriæ supponit. Jam per §. 48. 37. patet, quod reminiscentia sensu proprio eidem convenire nequeat.

Et quia Deo competit imaginatio per eminentiam (§. 167.) eique tribui potest memoria per eminentiam (§. 169.), quarum

rum illa reproductionis idearum omnium præteritarum, hæc recognitionis earundem vicem supplet (§. 845. *Ontol.*), nihil in Deo ne fingi quidem potest, quod vicem reminiscentiæ suppleat. Quamobrem nec reminiscentia per eminentiam eidem tribui potest (§. *cit.*). E. Nullo modo in eum cadit.

§. 172.

Quomodo notio facultatis cognoscitivæ inferioris resultet.

Si actus intellectus divini quoad repræsentationem singularium limitatur; facultas cognoscitiva inferior prodit (§. 115. h. l. 826. *Ont.*). Si objectum limitetur, repræsentatio restringenda ad quædam tantummodo singularia: si vero modus repræsentandi objectum, repræsentatio distincta abire debet partim in confusam, partim in obscuram (§. 31. 32. 38. 39. *empir.*) & simultanea in successivam (§. 569. *Ontol.*). Quare si singularia quædam præsentia ex parte distincte, maxima ex parte confuse ac obscure repræsentari ponantur; sensus prodeunt (§. 67. *empir.* & §. 125. *ac seqq. rat.*), utpote vi limitationis pauca admodum objecta simul ac distincte repræsentare valentes (§. 257. *ration.*). Si eodem modo singularia absentia repræsentari sumamus, & repræsentata præterita recognosci supponamus; imaginatio (§. 92. *empir.*) ac memoria resultat (§. 175. *empir.*). Jam lege §. 54. *empir.* Vide etiam §. 121. *h. l.*

§. 173.

Principia idearum in intellectu divino.

Per principium contradictionis & rationis sufficientis ideæ rerum omnium in intellectu divino determinantur (§. 94 sq. 97. 100. 87. 91. 89.).

§. 174.

Possibilitas rerum omnium a Deo.

Per Deum omnia possibilia sunt; Nec eo sublato quicquam possibile. De *primo* vide §. 85. 87. 91. 88. Jam possibilia primitiva secunda combinari possunt, quatenus non repugnat plura simul eidem subjecto inesse (§. 28. *Ontol.*), consequenter vi principii contradictionis (§. 29. *Ontol.*). Quamobrem cum possibilium primitivorum secundorum juxta principium contradictionis facta combinatione essentiæ entium limitatorum resultent (§. 94.), & per essentiam ens possibile sit (§. 153. *Ontol.*); non alia entia limitata possibilia sunt, quam quæ per limitationem realita-

tum

tum Deo inexistentium resultant, consequenter nullum ens possibile intelligitur, nisi quia Deo hæ insunt realitates. De attributis, modis quoad potentiam, modorum ordine, dependentia entis limitati unius quoad modificationem suam ab aliis vid. §. 95. Denique de animabus, elementis, corporibus, mundis possibilibus, hominibus & brutis conf. § 100.

Jam quoad *alterum* lege §. 93. 16. 88. 85.

Forsan non deerunt, qui mirabuntur, sublato Deo nihil intelligi possibile, cum tamen in disciplinis ea, quæ de rebus finitis demonstrantur, non suppositis divinis attributis demonstrentur. Sed hi erunt, qui prima demonstrandi principia non satis perpendunt. Quodsi enim hoc facerent, utique constaret, inesse iis, quæ a posteriori sumuntur, ac ideo tanquam possibilia admittuntur, quia eadem actu dari observamus (§. 170. *Ontol.*) Sane de corpore humano ratiocinaturus sumit, quæ de ejus structura per anatomiam innotescunt. Nunquam igitur analysin notionum perfectam instituimus, sed semper acquiescimus in nonnullis, quæ confuse percepta vi experientiæ tanquam possibilia admittimus. Quodsi vero perfectam analysin instituere daretur, ea semper in attributis divinis tanquam primis possibilibus terminaretur, quorum distincte intellectorum possibilitas pateret per principium contradictionis, quatenus scilicet nullam contradictionem in iis involvi videremus: quemadmodum intelligitur per ea, quæ de possibilitate realitatum in gradu absolute summo supra diximus (§. 12.).

§. 175.

Idearum divinarum amplitudo.

In ideis divinis omnia possibilia continentur (§. 87. 92. 91. 94. 97. 100. 93. 87. 85.).

§. 176.

Veritates omnes in ideis divinis continentur.

In ideis divinis veritates omnes singulares & universales continentur (§. 95. 100. h. l. 495. *Log.* 232. *Ont.*).

§. 177.

Veritatis omnis autor.

Veritas omnis a Deo est (§. 176. 115.).

Nimirum perfectioni intellectus divini tribuendum non modo, quod judiciis insit veritas (§. 136. 133. 134.); verum etiam quod in ideis divinis omnia possibilia contineantur (§. 175.) ita ut præter ea, quæ ipsis insunt, nihil

nihil possibile intelligatur, atque adeo judicia divina ad omnia singularia & universalia extendantur, nec fingi quidem aliquod possit, quod intellectui divino non insit. Omnis adeo veritas, qualiscunque tandem ea sit, originem suam ad Deum refert, & vi ortus divina dici meretur.

§. 178.

Deo competit ars inveniendi in gradu absolute summo (§. *176. 87 sqq. h. l. 454. empir. 33. h. l.*). Ars inveniendi Deo asserta.

Liberanda est notio artis inveniendi ab omni defectu, quem in nobis involvit, ne quid Deo vel tacite tribuatur, quod repugnat (§. 37.). Vide de hominibus §. 461. *empir.* adest ergo successivus intellectus actus. Sed de Deo conf. §. 48. 114. 120. 131. Deinde nos a priori veritatem inventuri, eam, quam quærimus, nondum cognitam ac perspectam habemus, dum eam, quam sumimus, cognoscimus. De Deo autem evolve §. 48.

§. 179.

Ars inveniendi combinatoria est, qua veritates aliarum combinatione eruuntur. Ars inveniendi combinatoria.

Specimen hujus artis est (§. 684. 686. *Log.*). Inprimis huc spectat ars combinatoria characteristica (§. 297. *Psychol. empir.*).

§. 180.

Ars inveniendi divina est ars combinatoria (§. 176. 94 sqq. 179.). Ars inveniendi divina qualis sit.

§. 181.

Ars characteristica combinatoria proxime ad artem inveniendi divinam accedit (§. 197. h. l. 297. *empir.*). Quænam ars inveniendi ad divinam propius accedat.

Non est quod objicias, Deum non combinando signa eruere veritatem, sed ideas rerum in intellectu divino resultare, ac veritates omnes in iis, possibilium ipsorum intuitive cognitorum combinatione (§. 94. & *sqq.*). Etenim cum in nobis cognitio intuitiva arctis comprehendatur limitibus, symbolica opus habemus: unde intuitivæ, quæ Deo est, substituenda a nobis symbolica, ubi eum imitari voluerimus.

§. 182.

Principia heuristica divina.

Principia heuristica divina sunt principium contradictionis & principium rationis sufficientis (§. 176. 94 seqq. h. l. 469. *empir.*).

§. 183.

Deus totum universum videt in qualibet entis parte.

Deus in unoquolibet, quod est in hoc universo, videt totum universum (§. 182. 184 sq. *rat.* 109 sq. 70. h. l.).

CAPUT III.

DE

VOLUNTATE DEI.

§. 184.

Voluntas Deo vindicata.

DEO *competit voluntas in gradu absolute summo* (§. 880. 904. *emp.* 5. 70. h. l.).

§. 185.

Ejusdem objectum.

Voluntas Dei semper fertur in optimum (§. 184. h. l. 650. *rat.*).

§. 186.

Spiritualitas Dei.

Deus est spiritus perfectissimus (§. 116. 184. h. l. 646. *ration.*).

§. 187.

Noluntas Deo vindicata.

Noluntas Deo competit in gradu absolute summo; seu Deus nihil prorsus mali vult (§. 881. 907. 884. *emp.* 5. 70. h. l.).

Idem constat ex §. 185.

§. 188.

Limitum a voluntate divina remotio.

Voluntas divina prorsus illimitata est (§. 186. h. l. 653. *ration.*).

Idem discitur ex §. 184. 16.

§. 189.

Fieri non potest, ut Deus bonum apparens præferat bono vero, vel bonum minus majori (§ 557. *emp.* 185. h. l.).

Bonum apparens non præfert vero, nec minus majori.

Idem patet ex §. 37.

Deum non præferre bonum apparens vero, facile admittunt omnes, quod manifestum hoc redarguat defectum sive in intellectu, sive in voluntate, quam hoc pacto per essentiam ad malum determinatam esse debere saltem particulariter perspiciunt. Atqui eadem ratio adesse debet, ubi admiseris, Deum præferre bonum minus majori. Aut enim in intellectu ponendus erit aliquis defectus, ut scilicet Deus bonum minus habeat pro eo, quo majus non detur; aut in voluntate, quæ tanquam ab intellectu independens spectatur, defectus aliquis admittendus. Quodsi hunc defectum voluntatis distincte resolvere vellemus in sua principia, in defectum intellectus tandem & ipse recideret.

§. 190.

Deus omnia vult simul, unico voluntatis actu (§. 48.). Vide etiam §. 78. h. l. coll. §. 882. *emp.*

Quod Deus omnia velit simul.

§. 191.

Deus omnia vult ab æterno, non demum quid in tempore (§. 190.).

Voluntas Dei æterna.

§. 192.

Deus est spiritus necessarius (§. 186. 21. h. l. coll. §. 662. *ration.*).

Qualis spiritus sit Deus.

§. 193.

Motivum voluntatis divinæ est repræsentatio optimi (§. 185. h. l. 56. *Ont.* 887. *emp.*).

Motivum voluntatis divinæ.

§. 194.

Motivum noluntatis divinæ est repræsentatio mali (§. 187. h. l. 56. *Ont.* 887. *emp.*).

Motivum noluntatis divinæ.

Repræsentatio mali est etiam in nobis motivum nolitionis (§. 890. *Psychol. empir.*), atque adeo quoad gradum perfectionis nulla differentia intercedere videtur inter noluntatem humanam atque divinam. Enimvero notandum est, noluntatem divinam extendi ad omne malum,

ita ut repugnet Deum umquam velle quid mali, cum ex adverso haud raro contingat nos velle malum sub ratione boni, consequenter id non nolle. Quemadmodum perfectio voluntatis est velle optimum seu bonum maximum; ita ex adverso perfectio noluntatis est nolle malum vel minimum. Actus nolitionis repugnare nequit actui volitionis.

§. 195.

Cur Deus omnia nolit simul.

Deus non vult seu aversatur omnia simul, quæ aversatur (§. 705. *Ont.* 48. h. l.).

§. 196.

Deus omne malum non vult ab æterno.

Deus malum omne aversatur ab æterno, nihil demum in tempore (§. 195.).

§. 197.

Appetitus sensitivus Deo non convenit.

Deo non convenit appetitus sensitivus (§. 580. 39. *empir.* 37. h. l.), *ne quidem per eminentiam.*

Quamprimum repræsentatio boni confusa in distinctam abit, appetitus sensitivus degenerat in rationalem sive voluntatem, etiam in nobis (§. 880. *Psychol. empir.*). Quamobrem in Deo, cui competit voluntas perfectissima (§. 184.), nil præterea requiritur, quod vicem appetitus sensitivi suppleat. E. (§. 845. *Ontol.*).

Quidam mirabuntur, cur Deo per eminentiam tribuantur sensus (§. 158.) atque imaginatio (§. 167.), non vero per eminentiam tribuatur appetitus sensitivus, cum sensus & imaginatio a confusione in percipiendo liberati reducantur ad intellectum (§. 121.), perinde ac appetitus sensitivus in rationalem seu voluntatem degenerat, si repræsentatio boni ex confusa redditur distincta. Utrobique autem longe dispar ratio est. Etenim appetitus sensitivus & voluntas nullam supponunt differentiam intrinsecam in objecto, qualem supponunt sensus & imaginatio, cum constet sensum supponere rei repræsentandæ præsentiam, imaginationem vero ejus absentiam, ac inprimis vel præteritionem, vel futuritionem. Jam solus intellectus divinus non sufficit ad dignoscenda præsentia, quod distincte repræsentet, quæ vi sensus atque imaginationis repræsentantur confuse; sed præterea aliquid in eo supponendum, quod ad ea a se invicem separanda sufficit. Atque adeo in Deo quid inexistit, quod sensuum & imaginationis vicem supplet, consequenter & sensus, & imaginatio eidem per eminentiam tribui debent. Intelle-

Intellectus nimirum divinus ubi distincte repræsentat omnia, ea tantummodo exhibet tanquam possibilia: quæ cum Deus appercipit, eorum sibi tanquam nude possibilium tantummodo conscius est. Sensu autem per eminentiam tali præsentia tanquam præsentia & imaginatione per eminentiam tali præterita tanquam præterita & adhuc futura tanquam adhuc futura cognoscit.

§. 198.

Aversatio sensitiva Deo non convenit (§. 582. 39. empir. 37. h. l.), ne per eminentiam quidem (§. 882. empir. 187. h. l. 845. Ontol.). Deo conveni-re nequit aversatio sensitiva.

§. 199.

Deus omnem perfectionem possibilem continuo intuetur (§. 14. 86. 105. 107. 174 sq. 176. 81. 106. 79. 17.). Intuititiva perfectionis omnis cognitio Dei.

§. 200.

Deo competit voluptas in gradu absolute summo (§. 512. 514. emp. 5. 70. h. l.), eaque prorsus immutabilis (§. 17.). Primum etiam claret ex §. 199. h. l. 511. 516. *emp.*). Summa voluptas Deo vindicata.

§. 201.

Voluptas Dei vera est, non apparens (§. 199. 136. h. l. 51. 514. *emp.*). Qualis sit voluptas Dei.

§. 202.

Voluptas Dei constans est cum in se spectata, tum respectu Dei (§. 201. h. l. 515. *emp.*). Constantia voluptatis divinæ.

§. 203.

Deus sibimetipsi maxime placet, nec aliud quid placere magis potest (§. 14. 86. h. l. 511. 516. 542. *emp.*). Deus sibimetipsi placet.

§. 204.

Non datur ens aliud, quod magis placere possit, quam Deus (§. 14. h. l. 511. 516. 542. emp.). Non datur ens aliud, quod nobis magis placere possit quam Deus.

§. 205.

In Deum nulla cadit molestia sive tædium nullum (§. 14. 37. 89. 104. h. l. 518. emp.). Deus tædii seu molestiæ expers.

Deus quidem omnem imperfectionem, quæ rebus a se diversis inesse potest, intuetur (§ 105 sq. 104.). Etsi vero ex intuitu imperfectionis tædium sive molestia fit (§. 518. *emp.*), quoniam tamen Deo voluptas absolute summa immutabiliter (§. 200.) ac constanter inest (§. 202.), voluptas summa obstat, quo minus imperfectionem rerum aliarum ad summam suam perfectionem referenti tædium inesse queat (§. 28. *Ontol.*).

Quoniam itaque nec seipsum, nec res ceteras a se diversas intuens tædio quodam, seu molestia afficitur; in ipsum nullam prorsus molestiam, seu tædium nullum cadere liquet.

§. 206.

Quo sensu Deo tædium tribuatur.

Deo tædium sive molestia (animi scilicet) tribui nequit, nisi quatenus absentia voluntatis connotat actum nolitionis sive aversationis (§. 205. h. l. 511. 518. empir. 136. 133. 187. 194. h. l. 371. Th. nat. T. I.).

§. 207.

Quatenus Deo quid placeat ab ipso diversum.

Nihil Deo placere potest, nisi quatenus perfectum est (§. 511. emp. 133. h. l. 542. emp.), quatenus vero imperfectum est, placere nequit (§. 518. emp. 206. 133. h. l. 542. emp.).

§. 208.

Quid Deo displiceat.

Deo displicet id, quod non modo tale est, ut ex eo voluptatem percipere non possit, sed quod etiam actu positivo non vult, seu aversatur (§. 542. emp. 206. h. l.).

§. 209.

Notio voluntatis divinæ quomodo prodeat.

Si voluntas humana, vel appetitus sensitivus tam hominum, quam brutorum ab omni limitatione liberetur; voluntatis divinæ notio prodit (§. 580. 880. emp. 185. h. l.).

§. 210.

Item notio noluntatis divinæ.

Notio noluntatis divinæ prodit, si noluntas humana, vel aversatio sensitiva, tam hominum, quam brutorum, ab omni limitatione liberetur (§. 582. 881. emp. 196. h. l.).

§. 211.

Limitatio appetitus unde, & quando voluntas illimitata.

Limitatio appetitus a limitatione facultatis cognoscitivæ pendet, & si intellectus illimitatus fuerit, voluntas etiam illimitata.

tata. Appetitus non limitatur, quam quatenus fieri potest, ut feratur in bonum apparens vel bonum minus. Enimvero cum bonum apparens videatur, quod non est (§. 557. *Psych. emp.*), & bonum minus tale non cognoscatur, vel quod majus videatur, quam revera est, vel majus prorsus ignoretur; nemo non videt, id tribuendum esse defectui facultatis cognoscitivæ, quod appetitus feratur vel in bonum apparens, vel in minus (§. 589. *Psychol. empir.*). E. Hoc non fieri potest, si intellectus fuerit illimitatus (§. 520. *Psych. rat.*).

Lex appetitus jam insinuat (§. 904. *emp.*) ipsum pendere a facultate cognoscitiva. E.

§. 212.

Limitatio aversationis unde & quando noluntas illimitata.

Limitatio aversatonis a limitatione facultatis cognoscitivæ pendet, &, si intellectus fuerit illimitatus, noluntas etiam illimitata. Vid. §. 210. h. l. coll. §. 568. 590. *Psychol. empir.* 520. *Psychol. rat.*

§. 213.

Affectus quo sensu Deo tribuantur.

Affectus Deo tribui nequeunt, nisi quatenus distincta boni ac mali repræsentatio est ratio volitionis ac nolitionis, qualis confusa in nobis excitat affectus (§ 603. *empir.* 197 sq. h. l. 605. 586. *emp.*). Quatenus in Deo repræsentatio similis boni & mali distincta est ratio volitionis ac nolitionis, eatenus datur aliquid in Deo, quod aliquam similitudinem cum affectibus habet, etsi nonnisi generalem (§. 195. *Ontol.*). Volitiones ac nolitiones igitur istæ affectuum nomine indigitari possunt.

Doctrinæ hujus singularis quidam usus in praxi morali elucescet, in ea enim doceri debet, quomodo affectus ex ratione in ordinem redigantur: ne exorbitantes noceant, sed ad consensum cum appetitu rationali revocati salutarem sui præbeant usum. Id ipsum vero obtinetur, si eodem, quo Deo sensu, etiam nobis conveniant, dum sensu nobis proprio excitantur.

§. 214.

Voluntas approbans.

Voluntas dicitur *approbans*, qua volens id, quod esse vel fieri cognoscit, esse vel fieri vult.

§. 215.

§. 215.

Bonitas Dei essentialis.

Deus in se summe bonus est (§. 14. h. l. 370. *Theol. natur.* T. I.).

Hæc *essentialis* bonitas non confundenda cum bonitate erga alios, quæ est propensa voluntas in perfectionem alterius (§. 695. *Theol. natur.* T. I.). Atque eodem sensu accipiendum in S. S. quando solus Deus dicitur esse bonus, quo hic summe bonum esse demonstravimus.

§. 216.

Qualis sit bonitas essentialis Dei & quanta.

Bonitas essentialis entium finitorum bonitati essentiali divinæ incomparabilis (§. 14. 16. 93. 91. 94. h. l. 528. 796. 798. 806. *Ont.* 173. *Theol nat.* T. I.), *atque hæc immensa est* (§. 175. *Theol. nat.* T. I. 364. 441. *Ont.* 41. *Th. nat.* T. I.).

§. 217.

Quomodo Deus velit seipsum.

Deus vult se esse in se summum bonum voluntate approbante (§. 215. 89. 185. 214.).

§. 218.

Gaudium qualem appetitum involvat.

Gaudium involvit appetitum approbantem (§. 616. 603. 880. *emp.* 214. h. l.).

§. 219.

Quo sensu Deo tribuatur.

Gaudium Deo tribuitur, quatenus ex bono præsente voluptatem percipit, & hæc cum voluntate approbante conjungitur (§. 157. h. l. 558. *Psych. emp.* 185. 214. h. l. 614. 616. *Psych. empir.* 218. 197. h. l.).

E. gr. Deus dicitur gaudere in S. S. de homine resipiscente seu ad meliorem frugem revertente. Ad meliorem frugem reverti bonum est. Unde Deus ex resipiscentia hominum voluptatem percipit (§. 558. *emp.*). Constat vero Deum velle, ut homo malus resipiscat, consequenter id fieri voluntati ejus conformiter. Voluptati adeo jungitur voluntas approbans (§. 214.). Gaudere adeo dicitur de homine ad meliorem frugem revertente, quatenus ex resipiscentia voluptatem percipit, & eam voluntate approbante vult.

§. 220.

§ 220.

Deus summe gaudet aut, si mavis, lætatur de seipso (§. 215. 89. h. l. 558. *emp.* 217. 219. h. l.). Lætitia Dei de seipso.

§. 221.

Noluntas dicitur *reprobans*, qua nolens id, quod esse vel fieri, aut factum esse cognoscit, esse, fieri aut factum esse non vult, seu idem aversatur. Facile patet, *aversationem* quoque in genere, & *sensitivam* in specie eodem sensu dici posse reprobantem. Noluntas reprobans.

§. 222.

Noluntas reprobans involvit voluntatem contrarii (§. 221. h. l. 294. *Log.*). Qualem involvat voluntatem.

§. 223.

Tristitia involvit aversationem reprobantem (§. 621. 590. *emp.* 221. h. l.). Tristitia qualem aversationem involvat.

§. 224.

Tristitia Deo tribui nequit, nisi quatenus absentia voluptatis connotat noluntatem reprobantem mali præsentis cum voluntate contrarii (§. 620. Psychol. emp. 223. 205 seq. h. l. 621. emp. 221 seq. h. l.). Quo sensu Deo tribui possit.

§. 225.

Tristitia in Deo non arcet gaudium. In nobis tristitia gaudium arcet (§. 620 615. *emp.*). Quando vero Deo tristitia tribuitur, nullam saltem voluptatem percipit ex eo, ob quod contristari dicitur (§. 224.). Id igitur minime obstat, quod ex bono præsente simul voluptatem percipiat, & id esse vel fieri velit, voluntate scilicet approbante (§. 214.). Quamobrem cum gaudium Deo tributum non denotet nisi voluptatem ex bono præsente perceptam cum voluntate approbante conjunctam (§. 219.); nil obstat, quo minus eidem & gaudium, & tristitia diverso respectu una tribui possit. E. In Deo non arcet gaudium.

§. 226.

Deo competit felicitas absolute summa (§. 636. *emp.*). Summa igitur Felicitas summa Deo vindicata.

(*Theol. nat. contr. T. I.*). Ppp pp est,

est, si voluptas fuerit summa, cumque status mutabilium determinatione constituatur (§. 705. *Ontol.*), si eadem voluptas summa eaque vera, immutabilis & constans. Jam de Dei voluptate vid. §. 200-202.

§. 227.

Independentia felicitatis divinæ.

Ens nullum ad felicitatem Dei conferre quicquam valet (§. 226.); atque adeo *ejus felicitas ab omni ente alio independens* (§. 56. 851. *Ont.*).

§. 228.

Quomodo Deus velit felicitatem suam.

Deus felicitatem suam vult voluntate approbante (§. 226. 89. h. l. 636. 511. *Psychol. empir.* 199. h. l. 370. *Theol. natur.* T. I. 217. h. l.).

§. 229.

Amor sui ipsius in Deo.

Deus maxime amat seipsum; nec quicquam aliud tanto, quanto se, amore complecti potest (§. 203. h. l. 649. *Psychol. empir.*).

§. 230.

Summa Dei amabilitas.

Deus summe amabilis est, ita ut non detur aliud, quod æque amabile sit (§. 204. h. l. 649. *emp.*).

§. 231.

Bonitas summa Deo tribuenda.

Deo tribuenda bonitas in alia entia in gradu absolute summo (§. 185. h. l. 370. 695. *Th. nat.* T. I.).

§. 232.

Amor entium aliorum Dei.

Deus entia cetera a se diversa amat (§. 231. h. l. 700. *Th. nat.* T. I.).

§. 233.

Amor erga homines.

Quoniam *Deus* entia cetera a se diversa amat (§. 232.); *quin* etiam *amet homines dubitari nequit.*

§. 234.

Voluptas Dei ex felicitate hominum.

Deus dispositus est ad voluptatem ex felicitate hominum percipiendam (§. 233. h. l. 633. *emp.*).

§. 235.

§. 235.

Deus felicitatem hominum vult (§. 233. h. l. 650. 636. *Psych. empir.*). Deus eam vult.

§. 236.

Deus infelicitatem hominum velle nequit (§. 233. h. l. 651. 637. *emp.*). Non vero infelicitatem.

§. 237.

Deo tribui nequit, quod homo sit infelix (§. 235 sq. h. l. 56. 881. *Ont.*). Infelicitas hominum Deo tribui nequit.

§. 238.

Amor Deo qua affectus tribuitur, quatenus voluptas ex felicitate entium a se diversorum percipienda connotat voluntatem hujus felicitatis (§. 633. 650. *emp.* 234-236. h. l.). Affectus amoris quo sensu tribuatur Deo.

In philosophia morali amorem tanquam officium distinguemus ab amore tanquam affectu spectato. Affectus degenerat in officium aut, si mavis, virtutem, si quod in appetitu sensitivo est, reducitur ad voluntatem, quo ipso prodit volitio felicitatis alterius, unde porro pendent actus felicitatem alterius promovendi, infelicitatem avertendi. Cum in Deo non detur appetitus sensitivus (§. 197.), nec id, quod affectui respondet, proprie loquendo in Deo datur, quemadmodum affectus omnis in sensu proprio ab eodem removendus, nec tribui potest, nisi quatenus distincta boni ac mali repræsentatio est ratio voluntatis ac nolitionis, qualis confusa in nobis excitat affectus (§. 213.). Unde conficitur, Deo proprie loquendo non convenire, nisi quod virtuti ab omni defectu purgatæ respondet, voluptas autem Deo tribui potest (§. 200.).

§. 239.

Odium Deo tribui nequit, nisi quatenus denotat noluntatem reprobantem ejus, quod sibi displicet in ente alio (§. 661. *emp.* 234. h. l.). Odium igitur Deo prorsus repugnat, nec fingi potest quid analogum, quod eidem tribui possit. Enimvero oritur odium ex eo, quod quid in altero observamus, quod nobis displicet (§. 677. *Ontol.*). Nunc de Deo conf. §. 208. 221. & *Psalm.* V, 7. Odium quo sensu Deo tribui possit.

§. 240.

Commiseratio quo sensu tribuatur Deo.

Commiseratio Deo tribuitur, quatenus infelicitatem aliorum non vult noluntate reprobante, vult autem felicitatem infelicium (§. 687. *emp.* 224. 236. 335. h. l.).

§. 241.

Commiseratio unde sit.

Deo tribuenda commiseratio, quatenus eos amat, qui sunt infelices (§. 688. *emp.* 232. h. l.).

§. 242.

Invidia Deo prorsus repugnat.

Invidia Deo prorsus repugnat (§. 705. *Psych. emp.* 224. 236. 235. h. l.).

§. 243.

Irrisio quo sensu Deo tribuatur.

Irrisio Deo tribuitur, quatenus ex nexu mali moralis & physici voluptatem percipit & hæc ipsa mala physica voluntate approbante vult (*§*. 730. *emp.* 723. *Theol. nat.* T. 1. 100. 214. *h. l.* 559. *Th. nat.* T. 1. 542. *emp.*).

Non est quod excipias, Deum non posse velle malum (§. 196.), adeoque irrisionem non posse denotare voluntatem approbantem mali physici. Etenim mala physica in relatione ad mundum integrum non sunt mala (§. 563. T. 1. *Theol. nat.*). Quamobrem cum Deus non velit nisi quod sit optimum (§. 185.), quid vero sit in se optimum, judicet in relatione ad totum universum (§. 393. T. 1. *Theol. nat.*), nec mala physica vult nisi in relatione ad totum universum. Et licet mala physica censeantur talia respectu atque in relatione partium, immo particularum universi ad se invicem (§. 565. T. 1. *Th. nat.*), veluti hominum, quibus obtingunt: Deus tamen voluntate sua approbante dum eadem vult, ob convenientiam nexus metaphysici atque moralis eadem velle dicendus est, adeoque non quatenus mala sunt, sed quatenus bona. Nimirum & pœnæ bonæ sunt in relatione ad civitatem, cujus tranquillitati prospicitur, etsi malæ sint iis, qui iisdem afficiuntur. Unde judex pœnas vult, non quatenus sunt mala physica, sed quatenus censentur bonæ intuitu civitatis.

§. 244.

Qualis sit summa actionum rectitudo.

Rectitudo actionum summa est, si nullus prorsus in voluntate ac noluntate, atque in intellectu notatur defectus (§. 950. 567. *Th. nat.* T. 1. 887. 890. *emp.* 650. *rat.* 887. *emp.* 851. *Ont.*).

Ex

Ex hac propositione perspicitur, cur summa rectitudo non cadat in hominem, & exinde manat omnis actionum defectus; sive dolo tribuatur, sive culpæ.

§. 245.

Rectitudo actionum divinarum summa est (§. 131. 136. 133. h. l.). Quod igitur Deus optimum judicat, vel malum; id non modo optimum est, vel malum (§. 594. 477. *Log.*), sed novit etiam Deus, judicium suum esse verum (§. 535. *Log.*), seu esse optimum, vel malum, quod optimum, vel malum judicat. Quoniam itaque voluntas Dei semper fertur in optimum (§. 185.), nec fieri potest, ut quidpiam velit Deus, quod malum est (§. 187.); voluntas quoque atque noluntas ejus semper sequitur judicium certum. Quamobrem nec quoad intellectum, nec quoad voluntatem ac noluntatem in actionibus divinis ullus notatur defectus. Jam vide §. 244. Rectitudo actionum divinarum.

§. 246.

Actiones Dei omnes rectæ sunt (§. 245. 244.). Omnes actiones Dei rectæ sunt.

§. 247.

Deus est sanctissimus (§. 246. h. l. 1064. *Th. nat.* T. 1.) Summa Dei sanctitas.

§. 248.

Acquiescentia in seipso Deo tributa denotat voluptatem ex sanctitate perceptam conjunctam cum voluntate approbante sanctitatis (§. 749. *emp.* 246. 245. 220. h. l. 1063. *Th. nat.* T. 1. 219. h. l.). Acquiescentia in seipso Deo tributa.

§. 249.

Deo tribuitur pœnitentia, quatenus ex malo morali actionibus hominum, vel entis alterius, inhærente nullam percipit voluptatem, idemque non vult noluntate reprobante, vult autem actiones esse bonas (§. 755. *emp.* 246. 136. 133. 224. *h. l.*). Pœnitentia quo sensu Deo tribuatur.

§. 250.

Pœnitentia Deo tributa libera est ab omni molestia (§. 205. 249.), *quæ huic affectui in nobis adhæret* (§. 758. *Psych. emp.*). Qualis sit pœnitentia Dei.

§. 251.

Gloria quo sensu Deo tribuatur.

Gloria Deo tribuitur, quatenus voluptatem percipit ex eo, quod novit vero judicio entium intelligentium sibi non posse tribui nisi perfectionem & sanctitatem absolute summam, & judicium hoc voluntate approbante vult (§. 765. emp. 14. 247. 199. h. l. 511. emp. 219. 214. h. l.).

§. 252.

Pudor Deo repugnat.

Pudor Deo prorsus repugnat, nec ullo modo tribui potest. Ex §. 773. *emp.* 14. h. l. 371. *Th. nat.* T. 1. 246. 245. 244. h. l. elucet, in Deo nihil defectus dari, cujus caussa pudor oriri posset. Cumque ejus felicitas ab omni ente alio sit independens (§. 227.), ipseque prorsus impassibilis sit (§. 75.), consequenter quia passio rationem extra subjectum in ente alio agnoscit (§. 714. *Ont.*), nihil in Deo inesse possit, cujus ratio detur extra ipsum in ente quodam alio ab ipso diverso; ex iniquis aliorum de Deo judiciis nullum eidem emergere potest malum, quemadmodum nobis accidit. Impossibile adeo est, ut ratio pudoris in Deo ponatur. E. (*§. 118. 79. Ont.*).

§. 253.

Gratitudo Deo repugnat.

Gratitudo Deo nullo modo tribui potest (§. 784. empir. 227. 76. h. l.).

§. 254.

Favor quo sensu Deo tribuatur.

Favor Deo tribuitur quatenus placet recte agendi studium, & quatenus recte agentium felicitatem magis curæ habet, quam aliorum (§. 791. *emp.*). Quoniam Deus ex sanctitate sua, adeoque ex actionum propriarum rectitudine (§. 1063. T. 1. *Th. nat.*), voluptatem percipit (§. 248.); quin ex studio recte agendi percipiat voluptatem dubitari nequit. Jam conf. §. 542. 649. *emp.* 232. sq. 238. h. l.

§. 255.

Spes quo sensu Deo tribuatur.

Spes Deo tribui nequit, nisi quatenus bonum, quod futurum novit, vult (§. 799. 796. emp. 213. 156. h. l.).

§. 256.

Quænam a spe Dei removenda.

Deus dici nequit ea sperare, quæ nunquam eventura sunt (§. 799. *emp.* 255. h. l. 798. *emp.*). Vid. etiam §. 133. 37. h. l.

§. 257.

§. 257.

Metus Deo nullo prorsus modo tribui potest (§. 822. *empir.* 731. *Th. nat.* T. I. 14. 9. h. l.). Metus Deo nullo modo tribui potest.

§. 258.

Timor Deo nullo modo tribui potest (§. 823. *emp.* coll. §. 257. notatis.). Item timor.

Timor metus quædam species est (§. 820. *empir.*). Ergo nec timor Deo tribui potest (§. 257.).

§. 259.

Desperatio Deo nullo modo tribui potest (§. 825. *emp.* coll. §. 257. notatis.). Desperatio Deo prorsus repugnat.

§. 260.

Terror Deo prorsus repugnat (§. 827. *empir.* coll. §. 257. 156. h. l. Item terror.

§. 261.

Deo nihil dici potest bonum, nisi quod facit ad patefactionem gloriæ ipsius. Ex §. 370. *Th. nat.* T. I. §. 14. 17. 76. h. l. 427. *Th. nat.* T. I. §. 75. h. l. 714. *Ont.* elucet, Deo nihil dici posse bonum, quia ad perfectionem ipsius quicquam confert. Quid bonum Deo dicatur.

Signum perfectionis entis alterius est, si ex eo, quod facit, colligere datur, quænam ipsi insit perfectio (§. 952. *Ontol.*). Quamobrem cum actiones Dei omnes sint rectæ (§. 246.), adeoque rationem sufficientem in essentia & attributis ejus habeant (§. 950. T. I. *Th. nat.*); ex ejus actionibus, adeoque iis, quæ facit, colligere datur, quænam ipsi insit perfectio, consequenter alia ab eo diversa signum esse possunt perfectionis ejus summæ (§. 952. *Ont.*). Bonum igitur quid Deo dici potest, quatenus est signum perfectionis ejus summæ (§. 370. T. I. *Th. nat.*). Enimvero gloria divina est complexus attributorum divinorum, quatenus a creatura rationali agnoscitur (§. 610. T. I. *Th. nat.*), adeoque per ea, quæ sunt illorum signa, patefit. E.

§. 262.

§ 262.

Quid Deo optimum.

In relatione ergo *ad ipsum optimum est, quod ad gloriam ejus patefaciendam omnium maxime facit* (*§. 261.*).

§. 263.

Cupiditas quo sensu Deo tribuatur.

Cupiditas Deo tribui potest, quatenus futurum esse vult, quod tendit ad patefactionem gloriæ suæ (§. 808. 589. *empir.* 261. 213. h. l.).

§. 264.

Malum quid quoad Deum.

Malum quoad Deum dici nequit, nisi quod, si in eum caderet, imperfectionem quandam in eodem argueret (§. 261. h. l. 952. *Ont.* 371. *Th nat.* T. 1.).

Non quæritur hic, quid sit malum Deo, neque enim tale quid datur; sed tantummodo quid in relatione ad Deum malum dici possit, quoniam id suo non destituitur usu. Nimirum vi notionis hujus intelligitur, quomodo præcaveri debeat, ne Deo tribuatur, quod a summa ejus perfectione abhorret.

§. 265.

Deo displicet quod malum quoad ipsum.

Deo displicet, quod malum quoad ipsum dici potest (§. 207. h. l. 542. *emp.* 264. h. l.).

§. 266.

Deus idem velle nequit.

Quod quoad Deum malum dici potest, ex eo non modo nullam voluptatem percipit, sed idem quoque actu positivo non vult, seu aversatur (*§. 208. 265.*).

§. 267.

Fuga quo sensu Deo tribuatur.

Fuga mali Deo tribui nequit, nisi quatenus actu positivo non vult, quod foret signum imperfectionis, seu imperfectionem quandam in ipso argueret, nec ex eo voluptatem percipere potest (§. 813. 818. *emp.* 264. 224. 266. h. l.).

§. 268.

Vacillatio Deo repugnat.

Vacillatio Deo nullo modo tribui potest (§. 832. *empir.* 37. h. l.).

§. 269.

§. 269.

Horror Deo tribui nullo modo potest (§. 837. *emp.* coll. §. 257. h. l. notatis.). Item horror.

§. 270.

Pusillanimitas Deo nullo sensu tribui potest (§. 844. *empir.* 37. h. l.). Item pusillanimitas.

§. 271.

Animositas Deo tribuitur, quatenus ab omni metu liber voluntate approbante vult futurum, quod ad patefactionem gloriæ suæ facit (§. 847. *emp.* 257. 263. 255. h. l.). Animositas quo sensu Deo tribuatur.

§. 272.

Deus animosus est, dum quod cupit ad omnipotentiam suam refert (§ 850. *empir.* 263. h. l. 343. 347. *Theol. natur.* T. 1. 86. 271. h. l.). Cur Deo animositas tribui possit.

§. 273.

Deo tribuitur desiderium, quatenus vult homines, quos actiones suas ad manifestationem gloriæ suæ directuros novit, id facere, & ex mora, quam nectunt, voluptatem nullam percipit, eamque non vult noluntate reprobante (§. 852. *emp.* 255. 261. 206. h. l. 918. *Th. nat.* T. 1. 221. h. l.). Desiderium quo sensu Deo tribuatur.

§. 274.

Hilaritas Deo nullo sensu tribui potest (§. 855. *emp.* coll. §. 257. notatis.). Hilaritas Deo repugnat.

§. 275.

Fastidium Deo nullo modo tribui potest (§. 859. *empir.* 37. h. l.). Item fastidium.

§. 276.

Deo ira tribuitur, quatenus nullam ex actionibus voluntati ejus contrariis percipit voluptatem, sed eas non vult, vult autem ob easdem punire hominem (§. 862. 872. *emp.* 986 sq. *Th. nat.* T. 1.). Juri divino in se contrariatur, adeoque Deo injuriam facit, qui voluntati divinæ contrarias edit actiones. Jam de tædio Ira quo sensu Deo tribuatur.

dio & odio divino conf. §. 206. 239. 208. h. l. & adde de pœnis §. 1078. *Th. nat.* T. 1.

§. 277.

Libertas summa voluntatis divinæ.

Deo competit libertas summa in volendo & nolendo (§. 942. 941. *emp.* 5. 70. h. l.).

§. 278.

Libera optimi electio.

Deus libere eligit quod est optimum (§. 277. h. l. 941. *empir.* 185. h. l.).

§. 279.

Independentia possibilitatis a libera voluntate Dei.

Possibilitas rerum non dependet a voluntate Dei, nec ab ejus libertate (§. 929 941. *empir.* 56. 851. *Ont.*). Quoniam enim voluntas non fertur in incognitum (§. 929. *Psych. emp.*), & vi libertatis ex pluribus possibilibus eligitur quod placet (§. 941. *Psych. emp.*); tam natura, quam libertas voluntatis possibile quid esse supponit. Nihil adeo ideo possibile, quia Deus libere vult id esse possibile.

§ 280.

Item essentiarum.

Essentiæ rerum a voluntate Dei minime dependent, nec ideo tales sunt, quia Deus libere tales esse voluit (§. 153. *Ontol.* 279. h. l.).

§. 281.

Item idearum & veritatum universalium.

Libertas voluntatis divinæ non influit in ideas rerum (§. 173.), nec in veritates universales (§. 176.).

§. 282.

Mali metaphysici origo.

Malum metaphysicum ideis rerum in intellectu divino inhæret independenter a voluntate divina (§. 372. *Th. nat.* T. 1. 91. 94. 281 h. l.).

§. 283.

Mali metaphysici necessitas.

Malum metaphysicum est absolute necessarium (§. 282. h. l. 279. Ont. 372. Th. nat. T. 1. 315. Ont.), nec a rebus auferri potest (§. 292. 291. Ont.).

§. 284.

In quolibet mundo.

Nullus mundus malo metaphysico carere, nec ab eo, qui existit,

existit, malum metaphysicum auferri potest (§. 100. 91 97. h. l. 372. *Th. nat.* T. 1. 283. h. l.).

§ 285.

Mala physica ex limitationibus determinationum rebus intrinsecarum oriuntur. Sunt enim effectus naturales (§. 373. T. 1. *Th. nat.*), adeoque non ponuntur in universo, nisi posita actione causæ efficientis (§ 898 *Ont.*), consequenter non minus ipsi, quam actiones causæ efficientis (§ 713. *Ont.*), in mutationum numero sunt (§. 290. *Ont.*). Atqui mutationes omnes in variatione modorum (§. 703. *Ont.*), seu modificatione rerum (§. 704. *Ontol.*), consequenter in variatione limitum consistunt (§. 830. *Ont.*). E. — Mala physica unde oriantur

Nimirum talia in mundo contingunt mala physica, quia determinationes rebus in eodem existentibus intrinsecæ hoc limitantur modo & limitationes tam in subjecto agente, quam patiente hoc, non alio variantur modo.

§. 286.

Mala physica contingentia sunt (§. 373. *Th. nat.* T. 1. 898. 569. *Ont.* 80. *Cosm.*). — Contingentia malorum physicorum.

§. 287.

Mala physica hypothetice necessaria sunt, nec ideo contingentia esse desinunt (§. 373. *Th. nat.* T. 1. 898. *Ont.* 102 *sq. Cosm.*). — Hypothetica necessitas eorum.

E. gr. Si quis fulmine percussus necatur, necessario moritur, nempe quia ex hoc fulminis ictu necessario naturaliter sequitur mors. Quoniam tamen contingens est, quod fulmine percutiatur, & mors inde sequitur, quod effectus naturaliter secuturus non impediatur, (id quod per potentiam Dei miraculosam fieri posse intelligitur); necessitas necis nonnisi hypothetica est, nec ideo ipsa contingens esse desinit. Non jam ratio habetur possibilitatis evitandi fulminis percussionem, quatenus a libertate hominis pendet, ut sit eo in loco, quo fulmen vibratur.

§. 288.

Mala physica ideæ mundi insunt in intellectu divino independenter a voluntate libera Dei (§. 94. 97. 95. 100.). Idea igitur mundi — Eorum inexistentia in idea mundi.

mundi in intellectu divino continet omnia, quæ in eodem contingere possunt. Quoniam itaque mala physica tanquam effectus naturales (§. 373. T. 1. *Th. nat.*), causas efficientes in hac ipsa rerum serie, quæ mundum constituit (§. 55. *Cosm.*), habent (§. 898. *Ontol.*), earumque actione posita ponuntur (§. 886. *Ontol.*), mala physica insunt ideæ mundi in intellectu divino. Enimvero voluntatis divinæ libertas non influit in ideas rerum (§. 281.). E.

§. 289.

Possibilitas mali moralis.

Malum morale possibile ob intellectus humani limitationem (§. 374. Th. nat. T. 1. *894. 896. emp. 476. 593. 601. 599. 596. 608 sqq. Log. 468. Ont.).*

Sicuti Deus semper actu vult, quod optimum est, nec ideo bonum apparens vero vel minus majori præfert (§. 189.), quemadmodum a nobis quotidie fieri experimur, quia errare nequit (§. 136.), & judicia omnia certa experitur (§. 133.), incertitudine nulla in cognitionem ipsius cadente (§. 134.), intellectu prorsus illimitato præditus (§. 117.); ita hominis voluntas deficit in eligendo vero bono, quod multiplici modo a vero aberrare valet intellectu valde limitato instructus. Quemadmodum itaque impossibile ob intellectum divinum illimitatum, ut velit, quod optimum non est, salva summa ejus libertate (§. 278.); ita etiam fieri potest, ut malo morali inficiantur actiones hominum liberæ ob intellectus limitationem. Mali moralis hic tantummodo evincimus possibilitatem; quomodo autem abusu libertatis irrepat in actiones hominum liberas, exstat §. 580. *Th. nat.* T. 1.

§. 290.

Mali moralis contingentia.

Malum morale contingens est (§. 374. *Th. nat.* T. 1. 942. 935. *emp.*), *non absolute necessarium* (§. 317. *Ont.*).

Ponamus jam, si fieri potest, malum morale esse absolute necessarium. Quoniam quod absolute necessarium contingens esse nequit (§. 317. *Ontol.*); malum morale contingens esse non potest; quod est absurdum *per demonstrata.*

§. 291.

Hypothetica mali moralis necessitas.

Malum morale hypothetice necessarium (§. 374 *Th. nat.* T. 1. 942. 589 sq. 890. *emp.* 28. 118. 302. *Ont.*).

§. 292.

§. 292.

Malum morale ideæ mundi inest in intellectu Dei (§. 100. 99. h. l. 524. *rat.* 234. 231. *Theol. natur.* T. I. 880-882. *empir.* 374. *Theol. natur.* T. I. §. 942. *empir.*) *independenter a voluntate ejus libera* (§. 281.). Malum morale quomodo insit mundo.

§. 293.

Deo competit sapientia in gradu absolute summo, seu perfectissima (§. 678. 693. *rat.* 5. 186. 15. h. l.). Sapientia Dei summa.

§. 294.

Deus 1. finem optimum sibi constituit, 2. media eligit, quæ certo & via brevissima ad eundem ducunt & quibus finem ex asse consequitur, 3. fines omnes particulares ita sibi invicem subordinat ut remotiorum media sint propiores, tandemque omnes simul medium finis ultimi (§. 293. h. l. 689. *rat.*). In quo consistat.

§. 295.

Deus nihil vult facitque absque fine (§. 293. h. l. 678. *Psych. ration.*). Deus agit propter finem.

§. 296.

Finis, quem Deus intendit, ipsum maxime decet (§. 294. h. l. 681. *rat.* 332. *Th. nat.* T. I.). Quales sint fines a Deo intenti.

§. 297.

Deus malum tanquam finem intendere nequit (§. 932. *Ont.* 187. h. l.). Malum non est finis a Deo intentus.

§. 298.

Deus nihil facit frustra (§. 295. 294. h. l. 662. *Theol. natur.* T. I.). Nihil frustra facit.

§. 299.

Deus vi mediorum ad actum perducit ea omnia, quibus finis constituitur (§. 294. h. l. 684. *Th. nat.* T. I.). Qualia sint media divina.

§. 300.

Deus finis consequendi gratia non facit, quod omitti poterat, Idem porro expenditur.

rat, seu nonnisi ea facit, quibus positis ponitur finis (§. 294. h. l. 685. *rat.*).

§. 301.

Sapientiæ divinæ imperscrutabilitas.

Sapientia divina homini imperscrutabilis (§. 690. *Th. nat.* T. I. 294. h. l. 689. 691. *rat.* 468. *Ont.*).

§. 302.

Deus non vult simpliciter impossibilia.

Deus velle nequit quod simpliciter impossibile (§. 185.). Ergo id quod simpliciter impossibile sibi tanquam optimum repræsentare debet, consequenter judicare debet, quod nihil est, omnium possibilium optimum (§. 138. *Ontol.*). Jam conf. §. 594. *Log.* 136. h. l.).

§. 303.

Et contradictoria.

Ut Deus velit contradictoria (§. 79. *Ontol.*), consequenter *quæ simul esse nequeunt, fieri non potest* (§. 28. *Ontol.*).

§. 304.

Fini contraria Deus velle nequit.

Deus velle nequit, quæ fini a se intento contrariantur (§. 937. *Ont.* 294. *h. l.*).

§. 305.

Fines contrarii quinam.

Finis unus alteri contrarius dicitur, si obstet, quo minus alterum consequi, vel saltem quo minus eundem ex asse consequi detur.

§. 306.

Deus fines contrarios velle nequit.

Deus fines contrarios velle nequit (§. 305. 294.).

§. 307.

Deus velle nequit fini ultimo contraria.

Deus velle nequit fini ultimo contraria (§. 305. 294.).

§. 308.

Immutabilis voluntas divina.

Voluntas Dei prorsus immutabilis (§. 17.).

CAPUT

CAPUT IV.

DE

CREATIONE ET POTENTIA DEI.

§. 309.

SI possibilia primitiva secunda secundum principium contradictionis combinentur, oriri nequeunt nisi ideæ substantiarum simplicium. Dictum est §. 96. de actu; h. l. de eo, quod aliter nequeat fieri. Jam conf. §. 91. 33. h. l. 44. *Theol. natur.* T. 1. 87 sq. 85. 35. h. l. Quales substantiæ prodeant possibilium secundorum combinatione.

§. 310.

Substantiam primariam appello finitam, quæ concipitur possibilis absque alia substantia limitata sive finita: *secundariam* vero dico, quæ non concipitur possibilis nisi per alias substantias limitatas sive finitas. Ast *prima* est *substantia*, quæ per se possibilis: *secunda* vero *substantia* est, quæ possibilis non est nisi per primam. Substantiæ primariæ & secundariæ definitio item primæ ac secundæ.

§. 311.

Deus est substantia prima (§. 47. 19. 33. h. l. 44. *Th. natur.* T. 1. 310. h. l.). Substantia prima quænam.

§. 312.

Substantiæ limitatæ omnes non sunt nisi substantiæ secundæ (§. 94. h. l. 153. *Ont.* 91. 310. h. l.). Substantiæ secundæ quænam.

§. 313.

Substantiæ primariæ nullæ possibiles sunt nisi simplices (§. 310. 18. 47. 94. 91. 309.). Substantiæ primariæ quales sint.

§. 314.

Elementa corporum non possunt esse nisi substantiæ simplices (§. 181. *Cosm.* 880. 874. 56. *Ont.* 181. 119. *Cosm.* 313. 310. h. l.). Elementa corporum sunt substantiæ simplices.

§. 315.

§. 315.

Nexus coëxistentium & successivorum in mundo.

In mundo omnia tam coëxistentia, seu *simultanea*, *quam successiva inter se connexa sunt* (*§. 100. h. l. 56. Ontol. 10. Cosmol.*).

Patet itaque rationem nexus in universo hanc esse, quod elementa corporum juxta principium rationis sufficientis ita combinentur, ut non modo appareat, cur ea coëxistant, verum etiam ut in modificationibus suis constanter a se invicem dependeant. Nexus itaque rerum omnium in universo per ipsam idearum in intellectu divino originem a priori manifestus est.

§. 316.

Combinatio elementorum ad mundum constituendum necessaria.

Elementa aliter combinari nequeunt, ut prodeat idea mundi, nisi per principium rationis sufficientis (§. 70. 328. 563. 544. 548. *Ont.* 122. 119. *Cosm.*).

§. 317.

Notio mundi demonstratur.

Mundus est series rerum finitarum, tam simultanearum sive coëxistentium, quam successivarum inter se connexarum (§. 97. 91. h. l. 173. *Th. nat.* T. 1. 315. 100. h. l.

§. 318.

Alterius mundi alia sunt elementa.

Quilibet mundus possibilis propria sibi habet elementa (§. 100. 316.).

Si cui dubium ex eo oriatur, quod vi principii rationis sufficientis eadem elementa diversis modis combinari possint, quemadmodum eædem literæ alphabeti diversis modis combinantur: sicque ex iisdem elementis resultare diversas mundi ideas, quemadmodum ex earundem literarum combinatione diversa prodeunt vocabula; is vim principii rationis sufficientis non percipit, quod omnium elementorum combinandorum dissimilitudinem requirit (§. 195. *Cosmol.*). Simile a literis alphabeti petitum huc minime quadrat. In literis tantummodo respicitur ordo numericus, qui nullam in ipsis rationem sufficientem agnoscit, unde æque fieri potest, ut *a* ponatur secundo, *b* vero primo loco, quo oriatur syllaba *ba*, quam ut *a* primo, *b* vero secundo ponatur, ut prodeat syllaba *ab*: ast in elementis per determinationes intrinsecas intelligitur, cur multa eo coëxistere possint modo ut fiant

unum,

unum, nec fert hoc principium, ut salva unitate fiat aliqua elementorum permutatio, alio in locum alterius surrogato. Non tamen nego, eadem elementa posse ingredi ideam plurium mundorum, quatenus non repugnat plures mundos diversos quædam communia habere, sicuti omnes partes horologii automati non aliter quam eo, quo combinantur, modo jungi possunt, ut machina quædam prodeat, etsi pars una vel altera etiam adhiberi possit in structura machinæ alterius ab horologio isto diversæ. Perpendendum hic quoque erat, elementa omnia quædam communia habere, utpote quæ eidem generi substant, per quæ phænomena generalia, præsertim ea, quæ substantiata diximus (§. 299. 300. *Cosmol.*), in mundo sensibili determinantur. Vid. quoque §. 825. *Th. nat.* T. 1. §. 571. *Cosm.*

§. 319.

Mundi ab elementis dependentia.

Si alius existere deberet mundus, quam qui existit, elementa quoque alia existere deberent (§. 318.).

Facile autem apparet, id intelligi de toto elementorum aggregato, non vero de uno vel altero elemento.

§. 320.

Ordo mundi quinam dicatur.

Ordo mundi dicitur is, quo corpora, ex quibus componitur, in serie coëxistentium & successivorum collocantur.

§. 321.

Ordo mundi & naturæ unde.

Ordo mundi & naturæ ex elementorum combinatione juxta principium rationis sufficientis facta per se resultat (§. 100. 317. h. l. 191. *Cosm.*). Quamobrem per ea, quæ elementis insunt, intelligitur, cur corpus unumquodque in serie tam coëxistentium, quam successivorum, hunc potius teneat locum, quam alium, & cur natura has potius, quam alias in agendo observet leges (§. 56. *Ontol.*). Quoniam itaque ordo mundi is est, quo corpora, ex quibus componitur, in serie coëxistentium & successivorum collocantur (§. 320.); naturæ autem ordo, quam natura in agendo observat (§. 557. *Cosmol.*) quique regulis, adeoque & legibus motus (§. 303. *Cosmol.*) continetur (§. 559. *Cosm.*); per ea, quæ elementis insunt, intelligitur, cur hic sit ordo mundi, hic naturæ ordo, non alius. Adde §. 316.

§. 322.

Ejus ab elementis dependentia.

Si alius esse debet mundi atque naturæ ordo, alia quoque esse debent elementa (§. 321. h. l. 56. 112. *Ont.*).

§. 323.

Nexus necessarius inter ordinem mundi atque naturæ.

Ordo naturæ alius esse nequit, manente eodem mundi ordine, nec ordo mundi potest esse alius eodem naturæ ordine manente (§. 321.).

§. 324.

Possibilia in se spectata insunt intellectui divino.

Possibilia tanquam absolute spectata insunt intellectui divino, quatenus primitiva secunda juxta principium contradictionis combinantur ac una advertitur, quænam ex hac combinatione vi principii rationis sufficientis vel necessario eidem subjecto simul insunt, vel saltem simul inesse possunt (§. 96. 310. 94 sq. 310. h. l. 142. *Th. nat.* T. 1.).

§. 325.

Possibilia in systemata redacta.

Possibilia tanquam in systemata redacta insunt in intellectu divino, quatenus elementa omnia juxta principium rationis sufficientis combinantur, & corporibus inde resultantibus junguntur animæ ipsis convenientes (§. 100. 315. h. l. 142. Theol. natur. T. 1.).

§. 326.

Idea mundi in intellectu divino qualis.

Idea mundi in intellectu divino est idea mundi intelligibilis (§. 100. 321. h. l. 176. 557. Cosmol. 203. Theol. natur. T. 1.).

§. 327.

Quænam sint possibilia.

Id omne possibile est, cujus idea datur in intellectu divino (§. 94 sqq. 100. 173. h. l. 28. 30. 85. 70. 118. 31. 85. *Ont.*).

Principium contradictionis, quod omnem contradictionem arcet (§. 28. 29. *Ontol.*), possibile efficit, quod aliorum possibilium combinatione prodit. Principium autem rationis sufficientis, per quod intelligitur, cur quædam cum aliis simul sint (§. 118. *Ontol.*), in ipsam possibilitatem non influit, nisi quatenus principium contradictionis supponit. Hinc & (§. 95) supponitur, possibilia primitiva secunda combinari

nari per principium contradictionis, antequam per principium rationis sufficientis intelligitur, quænam eidem subjecto cum aliis, quæ abesse nunquam possunt, una necessario insunt, & quænam cum iisdem inesse simul non repugnat, hoc est, ut attributa a modis, modi cum attributis ab essentialibus distinguantur, & subjectum determinationum constantium tanquam successive varias determinationes mutabiles recipere aptum spectatur. Vis igitur utriusque principii probe perpendenda, ut idearum in intellectu divino ratio penitus inspiciatur.

§. 328.

Nihil possibile, cujus idea non datur in intellectu divino (§. 174 sq.). Nihil possibile, cujus non datur idea in Deo.

§. 329.

Elementa rerum materialium & animæ tam hominum, quam brutorum, ac in genere substantiæ omnes simplices finitæ, immo omnia præter Deum possibilia sunt entia contingentia (§. 97. 96. 94). Quamobrem in entium ipsorum essentia nil continetur præter realitates limitatas (§. 91.), quæ simul eidem subjecto inesse possunt (§. 27. 28. *Ontol.*). Enimvero per id, quod realitates limitatæ simul inesse possint eidem subjecto, nondum intelligitur, cur actu sint, sive existant, consequenter ratio sufficiens existentiæ in essentia eorundem nondum continetur (§. 56. *Ontol.*). Jam vid. §. 310. *Ont.* Contingentia omnium præter Deum possibilium.

§. 330.

Ens omne finitum contingens est. Quoniam ens omne finitum etiam limitatum est (§. 173. T. I. *Theol. natur.*); ejus intrinsecæ determinationes limitatæ sunt. Jam essentia entis constituitur per determinationes intrinsecas, quæ sibi mutuo non repugnant, nec tamen per se invicem determinantur (§. 143. *Ontol.*), consequenter quæ non modo simul eidem subjecto inesse possunt; verum etiam quorum una, si insit, non necessario simul inest altera (§. 115. *Ontol.*). Per essentiam adeo entis finiti nondum intelligitur, cur existere debeat, adeoque essentia ejus existentiæ rationem Entium finitorum contingentia independenter a Deo demonstrata.

 suffi-

ſufficientem in ſe minime continet (§. 56. *Ontol.*). Conf. §. 310. *Ontol.*

§. 331.

Idem probatur de elementis & animabus.

Elementa rerum materialium & animæ tam brutorum, quam hominum ſunt entia contingentia (§. 203. *Coſm.* 264. *ration.* 330. *h. l.*).

§. 332.

Mundi contingentia.

Mundus eſt ens contingens (§. 100. 329.).

§. 333.

Item corporum.

Compoſitum omne contingens eſt (§. 686. *Ontol.* 329. *h. l.*).

§. 334.

Totius mundi qualis ſit exiſtentia.

Elementa rerum materialium, animæ tam brutorum, quam hominum, immo totus mundus nonniſi contingenter exiſtit &, dum exiſtere incipiunt, exiſtentia eorum nonniſi hypothetice neceſſaria (§. 329. 331 *ſq. h. l.* 316. *Ont.*).

§. 335.

Elementorum & animarum ex nihilo productio.

Si elementa & animæ exiſtere debent, ex nihilo producenda ſunt (§. 331. 314. *h. l.* 48. 753. *rat.* 691. *Ont.*).

§. 336.

Item mundi.

Si quis mundus exiſtere debet, ex nihilo producendus (§. 316. 318. 335.).

§. 337.

Mundi ortus.

Mundus oriri nequit niſi per creationem (§. 336. *h. l.* 697. *ration.*).

§. 338.

Potentia creatrix Dei.

Animæ noſtræ a Deo creatæ ſunt, Deoque competit potentia creatrix (§. 21. *emp.* 335. 329. 22. 33. h. l. 697. *rat.*).

§. 339.

Ejus quantitas.

Potentia creatrix Deo competit in gradu abſolute ſummo (§. 338. 5. 15.).

§. 340.

§. 340.

Potentia creatrix divina omnibus substantiis simplicibus præter Deum possibilibus producendis sufficit (§. 697. *rat.* 330. h. l. 691. *Ont.* 339. 11. h. l.). Ejus objectum.

§. 341.

Potentia Dei creatrix omni mundo possibili producendo sufficit (§. 339. 337.). Idem ulterius expenditur.

§. 342.

Mundus a Deo creatur, dum elementa rerum materialium juxta principium rationis sufficientis combinata & animas tam brutorum, quam hominum producit, juxta idem principium singulis hominum atque brutorum corporibus jungendas (§. 341. 100. 337.). Actus creationis in quo consistat.

§. 343.

Eodem actu, quo Deus mundum creat, fit quoque mundi atque naturæ ordo (§. 342. 321.). Ordo mundi & naturæ quomodo factus.

Qui hypothesin chaoticam amplectuntur, creationem primam seu proprie sic dictam ultra chaos a Deo productum non extendunt. Dum ex rudi & indigesta mole fecit corpora, ex quibus hunc mundum adspectabilem composuit, & corpora in ordinem redegit, ea inter se combinando, mundi fecit ordinem. Et dum naturæ præscripsit leges in agendo inviolabiles; naturæ constituit ordinem. Unde diversi prodeunt actus, quibus mundus creatus, ordo ejus factus & naturæ ordo constitutus. Sed talia notionibus rerum adversa fingi ab iis, qui humano more de Deo cogitant, perperam ad eum transferentes in hominibus observata, ex antecedentibus abunde intelligitur. Sumunt nempe possibilitatem rudis illius atque indigestæ molis, quam veteres chaos dixere: sumunt ex qualibet materia qualibet fieri & facta inde corpora quovis ordine collocari posse: sumunt corporibus quibuscunque vires quaslibet agendi communicari posse.

§. 344.

Mundus hic adspectabilis a Deo creatus est (§. 337. 174. 33. h. l. 44. *Th. nat.* T. 1. 341. h. l.). Creatio mundi Deo competens.

§. 345.

Actus creationis explicatur. *Dum Deus aliquid creat, actualitatem superaddit nudæ possibilitati* (§. 697. *rat.* 690. 540. 132. 170. *Ont.*).

§. 346.

Potentia Dei illimitata. *Deo competit potentia prorsus illimitata* (§. 345. h. l. 222. *Th. nat.* T. 1. 16. h. l.).

§. 347.

Ejus objectum *Deus ad actum perducere potest, quicquid intrinsece possibile* (§. 346. h. l. 222. *Th. nat.* T. 1. 825. *Ont.*).

§. 348.

Potentia miraculosa Dei. *Deo competit potentia miraculosa* (§. 72. *rat.* 517. *Cosm.* 347. h. l.).

§. 349.

Intellectus & potentia divina nondum est ratio sufficiens, cur quid sit. *Intellectus & potentia divina non sunt ratio sufficiens, cur ens quoddam finitum existat, nec in specie creationis mundi* (§ 175. 100. 327 h l. 222. *Th. nat.* T. 1. 341. h. l. 56. *Ont.*).

§. 350.

Ratio sufficiens creationis & existentiæ entis finiti. *Intellectus, potentia & voluntas Dei simul sunt ratio sufficiens creationis & existentiæ entis finiti cujuscunque* (§. 349.).

Atque hinc intelligitur, cur Moses actum creationis descripturus hisce usus fuerit verbis: dixit Deus, fiat hoc, & factum est hoc. Nemo aderat, cui Deus loquebatur, consequenter his ipsis verbis Moses Deo tribuit actum eidem convenientem, quem nos exprimere solemus, quando dicimus: Fiat hoc. Nemo non novit, nos verbo *fiat* indicare actum voluntatis nostræ, quod scilicet quid fieri velimus. Quamobrem nec Moses aliud indigitavit, quam quod Deus voluit, ut hoc vel istud existat. Dum vero addit: & factum est; hoc ipso significat, posita voluntate divina ens, quod existere voluit, in actu positum fuisse. Posita voluntate in actu quid ponitur per potentiam (§. 222. T. 1. *Theol. nat.*), nec per potentiam in actu ponitur nisi quod possibile intrinsece (§. *cit.*). Patet itaque Mosen rationem sufficientem creationis insinuaturum allegare actum voluntatis, omnipotentiæ ac intellectus Dei. Dum vero præmittit, creationem factam esse in principio, hoc est, antequam extra ipsum existeret aliud, eam declarat tanquam

quam

quam productionem ex nihilo, seu non præexistente alio, atque adeo docet, creationem non pendere nisi ab intellectu, potentia & voluntate divina.

§. 351.

Decretum Dei æternum de mundo creando.

Deus ab æterno mundum creare decrevit (*§. 100. 327. 89. 349 sq. 191. h. l. 497. Th. nat. T. 1.*).

§. 352.

An mundus esse cœperit cum decreto creationis.

Posito decreto creationis non necesse est cum eodem poni ipsam creationem. Nemo non ex seipso experitur, differre decretum ab ejus executione, atque adeo decretum duos continere diversos voluntatis actus, nimirum unum, quo decretum ipsum continetur, & alterum, quo executio decreti continetur, huncque referri ad ea, quæ agenti extrinseca sunt, veluti quod certo tempore quid agere velit.

§. 353.

Omnipotentia Dei.

Deus est omnipotens (§. 347. h. l. 347. *Th. nat.* T. 1.).

§. 354.

Libertas Dei in creando.

Deus libere creavit mundum (*§. 350. 277.*).

Præsens demonstratio subsistit, etiamsi supponas, nonnisi unicum, qui existit, mundum esse possibilem. Tunc vero libertas voluntatis divinæ in creando tota huc redit, quod potuerit mundum creare & non creare, ast non potuerit creare alium. Qui regerunt, Deum quidem non potuisse creare mundum alium, hunc tamen mundum potuisse creare aliter; sine mente dant sonos: mundus enim aliter si fuisset creatus, non foret hic, qui nunc existit, sed alius mundus, quemadmodum ex notionibus identitatis & diversitatis manifestum (§. 181. 183. *Ontol.*). Tacite igitur supponunt plurium mundorum possibilitatem, dum aperte nonnisi unius possibilitatem defendunt contradictorii ingenii homines.

§. 355.

Cur mundum nullum producere potuerit.

Deus mundum non creare potuit, seu simpliciter impossibile non fuit, ut non crearet, consequenter *liber fuit in creando ab omni coactione interna* (§. 354. h. l. 941. *emp.*).

§. 356.

§. 356.

Electio hujus mundi ex pluribus possibilibus.

Deus hunc mundum adspectabilem ex pluribus possibilibus elegit (§. 354. h. l. 101. *Cosm.* 941. *emp.*).

§. 357.

Mundus optimus a Deo creatus.

Deus creavit mundum optimum (§. 356. 350. 185.).

§. 358.

Dari finem creationis & qualis sit.

Deus mundum creavit propter aliquem finem (§. 295. 344.): *hicque omnium optimus, quem per creationem intendere poterat* (§. 294.).

§. 359.

Mundus qualis per sapientiam Dei.

Mundus est fini a Deo per ejus creationem intento convenientissimus; hoc est, talis est mundus, ut finem, quem intendit, per eum ex asse consequatur (§. 358. *h. l.* 937. *Ont.* 294. *h. l.*).

§. 360.

Mundus optimus quinam.

Mundus optimus fini creationis convenientissimus (§. 359. 357.).

Si mundus optimus non est, detur necesse est alius, qui melius futurus erat medium, siquidem creatus fuisset, consequendi finem creationis. Insulsum est, ne quid gravius dicam, talia cogitare de Deo, ente sapientissimo omnium (§. 293.). Et si quis unicum tantummodo admittit mundum possibilem, nisi Deo auferat in creando libertatem, fateri tenetur, mundum esse fini creationis convenientissimum: secus enim Deus mundum non creasset, cum sapiens non facere potius velit, quam facere male.

§. 361.

Finis creationis in relatione ad Deum.

Finis creationis Deum maxime decet (§. 296. 358.).

§. 362.

Qualis finis creationis Deum deceat.

Finis creationis, quem ipsum decere constat (§. 361.), *rationem habet in essentia vel attributis ejus* (§. 332. *Th. nat.* T. 1.). Quamobrem *per essentiam, vel attributa Dei intelligitur, cur hunc intendat finem creationis* (§. 56. *Ont.*).

§. 363.

§. 363.

Mundus in se optimus est omnium possibilium perfectissimus (§. 370. *Th. nat. T. 1.*). Mundus optimus quinam sit in se.

§. 364.

Mundus adspectabilis, seu is, qui existit, est omnium possibilium perfectissimus (§. 357. 344. 363.). Summa mundi adspectabilis perfectio.

§. 365.

Mundus optimus in relatione ad Deum est, ex quo summam Dei perfectionem magis quam ex quocunque alio cognoscere datur (§. 370. *Th. nat.* T. 1. 14. h. l. 952. *Ont.*). Mundus optimus in relatione ad Deum.

§. 366.

Ex iis, quæ insunt mundo, colligere licet, quænam insint Deo (§. 100. 97. 91.). Cur Deus ex mundo cognosci possit.

§. 367.

Mundus quilibet est signum eorum, quæ Deo insunt (§. 952. *Ont.* 366. *h. l.*). Cur sit signum perfectionis divinæ.

§. 368.

Mundum in relatione ad Deum *esse bonum patet* (§. 365.). In relatione ad Deum posse esse bonum.

§. 369.

Non datur alius mundus præter eum, qui existit, ex quo perfectionem Dei absolute summam eodem, quo ex ipso, modo cognoscere daretur (§. 357. 368. 14. 365.). Prærogativa adspectabilis præ ceteris.

§. 370.

Mundus, qui existit, est medium optimum manifestandi gloriam Dei (§. 369. h. l. 610. *Theol. natur.* T. 1. 932. coll. 56. 937. *Ontol.*). Deus gloriam suam per hunc mundum manifestat.

§. 371.

Finis creationis est manifestatio gloriæ divinæ (§ 358. 360. 354. 370. 358. h. l. 370. *Th. nat.* T. 1. §. 14. h. l. 952. *Ont.* 610. *Th. natur. T. 1.*). Finis creationis quinam sit.

§. 372.

Mundus in se optimus est etiam optimus in relatione ad Deum (§. 364. 363. 369. 365.). Mundi in se & in relatione ad Deum optimi identitas.

(*Th. nat. contr. T. II.*).

Eodem prorsus modo sese res habet in arte factis. Exempli loco est horologium. Hoc in se spectatum optimum censetur omnium judicio, quatenus vi structuræ suæ tempus accuratissime metitur. Atque adeo in se spectatum optimum est, quatenus in suo genere perfectissimum (*not.* §. 503. *Ontol.*). Ast idem in relatione ad artificem optimum est, quatenus est signum artis, qua pollet, summæ, ita ut, si alio modo construxisset, artis non adeo peritum sese probasset.

§. 373.

Cur dentur fines in universo.

Ea, quæ in mundo ex nexu rerum consequuntur, a Deo intendi possunt tanquam fines (§. 317. h. l. 46 sq. *Cosm.*).

§. 374.

Relatio ex nexu resultantium ad finem creationis.

Quæcunque ex nexu rerum in mundo consequuntur, manifestationi gloriæ divinæ per modum medii a Deo subordinantur (§. 371. 373. 370. 294.).

§. 375.

Idearum immutabilitas & necessitas.

Ideæ rerum omnium tam substantiarum simplicium, quam compositarum, mundorumque omnium possibilium necessariæ sunt & immutabiles (§. 94 sqq. 100. 91.). Quamobrem cum realitates Deo inexistentes sint prorsus immutabiles (§. 17.), nec earum limitatione prodeuntes aliter quam juxta principium contradictionis combinari possint, ne oriantur ideæ contradictionem involventes (§. 28 sq. *Ontol.*), consequenter impossibilium (§. 79. *Ontol.*); cumque substantiæ simplices aliter combinari nequeant, quam per principium rationis sufficientis, ut inter se connectantur (§. 70. *Ontol.* & §. 10 *Cosmol.*), nec elementa aliter combinari possint, ut prodeat idea mundi (§. 316); evidens, ideas rerum omnium aliter determinari non posse, quam quales vi intellectus divini producuntur. Jam vide §. 285. 292. *Ontol.*

§. 376.

Deus mundum hunc aliter facere, nec potuit, nec voluit

Deus mundum hunc non potuit facere aliter quam fecit (§. 345. 327 sq. 375.), *nec voluit facere aliter quam fecit* (§. 357. 370 sq. 185. 294).

§. 377.

Actualitas est a voluntate Dei.

Actualitas rerum omnium a voluntate Dei dependet (§. 349 sq. h. l. 851. *Ont*).

§. 378.

§. 378.

Contingentia in mundo habere nequeunt rationem sufficientem actualitatis suæ in serie successivorum (§. 377.).

Contingentia habere nequeunt rationem sufficientem actualitatis in ipso mundo

§. 379.

Quicquid præter Deum existit, id omne a Deo creatum est (§. 174. 347. 33. h. l. 44. 350. *Th. nat.* T. 1. 118. 685. *Ont.* 119. *Cosm.* 793. *Ont.* 182. *Cosm.* 314. 329. h. l. 691. *Ont.* 697. *rat.*).

Objectum creationis.

§. 380.

In Deo continetur ratio sufficiens existentiæ hujus universi (§. 350. 337. 379.).

Ratio sufficiens existentiæ universi in quonam.

§. 381.

Deus creator mundi est, quia rationem sufficientem actualitatis ejus continet (§. 118. *Ont.* 337. *h. l.* 56. *Ont.* 380. *h. l.*).

Cur Deus creator mundi.

§. 382.

Ratio sufficiens creationis contineri nequit nisi in ente, cui competit intellectus, voluntas & potentia omnem prorsus limitationem respuens (§. 56. 132 sq. *Ont.* 327 sq. 85 sqq. *h. l.* 697. *rat.* 347. *Th. nat.* T. 1. 349 sq. 188. *h. l.*).

Quale ens creationis rationem sufficientem contineat.

§. 383.

Rationem sufficientem creationis non posse contineri nisi in vero Deo, nemo non videt (§. 382.).

Id vero est Deus.

§. 384.

Si Deus hunc mundum facere voluit, malis etiam physicis & moralibus in eodem locum facere debuit (§. 376.).

An hunc mundum sine malis facere potuerit.

Qui contendunt, Deum potuisse hunc mundum facere absque malis physicis & moralibus, sumunt 1. quod mundus hic aliter factus adhuc idem sit, non vero diversus mundus, 2. quod mundus aliquis possibilis sit, in quo nullus est malis physicis atque moralibus locus. Prius falsum est (*not.* §. 354.): posterius vero probare nesciunt. Quodsi enim provocent

ad omnipotentiam Dei, probatio nulla est, cum omnipotentia Dei ad actum non perducatur, nisi quod possibile (§. 222. T. 1. *Th. nat.*). Per eam igitur probari nequit, aliquid esse possibile. Vid. §. 328.

Malorum physicorum & moralium inexistentia in mundo sapientiæ Dei convenit.

§. 385.

Sapientiæ divinæ conveniens, producere mundum, in quo malis physicis & moralibus locus (§. 371. *h. l.* 293. *Th. nat.* T. 1. 370. 384. *h. l.*).

§. 386.

Et bonitati divinæ non repugnat.

Bonitati divinæ non repugnat creatio mundi, in quibus malis physicis & moralibus locus est (§. 695. *Th. nat.* T. 1. 385. 376. 371. h. l. 610. *Th. nat.* T. 1. 231. h. l.).

§. 387.

Unitas decreti divini.

Decretum creationis est numero unicum (§ 60. 116. *Cosm.* 100. 351. 190. h. l.).

CAPUT V.

DE

PROVIDENTIA ET ALIIS NONNULLIS ATTRIBUTIS DIVINIS.

§. 388.

Creatura se ipsam conservare nequit.

Creatura nulla seipsam conservare potest (§. 842. *Th. nat.* T. 1. 23. h. l. 45. *rat.*).

§. 389.

Deus conservat.

Deus creaturas omnes conservat (§. 388. h. l. 842. *Th. nat.* T. 1.).

§. 390.

§. 390.

Creaturarum actualitas continuo dependet a potentia & voluntate Dei (§. 389. 388. h. l. 842. 222. *Theol. natur.* T. 1. 56. 851. *Ontol.*). Actualitatis continua dependentia a Deo.

§. 391.

Mundus conservatur, dum elementa juxta principium rationis sufficientis combinata & animæ corporibus humanis & brutorum junctæ conservantur (§. 100. h. l. 842. *Th. nat.* T. 1.). Mund' conservatio in quo consistat.

§. 392.

Mundi atque naturæ ordo conservatur, dum elementa rerum materialium juxta principium rationis sufficientis combinata conservantur (§. 842. *Th. nat.* T. 1. 321. h. l.). Mundi & naturæ ordo quomodo conservetur.

§. 393.

Ordo naturæ atque mundi eodem actu, quo mundus ipse conservatur (§. *391 sq.*). Identitas actus conservatorii divini.

§. 394.

Deus creaturas conservando ad singulas earum actiones concurrit (§. 390 sq. h. l. 180. *Cosm.* 110 53 60. *rat.* 722. *Ont.*). E. In Dei voluntate atque potentia continetur ratio ultima, cur creaturæ agant. Jam conf. §. 873. *Th. nat.* T. 1. Concursus Dei ad creaturarum actiones.

§. 395.

Concursus Dei ordinarius dicitur, quo natura sibi relicta nihil fit contra naturæ ordinem. Ast *extraordinarius* sive *miraculosus* appellatur, quo quid fit contra naturæ ordinem. Concursus ordinarius & miraculosus.

§. 396.

Cum Deus conservando creaturas ad earum actiones concurrat (§. 394.), non absimili modo conservationem quoque in ordinariam & extraordinariam, sive miraculosam distinguere licet. *Conservationem ordinariam* dico, qua Deus naturam sibi relinquit: *extraordinariam* vero sive miraculosam, qua quid in eadem immutat. Conservatio ordinaria.

Deus creaturas ita conservat, ac si nulla conservatione indigæ actualitatem propria virtute continuarent. Quodsi igitur creaturæ eo agant modo, ut earum actiones per essentiam & naturam earum explicari possint; conservatio erit ordinaria. Quodsi vero sic agant, ut rationem sufficientem in essentia & natura agentis non habeant, sed ea quærenda sit in omnipotentia Dei; conservatio extraordinaria, seu miraculosa est.

§. 397.

Limitationum differentia.

Limitationes naturales sunt, quæ vel essentiis rerum inhærent, vel vi naturæ insunt. *Limitationes* vero *supernaturales*, quæ per omnipotentiam Dei insunt, naturaliter inesse nequeunt.

§. 398.

Differentia conservationis ordinariæ & extraordinariæ.

In conservatione ordinaria Deus rem conservat cum limitationibus naturalibus; in extraordinaria vero supernaturales iisdem inducit (§. 395). Consequenter quæ mutantur limitationes in rerum modificationibus (§. 830. *Ont.*), a natura mutantur (§. 145. *Cosmol.* & § 68. *rat.*). Quamobrem cum essentiæ rerum sint immutabiles (§. 300. *Ont.*); in conservatione ordinaria nullæ deprehenduntur in rebus limitationes, nisi quæ vel essentiis rerum inhærent, vel vi naturæ insunt. Jam vid. §. 397. indeque prodit *primum*. De *altero* vide §. 395. h. l. 510. 566. *Cosmol.* Ergo in conservatione rerum extraordinaria mutatio rebus, quæ conservantur, inducitur supernaturalis. Quoniam itaque mutatio omnis rerum intrinseca in variatione limitum consistit (§. 831. *Ont.*), in mutatione supernaturali per omnipotentiam Dei variantur limites, ut insint, quæ naturaliter inesse nequeunt. Jam lege §. 397.

§. 399.

Annihilatio mundi possibilis.

Deus mundum annihilare potest (§. 390. h. l. 540. *Ontol*).

Patet vero potentiam annihilatricem non esse positivam, sed privativam; actus enim annihilationis consistit in cessatione actus conservatorii. Atque hinc porro liquidissime constat, potentiam annihilationis non posse com-

competere nisi ei, cui est potentia creatrix, cum conservatrice eadem, hoc est, soli Deo.

§. 400.

Mundus desinere nequit nisi per annihilationem (*§. 316. h. l. 182. Cosm. 698. Ont.*). Quomodo desinere possit.

§. 401.

Chaos dicitur moles rudis & indigesta, hoc est, in qua coëxistentia juxta principium rationis sufficientis non sunt ordinata, consequenter nec ullæ juxta idem continuo sese excipiunt mutationes. Chaos quid sit.

Nimirum chaos ideo appellatur moles rudis, quia nihil in eodem distinguitur ab altero: sed ob massæ uniformitatem absunt, ut cum Scholasticis loquamur, formæ omnes, quæ dant distingui. Id autem accidit, quando coëxistentia non coëxistunt ob rationem sufficientem ipsis intrinsecam, ita ut per determinationes intrinsecas minime intelligatur, cur hoc potius modo, quam alio coëxistant (§. 56. *Ont.*). Idem chaos dicitur moles indigesta, quatenus nullus est coëxistentium ordo: id quod denuo contingit, si rebus coëxistentibus nullæ insunt determinationes intrinsecæ, per quas secundum principium rationis sufficientis ordinari possint. Haud difficulter vero intelligitur, in istiusmodi rudi & indigesta mole nec locum habere posse mutationes, per principium rationis sufficientis explicabiles, cum non insint, per quæ intelligatur, cur hæ potius mutationes accidant, quam aliæ. Immo nulla prorsus mutatio ex principio intrinseco provenire posse intelligitur, si quidem communi more in eo non concipias nisi extensionem. Qui chaos admittunt, vel idem per modum massæ continuæ sibi repræsentant, quemadmodum id ipsum sibi imaginatur *Cartesius*; vel ut atomorum congeriem interspersо vacuo, quemadmodum olim fecit *Democritus* atque *Epicurus*, recentius *Gassendus* & qui cum eodem sentientes Atomistarum nomine nuncupantur.

§. 402.

Mundus in chaos redigi nequit (§. 391. h. l. 842. *Th. nat.* T. 1. 390. h. l. 182. *Cosm.* 314. h. l. 698. *Ont.* 401. h. l.), *nec ex eodem produ-* Chaos explosum.

productus est (§. 100. 316. h. l. 571. *Cosm.* 318. h. l. 202. *Cosm.* 401. h. l.). Idem patet ex §. 342. h. l. 202. *Cosm.* 401. h. l.

Quæstio non de eo est, num Deus chaos creare possit; sed num ex eodem, si sumitur tanquam existens, mundus fieri possit. Etsi adeo illud largiamur, hoc tamen negamus & pernegamus. Fac enim existere istiusmodi elementa, quæ secundum rationis sufficientis principium combinari nequeunt, deficientibus determinationibus intrinsecis, per quas intelligitur, cur hoc potius modo coëxistere debeant quam alio (§. 56. *Ontol.*). Nunc conf. §. 100. 327 sq. h. l. 343 sq. *Th. nat.* T. 1. 401. h. l. Quemadmodum vero inde produci non potuit, ita nec in idem redigi potest, neque enim fert istiusmodi coëxistentiam essentia atque natura elementorum (§. 571. *Cosm.*).

§. 403.

Gubernatio divina.

Deus gubernat hoc universum (§. 358 *sq.* 373. 294. *h. l.* 899. *Th. nat.* T. 1.).

§. 404.

Providentia.

Datur providentia divina (§. 389. 403. 394. 191. *h. l.* 497. 922. *Th. nat.* T. 1.).

§. 405.

Unitas creatoris & conservatoris mundi.

Unus tantum est mundi creator (§. 350. h. l. 118. *Ont.*), *conservator & gubernator* (§. 344. 341. 389. 391. 403).

§. 406.

Unitas Dei evicta.

Non datur Deus nisi unus. Deo insunt omnes realitates in gradu absolute summo (§. 93.), adeoque etiam existentia necessaria (§. 20.): ergo Deus unus ab altero non differt, consequenter duo Dii non erunt nisi ens idem bis positum (§. 181. *Ont.*). Enimvero cum Deus unus sit creator, conservator & gubernator hujus universi (§. 405) & potentia ejusdem omnibus substantiis simplicibus (§. 340.), omnique mundo possibili producendo sufficiat (§. 341); cur unus admittatur Deus ratio sufficiens est (§. 56. *Ont.*), nullla vero cur plures admittantur, seu idem ens bis vel pluries ponatur. Jam vid. §. 70. *Ont.*

§. 407.

§. 407.

Creaturæ omnes tantam habent similitudinem cum Deo, quantam admittit differentia realitatum limitatarum & illimitatarum (§. 96. h. l. 182. *Cosmol.* 100. 91. h. l. 191. *Cosm.* 195. *Ontol.*). Creaturarum cum Deo quanta similitudo.

Quoniam limitatio diversos admodum gradus habet; minus autem limitatum propius accedit ad illimitatum, quam magis limitatum: ideo similitudo creaturarum cum Deo eadem non est, sed admodum variat. Unde majorem similitudinem cum Deo habent animæ humanæ, quam brutorum; majorem animæ brutorum, quam elementa. Et quoniam in corporibus realitates, quæ insunt, distincte non percipimus (§. 101. *ration.*); similitudo animæ cum Deo observatu facilior, quam corporum.

§. 408.

Nomen proprium dicitur, quo utimur ad significandum individuum. Nomen proprium.

§. 409.

Vocabulum Deus est nomen proprium (§. 406. 408.). Deus est ejusmodi.

Nimirum hoc vocabulum in eo, quo sumitur significatu (§. 14.), hoc est, in proprio, tribui nequit nisi enti singulari, & ad hoc ipsum significandum eodem utimur. Etsi enim, qui plures per errorem admisere Deos, eodem usi fuerint tanquam appellativo; id tamen cum nonnisi per errorem factum fuerit, veritati nullum erat præjudicium. Probe autem notandum est, non requiri, ut nomina propria habeant significatum essentialem, qui vi derivationis seu per etymologiam ipsi competit. Absit itaque, ut quis sibi persuadeat, nos contendere vocabulum Deus esse nomen essentiale, dum ipsum proprium esse contendimus. Significat tamen essentiam Dei per impositionem.

§. 410.

Monitum generale.

Plura in præſenti non addimus, non quod ex notione entis perfectiſſimi demonſtrari non poſſint, ſed quod ex ſyſtemate retentis iisdem demonſtrationibus huc transferri poſſint, niſi quod principia eadem non ex ſyſtemate, ſed ex anterioribus petantur. Etſi enim alia definitione Dei nominali ſumta quædam immutandæ ſint demonſtrationes, non tamen ideo immutandæ ſunt omnes, quoniam non demonſtrationes omnes immediate in definitionem nominalem Dei reſolvuntur, ſed mediantibus principiis communibus ex diverſis definitionibus deductis: id quod methodi peritis ſatis cognitum atque perſpectum eſt.

PARTIS

PARTIS II.
THEOLOGIÆ NATURALIS
SECTIO II.
DE
ATHEISMO ALIISQUE AGNATIS ERRORIBUS.
CAPUT I.
DE
ATHEISMO.

§. 411.

A*Theus* dicitur, qui negat dari Deum, hoc est, ens a se, mundi autorem. Unde *Atheismus* consistit in negatione existentiæ Dei, mundi autoris. Athei & atheismi definitio.

§. 412.

Atheus intelligere debet, quid vocabulo Dei denotetur seu ipsi aliqua Dei notio esse debet (§. 411. h. l. 202. 197. *Log.*). Cur atheo notio aliqua Dei esse debeat.

§. 413.

Atheus notionem Dei non admittit possibilem (§. 412. 411. h. l. 34. *Th. nat.* T. I. 28. h. l.). Notio Dei qualis reputetur atheo.

Si atheus admittere velit ens istiusmodi esse possibile, quale vocabulo Deus significatur; neget tamen inde sequi, quod existat, propterea quod ab esse ad posse non valet consequentia: facile redarguitur erroris sui, sive per demonstrationem, quod ens a se ideo existat, quia possibile (§. 34. T. 1. *Theol. nat.*), sive quod Deus, ens perfectissimum (§. 14.), existat, quia possibilis (§. 28.).

§. 414.

Qualis notio Dei in hypothesi athei.

In hypothesi Athei notio Dei contradictionem involvit (§. 413. *h. l.* 85. 79. *Ont.*).

§. 415.

Quid probare debeat.

Atheo probare incumbit notionem Dei contradictionem involvere (§. 414. 411. h. l. 111. *Disc. præl.*).

Facilius probatu est, notionem aliquam involvere contradictionem, quam quod non involvat, consequenter rectius ab atheo postulatur, ut probet, notionem Dei involvere contradictionem, quam is exigere valet, ut ostendatur, notionem Dei a contradictione liberam esse. Atque hoc pacto onus probandi in atheum devolvitur. Absit autem, ut quis hoc inter artificia sophistica referat: neque enim id fit ideo, quod de bona causa desperemus, sed ut atheum confundamus. Etenim ubi atheus experitur, se probare minime posse, quod notio Dei sit contradictoria, tu vero deinde ipsi ostendis, eam esse a contradictione liberam; eo ipso convincitur, se in prima principia peccasse, dum existentiam Dei negavit: cum ex adverso, qui Deum existere affirmant, methodi leges accuratissime observent, nec sumant, nisi quod per eas recte sumi demonstrari potest.

§. 416.

Quod vero probare nequit.

Impossibile est, ut atheus demonstret notionem Dei involvere contradictionem (§. 411. 414. 14. 344. 338.). Atque adeo per demonstrationes nostras patet, si Deus sit ens perfectissimum, eum esse mundi hujus adspectabilis & animarum nostrarum creatorem, adeoque autorem. Quoniam itaque possibilitatem entis perfectissimi evicimus (§. 13.); hoc ipso quoque possibilitas autoris mundi evicta, cumque possibile sit, quod contradictionem nullam involvit (§. 85. *Ontol.*), eo ipso demonstratum est, notionem Dei, quæ eundem refert tanquam universi autorem, nullam involvere contradictionem. Jam vide §. 28. *Ont.*

§. 417.

§. 417.

Dubitare quid sit. *Dubitare* idem est, ac velle assensum præbere alteri contradictionis parti, ignorare tamen, utrum is affirmativæ, an negativæ præberi debeat. Unde *dubitatio* est actus animæ, quo quis vult determinare assensum in alteram contradictionis partem, non tamen novit, in quam eundem determinare debeat, utrum scilicet in affirmativam, an vero in negativam.

§. 418.

Diversus dubitationis status. *Qui dubitat, ei vel nullæ sunt assentiendi rationes ex utraque parte contradictionis; vel sunt rationes ex utraque, ast non sufficientes, & in hoc casu aut ex una parte rationes sunt probabiliores, ex altera minus probabiles, aut ex utraque æque probabiles; vel denique ex una parte sunt quædam assentiendi rationes sed non sufficientes, ex altera nullæ* (§. 70. 118. *Ont.* 417. h. l.).

Ita qui dubitat, utrum anima sit immaterialis, nec ne, ei nec perspectæ sunt rationes, ob quas ea sit dicenda immaterialis, nec ullæ cognitæ sunt, cur negari debeat, quod sit immaterialis. De eadem quoque immaterialitate animæ dubitat, cui prostant rationes, ob quas anima videtur materialis, & prostant etiam rationes, ob quas eadem videtur immaterialis, neutræ tamen sufficiunt, ut assensum potius uni, quam alteri contradictionis parti præbeat. Et si vel maxime rationes fuerint probabiliores, ob quas anima videtur immaterialis, quam quæ pro ejus materialitate militant; adhuc tamen dubius est, utrum immaterialitati tuto subscribere possit nec ne, consequenter dubitat, an verum sit, animam esse immaterialem, an ex adverso falsum sit, eandem esse immaterialem. Immo si quas perspicit rationes, ob quas anima videtur immaterialis, nullas autem prorsus videt, cur immaterialis esse nequeat; ubi tamen per eas nondum certum esse judicat, quod sit immaterialis; adhuc dubitat, num affirmare debeat, animam esse immaterialem, an vero idem negare debeat. Diversus hic dubitantium status probe perpendendus est: habet enim diversitatis cognitio, ut in omni, ita etiam in præsenti casu, quando de existentia Dei dubitatur, suum usum, ubi dubitantem ad certitudinem perducere volueris.

§. 419.

Quando assensus dubitantis in neutram contradictionis partem propendeat.

Si dubitanti nullæ sunt assentiendi rationes ex utraque contradictionis parte, vel si quæ ex utraque prostant, videntur æque probabiles; assensus in neutram propendet (§. 70. 28. *Ont.*).

§. 420.

Quando in alterutram contradictionis partem propendeat.

Si dubitanti fuerint rationes assentiendi ex parte utraque contradictionis insufficientes, ex parte tamen una, quæ prostant, videantur probabiliores alteris; assensus in unam contradictionis partem magis propendet, quam in alteram, hoc est, pronior est dubitans ad affirmandum, quam negandum, vel contra, prout casus tulerit (§. 118. *Ont.* 549. 197. *Log.*).

Definitur *Assensus* per judicium mentis de veritate propositionis, veluti quod recte quid de subjecto affirmetur, vel negetur.

§. 421.

Casus alter.

Si dubitanti sint rationes assentiendi probabiles (saltem ex parte subjecti tales) *ex una contradictionis parte, nullæ vero ex altera; assensus in illam propendet* (§. 118. *Ont.*). Vid. denuo §. 420. h. l.

Accidit ideo, ut in eo casu, ubi aliquid statuendum, sumamus interea tanquam veram eam contradictionis partem, quæ rationibus probabilibus nititur, donec probetur contrarium.

§. 422.

Dubitanti aliqua Dei notio esse debet.

Qui de existentia Dei dubitat, ei aliqua notio Dei esse debet (§. 471. h. l. 202. *Log.*).

§. 423.

Num dubitans de existentia Dei atheus sit.

Qui dubitat de existentia Dei, atheus non est (§. 417. 421 sq. 411.).

Inter affirmationem & negationem dubitatio intermedia est; quemadmodum itaque affirmatio distinguitur a negatione; ita & dubitatio distinguenda ab utraque.

§. 424.

§. 424.

Si dubitanti de existentia Dei vel nullæ sint assentiendi rationes ex utraque contradictionis parte, vel si quæ ex utraque prostant, videantur æque probabiles: nec pronior est ad atheismum, quam ad veritatem amplectendum (§. 419. coll. §. 411. h. l. & 69. *Th. nat.* T. 1.). Dubitantis indifferentia ad atheismum & veritatem.

§. 425.

Si dubitanti de existentia Dei fuerint rationes assentiendi ex utraque contradictionis parte insufficientes; ex parte tamen una probabiliores videntur, quam ex altera; ubi probabiliores fuerint pro affirmativa, dubitans pronior est ad veritati subscribendum, quam ad atheismum amplectendum; ubi vero probabiliores fuerint pro negativa, ad atheismum proclivior est (§ 420.). Quando inclinatio in atheismum, quando in veritatem pronior.

§. 426.

Si dubitanti de existentia Dei sint rationes assentiendi probabiles in partem affirmativam contradictionis & in negativam nullæ; dubitans pronior est ad veritatem, quam ad atheismum amplectendum (§. 421. h. l. 69. *Th. nat.* T. 1. 21. 411. h. l.). *Quodsi vero fuerint rationes probabiles ex parte negativa, ex parte affirmativa nullæ, in atheismum proclivior est* (§. 421. 411. h. l. 69. *Th. nat.* T. 1. 21. h. l.). Quando in veritatem, quando in atheismum major proclivitas.

§. 427.

Qui simpliciter ignorat dari Deum, is atheus non est (*§. 411.*). Ignorantia simplex Dei ab atheismo diversa.

§. 428.

Qui simpliciter ignorat dari Deum, ei nulla Dei notio est, saltem nihil is de Deo distincte cognoscit (§. 197. *Log.* 417. h. l.). Ignoranti Deum nulla ejus notio.

§. 429.

Possibile est homini cuidam nullam esse Dei notionem, saltem distinctam. Etenim Deum vel cognoscimus ex contemplatione hujus universi, eum nobis repræsentantes tanquam ejusdem autorem; vel ex contemplatione animæ nostræ, quatenus Possibile est homini nullam esse Dei notionem distinctam.

ei fine

ei ſine ulla limitatione tribuimus, quæ limitata animæ noſtræ ineſſe obſervamus, eundem nobis repræſentantes tanquam ens perfectiſſimum. Atqui non repugnat, ut quis per errorem mundum habeat pro ente neceſſario, quod adeo autorem nullum requirit, vel ut de ea quæſtione, utrum mundus ſit a ſeipſo, an ab alio, prorſus non cogitet, vel ut ſuper iis, quæ inſunt animæ noſtræ, non reflectat, adeoque de limitationibus eorum non cogitet. E. Nec ſibi repræſentabit autorem aliquem univerſi, nec ens aliquod perfectiſſimum, adeoque nulla ipſi erit, ſaltem diſtincta Dei notio (§. 87. *Log.*).

In Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſinæ A. 1705. recenſetur, ruſticum 24. circiter annorum a nativitate ſurdum & mutum, cum caſu auditum recuperans loqui inciperet, quamvis adhuc imperfecte, examinatum fuiſſe a Theologis, num aliquam Dei notionem haberet; ſed eos deprehendiſſe, quod nullam unquam ejus cognitionem habuerit, utut cum parentibus Miſſæ frequenter interfuiſſet, ſigno crucis ſe ſignaſſet, genua flexiſſet, alioſque orantium geſtus dextre imitatus fuiſſet. Vides igitur non eſſe impoſſibile, ut homini cuidam nulla ſit notio Dei, adeoque nunquam animum ejus ſubeat de Deo cogitatio. Cumque præterea annotetur, ruſticum illum non meminiſſe eorum, quæ cum ſurdus ac mutus eſſet, fecerat, haud obſcure colligitur, quod animum ad perceptiones ſuas non adverterit, adeoque defectu reflexionis defeciſſe ideam Dei, quemadmodum vult demonſtratio propoſitionis præſentis.

§. 430.

Poſſibile, hominem ſimpliciter ignorare Deum.

Poſſibile eſt hominem quendam ſimpliciter ignorare, quod detur Deus (§. 429.). Quamobrem cum is, cui nulla eſt notio Dei diſtincta, cogitare nunquam poſſit, utrum Deus exiſtat, an non, poſſibile quoque eſt, ut ea cogitatio, num Deus exiſtat, vel non, hominis animum nunquam ſubeat. E.

§. 431.

Simpliciter exiſtentiam Dei ignorans non dubitat.

Qui ſimpliciter ignorat dari Deum, de ejus exiſtentia dubitare nequit (§. 428. 417.).

§. 432.

§. 432.

Si quis atheum appellare velit eum, qui non affirmat dari Deum, consequenter & eum, qui negat, & eum, qui dubitat, & eum, qui ignorat dari Deum, hoc nomine comprehendere velit; id quidem facere licet (§. 959. Ont.); tres tamen atheorum species distinguere (§. 423. 411. 427. 431. *h. l.* coll. §. 682. *Log.*) *& mediam in tres denuo subdistinguere tenetur* (§. 424 - 426. *h. l.* coll. § 682. *Log.*), *facitque hoc inutiliter* (§. 960. *Ont.*).

An athei vocabulum laxiori significatu accipiendum sit.

Etsi negantes existentiam divinam *atheos crassissimos* vel *pessimos*, dubitantes de eadem *atheos scepticos*, eandem simpliciter ignorantes *atheos idiotas* & Scepticorum alios *atheos indifferentistas*, alios *pessimis propiores*, alios *a pessimis remotiores* appellare velis; non tamen alia de atheis crassissimis demonstrare licet, quam quæ de atheis simpliciter dictis demonstrantur, nec alia demonstrare datur de atheis Scepticis eorumque diversis speciebus, atque atheis idiotis, quam in hypothesibus dubitantium diversis & in hypothesi ignorantiæ simplicis demonstrantur. Nulla igitur ex entium multiplicatione emergit quoad usum theorematum in praxi utilitas, ad quam tamen theoria omnis referenda.

§. 433.

In hypothesi athei notio Dei vel formata est per arbitrariam determinationem, occasione notionis alterius (§. 414. h. l. 79. *Ont.* 686. 690. *Log.*); *vel ex falsa quadam propositione deducta* (§. 538 sq. 486. 492. *Log.*); *vel utilitatis cujusdam causa conficta* (§. 70. *Ontol.*).

Unde sit notio Dei in hypothesi athei.

Quicquid cognoscimus, id nobis vel ratiocinando innotescit, vel absque ratiociniis. Quamobrem & in notiones falsas aut, si mavis, impossibiles incidere non licet, nisi vel ratiocinando, vel absque ratiocinatione. Ratiocinando notio falsa non infertur, si a vitio formæ discesseris, quod hic non attendimus, nisi quatenus ex falsa quadam propositione infertur conclusio (§. 509 510. *Log.*). Absque ratiocinatione notiones formari nequeunt nisi per reflexionem super iis, quæ percipiuntur, aut per abstractionem, aut per arbitrariam determinationem occasione notionis alterius (§. 686. *Log.*), aut per fictionem a sciente ac volente factam. Quamobrem cum formationi notionis Dei non conveniant duo modi priores; necesse est, ut atheus contendat,

eam vel formatam esse per arbitrariam determinationem occasione notionis cujusdam alterius, quæ est hominibus, vel a nonnullis utilitatis cujusdam gratia confictam esse. Qui Deum profitemur, aut existentiam ejus probamus a posteriori, aut a priori (§. 435. *empir.*). Si prius; necesse est, ut quid sumamus instar principii, ex quo colligitur, dari Deum. Atheus igitur excipit, principium istud esse falsum, adeoque Dei notionem rejicit tanquam impossibilem, quod ex falsa quadam propositione fuerit deducta. Si posterius; esse ens perfectissimum sumimus, eidemque existentiam tribuimus, quod in notione entis perfectissimi comprehendatur existentia necessaria. Atheus itaque hic excipit, notionem Dei formatam esse per determinationem arbitrariam, occasione notionis, quam de anima nostra habemus. Alii vero atheorum per testimonia Historicorum probare nituntur, notionem Dei esse inventum Politicorum, ad coërcendam plebem indomitam in civitate in usum receptum: quo inprimis opus fuerit illis temporibus, quibus major erat populis libertatis sensus. Quamobrem si quoad eos modos, quos recensuimus, erroris convicerimus atheos; scopo nostro nos abunde satisfecisse nobis videmur.

Circa notionem Dei per arbitrariam determinationem formatam quid liceat atheo.

§. 434.

Si notio Dei per arbitrariam determinationem fuit formata, occasione notionis cujusdam alterius; non ideo rejici potest, sed recte tantummodo urgetur, ut ejus probetur possibilitas (§. 111. *Disc. præl.* 539. *Log.*).

Notio entis perfectissimi ab atheo admittenda.

§. 435.

Notionem entis perfectissimi admittere tenetur atheus (§. 70. h. l. 1095. *Th. nat.* T. 1. 434. 13. *h. l.*).

A Politicis non est conficta.

§. 436.

Notio Dei a Politicis conficta non est plebis indomitæ coërcendæ gratia (§. 1078. 1081. *Th. nat.* T. 1. 156 sq. 166. h. l.). Ex his verum omnino est impunitatem in civitate non dare impunitatem coram Deo, sed Deum vindicem metuere debere, qui non habet, quod sibi metuat in civitate. Unde negari non potest notionem Dei plurimum valere ad extendendam & firmandam obligationem in civitate viventium, sive in parentium, sive in imperantium numero fuerint. Minime tamen hinc inferre licet, notio-

notionem Dei a Politicis fuisse confictam, propterea quod utiliter ens istiusmodi, quale Deus est, fingeretur, siquidem per impossibile ponatur non dari Deum (§. 140 *Ontol.*). Quamobrem cum tantummodo inde inferatur, non repugnare, quod notio Dei a Politicis conficta fuerit plebis indomitæ coërcendæ gratia; demonstrandum est notionem Dei pro invento Politicorum haberi non posse, sit ita, quod Politici eadem in rem suam usi fuerint, vel etiam usum in abusum verterint.

Quodsi per definitionem Dei nominalem sumamus, eum esse ens perfectissimum (§. 14.); certum est Deum necessario existere (§ 21.). Si per eandem sumamus, eum esse ens a se, in quo ratio sufficiens existentiæ mundi hujus adspectabilis & animarum nostrarum continetur (§. 67. T. I. *Th. nat.*); non minus certum est, Deum existere (§. 69. T. I. *Th. nat.*), & mundum hunc adspectabilem creasse (§. 760. T. I. *Th. nat.*), conservare (§. 847. T. I. *Th. nat.*) & gubernare (§. 900. T. I. *Th. nat.*). Immo si sumas Deum esse malarum actionum ab hominibus perpetratarum vindicem; certum est, illud ipsum ens, quod est creator, conservator & gubernator universi (§. 763. 847. 900. T. I. *Th. nat.*), esse quoque malarum actionum hominis, etiam occulte patratarum (§. 233. 241. 939. & sqq. T. I. *Th. nat.*), vindicem (§. 1078. 1081. T. I. *Th. nat.*). Patet itaque notionem Dei a Politicis plebis indomitæ coërcendæ gratia non fuisse confictam.

§. 437.

Aseitas mundo ab atheo tributa.

Atheus mundum habet pro ente a se (§. 411. h. l. 27. *Th. nat.* T. I.).

§. 438.

Aseitas alicujus entis ab atheo admissa.

Qui demonstrat dari ens a se, non autem porro ostendit, istud esse diversum a mundo vel ejus elementis, & rationem sufficientem existentiæ mundi in se continere, is nondum demonstravit dari Deum adversus atheum (§. 437. 411.).

Error athei non in eo consistit, quod neget ens a se; sed quod neget ens a se esse mundi autorem (§. 411.), & ipsum mundum hunc adspectabilem pro ente a se habeat (§. 437.).

§. 439.

Independentia mundi ab atheo asserta.

Atheus mundum independentem facit ab ente alio, quod ab ipso diversum (§. 437. h. l. 30. *Th. nat.* T. 1.).

§. 440.

In mundo omnia juxta eum rationem in eodem habent.

Juxta atheum nihil datur in hoc mundo adspectabili, quod rationem habet in ente alio ab ipso diverso, consequenter omnia, quæ sunt vel fiunt in eodem, rationem sufficientem in eodem agnoscunt (§. 439. h. l. 851. 70. *Ontol.*).

Per hanc propositionem facile absurditatis redarguitur atheus, cum plurima afferri possint, quorum rationem sufficientem non dabit, immo nec dari posse agnoscet atheus ex iis, quæ mundo ipsi insunt; sed quæ omnia plana sunt penitusque intelliguntur, quamprimum admiseris Deum, ens absolute perfectissimum, mundi hujus autorem.

§. 441.

Ratio existentiæ mundi ubi juxta eum quærenda.

In hypothesi athei mundus rationem sufficientem existentiæ suæ in essentia sua habere debet, ac ideo existere, quia possibile (§. 437. h. l. 31. 34. *Th. nat.* T. 1.).

§. 442.

Quale ens mundus, & qualis ejus existentia juxta atheum.

In hypothesi athei mundus est ens necessarium & existentia ejus absolute necessaria est (§. 441. h. l. 309. 308. *Ont.*).

§. 443.

In hypothesi athei mundus nec ortus est, nec interire potest (§. 437. h. l. 37. *Th. nat.* T. 1.).

Mundi ortus & interitus negandus atheo.

§. 444.

In hypothesi athei mundus non incepit existere, cum antea non existeret (§. 443. h. l. 541. *Ont.*).

Item existendi initium de mundo negatum.

§. 445.

In hypothesi athei mundus, qui existit, ut existere desinat impossibile est (§. 443. h. l. 541. *Ont.*).

Item existendi finis negatus.

§. 446.

Mundus ipsi æternus.

In hypothesi athei mundus est æternus (§. 444 sq. h. l. 39. *Th. nat.* T. 1.).

§. 447.

§. 447.

Qui mundum æternum esse statuit, vel æternitatem mundi possibilem defendit, is ideo atheus non est (§. 39. Th. nat. T. 1.). Enimvero ex eo, quod initium existendi non habeat, seu aliquando non extiterit, non necessario sequitur, quod ideo rationem existentiæ sufficientem habeat in seipso; sed hoc non obstante rationem sufficientem in alio habere potest, saltem qui æternitatem eidem tribuit, defendere potest, quod rationem existentiæ suæ sufficientem habeat in alio, nec hic attenditur, si vel maxime hoc statuat per errorem, scilicet quod mundus æternus rationem existentiæ sufficientem habeat in ente alio se diverso (§. 67. *Th. nat.* T. 1. 411. h. l.). Æternitas mundi non infert atheismum.

Multo magis idem patet, ubi tantummodo defendit æternitatem mundi possibilem esse, cum tum manifestum sit, rationem possibilitatis non quæri in mundo, sed in ente alio, in quo ratio sufficiens reperitur, cur existere possit mundus, qua posita ponitur quoque ipsa mundi existentia (§. 118. *Ontol.*).

Etsi atheus defendere teneatur æternitatem mundi (§. 446.); atheismi tamen fundamentum non est mundi æternitas, sed aseitas, quæ existentiam absolute necessariam infert (§. 32. T. 1. *Theol. natur.*), eamque independentem (§. 30. T. 1. *Theol. natur.*), ita ut ratio existentiæ sufficiens in ipso existente contineatur (§. 31. T. 1. *Theol. nat.*). Fundamentum atheismi subvertis, ubi eum non esse ens a se ostenderis, sed hoc potius a mundo diversum esse ac mundum in eodem rationem sufficientem existentiæ suæ habere debere demonstraveris. Si mundus non est a seipso, sed ab alio, sequitur dari Deum, sive is æternus fuerit, sive noviter productus. Potes largiri atheo mundum esse æternum, modo evincas, eum non esse a se; in salvo res est.

§. 448.

In hypothesi athei mundus non indiget vi alterius ad existendum, sed sibimetipsi ad id sufficit (§. 437. 442. h. l. 27. 26. Th. nat. T. 1.). Quomodo mundus juxta atheum sistat.

§. 449.

Mundi conservatio in hypothesi athei.

In hypothesi athei mundus seipsum conservat, nec opus habet ut conservetur ab alio (§. 842. Theol. natur. T. 1. *§. 448. h. l.).*

§. 450.

Miracula ipsi impossibilia.

In hypothesi athei miracula sunt impossibilia (§. 524. Cosm. 439. h. l. 851. Ont.).

§. 451.

Necessitas ordinis naturæ juxta eum.

Juxta atheum ordo naturæ necessarius est (§. 442. h. l. 176. 119. 569. *Cosm.* 279. *Ont.*).

Quoniam itaque in se contradictionem non involvit, ut detur ordo necessarius, cum tot exempla ordinis necessarii sint, quot dantur series infinitæ in Mathesi, quarum termini admirando ordine in infinitum progrediuntur; ab ordine naturæ ad autorem ejus Deum argumentari non licet adversus atheum, nisi ante probaveris, ordinem naturæ esse contingentem, non necessarium.

§. 452.

An ex necessitate ordinis naturæ sequatur non dari Deum.

Si quis statuit ordinem naturæ esse necessarium, is ideo atheus non est. Qui naturæ ordinem necessarium esse statuit, is negat ordinem naturæ alium præter eum, qui datur, esse possibilem (§. 279. *Ontol.*). Hinc vero tantummodo sequitur, si quis admittit, mundum a Deo esse creatum, quod Deus alium naturæ ordinem facere non potuerit, minime vero ex eo, quod naturæ ordo alius esse non potuerit, mundum ipsum necessario existere, nec aliquem ejus esse autorem seu creatorem. Vide § 411.

Qui præter hunc mundum, qui existit, alium nullum possibilem agnoscunt, admittere quoque tenentur alium non posse esse naturæ ordinem (§. 343.).

§. 453.

Leges motus necessariæ ipsi sunt.

In hypothesi athei leges motus sunt absolute necessariæ (§. 303. 559. *Cosm.* 451. h. l.).

§. 454.

§. 454.

In hypothesi athei eventus rerum naturalium sunt absolute necessarii (§. 439. 450.). Nihil in mundo evenire nisi naturaliter statuit (§. 509. 510. *Cosmol.*). Quamobrem cum in mundo adspectabili materiali naturale sit, cujus ratio in essentia & natura corporum continetur (§. 509. *Cosmol.*) & quæ in eodem naturaliter fiunt, juxta naturæ ordinem fiant (§. 565. *Cosmol.*); in mundo adspectabili juxta atheum nihil evenire potest, nisi cujus ratio sufficiens in essentia & natura corporum continetur, quodque secundum naturæ ordinem evenire potest. Jam conf. §. 303. *Ont.* 119. *Cosm.* 442. 451. h. l. Item eventus naturales.

Sermo nobis hic tantummodo est de effectibus naturæ, præcisis actionibus humanis, quæ a voluntate ejus pendent, externis.

§. 455.

In hypothesi athei nexus rerum est absolute necessarius (§§. 204 sq. 210. 191. *Cosm.* 118. *Ont.* 571. 509. *Cosm.* 442. *h. l.*). Absoluta nexus rerum necessitas in hypothesi athei.

§. 456.

Atheus non negare tenetur libertatem animæ, seu ex eo, quod non datur Deus, non sequitur, animam non esse liberam. Animam esse liberam, non ex eo demonstratur, quod a Deo fuerit creata (§. 780. T. 1. *Theol. natur.* & §. 338. h. l.), sed ex iis, quæ animum advertentibus ad ea, quæ de ipsa nobis conscii sumus, experientia suggerit (§. 942 *empir.*), & eam liberam esse agnoscimus, quod ratione prædita (§. 528. *rat.*). Quamobrem etsi atheus neget, dari Deum animarum creatorem (§. 411.), atque adeo animas pro entibus a se sive necessario existentibus habeat, quemadmodum mundum (§. 437.); non tamen ideo negare tenetur ea, quæ de anima nostra certa experientiæ fide constant & ideo ipsi tribuenda veniunt, quia rationalis est. E. An libertatem animæ negare teneatur atheus.

Agnovere hoc Theologi ac Philosophi, dum defendunt, atheum negare non posse existentiam juris naturalis, propterea quod negat dari Deum, obligatione naturali per errorem impium ad actiones suas legi naturali conformandas minime sublata. Atheus igitur admittere potest, dari in hoc mundo materiali contingentia a voluntate hominis libera pendentia, nec ex hac contingentia ipsum erroris sui convincere potue-

re potueris, quoniam ex eo, quod anima sit libera, non demonstrari potest dari Deum. Contingentia mundi hujus adspectabilis, quatenus non dependet ab animæ libertate, scala est, per quam ad existentiam Dei ascendimus, non vero contingentia eorum, quæ ab actionibus humanis pendent. Pone enim ab homine plantari arborem & hanc proferre fructus, quibus comestis in dysenteriam incidit Titius, juvenis alias vegetus, cum Sybilla matrimonium initurus, & matura morte extinguitur. Etsi per libertatem animæ inferas, existere in mundo arborem, quæ non existere poterat, existere fructus, qui non dari poterant, morte abripi Titium, qui alias vitam protraxisset & cum Sybilla liberos genuisset, consequenter ob libertatem voluntatis humanæ in mundo materiali ad actum deduci alias non deducenda, & actualitatem non consequi alias extitura: nunquam tamen hisce positis ac concessis demonstrabis dari Deum, qui sit mundi autor seu creator. Qualis enim hæc consequentia est? Dantur in hoc mundo materiali per libertatem animæ in eodem non extitura, si anima libera non esset, & ex adverso in eodem non dantur alias extitura, si animæ nulla competeret libertas. Ergo datur Deus, hoc est, ens a se, qui mundum creavit, seu ex nihilo produxit.

§. 457.

Atheus fines rerum naturalium negat.

In hypothesi athei nullus datur finis mundi, nec dantur fines ulli in mundo (§. 442. 437. h. l. 27. Theol. natur. T. I. *932. Ontol.).*

Quod in mundo unum inserviat usibus alterius, nec atheus negare potest, cum experientia in dubium minime revocanda idem apertissime loquatur. Sed cum atheus nullum agnoscat mundi autorem, nec usus hosce in numerum finium refert, cum nemo sit, qui hosce usus intenderit & eorum consequendorum gratia res tales fecerit. Equidem non nego, si fines in hoc universo obvios perpendat atheus, probabile quodammodo reddi posse, quod fines esse possint, qui dicuntur, ac ideo probabile posse videri, quod non omnino impossibile sit dari hujus universi autorem; sed ultra aliquem probabilitatis gradum nunquam ascendere dabitur, nec certus ac immotus nascetur assensus. Id agnovere acutiores, qui argumento a finibus petito nonnisi certitudinem moralem tribuere.

§. 458.

§. 458.

In hypothesi athei non admittendus necessario est casus purus (§. 411. 442. 454. 457.). Positis his, non tamen negare tenetur, omnia fieri cum ratione sufficiente, cum principium rationis sufficientis cognoscatur, etiamsi non supponas dari Deum, mundi autorem, eventus in mundo adspectabili esse contingentes & dari fines rerum naturalium (§. 70. *Ontol*), immo veritatem hujus principii agnoscere teneatur atheus, antequam ex contingentia mundi existentiæ Dei convinci possit (§. 69. T. I. *Theol. natur.*), & si demonstrationes contingentiæ mundi & elementorum ejus in systemate datas (§. 55. 56. T. I. *Theol. nat.*), resolvere volueris in sua principia (§. 962. *Log.*), pateat, nec eam absque principio rationis sufficientis demonstrari posse, ut inde porro existentiæ divinæ convincatur atheus. Jam vid. §. 94 seq. *Cosmol.* Casum purum num statuere debeat atheus.

§. 459.

E. *Nec atheus affirmare potest mundum existere casu puro, vel quicquam in eodem contingere casu puro (§. 458.)*, consequenter *si alterutrum affirmet, per demonstrationem impossibilitatis casus puri ad absurdum redigendus* (§. 96. *Cosm.*) An existentiam & eventus in mundo casui puro tribuere liceat.

§. 460.

Casus simpliciter dictus est concursus causarum ad effectum alterius gratia agentium. Effectus, qui eidem tanquam causæ tribuitur, *Effectus casualis* appellatur. Nonnulli etiam effectum ab isto causarum concursu pendentem casum appellant; sed præstat ambiguitatem in loquendo evitare. Casus definitio.

Ponamus ædificium dirui & intra murum reperiri gemmas pretiosas: gemmæ casu repertæ dicuntur. Etenim eas intra murum condidit dominus non eo fine, ut ædificium diruens easdem reperiret: nec qui ædificium diruit, id eo fine facit, ut gemmas reperiat. Concurrunt adeo ad hunc effectum, tum qui gemmas intra murum conclusit, ut eas certius asservaret; tum qui murum diruit, ut ædificium novum extrueret. Sed uterque egit propter effectum alium, quam qui ex illo concursu resultavit.

§. 461.

An, quæ casu fiunt, casu puro fiant.

Quæ casu fieri dicuntur, non fiunt casu puro (§. 460. h. l. 56. *Ont.* 94. *Cosm.*).

§. 462.

Ex parte Dei non datur casus, sed ex parte causarum secundarum.

Ex parte Dei casus nullus est, seu nihil fit casu; sed tantummodo ex parte causarum secundarum, aut, si mavis, naturalium (§. 524. 900. 899. *Th. nat.* T. 1. 937. *Ont.* 460. h. l.).

§. 463.

Nulla providentia Dei juxta atheum.

Atheus necessario negat providentiam divinam (§. 411. 454. 449. h. l. 922. *Th. nat.* T. 1.).

§. 464.

Quænam casui tribuat.

Atheus casui tribuit, quæ providentiæ divinæ tribuenda sunt (§. 462. *h. l.* 900. 899. 922. *Theol. natur.* T. 1. 460. 463. 462. *h. l.*).

§. 465.

Quinam effectus casuales fortunæ tribuantur.

Effectus casuales homini vel boni, vel mali ad fortunam referendi (§. 460. h. l. 540. *Th. nat.* T. 1.).

Effectus casualis est, si quis murum diruens invenit gemmas pretiosas. Sed cum inventio bona dicatur inventori: fortunæ tribuitur secundæ. Hinc dudum observarunt Scholastici, omnem fortunam includere casum, etsi casus omnis non sit fortuna, cum hæc supponat destinato consilio agentem.

§. 466.

Fortuna juxta atheum casui non providentiæ subest.

Juxta atheum fortuna non subest providentiæ divinæ (§. 463.); *sed casui* (§. 464 *sq. h. l.* 932. *Th nat.* T. 1).

Quodsi atheus non neget libertatem animæ, quam negare non tenetur (§. 456.); eatenus homo evitare potest in ipsius hypothesi casum, quatenus actionum libertas in eundem influit, vi cujus ea actio omitti poterat, qua ad effectum casualem concurrit, veluti viator fulmine non ictus fuisset, nisi gradum accelerasset; quo ipso contingit, ut eo temporis momento hæreret in loco, quem fulmen petit. Pa-

tet

tet autem casum difficillime evitari posse, propterea quod eum prævidere non liceat, veluti in exemplo dato ignorat viator, quod locum illum, in quo perit, fulmen sit petiturum. Unde est, quod atheus casum simpliciter inevitabilem pronunciet. Quæ enim non cadunt sub deliberationem nostram, ea a nobis evitari nequeunt: sit ita, quod contrarium fieri potuisset, ac hoc modo casuale damnum evitatum fuisset.

§. 467.

Atheus admittere tenetur progressum in infinitum vel rectilineum, vel circularem (§. 444 sq. h. l. 81. 91 sq. *Cosm.*). Progressus in infinitum athei.

Progressus in infinitum rectilinei impossibilitas statim illucescit in oculos (§. 93. *Cosmol.*), quoniam principio rationis sufficientis manifesto contrariatur. Hinc qui æternitatem mundi defenderunt Philosophi Gentiles, veluti Stoici, in progressum circularem illapsi sunt: unde enatæ sunt continuæ revolutiones, quarum ope redeunt, quæ jam antea extiterunt, etsi nonnisi longissimo temporis tractu. Ita qui nunc est in toto mundo status aliquando in hypothesi progressus circularis iterum rediturus. Vivent in terra homines, qui nunc vivunt, & eadem agent singuli, quæ nunc agunt.

§. 468.

In progressu rectilineo in infinitum ab effectu præsenti retrogrediendo nunquam pervenitur ad causam primam, nec progrediendo ad effectum ultimum, qui denuo non fiat alterius effectus causa (§§. 92. 91. 55. 83. *Cosmol.* 44. *Theol. natur.* T. I.). *Similiter in serie mutationum, quæ in eodem subjecto contingunt, a statu præsente retrogrediendo nunquam pervenitur ad statum primum, & ab eodem progrediendo nunquam pervenitur ad ultimum* (§§. 92. 91. *Cosm.* 44. *Th. nat.* T. I. 705. *Ont.*). Progressus in infinitum rectilineus qualis sit.

§. 469.

Progressus in infinitum rectilineus a parte ante dicitur, si in serie contingentium nunquam pervenitur ad primum a præsente retrogrediendo, etsi progrediendo perveniatur ad finem. Et ex adverso *Progressus in infinitum rectilineus ex parte post* appellatur, si in serie contingentium progrediendo nunquam Progressus rectilinei ex parte ante & ex parte post ac ab utraque differentia.

 perve-

pervenitur ad finem five ultimum, etfi retrogrediendo perveniatur ad primum. Quamobrem cum progreffus in infinitum fimpliciter dictus nec primum, nec ultimum admittat in contingentium ferie (§. 91. *Cofm.*); *progreffus in infinitum rectilineus fimpliciter dictus & ex parte ante, & ex parte poft infinitus eft.*

§. 470.

Poffibilitas progreffus in infinitum rectilinei a parte poft.

Pregreffus rectilineus in infinitum a parte ante impoffibilis eft (§. 93. Cofmol.), non vero progreffus in infinitum a parte poft.

Ponamus progreffum rectilineum in infinitum a parte poft effe impoffibilem: neceffe igitur eft, ut ens fimplex exiftere definat, ideo quod non amplius fit modificabile. Jam vide §. 698. *Ontol.*). Quamobrem neceffe eft ut ens fimplex annihiletur, hoc eft, ita exiftere definat, ut nihil ejus amplius fuperfit (§. 540. *Ontol.*). Aft per hoc, quod ulterius modificabile non fit, non intelligitur, quod ita exiftere definat, ut nihil ejus amplius fuperfit, fed ut non amplius varientur ejus modi §. 704. *Ontol.*), confequenter ut pofthac in eodem ftatu perfeveret (§. 705. *Ontol.*), adeoque quod ulterius modificabile non fit, non eft ratio fufficiens annihilationis (§. 56. *Ontol.*), nec ideo annihilari poteft ens fimplex (§. 118. *Ontol.*). Et cum determinationes in fe mutabiles fint, quibus ftatus ultimus conftituitur (§. 314. *Ontol.*), nec cur idem non amplius mutari queat, ratio nulla in effentia rei contineatur, quia modi per effentialia non determinantur (§. 148. *Ontol.*), quin potius vis enti fimplici inexiftens (§ 196. *Cofmol.* & §. 53. 48. *rat.*) continuo ad ftatus mutationem tendat (§. 725. *Ontol.*); evidens eft mutationes ftatus continuo progredi debere, neque adeo progreffum rectilineum in infinitum a parte poft impoffibilem effe.

Propofitio hæc mirifice favet principiis Chriftianismi. Etenim Chrifto Doctore novimus, dari vitam æternam poft hanc vitam, in qua non modo animæ, quæ a corporis morte fuperfunt, verum etiam corpora iterum ex mortuis refufcitata & iisdem denuo unita in æternum perennatura. Vitam adeo æternam, qui firma fide tenet, progreffum quoque

quoque rectilineum in infinitum a parte post admittere tenetur; ecquis enim asseverare ausit, in animabus hominum vitæ æternæ participum nullam fore perceptionum ac appetitionum variationem, quam fert earundem natura finita, nisi eas in perpetuum stuporem conjicere velit? Nemo vero objiciat per hoc, quod ostenderimus, mutationum in ente simplici progressum rectilineum in infinitum a parte post non esse impossibilem, nondum probatum esse, quod progressus quoque successivorum in hoc mundo adspectabili rectilineus in infinitum a parte post non sit impossibilis. Cum enim rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur, in elementis, adeoque substantiis simplicibus (§. 182. *Cosmol.*), contineantur (§. 191. *Cosmol.*); si mutationes in elementis admittunt progressum rectilineum in infinitum a parte post, nec is mutationibus, quæ in universo contingunt, seu seriei successivorum in hoc mundo adspectabili repugnare potest.

§. 471.

In progressu circulari in infinitum quæ nunc fiunt, infinities iterum reditura & olim jam sæpius adfuere (§. 92. 91. Cosm. 446. h. l.). Reditus eorundem in hypothesi circulari.

Impium hunc errorem optime ac citra ambages refutare datur, ubi mundi ac animarum aseitatem & necessariam existentiam tanquam ejus fundamentum subvertimus. Hoc enim subverso corruit impia hypothesis, cum eadem sua sponte corruunt, quæ ex eadem necessaria consequentia deducuntur, ac ideo ab atheo defenduntur, non defendenda amplius, quam primum dari Deum agnoscit.

§. 472.

Revolutio dicitur restitutio seriei causarum ad eundem terminum, a quo receditur. Revolutio quid dicatur.

§. 473.

In progressu circulari in infinitum innumeræ sine fine dantur revolutiones (§. 92. Cosmol. 472. 445. h. l. 91. Cosmol.). In progressu in infinitum circulari datur revolutio.

§. 474.

In progressu circulari in infinitum admittendum est revolutionum aliquod principium, unde istæ incipiunt (§. 472. 471. 473.). Principium in revolutionibus admittendum.

Neque est quod excipias, istiusmodi principio opus non esse in revolutionibus innumeris, quas requirit progressus in infinitum. Revolutio enim finito tempore absolvenda, cum alias non rediret, quod adfuerat (§. 471.), nec series causarum ad eum terminum restitueretur, quemadmodum vult revolutio (§. 472.), per hoc non variatur, quo sine fine ponatur. Sive enim semel, sive multoties, sive infinities ponatur, eadem semper manet. Quamobrem cum unam revolutionem concipere non liceat sine principio, unde incipit, nec in infinitum iterata sine principio, unde initium capit, concipi poterit. Quemadmodum peripheria circuli vel alterius cujuscunque lineæ in se redeuntis in lineam rectam extenditur & in eadem extensa principium habet, quod cum fine coincidit, ubi recta in lineam in se redeuntem incurvatur; ita series rerum successivarum inqualibet revolutione progressus circularis in infinitum æquivalet seriei in linea recta progredienti, quæ & principium habet, & finem: sed quia iterum incipit, ubi finitur, a fine semper reditur ad principium & quidem continuo ab eodem ad idem. Cum in progressu circulari in infinitum nescio quod præsidium sibi reperisse visi sint veteres philosophi ad tuendam mundi æternitatem & aseitatem; necesse est clarissime agnosci, qualis sit, ne per præcipitantiam de eo judices.

§. 475.

Progressus circularis in infinitum differentia.

Progressus circularis in infinitum independens dicitur, si ratio ejus in ipsa causarum serie sufficiens continetur, cur continuo revolvatur. Ast *dependentem* appellamus, si continuæ revolutionis ratio quærenda in ente alio extra causarum seriem constituto.

§. 476.

Status primi novæ revolutionis dependentis ab ultimo anterioris.

In qualibet revolutione progressus circularis independentis status ultimus continere debet rationem sufficientem status primi novæ revolutionis (§. 472. 474. h. l. 70. *Ont.* 475. h. l.).

§. 477.

Revolutionum dependentia mutua in progressu circulari.

Si datur progressus circularis independens in rerum natura, effectus ultimus in una revolutione fit causa causæ primæ in revolutione sequente. Etenim in serie successivorum, quæ sunt contingentia (§. 80. *Cosmol.*), ea a se invicem dependent ut effectus a sua causa (§. 83. *Cosmol.*). Jam conf. §. 476. h. l. 851. *Ont.*

Cave

Cave tamen ut hinc inferas contra atheum disputaturus, quod ideo ultima fœmina iterum pariat primum hominem, adeoque filia parentem. Qui enim revolutiones admittunt, mutationes extraordinarias in corporibus mundi totalibus tuentur, quemadmodum ex Stoicorum veterum placitis constat, veluti si in hypothesi Cosmogoniæ *Cartesianæ* planetæ in fixas, fixæ in planetas mutantur. Quamobrem etsi concedant, in præsente Telluris statu homines & animalia non produci nisi per generationem; vi tamen suarum hypothesium admittere tenentur, quod in transmutatione fixæ in planetam, seu reductionis ejus status, in quo nunc Tellus est, alius esse debeat modus, quo homines & animalia ex organico præexistente prodeant, quam qui jam obtinet, hoc est, a generatione diversus.

§. 478.

Qualem progressum circularem admittere teneatur atheus.

In hypothesi athei non habet locum nisi progressus circularis in infinitum independens (§. 439. h. l. 851. *Ont.* 55. *Cosm.* 473. h. l. 70. *Ont.* 475. h. l.).

§. 479.

Impossibilis progressus circularis independens in infinitum.

Progressus circularis in infinitum independens est impossibilis. Etenim in progressu circulari sive finito, sive infinito admittendum est aliquod principium, unde revolutiones singulæ incipiunt (§. 474.). Ponamus jam in serie circulante successiva esse A, B, C, D, E, F, G. Quoniam in serie successivorum omnia connectuntur, hic *per hypothesin;* in mundo adspectabili per alibi demonstrata (§. 54. *Cosmol.*), quæ autem connectuntur, eorum unum continet rationem sufficientem successionis alterius (§. 10. *Cosmol.*); in A contineri debet ratio, cur sequatur B; in B, cur C; in C, cur D; in D, cur E; in E, cur F; in F, cur G; in G, cur A sequatur. Perinde igitur est, sive A sumatur pro primo in serie, sive B, sive C, sive quodcunque aliud in ea contentum. Principium itaque, unde revolutiones incipiunt, rationem sufficientem in ipsa serie circulantium non habet. Quamobrem independens esse nequit (§. 475.). E. (§. 81. *Ontol.*).

Non est, quod excipias, inesse quidpiam revolutionis statui uni A, quo a ceteris omnibus differt, atque adeo eundem accipiendum esse pro principio revolutionis. Neque enim jam quæritur, quidnam cum

cum ratione pro principio revolutionis sumi possit, ubi earundem numerandarum gratia pro arbitrio tuo aliquod statuere teneris; sed quodnam id sit, unde revera inceperint revolutiones & num hoc ipsum per ea, quæ insunt seriei circulanti, ita determinetur, ut nonnisi eodem admisso circulationis continuatio concipi nequeat. Demus itaque statum A differre a ceteris omnibus, atque adeo si pro arbitrio statuendum sit aliquod principium, eundem pro principio cum ratione sumi: quoniam tamen hic ipse status A rationem sufficientem habet in statu A, ut per eum in actu ponatur (§. 118. *Ontol.*), quemadmodum alius quicunque E in proxime antecedente D rationem sufficientem habet ac per ipsum ponitur; circulatio non minus continuabitur, si a D inceperit, quam si ab A initium sumserit. Si igitur nonnisi circulationem per se spectes, ratio sufficiens nulla est, cur ejus initium potius A, quam D esse debeat. Satis igitur intelligitur, progressum circularem in infinitum independentem involvere, quod rationem sufficientem in ipsa serie circulantium minime habet, consequenter cum nec in ente alio extra seriem constituto habere possit (§. 475.), principio rationis sufficientis repugnare, atque adeo quoad actualitatem suam contradictionem involvere, & idcirco pro impossibili pronunciandum esse, ut detur.

§. 480.

Aseitas finito repugnans.

Nullum ens finitum est ens a se (§. 834. *Ontol.*). Si ergo ens finitum existit, datur in eodem successivorum quædam series. Ponamus itaque, ens finitum esse ens a se. Quoniam adeo nullum existendi initium finem nullum habet (§. 35. 36. T. I. *Theol. natur.*); series illa successivorum nec initium, nec finem habere potest, adeoque utrinque interminata est. Series rerum contingentium interminata, in qua nec primum datur, nec ultimum, progressus in infinitum est (§. 91. *Cosmol.*). Datur itaque in ente finito a se progressus in infinitum. Quamobrem cum progressus in infinitum omnis vel rectilineus sit, vel circularis (§. 92 *Cosmol.*); in ente finito a se, qui datur progressus, vel rectilineus esse debet, vel circularis. Enimvero progressus in infinitum rectilineus impossibilis est (§. 93. *Cosmol.*). E. Esse nequit. Jam cum ens a se sit independens (§. 30. T. I. *Theol. nat.*); progressus in infinitum, qui datur in ente finito a se, independens

dens esse debet, cumque vel rectilineus esse debeat, vel circularis, rectilineus autem esse nequeat; erit progressus in infinitum circularis independens. Enimvero hic etiam impossibilis (§. 479.), E. dari nequit. E.

§. 481.

Aseitas elementis & animabus repugnans.

Elementa rerum materialium & animæ tam hominum, quam brutorum non sunt entia a se (§. 203. Cosmol. 264. ration. 480. h. l.).

§. 482.

Item mundo adspectabili repugnans.

Mundus hic adspectabilis ens a se esse nequit (§. 100. 316. 481.).

§. 483.

Atheismi fundamentum.

Si mundus cum suis elementis & animabus hominum atque brutorum est ens a se, nullus datur Deus, mundi & elementorum ejus autor atque animarum (§. 31. 67. 758. 780. 783. Th. nat. T. 1.).

§. 484.

Repugnantia aseitatis & contingentiæ.

Ens a se contingens esse nequit (§. 31. Th. nat. T. 1. 310. Ont.) & nullum ens contingens est a se (§. 310. Ont. 31. Th. nat. T. 1.).

§. 485.

Atheismus contradictorius.

Atheismus contradictionem involvit. Ex §. 437. h. l. 50. *Th. nat.* T. 1. 332. 354. 482 h. l. 176. 182. 119. *Cosm.* 52. 736. *Th. nat.* T. 1. 331. 334. 481. h. l. discis nec mundum adspectabilem, nec elementa rerum materialium esse ens a se: immo si concedatur, mundum oriri ex atomis materialibus, vel materia uniformi indivisa, nec dici potest, illas, vel hanc esse ens a se (§. 53. 54. T. 1. *Th. nat.*). In hypothesi adeo athei affirmandum, quod negari debebat (§. 202. *Log.*). Jam vide §. 31. 46. *Ont.*

§. 486.

Impossibile non existere Deum.

Impossibile est non dari Deum, mundi autorem (§. 411. 485. h. l. 79. *Ont.*).

§. 487.

Impossibilitas demonstrandi non existentiam divinam.

Impossibile est ut demonstretur, non dari Deum, mundi autorem (§. 515. 528. 483. Log.). Enimvero demonstrari potest (*Th. nat. contr. T. II.*).

 dari

dari Deum mundi autorem (§. 69 67. T. 1. *Th. nat.* & §. 21. 350. h. l.) consequenter propositio hæc: datur Deus, mundi autor, vera est (§. 515. *Log.*). Nunc vide §. 28. *Ontol.*

§. 488.

Qualis sint atheorum argumenta.

Quodcunque argumentum contra existentiam Dei, mundi autoris, profert atheus, id in formam artis reductum vel vitio formæ laboret, vel vitio materiæ necesse est, quatenus nimirum atheus falsa principia supponit. Neutrum enim si daretur; non dari Deum demonstrari posset. Atqui lege §. 487. h. l. E.

§. 489.

Aseitas mundi precario asserta ab atheo.

Atheus precario sumit mundum esse ens a se. Etenim aut ex eo, quod non detur Deus, infert mundum esse ens a se (§. 437.), aut ex aseitate mundi colligit non dari Deum, mundi autorem (§. 483.). Quoniam impossibile est, ut demonstretur, non dari Deum (§ 487.); hoc ipsum sumitur gratis (§. 68. 69. T. 1. *Theol. nat.*), consequenter ex principio precario infertur, mundum esse ens a se, manifesto errore (§. 596. *Log.*). Perinde igitur est, ac si ipsa mundi aseitas precario sumeretur. Quodsi ex aseitate mundi infert non dari Deum, mundum esse ens a se sumit, quia probare nescit, eum a se non esse, etsi demonstrari possit (§ 50 51. & sqq. T. 1. *Theol. nat.* & § 332. 484. *it.* §. 482. h. l.). Mundi igitur aseitatem denuo non nisi precario sumit. E.

§. 490.

Quænam cum aseitate mundi corruant.

Destructa aseitate mundi corruunt ejus independentia, ortus ac interitus impossibilitas, existentia per essentiam & subsistentia per vim propriam (§. 439. 443. 441. 448.).

§. 491.

Quomodo atheus dubius reddatur circa existentiam miraculorum & absolutam eventuum necessitatem.

Si atheus convincitur dependentiæ mundi ab ente alio, de miraculorum impossibilitate & eventuum in rerum natura absoluta necessitate dubitare tenetur (§. 450. 454.). Quodsi ergo convincatur dependentiæ mundi ab ente alio a se diverso, certus est suum antecedens poni non posse; consequenter agnoscere tenetur, nec poni posse consequens (§. 381. *Log.*). Enimvero cum sublato antecedente nondum tollatur consequens (*not. §. cit.*);

nondum

nondum certus eſt, utrum conſequens verum ſit, an falſum. Jam conf. §. 417. h. l.

Non enim videt, annon ex alia ratione miracula ſint impoſſibilia, eventusque in rerum natura abſolute neceſſarii. Neque enim miracula poſſibilia ſunt, quia mundus quoad exiſtentiam dependet ab ente alio a ſe diverſo, ſed quia ab ente omnipotente dependet, quod poſſibilia omnia ad actum perducere valet, miraculum vero in eo corpore, in quo contingit, poſſibile (§. 363. T. 1. *Th. nat.*). Similiter nexus rerum in univerſo, unde pendent eventus in natura rerum, abſoluta neceſſitate liber non eſt, quia mundus quoad exiſtentiam dependet ab ente alio a ſe diverſo, ſed quia quoad actualitatem dependet a liberrimo Dei decreto, aliique rerum nexus præter eum poſſibiles (§. 667. T. 1. *Theol. natur.*). Quamdiu igitur deſtructa aſeitate mundi ipſum non conviceris, niſi quod mundus dependeat quoad exiſtentiam ab ente alio ab ipſo diverſo (§. 490.), nondum vero eundem eo adduxeris, ut miraculorum & nexuum diverſorum poſſibilitatem ac entis illius, a quo dependet, omnipotentiam atque in decernendo libertatem agnoſcat; nec ipſi certum eſſe poteſt, utrum miracula ſint poſſibilia, an impoſſibilia; utrum eventus in rerum natura ſint abſolute neceſſarii an ab abſoluta neceſſitate liberi.

§. 492.

Si atheus convincitur, rationem ſufficientem exiſtentiæ in eſſentia mundi non contineri, nec exiſtentiam ejus neceſſariam admittere poteſt (§§. 310. 316. 294. *Ont.*). Quomodo atheus cognoſcat exiſtentiam mundi non eſſe abſolute neceſſariam.

Probe notandum eſt, exiſtentiam neceſſariam entis hic tantummodo conſiderari ex parte ſui, non vero ex parte ejus, a quo ens in actualitate ſua dependet. Etſi enim atheus agnoſcat, mundo non convenire exiſtentiam abſolute neceſſariam ex parte ſui, & fateatur, ſi mundus in ſe ſpectetur, non repugnare, ut non exiſtat, per ſe quippe ad exiſtendum & non exiſtendum indifferens; nondum tamen ideo agnoſcit, actualitatem ejus ita dependere ab ente alio, ut ipſum non exiſtere poſſibile ſit. Conſtat nimirum, id tum demum eidem patere, ubi convictus fuerit, Deum libere creaſſe hunc mundum (§. 354.).

Quomodo atheus adducatur in dubitationem de æternitate mundi & absoluta ordinis naturæ necessitate & ad agnitionem finium sine ratione rejectorum.

§. 493.

Si atheus convincitur, existentiam absolute necessariam mundo a se tribui non posse; de ejus æternitate & absoluta ordinis naturæ necessitate dubitare tenetur, nec, quod ejus fines dentur in rerum natura, negare potest (§. 444. 446. 451 457.). Enimvero quoniam fieri potest, ut mundi æternitatem sive actualem sive possibilem (§. 447.) & necessitatem ordinis naturæ defendat, qui atheus non est (§. 452.); missa impia hypothesi nondum negare tenetur, quod mundus sit æternus & ordo naturæ absolute necessarius. E. (§. 417.).

Errores athei.

§. 494.

Errat atheus (§. 593. Log.), *dum mundum habet pro ente a se, eumque independentem facit ab ente alio, quod ab ipso diversum; dum rationem existentiæ sufficientem in essentia ejus contentam esse pronunciat, eumque pro ente necessario habet; dum nec ortum esse, nec interire posse statuit, eumque sibimetipsi ad existendum sufficere tuetur; dum miracula in numerum impossibilium refert, ac naturæ ordinem necessarium facit; dum eventus rerum absolutæ necessitati subjicit, nexum earum non agnoscens nisi absolute necessarium; dum finibus in mundo seu rerum natura nullum relinquit locum, & providentiam divinam tollit, casui tribuens, quæ ad eam referuntur; dum denique progressum in infinitum rectilineum ab utraque parte, vel circularem independentem admittit.*

Effectus aseitatis sublatæ.

§. 495.

Destructa mundi aseitate (§. 411. 437 sq. 439. 443. 441. 448. 450. 454 sq. 442. 451 457. 464.), *in quorundam errorum agnitionem* (§. 490. 442.) *& de ceteris dubitationem* (§. 493.) *adducitur atheus.*

Nullam hic mentionem fecimus progressus in infinitum vel rectilinei, vel circularis, quorum alteruter in hypothesi athei necessario locum habere debet (§. 467.). Patet autem hanc necessitatem niti principio, quod mundus existendi initium ac finem non habeat (§. 444. 445.). Cum igitur destructa aseitate mundi, de ejus æternitate dubitare teneatur, quod de progressu circulari quoque dubitare debeat, impos-

impossibilitatem aseitatis mundi agnoscens, extra omnem dubitationis aleam positum. Enimvero cum intricata sit de progressu infinitum disputatio (§. 468. & seqq.), hic ipse tamen sua sponte cadat, quatenus atheismum involvit (§. 470. 478.), ubi veram de Deo cognitionem hauseris; eam seponi præstat, quoties cum atheo res est, cum minime obstet error, quo minus ad veritatis agnitionem perducatur. Quodsi tamen urgeat progressum circularem vel rectilineum in infinitum; satisfacient ea, quæ de eodem in superioribus demonstrata sunt (§. 468. & seqq.).

§. 496.

Si atheus agnoscit mundum non esse ens a se, ad certam Numinis cognitionem deducendus per demonstrationes in systemate datas, vel in hac altera Theologiæ naturalis parte exhibitas (§. 495. h. l. 1005. 962. 968. 539. Log.). Quomodo atheus ad certam Dei cognitionem perducatur.

§. 497.

Ex eo, quod mala physica & moralia dantur in mundo, inferri nequit, quod sit imperfectus (§ 550. 563. 569. 572. 683. 689. *Th. nat.* T. 1.), *adeoque Deum, ens perfectissimum, autorem habere nequeat* (§. 552 sq. 556. *Th. nat.* T. 1.). An inexistentia mali repugnet dependentiæ in actu a Deo.

Jam olim athei malorum physicorum & moralium inexistentiam tanquam argumentum omnium fidelissimum, utpote quod insolubile visum adversus existentiam Dei mundi autorem urserunt. Existimant enim, si mundus factus sit a Deo, hic autem sit ens summe perfectum, cujus perfectione majorem concipi repugnat; eum esse debere opus perfectissimum, præsertim si demonstrandæ summæ perfectionis gratia mundum condidisse dicatur Deus, consequenter ab omni malo physico atque morali prorsus vacuum. Quoniam itaque mundus, in quo mala physica & moralia dantur, non loquatur talem artificem, qualis Deus esse debet, nec mundum hunc a Deo esse productum, consequenter non dari ens perfectissimum, quod sit mundi autor, quale Dei nomine indigitamus.

§. 498.

Ex eo, quod mala moralia dantur in mundo, inferri nequit, quod Deus sit causa peccati, adeoque mundus Deum, ens omni-um Mali moralis in mundo inexistentia sanctitati Dei non adversa.

um sanctissimum & justissimum, autorem habere nequeat (§. 897. *Th. nat.* T. 1. 289. h. l. 580 sq. 582. 668. *Th. nat.* T. 1. 292 h. l. 585. 883. 885. *Th. nat.* T. 1.). Cur igitur malum morale sit possibile, cur actu sequatur, per ea intelligitur, quæ homini insunt, nec quicquam ejus Deo tribuendum, consequenter ratio sufficiens mali moralis unice in homine continetur, nihil vero ejus in Deo (§. 56 *Ont.*). Jam vide §. 881. 874. *Ont.* Unde porro cadit, ob inexistentiam mali moralis mundum non posse habere autorem sanctissimum & justissimum, præsertim cum nec permissio illius repugnet justitiæ divinæ, adeoque nec sanctitati (§. 1076. 1063. T. 1. *Th. nat.*).

§. 499.

Mala physica & moralia non sunt contra bonitatem & sapientiam autoris mundi.

Ex eo, quod mala physica & moralia dantur in hoc mundo, inferri nequit, autorem ejus non posse esse sapientissimum & summe bonum (§. 676. 580. 714 seq. 722. 725. 734 seq. *Theol. natur.* T. 1.).

Bonitati non convenire videtur, quod Deus tot malis locum fecerit in hoc mundo, quibus promiscue obnoxii sunt & pii, & impii. Unde negarunt alii providentiam tantummodo divinam, alii omnem dependentiam mundi a Deo, consequenter nec Deum ullum mundi autorem admiserunt athei facti (§. 411.). Quodsi vero quis resolutionem demonstrationis in sua principia instituere voluerit, haud difficulter animadvertet, assensum hic vel maxime pendere a notione necessitatis essentiarum, ita ut idea confusa essentiarum arbitrariarum animo obversans eidem obstet, non advertentibus illis, qui, ubi assentiri voluerint, repugnantiam quandam in seipsis experiuntur. Quamdiu enim substantias fingis tanquam subjecta vacua ad quaslibet determinationes intrinsecas recipiendas indifferentia, quas Deus pro arbitrio indat (quæ est communis notio deceptrix); multa videntur ut bonitati, sic ceteris attributis divinis repugnare, quæ minime repugnant. Quamobrem ad dispellendas tenebras præsentes plurimum lucis afferunt, quæ de origine idearum in intellectu divino, tanta claritate exposuimus in superioribus (§. 87. & seqq.), quanta hactenus non factum ab aliis.

§. 500.

§. 500.

Atheus admittere tenetur differentiam inter actiones malas & bonas, quatenus moraliter spectantur (§. 574 sq. 579. *Theol. nat.* T. 1. 554. *emp.* 914. *Th nat.* T. 1.). Quoniam hæc differentia inter actiones malas & bonas, quatenus moraliter spectantur, demonstratur, immo & a posteriori agnoscitur, independenter ab existentia Dei ejusque attributis; quin eam admittere teneatur, qui negat dari Deum, nemo non videt.

Differentia moralis actionum in hypothesi athei admittenda.

§. 501.

Atheus non necessario actionibus malis delectatur, & bonas omnes aversatur (§. 500. h. l. 589 sq. *emp.*).

An necessario actionibus malis delectetur.

§. 502.

Atheus theoreticus dicitur, qui verbis (sive mente conceptis, sive ore prolatis) negat dari Deum. Ast *atheus practicus* appellatur, qui factis Deum dari negat, quem verbis profitetur. *Negat* autem *factis dari Deum*, si actiones ex habitu profluentes fuerint contrariæ iis, quarum motiva necessario sunt, vel esse possunt divina attributa.

Differentia athei theoretici & practici.

Non ob quasvis promiscue actiones malas atheorum practicorum numero illas patrantem accensere licet. Ad atheismum itaque practicum requirimus 1. ut actionum motiva esse nequeant attributa divina, sed potius eorum negatio motivum præbere possit; 2. ut actiones istæ ex habitu proveniant, adeoque agendi consuetudo contradicat agnitioni Numinis. Nos hic ab usu loquendi minime recedere, haud difficulter perspicitur. Atheus theoreticus verbis negat dari Deum. Supponitur autem, verba esse animi sensis conformia: secus enim se atheum simulat, qui non est. Atheus practicus cum theoreticus non sit, concedere debet dari Deum. Nil igitur relinquitur, quam ut facta a verbis dissentiant, quemadmodum in homine, qui Deum, quem agnoscit, sincera mente colit, verborum & factorum observatur consensus. Attributa divina per modum motivorum influere posse in actiones hominis liberas, nemo negaverit. Enimvero cum actiones, quarum motiva esse possunt, immo debent attributa divina (§. 990. T. 1. *Theol. nat.*), habeant etiam motiva alia, ab intrinseca nimirum honestate ac turpitudine desumta, nec ab atheo neganda (§. 500.); non

non repugnat aliquem edere actiones, quarum motiva esse possunt attributa divina, ut tamen hisce non utatur. Ex nuda igitur illorum omissione inferri nequit, quod factis neget, quæ verbis affirmat, consequenter quod praxis & theoria sibi mutuo contradicant, utut ultro concedatur, praxin defectu applicationis maxima laborare imperfectione. Nihil igitur relinquitur nisi theoriæ & praxeos contrarietas, quæ atheismum practicum faciat. Contrariatur autem praxis theoriæ, si actiones fuerint tales, ut, si ad Deum referantur, motiva esse nequeant nisi eorum, quæ de Deo agnoscuntur, negationes, consequenter ut contrarientur actionibus, quarum motiva necessario sunt, vel saltem esse possunt ac debent attributa divina, seu quæ de Deo agnoscuntur. Quoniam nemo adeo bonus est, quin humani quid patiatur & per rationes extrinsecas singulares ad actionem quandam malam se adduci patiatur, quemadmodum Davides in adulterium & homicidium, Solomo in idololatriam ruerunt, nec ideo atheorum practicorum nomine diffamandi; necesse est ut is demum atheus practicus dicatur, cujus agendi consuetudo istiusmodi actionibus constituitur, consequenter ubi hæ actiones ex habitu proficiscuntur. Immo cum facile fieri possit, ut quis vitio cuidam sit deditus, a quo se liberum mallet, cui tamen non adeo facile mederi licet; ex una actione vitiosa, etsi habituali, non statim inferendus atheismus practicus. Relinquitur itaque, quod ad atheismum practicum requirantur aliquot saltem, si non omnium, at plurimarum actionum complexus. Unde apparet, atheismum practicum admittere gradus.

§. 503.

Quinam in atheismum practicum incidant.

Si quis omittit actiones suas determinare per motiva ab attributis divinis desumta, nec intrinsecam actionum honestatem ac turpitudinem certo cognoscit; is facile incidit in atheismum practicum. Si prius; aliquis raro de Deo serio cogitat, ut adeo ejusdem facile obliviscatur (§. 217. *Psychol. empir.*), nec nisi e longinquo quasi facta recordatio parum moveat. Si posterius; motiva etiam cessant, quæ ab illa desumuntur ad actiones bonas committendas, ab hac vero ad malas omittendas (§. 890. *empir.*). Quare cum sine motivis nulla detur in anima volitio, nulla nolitio (§. 889. *empir.*), consequenter appetitus rationalis cesset (§. 880. 889. *empir.*); ut sensitivo

ſenſitivo locus ſit, confuſa opus eſt boni repræſentatione (§. 893. *empir.*). Enimvero nemo non experitur tum in ſeipſo, tum in aliis, ſi ſenſuum judicio ſtatur, quemadmodum accidere ſolet diſtincta boni & mali cognitione deſtitutis, bonum quid judicari ex eo, quod voluptas inde percipiatur: quod cum fieri non poſſit (§. 560. *empir.*), malum quod eſt bonum apparere poteſt. Atque adeo contingit, hominem patrare actiones malas, earundemque iteratione, in qua exercitium conſiſtere conſtat (§. 195. *empir.*), habitum male agendi contrahere. Quoniam itaque Deus malum morale velle nequit (§. 581. T. I. *Theol. nat.*), adeoque actionum, quibus id inhæret, motiva ab eo deſumi nequeunt; homo habitum acquirit patrandi actiones iis contrarias, quarum motiva ſunt, vel eſſe poſſunt attributa divina. Atqui hiſce actionibus negatur dari Deum (§. 502.); & atheus practicus eſt, qui factis negart dari Deum (§. *cit.*). E.

§. 504.

An atheus ex S. S. refutari poſſit.

Atheus theoreticus argumentis ex Scriptura ſacra petitis refutari nequit. Quicquid enim Scriptura ſacra docet, id admittitur tanquam verum, quia Deum habet autorem, ut adeo Deus ea dicere cenſeatur, quæcunque dicit Scriptura ſacra. Jam vide §. 411. h. l. 539. 541. 1007. *Log.*

§. 505.

Atheus practicus quando ex S. S. refutari poſſit.

Atheus practicus, ſi Chriſtianus eſſe voluerit, argumentis ex Scriptura ſacra refutari poteſt; ſi a Chriſti ſacris ſit alienus, iisdem refutari nequit (§. 1007. *Log.*).

§. 506.

In refutando atheiſmo practico ex S. S. tenenda.

Si atheiſmus practicus argumentis ex Scriptura ſacra deſumtis refutandus, neceſſe eſt ut atheus practicus convincatur, non alium eſſe ſenſum verborum S. S. ad quæ provocat, niſi quem ipſis tribuit (§. 1007. *Log.*).

§. 507.

Ignorantia Dei notitiam moralitatis non tollit,

Qui ignorant dari Deum, admittere tenentur differentiam inter actiones bonas & malas, quatenus moraliter ſpectantur (§. 500.).

§. 508.

Ignorans Deum actionibus bonis studere potest.

Qui ignorat dari Deum, actionibus bonis studere & a malis abhorrere potest (§. 507. h. l. 890 sq. *emp.*).

Infimum vero virtutis gradum in eo constituo, quod actionum motiva non sint, nisi quæ ab honestate ac turpitudine intrinseca actionum desumuntur.

§. 509.

Item dubitatio de existentia Dei.

Qui dubitat de existentia Dei, admittere tenetur differentiam inter actiones bonas & malas, quatenus moraliter spectantur (*§. 500. 411. 417. 424 seqq.*). Argumentatio fit a minori ad majus.

§. 510.

An ea tollat vitæ honestatem.

Hinc porro eodem, quo ante (§. 501. 508.), modo consequitur: *Qui dubitat de existentia Dei, eum non necessario actionibus malis delectari & bonas omnes aversari, sed fieri utique posse, ut bonis studeat, & a malis abhorreat.*

§. 511.

Cultus Dei quid dicatur.

Deum colere dicitur, qui certas edit actiones solius Dei gratia, seu quia Deum esse agnoscit, eas non editurus, si eundem non agnosceret. Unde *cultus divinus* sunt actiones, quas ideo edit homo, quia pro certo habet dari Deum.

§. 512.

Religio quæ & qualis sit.

Modus colendi Deum *Religio* dicitur. Quodsi hic ex iis, quæ in Theologia naturali de Deo docentur, definitur, *Religio* vocatur *Naturalis:* si vero ex principiis revelationis, *Revelata* audit.

§. 513.

Atheo & Deum ignoranti religio nulla.

Atheo & Deum simpliciter ignoranti religio nulla est (*§. 411. 511 sq.*).

Quia

Quia ostendimus, ignorantiam Numinis simplicem ab atheismo esse distiguendam (§. 427.); non ideo Numen ignorans religione caret, quia atheus nullam admittit, sed quia de religione nulla mentem ejus subire potest cognitio. Tollit adeo simplex Numinis ignorantia religionem omnem per se, non quia cum atheismo unum idemque est, atque ideo non sine differentia.

§. 514.

Irreligionarii dicuntur, qui religionem nullam habent. Irreligionarii quinam.

§. 515.

Athei & Deum simpliciter ignorantes irreligionarii sunt (§. 513 sq.). Quinam tales sint.

§. 516.

Atheus negat veritatem omnis religionis, omnemque pro figmento habet (§. 411. 512.). Atheus religionem pro figmento habet.

§. 517.

Ignorans Deum religionem simpliciter ignorat (§. 428. 512.). Ignorans Deum religionem simpliciter ignorat.

§. 518.

Qui dubitat de existentia Dei, de veritate religionis omnis dubitare tenetur (§ 417. 512.). Dubitans de existentia Dei de veritate religionis dubitat.

De veritate hujus vel illius religionis dubitare certum indicium non est, dubitari etiam de existentia Dei. Unde patet, quod per præcipitantiam judicent, qui atheum appellant de veritate religionis Christianæ dubitantem, vel etiam eandem negantem.

§. 519.

De existentia Dei dubitantium alius ad religionem aliquam admittendam, alius ad omnem rejiciendam pronior est; alius vero indifferens est ad aliquam religionem admittendam, vel ad omnem rejiciendam (§. 518. 425 sq. 424. 512.). Diversitas de religione omni dubitantium.

§. 520.

Si quis de veritate religionis omnis eam solum ob rationem dubitet, quod de existentia Dei dubitet; religionem aliquam admit- Quomodo dubitans de veritate religio-

nis omnis ob dubiam existentiam Dei a dubitatione liberetur.

admittere tenetur; ubi existentiæ divinæ fuerit convictus (§. 118. *Ont.* 952. 535. *Log.* 417. h.l. 70. *Ont.*).

§. 521.

Unde veritas religionis naturalis demonstranda.

Veritas religionis naturalis, tum quod detur, tum qualis sit, ex perfectionibus divinis & perfectione totius universi summaque rerum perfectione demonstranda (§. 512. h.l. 445. 443. *Th. nat.* T. 1.).

§. 522.

Quomodo veritas religionis revelatæ.

Dari religionem revelatam demonstratur, si libris, in quibus revelatio divina contineri dicitur, revelationis divinæ criteria convenire ostenditur (§. 448. *Th. nat.* T. 1. 512. h.l. 449. 451 sqq. *Th. nat.* T. 1.).

§. 523.

Antiscripturarii quinam dicantur.

Antiscripturarii dicuntur, qui Scripturam sacram, quam vocamus, revelationem divinam continere negant. *Antiscripturarius adeo non est, qui non novit, utrum Scriptura sacra detur, nec ne.*

§. 524.

Atheus quando antiscripturarius.

Atheus, qui novit, Christianos affirmare, quod in Scriptura sacra revelatio divina contineatur, antiscripturarius est (§. 411. 523.).

§. 525.

An Antiscripturarius omnis irreliginarius.

Antiscripturarius non necessario irreligionarius est (§. 523. 512.). Admittere scilicet potest religionem, quæ ex principiis rationis definitur, vel ex aliis libris, in quibus revelatio divina contineri dicitur, hauritur, consequenter non modo religionem naturalem amplectitur, verum etiam aliquam revelatam dari agnoscit (§. 512.). Adde §. 514.

§. 526.

Quinam irreligionarius sit antiscripturarius.

Si irreligionarius novit, Christianos affirmare, quod in S.S contineatur revelatio divina; antiscripturarius est (§. 514. 512. 523.).

§. 527.

An Antiscripturarius omnis sit atheus.

Antiscripturarius non necessario atheus est (§. 523. 512. 411.).

Idem patet ex §. 525. 514. 512. 411.

CAPUT

CAPUT II.

DE

FATALISMO, DEISMO, ET NATURALISMO.

§. 528.

Fatalistæ dicuntur, qui absolutam rerum omnium in mundo necessitatem defendunt. *Fatalismus universalis* est, qui absolutam rerum omnium necessitatem ad ipsas actiones humanas extendit, negata libertate voluntatis humanæ. *Fatalismus particularis* est, qui necessitatem rerum omnium absolutam ultra mundum materialem non extendit, concessa voluntatis humanæ libertate. Qui fatalismum universalem amplectuntur, *Fatalistas universalistas* dicemus: qui nonnisi fatalismum particularem defendunt, *Fatalistas particularistas* appellabimus. Fatalistæ quinam, & Fatalismi divisio.

§. 529.

Deista a nobis dicitur, qui Deum existere concedit, eum tamen res humanas curare negat. Unde *Deismus* in negatione providentiæ Numinis consistit, cujus existentia admittitur. Deista quinam dicatur.

§. 530.

Naturalista dicitur, qui religionem naturalem solam agnoscit necessariam, revelatam autem vel rejicit tanquam falsam, vel saltem non necessariam agnoscit. Naturalista quinam dicatur.

A philosophis naturalista vocatur, qui nullam admittit religionem nisi naturalem: ast in Scholis Theologorum Naturalistæ etiam appellantur, qui veritatem religionis revelatæ in dubium minime vocant; naturalem tamen homini ad salutem æternam consequendam sufficere arbitrantur.

§. 531.

Athei sunt fatalistæ, sed particularistæ (§. 454. 456. 528.), *nec repugnat ut atheus sit universalista* (§. 411. 454. 528.). Quales Fatalistæ sint athei.

Fatalismum particularem atheus qua atheus defendit; ast universalem nonnisi ex accidente, minime qua atheus, sed quatenus atheismo admiscet errorem alium cum eodem minime connexum.

§. 532.

Deista atheus & atheus Deista non est

Deista atheus non est (§. 529. 411.): nec atheus Deista esse potest (§. 411. 529.).

§. 533.

Repugnantia atheismi & naturalismi.

Naturalista non est atheus (§. 530. 512. 411.): nec atheus Naturalista esse potest (§. 516. 530.).

§. 534.

Item Deismi, Naturalismi, & simplicis ignorantiæ Divinitatis.

Qui simpliciter ignorat dari Deum, nec Deista, (§. 428. 529.), nec Naturalista est (§. 512. 330.).

§. 535.

Quænam Deista casui tribuat.

Deista casui tribuit, quæ providentiæ divinæ tribuenda sunt (§. 529. h. l. 922. 899. *Th. nat.* T. 1. 460. h. l.).

In hoc Deista consentit cum atheo, quod casu eveniant, quæ providentiæ divinæ tribuuntur. Etenim atheus non minus negat dari providentiam (§. 463), quam Deista (§. 529.). Quamobrem quæ sublata providentia divina tolluntur, vel ponuntur; eadem non minus Deista, quam atheus negare vel affirmare tenetur. Ex parte causarum naturalium admittendus omnino casus est, non vero ex parte Dei (§. 462.), quamdiu providentia divina admittitur, cujus directioni subsunt, quæ ex parte causarum secundarum casu fiunt. Quodsi ergo tollatur providentia divina, admittendum omnino est, casu quædam fieri in universo, cum nulli eventus spectentur nisi ex parte causarum naturalium.

§. 536.

Fortuna juxta eum casui subest.

Juxta Deistam fortuna non subest providentiæ divinæ (§. 529.), sed casui (§. 465. 460. 462.).

In hoc denuo cum atheo consentit Deista (§. 466.), ob rationem modo adductam (*not.* §. 535.). Quicquid igitur homini vel boni, vel mali obtingit; id omne ad casum refert Deista, ex cujus sententia Deus

parum

parum curat, utrum homo fortuna utatur secunda, an adversa. Unde hac in parte non melior Deistæ, quam athei conditio.

§. 537.

Deismus non tollit moralitatem actionum.

Deista admittere tenetur differentiam inter actiones malas & bonas, quatenus moraliter spectantur, seu ex eo, quod negatur providentia, inferri nequit, in actionibus hominum liberis nullum dari boni ac mali discrimen (§. 529. 463. 500.). Idem patet ex §. 574 sq. *Th. nat.* T. 1. 554. *empir.*

§. 538.

Vita honesta cum Deismo consistere potest.

Non repugnat, ut Deista actiones bonas appetat, neque necessario idem malis delectatur actionibus & bonas omnes aversatur (§. 537. *h. l.* 891. *empir.*).

§. 539.

Obligatio divina per atheismum & Deismum sublata.

Atheus (§. 411.) *& Deista* (§. 529. *h. l.* 887. *emp.* 973. *Theol. nat. T. 1.*) *tollunt obligationem divinam.*

§. 540.

Ignorantia obligationis divinæ cum ignorantia simplici Dei connexa

Qui Deum simpliciter ignorat, obligationem divinam quoque simpliciter ignorat (§. 428.).

§. 541.

De obligatione divina dubitandi ratio.

Qui de existentia Dei dubitat, de obligatione etiam divina dubitare tenetur (§. 417.).

§. 542.

Alia.

Qui de providentia divina dubitat, de obligatione etiam divina dubitare debet (§. 922. 899. 973. *Th. nat. T. 1.* 70. *Ont.*).

§. 543.

Cum libertate animæ tollitur obligatio divina.

Qui negat libertatem animæ, obligationem divinam admittere nequit. Qui libertatem animæ negat, is admittere nequit, quod homo pro lubitu actiones suas determinare possit, sed potius pro certo habet, quod sub datis circumstantiis sic, non aliter agere teneatur (§. 941. *empir.*). Frustranea igitur erit obligatio divina ad alias actiones committendas, alias vero omittendas. Jam conf. §. 663. *Th. nat.* T. 1.

§. 544.

§. 544.

Fatalismus universalis tollit eamdem.

Fatalistæ universalistæ tollunt obligationem divinam (§. 528. h. l. 941. *emp.* 294. 317. *Ontol.* 543. h. l.).

§. 545.

Non vero necessario fatalismus particularis.

Fatalista particularista non necessario tollit obligationem divinam (§. 528.).

Non obstat, ut homo temperanter vivat, etiamsi omnes casus funesti absolute necessarii sint, nec ab eo evitari possint. Eodem modo quivis videt, non obstare, quo minus Deus velit, ut temperanter vivat, ne noceat vitæ ac sanitati, etiamsi nec ipse casus alios vitæ pariter ac sanitati adversos ab eodem avertere posse ponatur, quodque ideo ad temperantiam eundem obliget. Qui malum unum evitare nequit, non idcirco nullum evitare studet. Et qui novit, alterum malum unum evitare non posse, non ea de causa vult, ut nullum evitare studeat: quin potius, ne miseria augeatur, mala evitabilia evitari ardentius vult, quod alia evitari non posse agnoscit.

§. 546.

Fatalismus nullus tollit differentiam inter actiones bonas & malas.

Fatalista, sive idem fuerit particularista, sive universalista, admittere tenetur differentiam inter actiones bonas & malas moraliter spectatas (§. 528. h. l. 574 sq. *Th. nat.* T. 1. 555. *empir.*). Consequenter hæc differentia ipsis actionibus per se inest, independenter ab eventibus in rerum natura, in quos nobis nulla potestas est, & libertate animæ. E.

Fatalistæ universalistæ negant libertatem animæ (§. 528.). Mirum adeo videri poterat nonnullis, quo modo affirmari queat, eos differentiam inter actiones malas & bonas admittere, cum vulgo Fatalistæ tollere dicantur omnem moralitatem. Enimvero actio humana in se minime variatur, sive ex necessitate edatur, sive ex libertate proficiscatur. Temperans omnino ab intemperante differt, sive quis necessario fuerit temperantiæ deditus, ita ut impossibile sit ipsum esse intemperantem, sive quis libere eandem colat, cum etiam intemperans esse posset. Cessat autem obligatio divina, non tamen civilis, quatenus scilicet metu pœnarum deterreri ab actionibus committendis, vel omittendis homo potest: id quod docemur in brutis, quorum actiones

esse

esse necessarias nemo non agnoscit, quæ tamen metu plagarum inferendarum certis actionibus adsuefieri posse constat. Unde & Fatalistæ non tollunt obligationem civilem, utut non agnoscant obligationem divinam. Quod Fatalista prætexat agendi necessitatem actiones malas, quas perpetravit, excusaturus, facile largior, nec quempiam fore puto, qui id neget: sed de eo jam nobis quæstio non est. Male applicantur errores, quemadmodum veritates per abusum.

§. 547.

Deista, si non certo agnoscit differentiam inter actiones bonas & malas, facile incidit in atheismum practicum (§. 529. 539. 503.). Deista quando fiat atheus practicus.

Hinc contigisse puto, quod Deistas cum atheis in eundem censum retulerint, videntes eos atheos practicos esse, qui ex notionibus de rebus judicium ferre minime didicerunt.

§. 548.

Atheus theoreticus si non certo agnoscit intrinsecam actionum honestatem ac turpitudinem, facile incidit in atheismum practicum (§. 502 sq.). Quando atheus theoreticus fiat practicus.

§. 549.

Si qui de existentia Dei dubitat intrinsecam actionum honestatem ac turpitudinem certo non agnoscit, in atheismum practicum facile incidit (§. 503. 417.). Quando dubitans de existentia Dei in atheismum practicum facile incidat.

§. 550.

Si quis Dei perfectionibus parum convenire existimet, ut res humanas & quascunque res viles curet; in Deismum incidit (§. 529.). Primum Deismi fundamentum.

§. 551.

Deista rerum vilium & abjectarum curam Deo indignam judicans errat (§. 925. *Th. nat.* T. 1. 28. *Ont.* 593 *Log.*). Idemque eversum.

Adde §. 947. 161. 156. 207. *Th. nat.* T. 1.

§. 552.

Si quis existimat bonitati ac sapientiæ divinæ, quam in dubium non vocat, non convenire, quod quoad mala physica eadem Secundum fundamentum.

dem maneat malos & bonos sors; in Deismum facile incidit (§. 529.).

Huc pertinet *Eccles.* VIII, 14. Non videntur hæc convenire sapientiæ divinæ. Quoniam enim Deus mundo providens omnia dirigit ad certos fines (§. 922. 899. T. 1. *Theol. natur.*); mala malis immittere debebat in terrorem, bonos vero ex adverso bonis cumulare, ut a malis actionibus homines revocaret, ad bonas vero eosdem incitaret. Id enim conveniens voluntati ejus, qui alterum ad actiones alias committendas, alias vero omittendas obligare intendit (§. 973. T. 1. *Theol. natur.*), quemadmodum, qui providentiam divinam defendunt, quod homines ad actiones honestas committendas, turpes vero fugiendas obligat, contendunt. Nec videtur convenire bonitati divinæ, quod bonis male, malis vero bene sit. Etenim qui bonus est in alios, eos amat (§. 700. T. 1. *Theol. natur.*), atque damna ab iis avertere, bona in eosdem conferre studet (§. 696. ibid.). Quodsi ergo Deus curaret res humanas, bene agentibus ne male sit, curaret. Experientia itaque cum rationi adversari videatur; ad negandam providentiam divinam haud difficulter sese multi adduci patiuntur, adeoque in Deismum incidunt, si non in atheismum (*not.* §. 497. 499.).

§. 553.

Idque subversum. *Errat Deista, si mala physica in hoc mundo sapientiæ ac bonitati divinæ repugnare arbitratur* (§. 927. 676 - 678. 726. 725. 709. 722. 580. 723. 733 - 736. 992. 723. *Theol. natur.* T. 1. coll. §. 594. *Log.*).

§. 554.

Deistica hypothesis. *Si quis mundum statuit Deo coæternum, nec ipsi concedit nisi ideam ejus, Deista est.* Etenim qui mundum statuit Deo coæternum eique non relinquit nisi ejus ideam: is Deo adimit omnem potentiam extra se agendi, consequenter Deus non dat rebus creatis, ut in esse suo perseverent, nec tribuit agendi vires, neque actiones earum ad certum finem dirigit. Jam vid. §. 842. 876. 899. 922. *Th. nat.* T. 1. coll. §. 529. h. l.

Pro rationum diversitate, ob quam providentia divina negatur, diversæ nascuntur hypotheses Deisticæ: tot nimirum sunt numero, quot dari possunt errores, quibus providentia divina tollitur. Non igitur Deistæ

Deiſtæ omnes de mundi ad Deum relatione eadem ſentiunt. Veritati h. l. admiſcetur error, quatenus mundus ponitur coæternus Deo & ab ipſo prorſus independens, ſi a cognitione diſceſſeris. Ex eo igitur, quod Deus dicatur ſubſtantia repræſentativa omnium mundorum poſſibilium prorſus illimitata (§. 181. 939 ſq. *Theol. natur.* T. 1.), perperam infertur Deiſmus, multo minus recte atheiſmus, cui Deum exiſtere ſibique hoc univerſum quam diſtinctiſſime repræſentare repugnat (§. 411.). Etenim diſtincta mundi hujus in intellectu divino repræſentatio nec creationi mundi, nec providentiæ divinæ repugnat. Ecqua enim de cauſa fieri poſſet, ut veritas una alteram tolleret? Nemo hoc dixerit, niſi male ſanus. Immo ſi quis ſumſerit, Deum eſſe ſubſtantiam, quæ omnes mundos poſſibiles ſibi quam diſtinctiſſime repræſentat; ex eo omnia deducere licet, quæ in ſyſtemate de Deo demonſtrantur. Neque enim idea mundi in intellectu divino eum aliter repræſentat, quam is eſt. Quamobrem ſi a poſteriori inquirimus, qualis ſit mundus, haud difficulter demonſtratur eſſe ens contingens, conſequenter cum per hoc non exiſtat, quod Deus eundem quam diſtinctiſſime cognoſcat, eidem porro tribuenda veniunt, unde ejus actualitas dependet. Immo cum Deus ponatur omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentare, non tamen exiſtere intelligatur niſi unus (§. 177. T. 1. *Theol. natur.*); in Deo admittenda ſunt præter ideam mundi adhuc alia, per quæ actualitas hujus, qui exiſtit, determinatur, non vero ceterorum. Quid quod ex natura appetitus, quem involvit perceptio, ſequitur mundi quoad actualitatem dependentia a Deo? Relegenda hic ſunt (*not.* §. 1094. T. 1. *Theol. nat.*).

§. 555.

Quando Deiſtæ mundus ens neceſſarium.

Si Deiſta mundum ſtatuit Deo coæternum, nec Deo concedit niſi nudam ejus cognitionem; mundum facit ens neceſſarium. Tunc enim in Deo non datur ratio ſufficiens actualitatis ſeu exiſtentiæ ejusdem (§. 56. *Ontol.*). Quoniam tamen ſine ratione ſufficiente nil eſſe poteſt (§. 70. *ib.*), adeoque ratio etiam detur neceſſe eſt ſufficiens, cur hic potius exiſtat mundus, quam non exiſtat; ea in ipſa mundi eſſentia contineri debet. Jam vid. §. 309. *Ontol.*

§. 556.

Et mundus vi propria existat.

Si Deista Deo nudam cognitionem mundi ipsi coæterni tribuit; mundum vi propria existere sibique ad existendum ipsummet sufficere admittere tenetur (§. 555. h. l. 26. *Th. nat.* T. 1.).

§. 557.

Et ens a se.

Deista Deo mundi eidem coæterni nudam cognitionem tribuens mundum facit ens a se (§ 556. h. l. 33. *Th. nat.* T. 1).

Unde hæc Deismi species atheismo proxima & quæ atheus de mundo tenet, eadem quoque Deista in hypothesi præsente de eodem statuere debet. Vid. 437. 439 sqq.

§. 558.

Possibilitas hypotheseos Deisticæ, in qua mundus ens a se.

Non impossibile est, ut quis admittat Deum existere, ei tamen non tribuat nisi nudam mundi ipsi coæterni cognitionem. Etenim ens perfectissimum esse possibile independenter a contingentia hujus mundi adspectabilis demonstratur (§. 13.) Nunc lege §. 515. *Log.* 14. 21. h. l. Jam mundus oriri nequit nisi per creationem (§. 337.), ex nihilo producendus, si existere debet (§. 336.). Enimvero cum naturæ rerum nulla competat potentia creatrix, nec ulli enti a Deo communicari possit (§. 767. 775. T. 1. *Th. nat.*), a potentia naturæ & animarum nostrarum ipsa specie diversa, seu alterius prorsus generis (§. 776. *Th. nat.*), adeoque nullam ideam ejus habeamus; & olim fuere plurimi, qui quid ex nihilo produci posse negarunt, & hodie in eundem errorem ut eadem de causa incidant aliqui, impossibile non est. Quodsi ergo mundus ex nihilo produci nequit, necesse est, ut vi propria existat, adeoque sit ens a se (§ 27. T. 1. *Th. nat.*). E.

Si quis existimet, in hypothesin Deisticam incidere posse eum, qui cogitat, in systemate harmoniæ præstabilitæ animæ non tribui nisi ideam mundi hujus adspectabilis, negata reali dependentia corporis & rerum in mundo materiali aliarum ab anima, & ad animæ imitationem sibi fingit Deum; id non prorsus impossibile esse lubens concedo: Sed tum eum pueriliter errare pronuncio, nisi existentiam Dei admittat vi notionis perfectissimi entis. Deum enim existere non alia de causa affirmare potest, quam quod mundi existentiam absque eo concipere nequit, quod ubi facit, mundum pro ente a se habere minime potest, quemad-

quemadmodum requirit præsens hypothesis (§. 557.). Etsi autem existentiam entis perfectissimi agnoscens Deum instar animæ illimitatæ fingat; non tamen id ideo facit, quod anima concipiatur substantia mundum limitato quodam modo sibi repræsentans, cujus nullus est influxus physicus in res materiales extra se, sed quod mundi realem a Deo dependentiam demonstrare non possit, quemadmodum fert demonstratio propositionis præsentis. Nullo igitur modo defendi potest, quod systema harmoniæ præstabilitæ ad Deismum, de quo jam nobis sermo est, ducat. Per errorem eidem tribuitur, quod alii errori erat tribuendum, nimirum impossibilitati apparenti productionis ex nihilo. Posito autem, sed non concesso, systema harmoniæ præstabilitæ in Deismum trahi; abusus, quem facit Deista, nulla ratio est, cur ipsum inter principia atheistica referas, præsertim cum nihil facilius sit, quam abusum ostendi.

§. 559.

Errat Deista, si Deo, quem existere cognoscit, nonnisi mundi eidem coæterni ideam concedit (§. 557. 555. h. l. 50. 52. 756. *Th. nat.* T. 1. 332. 329. 331. h. l. 758. *Theol. natur.* T. 1. coll. §. 593. *Log.*). Falsitas hypotheseos Deisticæ tertiæ.

§. 560.

Deista Deo non tribuens nisi mundi eidem coæterni ideam, creationem mundi negat (§. 556. 337.). Quando Deista mundi creationem neget.

Deista in præsente casu tanquam rationem saltem tacite supponit, mundum per creationem oriri non potuisse, ac ideo ortum ejus negans eum in actualitate sua a Deo prorsus independentem facit.

§. 561.

Errat Deista Deo nonnisi nudam mundi sibi coæterni ideam concedens, dum creationem mundi negat (§. 756 sq. 67. *Th. nat.* T. 1. 337. h. l. coll. §. 593. *Log.*). Fundamentum tertium Deismi eversum.

§. 562.

Si Fatalista Deum mundi autorem agnoscit, ipsi tamen omnem in creando libertatem adimit; Deista est (§. 941. *empir.* 528. h. l. Quartum Deismi fundamentum.

h. l.). Nulla igitur relinquitur Deo eorum, quæ in mundo eveniunt, directio ad certos fines, consequenter gubernatio divina tollitur (§. 899. T. I. *Theol. nat.*), cumque effectus casuales sint, qui ex concursu causarum alterius gratia agentium oriuntur (§. 460.), casus admittitur etiam ex parte Dei. Gubernatio præcipua pars est providentiæ divinæ, præsertim quatenus curam rerum humanarum respicit (§. 922. T. I. *Theol. nat.*). E. Fatalista fit Deista (§. 529.).

Non omnis Fatalista Deista est: sunt enim etiam athei Fatalistæ (§. 531.), qui Deistæ non sunt (§. 532.). Neque enim ex Fatalismo hic deducitur Deismus; sed ex negata libertate omni in creando.

§. 563.

Idemque eversum.

Errat Deista Deo omnem in creando libertatem adimens (§. 354. 350. 277.). Idem patet ex §. 101. 561. *Cosmol.* 430. 351. 331. 334. *Theol. natur.* T. I. 941. *emp.*

§. 564.

Deistae sunt irreligionarii.

Deista omnis irreligionarius est (§. 529. 539. 511 seq. 514.).

§. 565.

Repugnantia Deismi & Naturalismi.

Deista Naturalista non est (§. 564. 514 512. 530.), nec Naturalista Deista esse potest (§. 530. 514. 564.).

§. 566.

Quando Deista antiscripturarius.

Si Deista novit dari S. S. antiscripturarius est (§. 564. 514. 512. 523.).

§. 567.

An ex S. S. refutari possit.

Deista argumentis ex S. S. petitis refutari nequit (§. 566. 523. h. l. 987. 961. *Log.*).

§. 568.

An Naturalista sit irreligionarius.

Naturalista irreligionarius non est (§. 530. 514.).

§. 569.

§. 569.

Si Naturalista novit dari S. S. & religionem revelatam rejicit: antiscripturarius est (§. 512. 523.): si vero devinitatem S. S. admittit, religionem tamen revelatam homini necessariam non existimat, etsi utilem esse concedat, antiscripturarius non est (§. 523.). Quandonam antiscripturarius sit.

§. 570.

Fatalista si fuerit particularista, non necessario irreligionarius est, immo nec antiscripturarius (§. 528. 546. 545.). Quamobrem etsi in mundo materiali absoluta necessitate omnia evenire arbitretur (§. 528.); id tamen minime obstat, quo minus Deum, ens perfectissimum (§. 14.), existere agnoscat (§. 21.); & ejus gratia certas edat actiones, quas editurus non erat, siquidem eundem non agnosceret. Jam vide §. 511 sq. 514. Quando Fatalista non sit irreligionarius nec antiscripturarius.

Neque hypothesi ejus repugnat, quod Deus homini certum colendi sui modum præscribat, eundemque ipsi revelet, consequenter nec ea obstat, quo minus pro certo habeat, in S. S. revelationem istam divinam contineri (§. 522.). Jam lege §. 523.

Non ignotum est dari nonnullos, qui Fatalismum particularem ex ipsa Scriptura sacra probare audent, cujus autoritatem divinam admittunt, in ea stabilitam religionem Christianam pro vera habentes eandemque propugnantes. Unde non minus ratione, quam experientia convincimur, Fatalistas, si particularistæ fuerint, nec irreligionarios, neque antiscripturarios esse. Quodsi ergo Fatalista, nexum licet rerum absolute necessarium faciens, admittat tamen, Deum attendere actionibus hominum eosque obligare ad alias committendas, alias vero omittendas, immo agnoscat eum, qui erit a morte corporis & ejusdem resurrectione, statum; a Deistæ errore procul abest, etsi de rerum nexu idem sentiat.

§. 571.

Si Fatalista fuerit universalista, irreligionarius est (§. 528. 543. 511 sq. 514.), &, ubi novit Christianos affirmare, quod in S. S. contineatur revelatio divina, antiscripturarius (§. 526.). Quando sit irreligionarius & antiscripturarius.

§. 572.

§. 572.

Nexus non necessarius inter Fatalismum particularem & atheismum atque Deismum.

Si Fatalista fuerit particularista, necesse non est eum esse vel atheum, vel Deistam (§. 570. 515. 564.).

Ex eo, quod in mundo materiali absoluta necessitate eveniant omnia, non sequitur, non dari Deum, a quo mundus creatus sit. Agnoscere enim potest Fatalista, mundum non necessario existere ex parte sui, seu rationem sufficientem existentiæ suæ non continere in seipso, sed a Deo esse productum, immo productum esse ex nihilo, adeoque ab ipso creatum (§. 697 *rat.*), & hoc tamen non obstante negare, quod Deus mundum alium producere potuerit, & quicquam in eodem per miraculum immutare possit. Immo concedere potest, mundum a Deo fuisse creatum, etsi statuat, ipsum creatum fuisse necessario, actu creationis ad essentiam divinam eodem modo pertinente, quo ad eandem refertur actus intellectus divini ideam mundi producentis. Minime igitur negat, mundi autorem Deum, consequenter atheus non est (§. 411.). Et quia animam in volendo & nolendo liberam esse non negat, nec omniscientiam divinam in dubium vocat; necesse non est, ut defendat, Deum non curare, quid ab hominibus fiat, consequenter nec Deista est (§. 529.).

§. 573.

Quando Deista sit Fatalista, quando non sit.

Si Deista negat providentiam divinam, vel quod rerum vilium curam Deo indignam judicat, vel quod bonitati ac sapientiæ divinæ non convenire existimat bonorum & malorum æquam sortem quoad mala physica; Fatalista necessario non est (§. 529. 528.). Quodsi vero mundum statuit ens a se Deo coæternum, eique nonnisi nudam cognitionem relinquit; necessario Fatalista est, sed Particularista (§. 30. *Th.nat.* T. 1. 507. *Cosm.* 528. h. l.).

§. 574.

Quando Fatalismus cum atheismo vel Deismo necessario connexus.

Si Fatalista fuerit universalista; aut atheus est, aut Deista (§. 528.). Aut igitur hoc facit, quia Deum esse negat, aut quia Deo nulla est in mundum potentia, qua quidpiam in eodem immutare possit, sed tam naturam universam, quam homines sibi relinquere tenetur, ut eveniant, quæ per essentiam & naturam rerum evenire possunt. In priori casu vide §. 411. in posteriori §. 554.

Equidem

Equidem necesse non est, atheum esse Fatalistam universalistam, sed sufficit ut sit Particularista (§. 531.). Quodsi tamen alternative inferre volueris ex Fatalismo vel atheismum, vel Deismum, necesse est ut universalis ponatur. Etenim ex Fatalismo particulari inferre minime licet atheismum, cum non repugnet, ut etiam Deista sit Fatalista Particularista (§. 573.). Enimvero nec repugnat, ut atheus sit Fatalista universalista & necessario Particularista est (§. 531.).

§. 575.

Fatalista, sive fuerit Universalista, sive Particularista errat (§. 528. 354. h. l. 55 sq. *Theol. nat.* T. 1. 331 sq. h. l. 667. *Th. nat.* T. 1. 561. *Cosm.* 761. *Th. nat.* T. 1. 941. *emp.*). Fatalismus eversus.

§. 576.

Si naturalista religionem revelatam rejicit, erroris sui convincitur, ubi ostenderis, S. S. convenire criteria revelationis divinæ in Systemate tradita (*§.* 522. 530. 521. h. l. coll. *§.* 961. 987. 593. 1006. *Log.*)*; si eam agnoscit veram, sed non simpliciter necessariam judicat, erroris redarguendus per ea, quæ de eadem tradit S. S.* Quomodo Naturalismus refutetur.

§. 577.

Religioni naturali revelata non contradicit (§. 512. h. l. 515. 528. *Log.* 28. *Ont.* 476. *Log.* 30. *Ont.*)*, sed ex principiis rationis non demonstrabilia superaddit* (§. 451. *Th. nat.* T. 1. 512. h. l.). Habitus religionis revelatæ ad naturalem.

§. 578.

Naturalista in eo minime errat, quod necessitatem religionis naturalis tueatur, sed quod revelatam vel pro falsa, vel pro minus necessaria habeat (*§.* 577. 530.). Error Naturalistarum.

CAPUT III.
DE ANTHROPOMORPHISMO, MATERIALISMO ET IDEALISMO.

§. 579.

Anthropomorphitæ dicuntur, qui Deo tribuunt corpus humanum. *Anthropomorphismus* adeo est error, quo affirmatur (*Theol. nat. contr. T. II.*). Anthropomorphitæ qui nam.

Deum habere corpus istiusmodi organis instructum, quale est humanum. Et hunc errorem *Anthropomorphismum crassum* appellare libet.

§. 580.

Anthropomorphistæ quinam.

Qui Deo corpus humanum non tribuunt, eum tamen ad similitudinem animæ nostræ concipientes tacite admittunt, quæ limitationes in ipsum inferunt, *Anthropomorphistas* appellare soleo. Ut adeo *Anthropomorphismus subtilis* sit error, quo Deo per modum animæ repræsentato tacite tribuuntur limitationes.

§. 581.

Organa sensoria Deo proprie tributa.

Anthropomorphitæ Deo tribuunt organa sensoria in sensu proprio, veluti oculos, aures, nares (§. 579.).

§. 582.

Quomodo Deus in hac hypothesi præsentia cognoscat.

Anthropomorphitæ statuunt Deum ea, quæ sunt & fiunt in mundo, cognoscere beneficio organorum sensoriorum corporis (§. 581.). Adde §. 948. *emp.*

§. 583.

Sensus proprie Deo tributi ab anthropomorphitis.

Anthropomorphitæ Deo tribuunt sensus in significatu proprio (§. 581 sq. h. l. 67. *empir.*).

§. 584.

Quomodo Deus præsentia cognoscat in hac hypothesi.

In hypothesi Anthropomorphitarum Deus præsentia tanquam præsentia cognoscit; quia in organa sensoria agunt (§. 581. 583. 582.).

Constat nos videre visibilia, quatenus objecta visibilia radios luminis in oculos immittunt, quibus in humore crystallino refractis delineatur visibilis imago inversa in retina. Quoniam anthropomorphitæ Deo tribuunt oculos in significatu proprio (§. 581), quibus visibilia videt (§. 582.); necesse est, ut admittant visibilia luminis radios immittere in oculos Dei, quibus refractis imago eorum delineatur. Equidem cum non repugnet, oculi aciem esse majorem ea, qua pollet humanus, imagine magis distincta per structuram ejus in fundo delineata; dubitandum non est, anthropomorphitas Deo tribuisse majorem oculo-

oculorum aciem, quam qua pollent humani, ita ut magis distincte videat visibilia, quam homines: non tamen ideo negari potest, quod videat eodem modo Deus, quo vident homines, juxta hypothesin anthropomorphitarum, consequenter quod in oculo Dei eadem accidere debeat mutatio, quæ accidit in oculis hominum, quando vident, quoniam alias ad cognoscendum visibilia præsentia organo sensorio externo, oculis nempe, opus minime haberet. Facile apparet, idem prorsus esse statuendum de ceteris sensibus.

§. 585.

In hypothesi Anthropomorphitarum Deus est passibilis (§. 584. h. l. 56. 714. 720. *Ontol.*). Passibilitas divina in hac hypothesi.

§. 586.

In hypothesi Anthropomorphitarum Deo tribui debent nervi sensorii & cerebrum (§. 583. h. l. 111. *rat.*). Nervi sensorii & cerebrum in hypothesi ista.

§. 587.

In hypothesi Anthropomorphitarum admittendæ sunt in Deo ideæ materiales rerum sensibilium (§. 583. h. l. 113. *ration.* 586. h. l.). Item ideæ materiales sensibilium.

§. 588.

In hypothesi Anthropomorphitarum objectum aliquod visibile Deo tegi potest, ne illud videat (§. 584.). Quoniam visibilia in oculos agunt, quatenus radios luminis in eosdem immittunt; nec Deus in ista hypothesi visibile videt, nisi quatenus radios luminis in oculos ejus immittit. Enimvero si inter oculum & visibile interponitur opacum, quod radios minime transmittit, hi quoque ab ipso ad oculum propagari nequeunt, consequenter visibile tegi potest, quo minus videatur. E. Deo non omnia patent in hac hypothesi.

Eodem modo patet, in hypothesi Anthropomorphitarum Deum non posse videre, quæ sunt in tenebris.

§. 589.

In hypothesi Anthropomorphitarum Deo tribuenda imaginatio proprie sic dicta (§. 93. *empir.* 206. *rat.* 586. 581 sq. 586. h. l.). Imaginatio quo sensu Deo ab iis tribuenda.

Poteramus ex ipsa statim hypothesi, quod Deo tribuatur corpus, quale humanum est (§. 579.), inferre, *quod ad eas operationes Deus organis corporeis habeat opus, quæ absque organo corporeo non perficiuntur in homine.* Vi hujus principii facillime omnia deducuntur, quæ hypothesis anthropomorphitica involvit, ut adeo in numerum principiorum heuristicorum inferri debeat, qualia fuere in superioribus ea, quorum beneficio ab anima nostra ad Deum argumentati sumus (§. 70. 78.). Dantur enim quoque principia heuristica errorum, per quæ deteguntur errores ceteri cum uno connexi.

§. 590.

Quomodo absentia & in his præterita cognoscat juxta eos.

In hypothesi Anthropomorphitarum Deus absentia sibi repræsentat & præterita cognoscit vi imaginationis (§. 589. h. l. 92. *empir.*).

§. 591.

Item manus & pedes Deo tribuendi.

In hypothesi Anthropomorphitarum Deus habet manus atque pedes in sensu proprio (§. 579.).

§. 592.

Quomodo Deus extra se operetur in hac hypothesi.

In hypothesi Anthropomorphitarum Deus manibus facit, quicquid extra se operatur (§. 591.).

Nimirum quia vident, neminem quid facere posse absque manibus; non alium modum possibilem esse arbitrantur faciendi quidpiam extra se nisi ope manuum.

§. 593.

An corpus Dei pertineat ad mundum in hac hypothesi.

In hypothesi Anthropomorphitarum corpus divinum non est pars mundi (§. 582. 592.). Quamobrem cum in eodem contineatur ratio, cur Deus ea, quæ in mundo materiali sunt ac fiunt, cognoscere & quidpiam extra se facere queat (§. 56. *Ontol.*), ratio vero eorum, quæ enti alicui convenire possunt, in essentia ejus contineatur (§. 168. *Ontol.*); corpus divinum in hypothesi Anthropomorphitarum ad essentiam Dei pertinet. Jam vide §. 67. 62. 30. *Theol. natur.* T. 1. 119. *Cosmol.* 341. *Ontol.*

Alia

Alia longe ratio est corporum humanorum, quæ tanquam effectus continentur in hac serie rerum, cui mundi tribuitur nomen (§. 55. *Cosmol.*). Anthropomorphita vi hypotheseos suæ negare non tenetur, mundum esse a Deo factum. Deum igitur, ad cujus essentiam pertinet corpus per ipsius hypothesin, existere posse agnoscit, etiamsi mundus existat nullus. Corpus adeo divinum a ceteris, quæ ad mundum pertinent, minime dependet in actualitate sua, quemadmodum corpora nostra. Anthropomorphitis itaque imputari nequit, quod Deum partem mundi faciant.

§. 594.

In hypothesi Anthropomorphitarum mundus non est corpus Dei (§. 579. 581 sq. 591 sq.). Enimvero nemo non novit, mundum non esse corpus, quale humanum est, oculis manibusque instructum, prætereaque liquet, mundum, qui sensu percipitur a Deo, & in quo manibus suis is operatur, quod voluerit, diversum esse debere ab eo corpore, cui tanquam partes insunt oculi cernentes visibilia in mundo hoc adspectabili, & quod habet manus, quarum ope quædam fiunt in eodem. E. Mundus corpus Dei esse nequit in hypothesi ista.

§. 595.

In hypothesi Antropomorphitarum Deus non est anima mundi (§. 594.). Consequenter dici nequit, quod eidem uniatur, quemadmodum anima unitur corpori nostro. E. An Deus sit anima mundi in ista hypothesi.

§. 596.

In hypothesi Anthropomorphitarum Deus præsens est in loco & localiter præsens rebus vel in rebus (§. 579. h. l. 1040. *Theol. natur. T. 1.*). Præsentia Dei in hac hypothesi.

§. 597.

In hypothesi Anthropomorphitarum Deus certam quandam spatii partem implet (§. 596. h. l. 1032. *Theol. natur. T. 1.*) *& intra ejus terminos continetur, ac in rebus, quibus præsens, certum occupat locum* (§. 1037. 1039. *Th. nat. T. 1.*). Deus certum locum occupat in hac hypothesi.

§. 598.

Hypothesis Anthropomorphitarum falsa est (§. 579.). Quodsi fuerint Materialistæ, adeoque præter corpora nil existe- Falsitas hujus hypotheseos.

re arbitrentur (§. 33. *Psych. rat.*); Deum quoque præter corpus istud, quod sibi imaginantur, nil esse existimant. Quodsi vero Dualistæ fuerint, adeoque præter substantias materiales etiam immateriales existere agnoscant (§. 39. *Psych. rat.*); corpori divino substantiam immaterialem unitam esse largiuntur. Jam conf. §. 83. 158. *Th. nat.* T. 1. 476. *Log.*

§. 599.

Fundamentum anthropomorphismi crassi eversum.

Errat Anthropomorphita, dum Deum statuit præsentia tanquam præsentia cognoscere, quia in organa sensoria agunt (§. 939. Th. nat. T. 1.).

Fundamentum anthropomorphismi crassi cum in eo consistat, quod non alius modus agnoscatur possibilis ea, quæ sunt ac fiunt in mundo materiali, cognoscendi nisi beneficio organorum sensoriorum, in quæ sensibilia agunt; patet ipsum in systemate fuisse eversum, ubi modum exposuimus, quo Deus præsentia tanquam præsentia agnoscit.

§. 600.

Idem ulterius evertitur.

Errat Anthropomorphita, dum Deum præterita vi imaginationis cognoscere statuit (§. 940. *Th. nat.* T. 1.).

§. 601.

Errores Anthropomorphitarum notati.

Errant Anthropomorphitæ, dum Deo tribuunt sensus in significatu proprio & imaginationem proprie sic dictam atque præsentiam localem (§ 157. 1096. *Th. nat.* T. 1. 158. h. l. 1098 *Th. nat.* T. 1. 167. h. l. 1042. 1049. *Th. nat.* T. 1.), *dumque affirmant eum manuum ope facere, quicquid extra se operatur* (§. 343. 776. *Theol. natur.* T. 1.).

§. 602.

Error circa providentiam quinam sit anthropomorphismus subtilis.

Qui Deum prorsus incorporeum rebus in hoc universo providentem ad ea, quæ fiunt, attendere ac hodie demum quid fieri debeat, seu quid facere ac permittere velit, decernere statuunt: Anthropomorphistæ sunt. Tunc enim non ab æterno decrevit omnia simul, quæ in tempore fieri debent. Aut igitur non omnia præscivit ab æterno, ut decernere ab æterno potuisset, quæ fieri velit; aut ab æterno omnia decernere noluit. Si prius; intellectus ejus limitatus est tum quoad objectum, tum quoad modum

modum cognoscendi, quatenus non cognoscit omnia simul, sed quædam saltem successive. Si posterius; necesse est, ut distincte omnia cognoscere noluerit, adeoque idea mundi, quem producere decrevit, confuse ac obscure percepta involverit, quæ demum distincte percipiuntur, ubi fiunt, consequenter intellectus ejus limitatus denuo est quoad modum cognoscendi. Et in utroque casu nec intellectus divinus, nec voluntas est purus seu unicus & immutabilis actus, verum tam ille, quam hæc Deo tribui debet tantummodo per modum facultatis. Id vero valet de nostro intellectu §. 279. adeoque hi Deum ad similitudinem animæ nostræ concipiunt & tacite admittunt, quæ limitationes in eundem inferunt, etsi eidem non tribuant corpus, quale est humanum, ut organorum ope cognoscat, quæ fiunt, & faciat, quod extra se operatur, quemadmodum sentiunt Anthropomorphitæ (§. 582. 592.). Jam vide §. 580.

Vanus est illorum metus, qui sibi persuadent, superfluas fore preces, si quidem decreto divino omnia futura in hoc universo jam ab æterno fuerint determinata. Etenim Deus ab æterno quoque præscivit preces in tempore ad ipsum fundendas (§. 524. T. 1. *Theol. natur.*), & sapientissime decernens omnia (§. 643. T. 1. *Theol. natur.*) earum in decernendo habuit rationem (§. 519. T. 1. *Theol. natur.*) rebusque providet per nexum rerum in hoc universo (§. 927. T. 1. *Theol. natur.*) sapientia & bonitate sua constitutum (§. 741. T. 1. *Theol. nat.*). Quando preces ab homine actu funduntur, Deus ad easdem concurrens (§. 874. T. 1. *Theol. natur.*) eas jam actu fundi cognoscit (§, 939. T. 1. *Th. natur.*), præscientiæ suæ infallibili convenienter (§. 532. T. 1. *Th. nat.*). Et dum creaturas conservat (§. 843. T. 1. *Theol. natur.*) & ad actiones earum concurrens (§. 874. T. 1. *Theol. natur.*) vires agendi largitur (§. 876. T. 1. *Theol. natur.*); quod precum intuitu ab æterno decrevit in tempore jam actu fit (§. 525. T. 1. *Theol. natur.*), decreto immutabili convenienter (§. 509. T. 1. *Theol. natur.*). Quoad precantem adeo eadem precum utilitas & necessitas, seu ad precandum obligatio est, quæ foret, si Deus ad preces attentus nunc demum decerneret, quid fieri debeat.

§. 603.

Admittunt decreta temporaria.

Anthropomorphistæ statuunt, Deum attentum ad ea, quæ fiunt in mundo, demum decernere, quid facere aut permittere velit (§. 580.).

§. 604.

Gubernatio rerum qualis in hac hypothesi.

Juxta Anthropomorphistas Deus vi decretorum temporariorum actiones creaturarum aliter determinat, quam per essentiam & naturam earundem determinantur. Aut igitur tunc decernit, quod per naturam & essentiam creaturarum eventurum absque isto decreto; aut quod decernit, minime consequitur. Quoniam in utroque casu decretum temporarium superfluum est; necesse est juxta anthropomorphistas, ut Deus vi decretorum temporariorum actiones creaturarum aliter determinet, quam per essentiam & naturam earundem determinantur.

Si e. gr. Deus globum ex tormento emissum a precante tum demum averti decerneret, dum precatur, necessarium esset, ut vel directionem globi absque causa naturali immutaret, vel motum in homine determinaret, quo eidem sese subduceret. Anthropomorphistæ hoc modo sibi imaginantur gubernationnm divinam; sed quantum a veritate absint, ex iis intelligitur, quæ ad propositionem præcedentem annotavimus.

§. 605.

Miraculorum in hac hypothesi multiplicatio.

Anthropomorphistæ perpetua admittunt miracula in rerum natura (§. 603 sq.). In essentia igitur & natura earundem non continetur ratio sufficiens actionum earundem, sed in decreto Dei temporario & huic conveniente actione divina in creaturas, cum non per essentiam & naturam creaturarum, sed per decretum Dei temporarium & actionem in creaturas huic convenientem intelligatur, cur hanc nunc edant actionem (§. 56. *Ont.*). Jam vide §. 510. *Cosm.* 70 sq. *rat.*

Si ponas, Deum ad preces Titii avertere globum, ne feriat caput ejus retinendo, directionem, juxta quam ex tormento explosus fertur, in idem impacturus; mutatio directionis a Deo absque causa naturali facta miraculum utique erit.

§. 606.

§. 606.

Qui essentias rerum ex causarum finalium contemplatione a Deo erutas statuunt; Anthropomorphistæ sunt. Etenim quando nos ideam alicujus entis nondum existentis & de quo antea nondum cogitavimus invenire volumus, finem quendam eidem præscribimus, & ex ejus notione evoluta deducimus, quales eidem tribuendæ sint determinationes intrinsecæ, ut illi consequendo inserviat. Qui igitur similiter admittunt, Deum vi sapientiæ suæ intendisse fines, ob quos res quasdam extra se producere decreverat, & illis convenienter his tribuisse determinationes essentiales, adeoque statuunt essentias earundem ex causarum finalium contemplatione erutas fuisse; Deum ad similitudinem animæ nostræ concipiunt, quoad actum inveniendi essentias rerum nondum existentium, quarum nulla adhuc nobis est idea. Quoniam vero nos ex fine eruimus essentiam rei, veluti structuram alicujus machinæ, quia possibilia omnia non simul distincte nobis repræsentamus, adeoque unum ex altero demum colligere necesse habemus, quod intellectus noster non absolute summus est, sed limitatus tum quoad objectum, tum quoad modum repræsentandi objectum (§. 278 sq. *Psych. emp.*); tacite Deo tribuunt limitationes intellectus, quales sunt humano. Jam vide §. 580. Anthropomorphismus subtilis circa ideas rerum.

Anthropomorphistæ creaturas sibi imaginantur ante decretum divinum tanquam vacua subjecta. Per decretum determinatur finis, ob quem creatura aliqua existere debet, & fini huic libere a Deo statuto convenienter induuntur determinationes essentiales. Atque hoc pacto insunt ideæ creaturarum in Deo, quas producere decrevit, pendentes adeo a libero ejus decreto.

§. 607.

Anthropomorphistæ essentias rerum ex causarum finalium contemplatione a Deo erutas statuunt (§. 580. 606.). Idearum ortus in Deo juxta eos.

§. 608.

Anthropomorphistæ non admittunt nisi unius mundi, qui existit, ideam in intellectu divino (§. 607.). Adeoque nulla in intellectu Unius mundi idea cur sit in Deo juxta eos.

ipsius datur idea, nisi ejus entis; quod ob certum finem producere decrevit. E.

Ceterum propositio præsens inverti nequit, ita ut Anthropomorphista quis dicendus sit ideo, quod nonnisi unius, qui existit, mundi ideam in Deo dari affirmat. Etenim alia quoque de causa nonnisi unius mundi idea in Deo statui potest, quemadmodum Fatalistæ necessitatem absolutam ad ipsum Deum extendentes nonnisi unicum hunc mundum possibilem agnoscunt.

§. 609.

Affectus Deo quo sensu tribuant.

Anthropomorphistæ Deo tribuunt affectus in significatu proprio (§. 580. h. l. 603. emp.).

§. 610.

Pœnitentia & ira quomodo Deo tribuantur.

Anthropomorphistæ etiam Deo pœnitentiam & iram in significatu proprio tribuunt (§. 609. h. l. 759. 862. emp.).

§. 611.

Falsitas anthropomorphismi subtilis.

Anthropomorphismus subtilis falsa hypothesis est (§. 580. 70. 37.).

§. 612.

Errores anthropomorphistarum notati.

Errant Anthropomorphistæ, dum Deum ad ea, quæ fiunt in universo, attentum nunc demum decernere statuunt, quid facere ac permittere velit, & eum vi decretorum temporariorum actiones creaturarum aliter determinare arbitrantur, quam per essentiam & naturam earundem determinantur (§. 505. 927. 741. 645. 661. Th. nat. T. 1.).

§. 613.

Errores alii.

Errant Anthropomorphistæ, dum statuunt Deum ex causarum finalium contemplatione eruisse essentias rerum (§. 188 190. Theol. natur. T. 1. *87. 91. 94 96. 100. h. l.), Deoque in significatu proprio tribuunt affectus, inprimis pœnitentiam atque iram* (§. 1103. *Th. nat.* T. 1. 213. 219 sqq. h. l.).

§. 614.

§. 614.

Anthropomorphistæ athei non sunt (§. 611. 580. 411.), nec Deistæ (§. 612. h. l. 922. Th. nat. T. 1. 529. h. l.), nec Antiscripturarii (§. 580. 522 sq.). Anthropomorphistæ non sunt athei nec Deistæ, nec Antiscripturarii.

§. 615.

Anthropomorphitæ non sunt athei (§. 579. 582. 592. 411.), *nec Deistæ* (§. 579. 529.), *nec antiscripturarii* (§. 523.). Nec Anthropomorphitæ.

§. 616.

In hypothesi Materialistarum Deus non est nisi corpus (§. 33. rat.). Qualis Deus juxta Materialistas.

§. 617.

Materialista non necessario Anthropomorphita est (§. 33.). Defendit Materialista, facultatem intelligendi & volendi convenire posse materiæ. Quoniam tamen in seipso experitur, non omnem materiam cogitare posse; ideo facultatem hanc nonnisi subtili cuidam materiæ tribuit. Non igitur necesse est, ut ens materiale hisce facultatibus præditum eam præcise subeat structuram, quæ est corporis humani. Quamvis adeo Deum nonnisi corpus esse statuat (§. 616.), necesse tamen non est, ut sit corpus, quale est humanum, cum alia esse possit materiæ subtilis, ex qua constat, forma. Jam vid. §. 579. An Materialistæ sint Anthropomorphitæ.

Si Materialista admittit Deum a mundo independentem, motus isti materiæ subtilis, quibus absolvuntur rerum perceptiones & quibus vis determinatrix motus corporum a se diversorum cohæret, alio modo oriri debent, quam in nobis. Itaque probabilius saltem videtur in Materialismi hypothesi, corpus divinum a corpore humano prorsus differre, quam eandem cum hoc structuram habere, cum penes Deum cesset ratio hujus structuræ, quæ est corporis humani.

§. 618.

Si Materialista S. S. autoritatem admittit, facile in anthropomorphismum crassum incidit (§. 616.). Etenim in S. S. Deo organa, qualia habet corpus humanum, tribuuntur. Fieri ergo potest, Facilis Materialistæ in anthropomorphismum crassum prolapsus.

poteſt, ut nulla ipſi videatur urgens ratio, cur a proprietate ſignificatus vocabulorum, ſeu ſenſu literali recedat. Jam vide §. 579.

§. 619.

Alius caſus.

Si Materialiſta alium modum percipiendi ea, quæ ſunt ac fiunt in mundo, & extra ſe quidpiam faciendi, poſſibilem non agnoſcit, quam quem in ſeipſo experitur, in anthropomorphiſmum craſſum incidit, etiamſi ignoret, dari S. S., vel ejus autoritatem non admittat (§. 616. 579.).

§. 620.

Cur materialiſta non ſit atheus.

Materialiſta non neceſſario atheus eſt, facile tamen in atheiſmum prolabitur (§. 33. *rat.*). Hinc neceſſe eſt, ut concedat dari entia materialia, quæ facultatibus cognoſcendi & appetendi, adeoque & intelligendi atque volendi ſunt prædita, conſequenter ſpiritus pro ſubſtantiis materialibus, ſeu corporibus habet (§. 643. *rat.*) Quoniam Deus ſpiritus eſt (§. 124. T. 1. *Th. nat.*), hypotheſis ejus minime obſtat, quo minus admittat dari Deum. Jam lege §. 411.

Quoniam Deus eſt ens a ſe (§. 67. T. 1. *Theol. natur.*), Materialiſta vero per hypotheſin ſuam admittere nequit niſi Deum, qui ſit ens materiale ſive corpus (§. 616.); in hypotheſi Materialiſmi non repugnat ens materiale ſive corpus eſſe ens a ſe. Quamobrem facile ſibi perſuadet ipſum mundum materialem eſſe ens a ſe. Atque adeo Materialiſta facillime in Atheiſmum prolabitur.

§. 621.

Materialiſmus ad Deum extenſus refellitur.

Errat Materialiſta, dum Deum nonniſi corporeum eſſe ſtatuit (§. 83. *Th. nat.* T. 1. 616.).

§. 622.

Qui Deum faciant extenſum.

Qui Deum & animam faciunt extenſum, Materialiſtæ ſunt (*§. 619. Ontol. 119. Coſmol. 33. Pſychol. ration.*), *& contra Materialiſtæ Deum & animam extenſum faciunt* (*§. 33. Pſych. rat. 122. Coſm.*).

Mate-

Materialistæ hoc potissimum utuntur argumento ad hypothesin suam tuendam, quod ens nullum concipi possit absque extensione. Nimirum in Materialismum incidunt, qui entia omnia, adeoque etiam Deum atque animas sibi imaginari volunt. Unde cum vi imaginationis repræsentari nequeant nisi composita (§. 178. *Psychol. rat.*), consequenter extensa (§. 619. *Ontol.*); se nullam entis ideam habere posse, adeoque nullam possibilem esse arbitrantur, consequenter pro non ente habent; quod sine extensione concipiendum. Ceterum cum Materialistæ ultra imaginationem atque sensus sapere nolint; non multum ipsis tribui potest acumen. Unde qui vel obtusioris sunt ingenii, vel in abstractis & a sensu remotis concipiendis non multum versati; iis sese commendat Materialismus. Etsi autem necesse non sit, ut Materialista sit atheus (§. 620.); libertati tamen & incorruptibilitati animæ valde adversus.

§. 623.

An omnis Anthropomorphita sit Materialista.

Necesse non est, ut Anthropomorphita sit Materialista (§. 579.). Enimvero quamvis admittamus hominem habere corpus; non tamen ideo negare tenemur, animam, qui spiritus est (§. 645. *rat.*), esse substantiam simplicem (§. 48. *rat.*), a corpore prorsus diversam (§. 51. *rat.*) eidemque unitam (§. 963. *empir.*). Quamobrem nec necesse est, ut Anthropomorphita neget, Deum esse spiritum independentem (§. 125. T. I. *Th. nat.*) atque absolute perfectissimum (§. 387. T. I. *Th. nat.*), unitum corpori, quod ipsi tribuit. Jam vid. §. 616.

§. 624.

Idealistarum de mundo materiali sententia.

Idealistæ admittunt phænomena mundi materialis & eorum mutuam a se invicem dependentiam (§. 36. 192. *rat.*). Idealistæ igitur negare nequeunt ea, quæ sunt ac fiunt in universo, eodem modo nobis apparere, ac si corpora extra ideam revera existerent, easque mutationes subirent. Quoad animæ igitur perceptiones & res perceptas, quatenus percipiuntur, perinde est, sive mundus adspectabilis revera existat, sive tantummodo ejus in animabus existat idea. E. (§. 225. *Cosm.*).

V. gr. Negat idealista corpus suum revera existere, & se revera cibo ac potu idem alere. Non tamen negat apparere sibi, quod ha-

beat corpus, & quod cibo ac potu fruatur, neque in dubium vocat, perceptionem corporis istius perdurare non posse, nisi conservetur mediantibus perceptionibus cibi ac potus assumti. Unde & corporis conservandi gratia non minus cibo ac potu vescuntur Idealistæ, quam qui realem corporis existentiam extra animam agnoscunt; propterea quod norunt, phænomena hæc ita a se invicem dependere, ut unum absque altero poni minime possit. Quemadmodum itaque in hypothesi existentiæ realis mundi ratio conservationis corporis est alimentorum fruitio; ita idem obtinet in hypothesi existentiæ mundi idealis, nisi quod in hac ea tantummodo sic appareat, in illa vero revera contingat. Juxta Idealistam phænomena eodem modo in anima percipiuntur, ac si mundus materialis revera existeret, & in eo corpora easdem mutationes subirent, quæ animæ apparent. Absurdum itaque est, si qui Idealistas plagis refutandos existimant, ut dolorem percipientes se verberari convincantur, consequenter concedere cogantur, verberantem revera extra animam ipsorum existere. Id enim demum valeret, si phænomena eorumque mutuam a se invicem dependentiam negarent.

§. 625.

Physica qualis in hypothesi Idealistarum.

In hypothesi Idealistarum Physica nihil patitur detrimenti (*§. 624.* h. l. *851. Ont. 52. Disc. præl. 119. Cosmol. 25. Disc. præl.*).

V. gr. Observamus, quando pluit, Sole ex opposito lucente, iridem apparere, & Physici est rationem reddere, cur radii luminis solaris incidentes in guttas pluviales Soli oppositas producant iridem. Idealista non negat, quod anima sibi repræsentet ea, quæ fiunt in mundo adspectabili; non negat; nihil in iis, quæ percipit, si objective spectentur, esse absque ratione sufficiente, nec negat, per rationem sufficientem intelligi, cur posito uno ponatur alterum. Ita in casu dato non negat Idealista, quod, quando Sole ex opposito lucente pluit, iris appareat, etsi hæc ita revera extra animam contingere non largiatur; sed in nudis animæ perceptionibus subsistat. Non negat, rationem sufficientem adesse debere, cur radii Solis incidentes in guttas pluvialas oppositas producant speciem iridis. Nec negat, per ea, quæ insunt ideis guttarum pluvialium & radiis solaribus intelligibili modo explicari debere, cur in hoc situ gignantur colores sub arcus specie apparentes. Eodem igitur modo explicare debet, quomodo iris appareat,

reat, ſive mundo tribuat exiſtentiam realem, ſive nonniſi idealem in anima ſua admittat. Etenim ſumit omnia ita ab anima repræſentari, ac ſi revera extra eam exiſterent.

§. 626.

In hypotheſi Idealiſtarum Pſychologia nihil patitur detrimenti (§. 36 ſq. rat. 1. emp. 4. rat.). Pſychologia qualis in hypotheſi Idealiſtarum.

Atque adeo patet, hypotheſin Idealiſtarum non obſtare, quo minus vera tradantur tam in Pſychologia empirica, quam rationali, niſi quod modum, quo Dualiſta in explicando commercio inter animam & corpus intercedente utitur, rejiciat, propterea quod exiſtentiam realem corporis non admittit, adeoque totum illud commercium in ejus hypotheſi nonniſi apparens eſt.

§. 627.

Stante hypotheſi Idealiſtarum exiſtentia & attributa divina demonſtrari poſſunt (§. 36. *rat.* 626. h. l.). Quamobrem cum anima ſit ens ab alio idemque contingens & ab eo diverſum ſit ens a ſe (§. 61. 62. T. 1. *Theol. nat.*); rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ non habens niſi in ente a ſe (§. 64. T. 1. *Theol. nat.*); ideo admittere tenetur ens a ſe ab animabus, quæ exiſtunt, diverſum, in quo earundem exiſtentiæ ratio ſufficiens continetur. Jam conf. §. 67. *Th. nat.* T. 1. & ſic patet *primum*. Exiſtentia & attributa Dei in hac hypotheſi ſalva.

De *ſecundo*, ſcilicet attributis divinis, conf. §. 115. *Theol. nat.* T. 1. 70. 78. h. l.

§. 628.

Stante hypotheſi Idealiſtarum Deo tribuenda eſt creatio (§. 36. *rat.* 627. 338. h. l.). Creatio Deo tribuenda in illa hypotheſi.

Non eſt, quod excipias, quia Idealiſta negat realem exiſtentiam corporum (§. 36. *rat.*), creationem, quam admittit, non eſſe creationem veri nominis. Etenim creatio veri nominis eſt productio ex nihilo (§. 697. *rat.*). Quamobrem cum in hoc ſignificatu Deo vindicata fuerit creatio animarum noſtrarum & potentia creatrix (§. 338.), & hæc demonſtratio ſubſiſtat in hypotheſi Idealiſtarum; quin Idealiſtæ Deo tribuant creationem veri nominis dubitandum non eſt. Immo ex ſuperio-

superioribus liquet, ex notione potentiæ creatricis, quam Deo vindicavimus vi creationis animarum (§. 338. & sqq.), demonstrari creationem mundi hujus adspectabilis tanquam realiter extra animas nostras existentis (§. 342.). Nimirum eadem est potentia creatrix, quæ ex contingentia mundi hujus adspectabilis, & quæ ex contingentia animarum nostrarum concluditur. Neque enim existentia realis mundi ab Idealistis negatur, quod Deo potentia creatrix denegetur; sed potius potentia creatrix quoad mundum materialem de Deo negatur, quia ejus realis existentia pro impossibili habetur, omnipotentia autem divina ad impossibilia non extendenda (§. 344. T. 1. *Theol. natur.*).

§. 629.

Item conservatio creaturarum cum concursu ad earum actiones.

Stante hypothesi Idealistarum Deo tribuenda est conservatio creaturarum (§. 777. 843. *Th. nat.* T. 1.) *una cum concursu ad earum actiones* (§. 874. *Th. nat.* T. 1.).

§. 630.

Deus autor mundi in hac hypothesi.

Stante hypothesi Idealistarum Deus autor mundi est (§. 36. *rat.* 628. 94 sqq.).

Nimirum nisi intellectus divinus produceret ideam animæ, in qua mundi hujus idea existit continuas mutationes subiens (§. 192. *rat.*), nulla quoque possibilis esset anima, nec idea mundi hujus possibilis foret (§. 192. T. 1. *Theol. nat.*). Et nisi Deus omnipotentia sua creasset animas, nec actu daretur idea mundi hujus adspectabilis, qualis in animabus deprehenditur, adeoque mundus existentiam idealem non haberet. Quoniam itaque Deo tribuendum, tum quod existentia idealis mundi non sit impossibilis, tum quod actu detur; nemo non agnoscere tenetur, Deum esse autorem mundi idealiter existentis in animabus. Quamvis adeo Idealista existentiam realem ejus extra animam neget (§. 36. *rat.*); hoc tamen non obstante fateri cogitur, Deum mundi etiam idealiter existentis autorem esse.

§. 631.

Gubernatio divina in hac hypothesi.

In hypothesi Idealistarum gubernatio divina quoad animas eadem admittenda est, qualis est supposita mundi existentia reali (§. 36. 192. *rat.* 55. *Cosmol.* 901. *Theol. nat.* T. 1.). Gubernatio hæc ad animam extenditur, quatenus ab hoc nexu rerum pendent appeti-

appetitiones ac aversiones animæ, dum scilicet iis, quæ in mundo eveniunt, utimur tanquam motivis. Atqui a nexu rerum pendent appetitiones & aversiones, sive mundo tantummodo idealis tribuatur in anima existentia, sive existere realiter extra animam supponatur, cum in gratiam Idealistarum in Psychologia nihil sit immutandum (§. 626.). E.

Ea, quæ fiunt in hoc mundo adspectabili, non influunt in appetitiones & aversiones animæ, nisi quatenus a nobis sensu percipiuntur. Quæ enim sensu non percipimus, ea ignoramus. Per se autem patet, quæ a nobis ignorantur, nec in appetitum & aversationem ullo influere posse modo. Idealista omnes sensationes animæ tales admittit, quales forent, si mundus realiter extra eam existeret. Quamobrem quæ inde quomodocunque pendent, eadem adhuc esse debent, sive mundus realiter existat, sive tantummodo idealiter in animabus. Gubernatio divina animas potissimum respicit, cum omnia dirigantur ad finem ultimum, gloriæ divinæ manifestationem (§. 635. 611. T. I. *Theol. nat.*), qui in gratiam animarum a Deo intenditur. Quicquid adeo quoad animam de gubernatione divina ostendi potest, id omne admittere tenetur Idealista.

§. 632.

Stante hypothesi Idealistarum admittenda est providentia divina (§. 629. 631. h. l. 922. *Theol. nat.* T. I.). Item providentia divina.

§. 633.

Idealista non necessario atheus est (§. 627 - 629.). Idealista non necessario atheus.

§. 634.

Necesse non est Idealistam esse Deistam (§. 632. 529.). Deismus cum Idealismo non connexus.

§. 635.

Theologia naturalis in hypothesi Idealistarum subsistit (§. 627 sq. 632. h. l. 4. *Theol. nat.* T. I.). Theologia naturalis qualis in hac hypothesi.

§. 636.

Idealista admittere tenetur differentiam inter actiones malas & bonas, quatenus moraliter spectantur (§. 568. 574. 575. 579. *Th. nat.* T. I. 554. *empir.* 914. *Th. nat.* T. I.). Atqui hæc differentia Differentia intrinseca actionum admissa.

rentia inter actiones malas & bonas, quatenus moraliter spectantur, demonstratur, immo a posteriori agnoscitur, ex ipsa animæ ac corporis notione, Idealista vero admittere tenetur, quicquid de anima docetur in Psychologia (§. 626.), nec in dubium vocat, quæ in Physica de corpore humano traduntur (§. 625.), quatenus ea admittit tanquam phænomena a se invicem dependentia (§. 624.). E.

Circa actiones internas, de quibus potissimum agitur, nullum superesse potest dubium, cum animarum existentiam defendat Idealista (§ 36 *rat.*): ast externa negotium facessere poterant hebetioribus, ubi ad actiones speciales animum advertunt. E. gr. Ea esse facienda, quæ ad corpus conservandum conducunt, rectum agnoscitur. Idealista negat existere corpus humanum (§. *cit.*). Nil igitur facere potest, quod ad ipsum conservandum conducat, neque enim conservatione opus habet, quod non existit. Enimvero hanc consequentiam non admittit Idealista. In phænomenis enim admittit, quicquid ad conservationem ideæ corporis facit. Quamobrem quod a voluntate hominis proficisci potest, ejus non minus in hypothesi Idealistarum, quam Dualistarum habenda ratio est. Etenim Idealista efficere tenetur, ut istis perceptionibus sit locus in anima, quibus repræsentantur ad corporis conservationem necessaria, cum absque hisce perceptionibus fieri haud quaquam possit, ut corpus eo modo repræsentetur in anima, quale ea de causa in hypothesi Dualistarum revera existit.

§. 637.

Jus naturæ, Ethica & Politica in hypothesi Idealistarum.

In hypothesi Idealistarum Jus naturæ (§. 636. h. l. 61. *Disc. præl.*) *& Philosophia moralis atque Politica subsistit* (§ 57 sq. 55. *Disc. præl.* 626. 636. h. l.).

Si actiones externæ, præsertim in Politica, difficultatem facessant; repetenda sunt, quæ modo ad propositionem præcedentem annotavimus. Etenim actiones externas in numerum phænomenorum refert, quorum mutuam a se invicem & a facultate appetitiva dependentiam admittit (§. 624. 626.). Quamobrem quicquid de actionibus externis præcipit Philosophia practica, id omne admittit Idealista, & ad eum finem necessaria agnoscit, cujus gratia inculcantur.

§. 638.

§. 638.

Logica (§. 54. 82. *Disc. præl.* 626. h. l.) & *Ontologia* (§ 66. *Disc. præl.* 626. h. l. 51 sq. *Disc. præl.* 625. h. l.) *integra subsistit in hypothesi Idealistarum.*

Logica & Ontologia qualis in hypothesi Idealistarum.

De Logica nemo dubitare potest, quin Idealismus eidem ne minimum quidem obstet, cum animæ existentiam realem admittat Idealista (§ 36. *rat.*), consequenter nec ea in dubium vocet, quæ ad dirigendam facultatem cognoscitivam in veritatis cognitione præcipit Logica. Circa Ontologiam theoria de ente composito difficultatem facessere videtur, quale nullum actu possibile agnoscit Idealista, corporum, quæ entia composita sunt (§. 119. *Cosmol.*), existentiam realem negans. Enimvero ideam compositi pro impossibili minime habet, adeoque quæ de eodem tradit Ontologia, se ita habere admittit in ideis: sit ita quod nullum agnoscat idearum reale.

§. 639.

Idealismus philosophiæ universæ nihil nocet, seu in dogmatis philosophicis in gratiam Idealistarum nihil immutandum (§. 625 sq. 635. 637 sq. h. l. 50 - 52. 54. 57 sq. 61. 66. *Disc. præl.*).

Idealismus scientiæ philosophicæ minime adversus.

§. 640.

Necesse non est, Idealistam esse irreligionarium (§. 626. h. l. 942. *emp.* 636. 635 h. l. 974. *Th. nat.* T. 1. 511 sq. 514. h. l.).

An Idealista sit necessario irreligionarius.

Nec est, quod excipias, cum realem corporum existentiam neget (§ 36 *rat.*), eum tollere cultum omnem Dei externum, qui cum ad religionem non minus spectet quam internus, hanc saltem ex parte tolli, nec omnem integram subsistere in Idealistarum hypothesi. Etenim quemadmodum Idealista omnium eorum, quæ in mundo materiali fiunt, idealem in anima existentiam non secus largitur, ac si is revera extra ipsam existeret, omniaque eodem modo revera fierent, quo in anima repræsentantur; omnem quoque cultum externum idealiter in anima requirit eodem modo, ac si omnia ad eum spectantia revera extra eandem fierent. Quemadmodum itaque Dualista defendit, hominem actiones quoque externas patrare debere, quæ ad cultum divinum externum requiruntur; ita quoque Idealista agnoscere tenetur, curandum esse, ut in anima existant omnes illæ perceptiones, quibus

istæ actiones repræsentantur, perinde ac si revera in corpore perficerentur. Cumque de phænomenis eodem modo loquatur, quo Dualista; de cultu quoque divino eadem cum ipso profitetur. Agnoscit itaque præter cultum internum requiri quoque externum, nec eum diversum ab illo, quem Dualista necessarium esse contendit, sit ita quod cultus omnis externus in ipsa anima absolvatur, nec existat nisi idealiter.

§. 641.

An Idealista necessario antiscripturarius sit.

Necesse non est, Idealistam esse antiscripturarium (§. 635. h. l. 448 sqq. 451 sqq. *Theol. nat.* T. 1. 522 h. l.). Quoniam itaque libris istis, quos Christiani Scripturæ sacræ nomine insigniunt, idealem existentiam in anima sua eodem prorsus modo tribuit, ac si revera extra eam actu existerent (§. 624.); Idealismus minime obstat, quo minus divinitatem eorundem agnoscat. Jam vide §. 523.

Equidem non nego, vim inferri Scripturæ verbis, si quis hypothesi Idealisticæ convenienter explicare velit historiam creationis & alia, quæ de mundo docentur in S. S., non tamen repugnat, ut Idealista & veritatis hypotheseos suæ, & divinitatis S. S. persuasus hoc faciat, quemadmodum faciunt alii, qui falsas hypotheses amplexi verba S. S. in sensum iisdem conformem detorquent. Immo quis est, qui ignorat, nihil frequentius esse inter Christianos sectarios, ut sectæ suæ servientes verba S. S. trahant in favorem errorum suorum. Neque etiam nego; fieri posse, ut Idealista agnoscat, in S. S. realem corporum existentiam doceri & tanquam certam atque extra omnem dubitationis aleam positam sumi, consequenter de veritate hypotheseos suæ securus inde inferat, falsa doceri in S. S. atque adeo divinitatem ejus neget: non tamen ideo dici potest, quod ex Idealismo necessario sequatur; ut eidem deditus sit antiscripturarius. Etenim ea de causa rejicit autoritatem S. S., quod in ea contineantur errores ex ipsius mente, adeoque eadem Deum errare nescium (§. 294. T. 1. *Th. nat.*), autorem habere nequeat. Ob eandem vero rationem antiscripturarii quoque fiunt, qui Idealistæ non sunt. Immo ex accidente fieri potest, ut ipsa veritas hoc modo det ansam errori. Ceterum per se patet, Idealistam, qui realem corporum existentiam negat (§. 36. *rat.*), necessario incidere

incidere in errorem ab Ecclesia damnatum, quod Christus non habuerit nisi corpus phantasticum, ut adèo *Idealismus*, etsi philosophiæ non noceat (§. 639.), *parum* tamen *faveat Christianismo, & in erroribus veterum hæreticorum ab Ecclesia damnatus censeri debeat.*

§. 642.

Possibilitas intrinseca & extrinseca corporum.

Corpora non impossibilia sunt (§. 310. 313. h. l. 221. Cosm. 794. Ont. 222. 122. Cosmol.) & actu existere possunt, seu eorum existenia realis non impossibilis (§ 340. h. l. 85. *Ont.*).

Idealistæ corporum existentiam realem pro impossibili habent, non quod de omnipotentia Dei dubitent; sed quod corpora possibilia esse negent. Videntur autem ipsis corpora impossibilia, quod agnoscant, si entia composita dentur, dari etiam debere simplicia, unde originem suam deducunt (§. 686. *Ontol.*). Perpendentes itaque ex punctis Zenonicis, hoc est, entibus simplicibus, quæ præter carentiam partium nullam aliam determinationem intrinsecam admittunt, minima in extenso uniformi (§. 215. *Cosmol.*), extensa oriri non posse (§. 218. *Cosm.*), qualia sunt corpora (§. 122. *Cosmol.*); eadem pro impossibilibus habuere. Error hic profectus est ex ignorantia veræ elementorum theoriæ, quam in Cogmologia dedimus (§. 182. & seqq. *Cosmol.*) origini idearum in intellectu divino consonam (§. 314.). Quodsi differentiam specificam elementorum ab animabus distincte cognosceremus, ut a priori clarissime pateret, quomodo combinatione realitatum limitatarum, quæ relitatum divinarum limitatione prodeunt, resultent (§. 91. & seqq.); possibilitas corporum intrinseca in majore utique luce collocaretur. Posita autem corporum possibilitate intrinseca, ponitur per potentiam Dei creatricem extrinseca, quoniam hanc illimitatam admittit, quicunque Deo omnes realitates in gradu absolute summo competere agnoscit (§. 15.). Cum in Psychologia rationali (§. 103. 106. 108. 110.) docuerimus, quomodo ideæ sensuales extensionis & continuitatis, spatii, nec non vis inertiæ atque vis motricis prodeant; relectis demonstrationibus ibidem datis dispelluntur nebulæ, quibus circa corporum possibilitatem sensus atque imaginatio mentem obfuscare poterant.

§. 643.

Possibilitas commercii inter animam & corpus.

Commercium inter animam & corpus per utriusque naturam non impossibile (§. 620. 622. *rat.*).

Inter eas rationes, quæ Idealistas ad negandum realem existentiam corporum permoverunt, referenda quoque est difficultas explicandi commercium inter animam atque corpus interveniens. Cum enim difficultates, quibus premitur systema influxus physici, perciperent, nec alio modo idem subsistere posse existimarent, siquidem præter animas existerent quoque corpora; de solutione desperantes nodum Gordium secare maluerunt, negata corporum reali existentia. Sufficit itaque ad refellendam impossibilitatem commercii inter animam & corpus per utriusque naturam subsistentis a nobis concipi posse modum, quo per eandem subsistere queat.

§. 644.

Existentia corporum realis.

Corpora realiter existunt. Per §. 642. h. l. 623. 350. 610. 629. 625. *Theol nat.* T. 1. dubitari nequit, quin præter animas, in quibus mundus idealiter existit (§. 192. *rat.*), produxerit quoque corpora, ex quibus mundus adspectabilis constat (§. 119. *Cosmol.*).

Quicquid exigit finis creationis a Deo intentus, illud quoque admittendum est, nisi in sapientiam divinam injurius esse velis (§. 640. T. 1. *Theol. natur.* & §. 689. *rat*). Exigit realem corporum existentiam finis creationis, quatenus Deus per eandem omnipotentiam suam, absolute summam, demonstrare voluit. Quamobrem & admittendum, quod corpora creaverit, ut realiter extra ideas animarum existant.

§. 645.

Idealismi falsitas.

Idealismus falsa hypothesis est (§. 36. *Psych. ration.* 644. h. l.).

Falluntur adeo, qui theoriam nostram elementorum & animæ pro idealistica venditant, cum sit unicum idque certissimum adversus Idealismum Palladium, & Idealistæ hac sola de causa in errorem suum incidant, quod non perspecta sensibilis ac intelligibilis mundi differentia, id,

id, quod apparet, cum eo, quod est, confundant, & ideo in contradictiones incidant, ob quas notio corporis impossibilis videtur, consequenter corpus omnipotentiæ divinæ objectum esse negent, hoc nomine porro subducendum decreto divino, quoad realem scilicet existentiam. Nemo autem desideret demonstrationem, qua nondum suppositis Dei attributis, independenter ab omnipotentia & decreto Dei realis corporum existentia evincatur. Quicquid enim cognoscimus, vel a priori vel a posteriori cognoscimus (§. 435. *emp*). A posteriori cognoscitur, quod experiundo addiscimus (§. 434. *emp.*), adeoque beneficio sensuum (§. 634. *Log.* & §. 65. *emp*) nobis innotescit. Quæ sensu percipimus tanquam ad notionem corporis pertinentia, veluti extensionem, vim inertiæ & vim motricem (§. 138 *Cosmol*), phænomena sunt (§ 225. 226. 296. 298. *Cosm*) quæ tanquam phænomena admittit Idealista (§. 624.) Inde igitur nihil adversus eum concluditur, nisi aperto fonte phænomenorum (§. 192. *Cosm.*). Ex iis adeo, quæ sensuum beneficio de corpore nobis innotescunt, ejus realis existentia probari nequit. Quicquid a priori cognoscitur, vi intellectus eruitur, adeoque ex notionibus distinctis colligitur (§. 438. 275. *emp.*). Quodsi notionem corporis ab omni confusione liberes, in elementa incidis (§. 191. *Cosm.*). Per hæc autem non demonstratur nisi intrinseca corporis possibilitas (§. 642.), qua sola cognita nondum constat id existere, sed tantummodo existere posse intelligitur (§. 131. 133. *Ontol.*). Quoniam in anima idea hujus universi seu mundi adspectabilis existit, quæ easdem prorsus mutationes subit, quas mundus adspectabilis subit (§. 192. *rat.*); anima sibi eodem prorsus, quo nunc, modo repræsentaret hoc universum, etiamsi mundus actu non existeret (§. 614. *rat*). Redit adeo res tota ad liberam Dei voluntatem, utrum voluerit, animas solas existere, an vero etiam corporum existentiam decreverit. Quod vero voluntati divinæ conveniens sit, non aliunde quam ex notione sapientiæ deduci potest (§. 445. 640. T. 1. *Theol. nat.*), quemadmodum a nobis factum.

CAPUT

CAPUT IV.

DE

PAGANISMO, MANICHÆISMO, SPINOSISMO ET EPICUREISMO.

§. 646.

Paganismus quid sit.

PAganismus sive Gentilismus est hypothesis de mundi a pluribus Diis dependentia sive quoad existentiam, sive quoad gubernationem.

§. 647.

Paganus quinam dicatur.

Paganus dicitur, qui Paganismum profitetur, hoc est, pro vera habet hypothesin de dependentia mundi a pluribus Diis saltem quoad gubernationem (§. 446.).

§. 648.

Nomen appellativum quodnam.

Nomen appellativum vocatur, quo utimur ad significandum ens quoddam in universali, veluti genus aliquod, vel speciem aliquam.

§. 649.

Vocabulum Deus quale sit in Gentilismo.

In Gentilismo vocabulum Deus nomen appellativum est (§. 647. h. l. 230. *Ont.* 648. h. l.).

Idem patet ex §. 408. 647.

§. 650.

Quid Deus Gentilibus significet.

In Gentilismo Deus est ens intelligens, a quo mundus quoad actum vel quoad quosdam eventus particulariter dependet (§. 646.). Non igitur totus mundus dependet a Deo uno, adeoque ab uno non nisi quoad quandam partem. Quoniam itaque in Gentilismo vocabulum Deus appellativum est (§. 649.), adeoque ens in universali significat (§. 648.), quod est subjectum determinationum omnibus Diis communium (§. 230. *Ontol.*); in eodem Deus definiendus per ens intelligens, a quo mundus quoad

quoad actum, vel quoad quosdam eventus nonnisi perticulariter dependet.

§. 651.

In Gentilismo Deo tribuuntur realitates limitatæ (§. 646. 650.). Realitates Dei in Gentilismo.

Ita Jupiter ex Romanorum mente tonat & pluit, seu tempestates excitat. Sufficit itaque, ut tempestatum theoriam quandam calleat, & easdem excitandi potentia instructus sit, utque hominum quorundam facta cognoscat, ob quæ iisdem vel irascitur, vel propitius sit, neque ad gubernationem tempestatum omniscentia & omnipotentia opus habet. Cum vero hoc pacto Divinitatem in formam humanam transmutarent Gentiles, haud ægre quoque in iisdem admiserunt quodvis scelerum & flagitiorum genus.

§. 652.

Necesse non est, Gentiles esse anthropomorphitas (§. 647.). Sufficit igitur, ut singulis tribuantur istiusmodi realitates, per quas intelligi potest, cur hi eventus, qui directioni ipsorum subjiciuntur, ab iis pendere possint (§ 851. 56. *Ontol.*). Atqui necesse non est, ut ad hoc corpus habeant, quale est humanum, cum vero Deo tale ideo tribuendum non sit, cujus directioni subsunt omnia (§. 158. T. I. *Theol. natur.* E. (§. 579.). Anthropomorphismus crassus num cum Gentilismo necessario connexus.

Nimirum Gentiles fingere possunt substantias invisibiles, quæ corporeæ non sunt, hominibus multo potentiores, a quibus sibi metuunt & quorum gratiam sibi conciliare student, ne noceant, vel ut benefaciant, & hos pro Diis habere, nec omnes, qui Deos corporeos fecerunt, anthropomorphitæ fuerunt. Etenim qui Solem atque planetas pro Diis habuere, a quibus pendent eventus in terra hominumque fata; Deo non tribuerunt corpora, qualia habent homines, anthropomorphitis minime annumerandi.

§. 653.

Idolum dicitur ens, quod fingitur esse Deus, cum non sit. Idolum quid dicatur.

§. 654.

Quid sint Dii Gentilium.

Gentiles verum Deum in idola convertunt (§. 14. h. l. 387. Theol. natur. T. 1. §. 652 seq. Psychol. rat. 16. 651. h. l. 300. Ont. 653. h. l.).

§. 655.

Fundamentum Gentilismi subversum.

Gentilismus falso nititur fundamento (§. 646. h. l. 55. 182. 177. 204 seq. 210. Cosmol. 1106. Theol. natur. T. 1. 28. Ontol.).

Posito rerum nexu in universo, quo mundus efficitur ens unum, corruit fundamentum Gentilismi, dependentia a Diis pluribus: eodem autem non admisso, dependentia a pluribus entibus nihil contradictionis videtur habere, adeoque ægre illud subvertitur.

§. 656.

An Gentiles sint athei vel Deistæ.

Gentiles athei non sunt (§. 646. 411.), nec Deistæ (§. 646. h. l. 899 *seq. Theol. natur. T. 1. 529.* h. l.), *etsi verum non agnoscant* (§. 654. 653.).

§. 657.

Gentiles non sunt irreligionarii.

Gentiles irreligionari non sunt (§. 647. h. l. coll. §. 1106 *sq. Theol. natur. T. 1.*). Enimvero pluralitas Deorum minime obstat, quo minus se obligatos esse agnoscant ad certas actiones Dei gratia edendas, quibus non erat opus, si nullus esset Deus, consequenter ad Deum colendum (§. 511.). Cum modus colendi Deum religio sit (§. 512.); Gentilismus religoni minime obstat. Jam vide §. 514.

Confirmatur idem a posteriori exemplo Romanorum & Græcorum, aliorumque Gentilium, quibus omnibus fuisse religionem constat.

§. 658.

Actionum intrinseca differentia a Gentilibus admittenda.

Gentilismus non obstat, quo minus actionum bonarum & malarum moraliter spectatarum differentia agnoscatur (§. 646.). Sive mundus a Deo uno, sive a pluribus quoad actum & gubernationem dependere ponatur, in eo nil quicquam mutatur, quod

quod actiones quædam nos statumque nostrum perfectiores, quædam imperfectiores reddant, dependentia illa mundi in actionum hanc differentiam minime influente, utpote absque illa demonstrabili. Nunc lege §. 568. 574. 568. 575. 579. *Th. nat.* T. 1. 554. *emp.* 914. *Th. nat.* T. 1.

Confirmatur idem a posteriori. Constat enim Græcos atque Romanos intrinsecam actionum humanarum differentiam agnovisse. Unde *Cicero* pronunciat, ipsa natura constitutum esse jus. Natura autem humana rerumque, quibus indiget, per hoc non mutatur, quod mundus per errorem a pluribus Diis dependere ponatur, quemadmodum non mutatur per hoc, quod ejus dependentia a Deo prorsus negetur ab atheo (§. 411 500.).

§ 659.

Jus naturæ (§. 658. h. l. 61 *Disc. præl.*), *philosophia moralis, sive Ethica, atque Politica* (§. 57 *sq.* 55. *Disc. prælim.* 647. 658. h. l.) *in Gentilismo subsistit.* Jus naturæ, Ethica & Politica in hypothesi Gentilismi.

Confirmatur hoc a posteriori. In Scriptis enim Gentilium egregia reperiri morum præcepta & vitæ prudenter instituendæ regulas, nemo est qui in dubium vocat.

§. 660.

Manichæismus est hypothesis de dependentia mundi a duobus principiis, altero quidem bono, unde sunt quæ bona in hoc mundo, altero autem malo, unde sunt mala physica & moralia. Manichæismus quid sit.

§. 661.

Manichæos adeo appellamus, qui Manichæismo dediti sunt, hoc est, qui mundum dependentem faciunt a duobus principiis, altero nimirum bono, ad quod referenda origo eorum omnium, quæ bona censentur in hoc universo; altero autem malo, a quo derivanda omnia mala tam physica, quam moralia in eodem (§. 660.). Manichæi quinam nobis dicantur.

§. 662.

Fundamentum Manichaeismi.

Ex hypothesi Manichaeorum mala physica & moralia summae Dei perfectioni, inprimis bonitati divinae, ac mali moralis permissio sanctitati ejus repugnat. Alioqui nulla ratio esset, quod praeter Deum, spiritum perfectissimum, eundemque summe bonum atque sanctissimum (§. 387. 699. 1065. T. 1. *Theol. natur.*), ponatur ens aliud ab eo diversum, a quo mundus dependeat quoad mala physica & moralia: quod vero hypothesi Manichaeismi, vi cujus mundus quoad mala physica & moralia a principio quodam malo a Deo diverso dependet (§. 660.), repugnat. E.

Confirmatur etiam a posteriori. Neque enim alia ratio a Manichaeis allata, cur praeter Deum admiserint principium malum, a quo mundus quoad mala physica & moralia dependeat, quam quod cum summa Dei perfectione, ejus inprimis bonitate & sanctitate, ea conciliari non posse existimarent. Nobis hic perinde est, qualecunque tandem istud mali principium sit, modo ponatur a Deo diversum. Quodsi enim in genere demonstretur, praeter Deum unum, ens summe perfectum, non dari aliud, a quo quomodocunque dependeat mundus; omnis corruit Manichaeismus, neque opus est, ut ad refutandas opiniones diversas de principio isto mali animum appellamus.

§. 663.

Principium mali a Deo independens in hac hypothesi.

In hypothesi Manichaeismi principium malum independens esse debet a principio bono, sive Deo, ente summe perfecto. Si negas: Aut igitur a Deo bono dependet in actu suo, aut in operatione. Ratio igitur, cur existat, aut operetur, quaerenda in Deo (§. 851. *Ontol.*). Nimirum aut ideo existit, vel operatur, quia Deus idem existere & operari vult, aut saltem operationem ejus, cum posset, impedire non vult. Quoniam ex hypothesi Manichaeorum repugnat summae Dei perfectioni, inprimis bonitati divinae, quod mala physica & moralia insint huic rerum seriei, & sanctitati ejus adversetur mali moralis permissio (§. 662.); adhuc summae ejus perfectioni, ac inprimis bonitati & sanctitati repugnabit, quod velit existere ac operari principium mali, vel quod operationem ejus, cum possit, non impediat. E. (§. 53. *Ontol.*).

§. 664.

Errant Manichæi, dum mala physica & moralia in hac rerum serie contenta summæ Dei perfectioni (§. 372. *Theol. natur.* T. 1. 91. 94 sqq. 375. 377. 380 sq. 897. 372. 894. 552. 556. 333. 580. 717. 332. *Theol. natur.* T. 1.), *inprimis bonitati* (§. 553. h. l. 722. *Theol. natur.* T. 1.) *divinæ, ac mali moralis permissionem sanctitati* (§. 586. 332 950. 1063. *Theol. natur.* T. 1.) *ejus repugnare statuunt.* Fundamentum Manichæismi subversum.

Quodsi penitus inquisiveris in fontem erroris, haud difficulter animadvertes, mala physica & moralia in hac rerum serie contenta repugnare videri summæ Dei perfectioni, quod essentiæ rerum supponantur arbitrariæ & res in universo minime inter se connexæ, consequenter quod essentiarum necessitas & rerum omnium inter se nexus minime agnoscatur. Etenim si substantiæ finitæ fingantur subjecta vacua, quibus Deus pro arbitrio indere potest determinationes, quascunque voluerit; summæ ipsius perfectioni non convenire videtur, quod hominem fecerit labilem & res produxerit ipsi nocuas. Et quia res in universo inter se minime connexæ, in arbitrio Dei positum videtur, quas huic seriei rerum inserere, quas ex eadem eximere voluerit. Unde denuo perfectioni ejus summæ haud convenire videtur, quod rebus homini nocuis, malorum physicorum causis, in eadem fecerit locum. Difficultates itaque, quibus angitur animus, circa mala physica & moralia huic seriei rerum innexa, non superantur, nisi essentiarum necessitatis & rerum nexus plenissime convincaris.

§. 665.

Manichæismus falsa hypothesis est (§. 662 seq. 661. 664.). Falsitas Manichæismi.

§. 666.

Materia non existit vi propria independenter ab ente alio (§. 141. *Cosm.* 48. 28. *Th. nat.* T. 1.). Independentia materiæ in existendo destructa.

Manichæi admisere, Deum esse ens a se & independenter ab omni ente alio existere, ideoque æternum esse. Præter Deum vero non agnovere ens aliud a se, quod itidem independenter ab omni ente alio

 existat,

existat, adeoque æternum sit, quam materiam. Quamobrem si materia non existit independenter ab ente alio, quemadmodum ostendimus; quod a Deo in actualitate sua dependere debeat, facile patet.

§. 667.

Quænam ex hypothesi materiæ prorsus independentis consequantur.

Si materia in existentia & modificationibus suis ab ente alio prorsus independens; elementa rerum materialium sunt entia a se, mundus æternus, omnia in eodem absoluta necessitate fiunt, neque Deo relinquitur, nisi nuda ejus idea (§. 300. 299. 177. 182. 221. 141. *Cosm.*). Materia ergo non existit, nisi quatenus elementa corporum seu rerum materialium existunt. Quodsi ergo materia in existentia sua ab ente alio non dependet, nec elementa rerum materialium in eadem ab alio ente dependent. Jam vide §. 28. *Th. nat.* T. 1. & sic prodit *primum.*

De *secundo* vide §. 36. 39. *Th. nat.* T. 1. Sic vero intelliges, elementa rerum materialium æterna esse. Per elementa autem constituitur mundus materialis (§. 176. 182. 119 *Cosmol.*). E.

Si materia in suis modificationibus ab omni ente alio independens; non datur extra eam in ente quodam alio ratio, cur hoc potius modo modificetur, quam alio (§. 851. *Ontol.*), consequenter ea unice continetur in ipsa materia (§. 70 *Ontol.*). Quamobrem cum posita ratione sufficiente ponatur id, quod per eam potius est quam non est (§. 118. *Ontol.*); impossibile est, ut materia aliter modificetur, quam modificatur, consequenter (§. 302 *Ontol.*), modificationes materiæ omnes absolute necessariæ sunt. Enimvero modificationes omnes in successione modi unius in locum alterius a se diversi consistunt (§. 704. *Ontol.*), & in modorum numero sunt, quæ enti modo insunt, modo non insunt (§. 151. *Ontol.*). Quamobrem quicquid in mundo materiali evenit, in hypothesi materiæ ab omni ente alio independentis absoluta necessitate fit. *Quod erat tertium.*

Denique si materia in modificationibus suis ab omni ente alio independens, nec a Deo in iisdem dependere potest, consequenter in Deo nihil datur rationis, cur materia hoc potius modo

modo modificetur, quam alio (§. 851. *Ontol.*). Ipsi adeo nihil relinqui potest, quam quod mundum hunc cognoscat, consequenter in hypothesi materiæ ab omni ente alio independentis, Deo intellectu perfectissimo prædito (§. 13.), non relinquitur nisi nuda mundi idea. *Quod erat quartum.*

§. 668.

Si in hypothesi Manichæorum principium malum explicatur per materiam ab omni ente alio in existentia & modificationibus suis independentem; cum Manichæismo Fatalismus connectitur seu Manichæus Fatalista est (§. 667. 661. 528.). Quando Fatalismus cum Manichæismo connectatur.

§. 669.

Si in hypothesi Manichæismi principium malum explicatur per materiam ab omni ente alio in existentia & modificationibus independentem; Deismus cum Manichæismo connectitur (§. 667. 554.). Deismus cum Manichæismo connexus.

§. 670.

Si in hypothesi Manichæismi principium malum explicatur per ens a se intelligens, seu Deum malum; in mundo omnia fiunt absoluta necessitate necesse non est. Etenim si principium malum perinde fuerit ens intelligens, quemadmodum bonum; utrumque operari potest ex libera voluntate. Quæ igitur bona sunt in mundo materiali, fiunt libera voluntate boni Dei; quæ vero mala sunt, liberæ voluntati Dei mali tribuenda sunt. Jam vid. §. 941. Nec implicat, ut, quæ fiunt, sive bona, sive mala, non fiant, & ut eorum loco fiant alia. Quoniam itaque necessarium non est, quod non unico, sed diversis modis determinabile (§. 285. *Ontol.*); nec ea, quæ fiunt in mundo, sive bona, sive mala, necessaria sunt. E. (§. 302. *Ontol.*). Quando Manichæismus Fatalismo non connectatur.

§. 671.

Spinosismus est hypothesis, qua non admittitur nisi unica substantia, infinitis attributis prædita, quorum duo sunt cogitatio Spinosismus quid sit.

tio & extensio infinita, & quorum unumquodque æternam & infinitam essentiam exprimit, entia vero finita oriri supponitur necessaria modificatione attributorum istius substantiæ, veluti animas modificatione infinitæ cogitationis, & corpora modificatione extensionis infinitæ.

Vulgo *Spinosismus* dicitur consistere in confusione Dei atque naturæ, seu, quemadmodum Scholastici loquuntur, Naturæ naturantis, qui Deus est, & Naturæ naturatæ, quæ natura simpliciter dici suevit: sed ea per consequentiam imputatur. Etenim *in Schol. prop. 29 part. 1. Ethicæ*, Naturam naturantem a Natura naturata distinctam esse debere & agnoscit, & quomodo in hypothesi sua distinguantur, explicat. Ceterum quod *Spinosismum* menti autoris conformiter definiverimus, ex ejus Ethica facile ostenditur. Vid. *ibid Corol. 1. prop. 14. part. 1. it.* Defin. 6. porro. *Corol. prop. 5. it. Corol 2. part 14. it. prop. 1. 2. part. 2.* it. def. 1. *part. 2.* it. *prop. 2. part. 2.* it. *Schol. prop. 7. part. 2.* it. *Schol, prop. 21. part. 2.*

§. 672.

Definitio Dei in hypothesi Spinosæ.

In Spinosismo *Deus* est substantia constans infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam essentiam exprimit. *Vid. def. 6. part. I. Eth.*

Dum Deum infinitis attributis constare ait, cum tamen eidem non vindicet in tractatione nisi duo, extensionem atque cognitionem, & utrumque faciat infinitum, (*not.* §. 671.); dubium videri poterat, num vi definitionis præsentis Deo tribuenda sint attributa numero infinita, an vero duo tantummodo aut saltem numero finita attributa, quorum unumquodque in se infinitum est. Enimvero quoniam in explicatione distinguit inter ens in suo genere infinitum & absolute infinitum, & de illo infinita attributa negari posse, hoc vero nullam negationem involvere affirmat; intelligenda utique videntur numero infinita. Conf. *Schol. prop. 3. part. 2. & prop. 9. part. 1. Ethicæ.* Deinde obscurum est, quod attributum unumquodque æternam & infinitam essentiam exprimat. Neque enim *Spinosa* definit, quid per essentiam intelligi velit, sed in notione confusa acquiescit. Porro non satis intelligitur, quid sit expressio essentiæ, præsertim cum ex toto opere appareat, quod singula attributa exprimant unam eandemque rem diverso modo, ita

ita ut una eademque res sit, quæ exprimitur per cogitationem & extensionem, modus autem exprimendi tantummodo diversus sit.

§. 673.

Per *attributum* intelligit *Spinosa* id, quod intellectus de substantia percipit, tanquam ejusdem essentiam constituens. *Vid. def. 4. part. 1.* Definitio attributi juxta Spinosam.

§. 674.

Per *substantiam* intelligit *Spinosa* id, quod in se est, & per se concipitur, hoc est, id, cujus conceptus non indiget conceptu rei alterius, a quo formari debeat. *Vid. def. 3. part. 1.* Item substantiæ.

Constat ex ejus opere, quod per conceptum intelligat repræsentationem rei in intellectu, quam nos notionem diximus (§. 33. *Log.*). Unde intelligitur, id juxta *Spinosam* esse in se & per se concipi, cujus notionem habemus, etsi rei alterius notionem non supponamus, seu cujus notio in alias non resolubilis. Ita juxta ipsum notio extensionis non est resolubilis in alias, atque adeo intellectus per extensionem sibi quid repræsentat, quod in se est, sive substantiam. Etsi enim extensionem faciat attributum Dei; constat tamen *per prop. 10. part. 1.* unumquodque unius substantiæ attributum per se concipi debere ex ipsius mente, nec substantiam aliter concipi posse nisi per attributum vi intellectus (§. 673.). Attributum adeo nihil ex ejus mente in re supponit, cur eidem insit, ac ideo essentia substantiæ per ipsum repræsentatur in intellectu & quod ideæ respondet, tanquam ideatum substantiæ ipsi inest.

§. 675.

Per *Causam sui* sive *Ens a se* intelligit *Spinosa* id, cujus essentia involvit existentiam, sive id, cujus natura non potest concipi nisi existens. *Vid. def. 1. part. 1.* Causa sui quid sit Spinosæ.

§. 676.

Per *Modum* intelligit *Spinosa* id, quod in alio est, per quod etiam concipitur. *Vid. def. 5. part. 1.* Item modus.

Modus itaque supponit aliquid, per quod intelligitur, cur insit, adeoque rationem in alio, quod inest, agnoscit, cur insit.

§. 677.

Finitum quid sit in hypothesi Spinosæ.

Rem in suo genere finitam dicit *Spinosa*, quæ alia ejusdem naturæ terminari potest. E. gr. Corpus dicit finitum, quia aliud semper majus concipitur. *Vid. def 2. part. 1.*

Facile apparet, finitum *Spinosæ* hic idem esse, quod limitatum; consequenter cum limes notet defectum realitatis, quæ in alio ejusdem generis adesse intelligitur, veluti defectum ulterioris extensionis in corpore; rectius rem finitam definivisset per eam, qua major concipi potest, quemadmodum & habet exemplum, quod affert. Definitio vero ejus captiosa & fallax est, dum requirit, ut alia ejusdem generis terminari possit, qua facile abuti datur: tacite nimirum supponitur, limitationis omnis aliquam dari debere rationem sive, ut ipse loquitur, causam.

§. 678.

Spinosista quinam dicatur.

Spinosista dicitur, qui Spinosismum amplectitur tanquam verum, seu qui hypothesin *Spinosæ* pro vera habet.

In quo consistat Spinosismus, diximus (§. 671.). Quoniam *Spinosa* fatalem omnium rerum necessitatem adstruxit, & libertatem animæ negavit; ideo Spinosista dici haud raro solet, qui rerum omnium fatalem necessitatem defendit, eamque ad ipsas hominum actiones extendit. Enimvero cum hic error non sit *Spinosæ* proprius, sed multis familiaris deprehendatur (§. 528.); hunc significatum admittere nec possumus, nec debemus, ne, qui Fatalismum universalem agnoscit, eadem de Deo ac rerum natura cum *Spinosa* sentire videatur.

§. 679.

Lapsus Spinosæ in definiendo attributo.

Spinosa *attributum cum determinationibus essentialibus confundit* (§. 673.). Quamobrem cum ex ipsius mente substantia per se concipiatur (§. 674.), inde infert *prop. 10. part. 1. Ethic.* unumquodque substantiæ attributum per se concipi debere. Per se autem concipitur id, cujus cognitio non indiget cognitione rei alterius, quemadmodum explicat *in Schol. prop. 8. part. 1.*

part. 1 Ethic. hoc est, nostra phrasi, cujus nulla datur ratio, cur insit, sed primum est, quod de re concipitur. Jam vide §. 144. 143. 156. *Ont.*

§. 680.

Notio substantiæ minus recte ingreditur notionem attributi in definitione Spinosæ. Etenim *Spinosa* attributum cum determinationibus essentialibus, quæ essentiam entis constituunt (§. 143. *Ontol.*), confundit (§. 679.), ut adeo attributum ipsi sit, quod alias essentia entis appellatur, adeoque primum, quod de ente concipitur (§. 144. *Ontol.*). Enimvero quæ ad notionem entis pertinent, absque notione substantiæ intelliguntur (*Ont.* c. 3. *P. 1. Sect. 2.*); & notio substantiæ usui loquendi conformis (§. 771. *Ontol.*), notionem potius entis supponit (§. 768. *Ont.*). E. Lapsus alter.

§. 681.

Modos Spinosa *ab attributis proprie sic dictis non distinguit.* Definit modum per id, quod in alio est, per quod etiam concipitur (§. 676.). Quoniam juxta ipsum omnia, quæ sunt, vel in se, vel in alio sunt, *per ax. 1. part. 1. Ethic.* esse in se & esse in alio sibi mutuo opponit. Quamobrem cum in se esse & per se concipi dicat id, cujus cognitio non indiget cognitione alterius, *per Schol. prop. 8. part. 1.* in alio esse & per aliud concipi dicendum est illud, cujus cognitio indiget cognitione alterius, adeoque intelligitur per aliud, quod enti inesse concipitur, consequenter in alio, quod enti inest, rationem sufficientem habet, cur insit, vel saltem inesse possit (§. 156. *Ontol.*). Jam vid. §. 149. 157. 118. 160. *Ontol.* Lapsus Spinosæ circa definitionem modi.

§. 682.

Spinosa modum substantiæ opponit, & cum ente ab alio confundit (§. 676. 674.). Ergo modus in se non est, nec per se concipitur. De modo igitur negat *Spinosa*, quod de substantia affirmat. Quamobrem cum propositiones oppositæ sint, quarum una negatur, quod altera affirmatur (§. 285. *Log.*); hæ duæ propositiones: A est in se & per se concipitur, & A non est in Lapsus alter.

 se, &

se, & in se non concipitur, sibi mutuo opponuntur. E. *Quod erat primum.*

Esse in alio & per aliud concipi, cum modus definiatur per id, quod in alio est, per quod etiam concipitur (§. 676.); non prorsus idem significant; alias enim de eo, quod est in alio, prædicari non posset, quod per aliud concipiatur (§. 195. 222. *Log.*). Per aliud concipitur, quod cognosci nequit, nisi præsupposita cognitione alius *per Schol. prop. 8. part. 1. Ethic.*; hoc est, nostra phrasi, quod rationem, cur sit, in alio habet. Quoniam itaque posita ratione sufficiente ponitur id, quod per eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol.*), si illa actu ponatur, etiam hoc actu ponetur, si vero illa tantummodo spectetur, tanquam quæ poni possit, hoc etiam spectari nequit, nisi quatenus poni potest, consequenter quoad possibilitatem. Quamobrem cum quid dicitur concipi per aliud, hoc ipso satis intelligitur, quod non intelligatur possibile nisi per aliud, cujus jam nobis perspecta possibilitas, adeoque esse in alio non nudam possibilitatem, sed quid amplius exprimere debet, consequenter ad existentiam simul refertur. Unde in alio esse simul connotat, rationem existentiæ sufficientem quærendam esse in alio, consequenter quod in alio est, ut existat, vi alterius indigere. Enimvero ens ab alio est, quod vi alterius indiget, ut existat (§. 27. T. 1. *Theol. natur.*). E. *Quod erat alterum.*

Substantiæ opponitur accidens (§. 768. *Ontol.*), enti autem a se ens ab alio (§. 27. T. 1. *Theol. nat.*). Quamdiu adeo demonstratum non est, substantiam omnem esse ens a se, ita ut ens a se & substantia pro Synonymis haberi possint (§. 325. *Log.*); nec eidem opponi potest modus, quatenus spectatur tanquam ens ab alio. Cumque tam attributa, quam modi sint accidentia (§. 779. *Ontol.*), & *Spinosa* perperam attributa cum determinationibus essentialibus, quæ essentiam constituunt (§. 143. *Ontol.*), confundat (§. 679.), nec modos ab attributis proprie sic dictis distinguat (§. 681.), modi quoque soli minus recte substantiæ opponuntur, quasi nil concipiatur ab intellectu, nisi quod vel substantia sit, vel ejus modus.

§. 683.

§. 683.

Spinosa *substantiam non sumit in significatu recepto.* Vid. §. 769. 771. 770. *Ontol.* Enimvero *Spinosæ* substantia est id, quod in se est & per se concipitur (§. 674.), hoc est, cujus cognitio non indiget cognitione alterius, adeoque quod subjecto inhærere intelligatur, etiamsi nihil in eodem supponatur, per quod intelligatur, cur insit, quemadmodum essentialia concipiuntur (§. 156. 56. *Ontol.*). Patet itaque *Spinosam* in notione substantiæ tantummodo animum advertere ad determinationes essentiales insuper habitis attributis atque modis, quorum tamen simul in sensu recepto habenda ratio est. **Lapsus Spinosa circa definitionem substantiæ.**

Non igitur mirum est, quod de substantia prædicet, quæ in significatu recepto de eadem demonstrari non possunt, veluti quod sit numero unica, quodque necessario existat, seu ut non existens concipi nequeat. Vid. prop. 5. & 7. T. 1. Eth.

§. 684.

Spinosa *substantiam confundit cum ente a se.* Ad substantiam duo requirit *Spinosa*, nimirum ut quid sit in se & ut concipiatur per se (§. 674.), consequenter esse in se & concipi per se non prorsus idem significant (§. 682.). Quamobrem cum esse in se & esse in alio sibi mutuo opponat, *per ax. 1. part. 1. Ethic.* esse autem in alio connotet id, quod in alio est, vi alterius indigere ut existat (§. 682.); esse in se connotare debet, quod id, quod in se est, vi alterius non indigeat, quod existat, consequenter quod vi propria existat. Enimvero quod vi propria existit, ens a se est (§. 27. T. 1. *Th. nat.*). E. **Lapsus alius Spinosæ circa definitionem substantiæ.**

§. 685.

Spinosa *non recte atque ambigue definit finitum, seu limitatum* vid. §. 677. Enimvero finitum in Mathesi dicitur, cui assignari possunt termini, unde incipit & ubi definit, seu ultra quos augeri potest (§. 798. *Ontol.*). Atque adeo res aliqua appellatur finita, seu limitata, quatenus determinationibus intrinsecis, per quas concipitur (§. 142. *Ontol.*), inhærent termini, **Defectus definitionis finiti Spinosiana.**

ſeu limites, ultra quos realitas earundem minime extenditur (§. 468. *Ontol.*). Quemadmodum itaque linea non ideo dicitur finita, quod linea quadam alia terminari poſſit, ſed quod utrinque concipiantur limites, ultra quos non extenditur; ita quoque res quæcunque alia dici nequit finita, quod alia ejusdem naturæ terminetur, ſeu terminari poſſe concipiatur, ſed quod ipſi inhæreant limites, ultra quos realitates, quæ ipſi ineſſe intelliguntur, augeri nequeunt. *Quod erat primum.*

Verba, quod res quædam terminetur alia ejusdem naturæ, non ſatis perſpicua ſunt. Unde *Spinoſa* ſubnectit, corpus dici finitum, quia aliud ſemper majus concipimus: quod etſi verum ſit (§. 825. *Ontol.*), non tamen facit, ut verba minime perſpicua, quibus definitio effertur, intelligantur. Neque enim per hoc quod corpore dato aliud majus concipi poteſt, intelligitur, cur inſint magnitudini ipſius limites, ſed potius aliud majus concipi poteſt, quia hoſce magnitudo recipit limites, qui ineſſe intelliguntur, etiamſi de alio majore minime cogites. Terminari igitur re alia ejusdem naturæ ſignificare idem nequit, ac rationem continere limitum alteri inexiſtentium. Sed nec per hoc, quod concipiatur corpus dato majus, liquet, eidem coexiſtere poſſe corpus, quod obſtat, quo minus ipſum ſit majus, utpote in terminis ejus exiſtens, quemadmodum verba explicanda eſſe videbantur vi eorum, quæ in evincendo primo dicta ſunt. Atqui *ambigua* dicuntur *verba*, quorum ſignificatus certo determinari nequit. E. *Quod erat alterum.*

§. 686.

Error Spinoſæ in definiendo finito ſeu limitato.

Errat Spinoſa, *dum ſumit rem in ſuo genere finitam ſemper alia ejusdem naturæ terminari poſſe.* Definitionem ſuam illuſtraturus ait, cogitationem terminari cogitatione, aſt corpus non terminari cogitatione, nec cogitationem corpore. Verba hæc ambigua (§. 685.), vi applicationis in demonſtratione *prop. 8. part. 1. Ethic.* factæ, intelligi aliter non poſſunt, quam quod ens finitum nec concipi, nec exiſtere poſſit, niſi concipiatur & exiſtat res alia finita ejusdem naturæ, cui ea inſunt, per quæ intelligitur, cur illi hi potius inſint limites, quam alii, conſequenter quod rationem ſufficientem limitum

mitum alterius in se continet (§. 56. *Ontol.*); adeoque cum limites alterius ponantur posito ipso in actu (§. 118. *Ontol.*), limites vero defectum realitatis ulterioris denotent (§. 468. *Ontol.*), nil obstat, quo minus major realitas in ente altero esse possit. Anima phrasi *Spinosæ* est res cogitans, sive cogitatio, adeoque terminari debet tanquam finita alia anima, hoc est, nec concipi, nec existere potest absque alia anima, quæ obstat, quo minus eidem insint limites ampliores, consequenter in alia anima inesse debet ratio sufficiens limitationum originariarum, quæ determinationibus essentialibus illius inhærent. Enimvero vis animæ, in qua essentia & natura ejus consistit (§. 66 sq. *rat.*), limitatur materialiter situ corporis organici in universo, nimirum ut percipere clare nequeat, nisi quæ in corpus istud agunt, ac formaliter constitutione organorum sensoriorum, quatenus scilicet tales inducuntur organis istis mutationes (§. 63. *rat.*). Ecquis vero dixerit, hasce limitationes in anima concipi non posse, neque actu eidem inesse posse, nisi concipiatur atque actu sit anima alia, quæ obstat, quo minus anima nostra plura percipere possit objecta, quam quæ in organa sensoria agunt, eaque clarius atque distinctius, quam fert organorum sensoriorum constitutio? Quin potius cum nulla requiratur ratio, cur essentialia insint (§. 159. *Ontol.*); limitationes istæ per se vi animæ inhærere intelliguntur. E. (§. 197. 594. *Log.*).

§. 687.

Principia Spinosismi. *Spinosismus nititur principiis precariis, confusis atque ambiguis.* Spinosa enim hypothesin suam de substantiá unica infinita, cujus attributorum modificationibus necessariis prodeunt res ceteræ omnes (§ 671.), demonstrare nititur ex suis definitionibus atque axiomatis. Enimvero ea, quæ in definitionibus suis sumit, non demonstrat. Jam vid. 533. 813. *Log.* *Quod erat primum.*

De *secundo* vid. §. 679. 681 seq. 684. h. l. coll. §. 39. *emp.* 87. 149. *Log.*

De *tertio* lege §. 685.

§. 688.

§. 688.

Notio extensionis in Spinosa.

Spinosæ *nonnisi confusa fuit extensionis notio.* Etenim acquievit in idea extensionis, qualem sensu percipimus, nec ideo ejus dedit definitionem. Enimvero extensionem in corpore nonnisi confuse percipimus (§. 224. *Cosmol.*). E.

§. 689.

Error Spinosæ circa notionem extensionis.

Spinosa *perperam extensionem pro realitate habet* (§. 671. h. l. coll. §. 225. *Cosm.*).

Qui agnoscit extensionem non esse realitatem, quæ enti cuidam inest, sed supponere realitatem aliam, vi cujus confuse perceptæ inesse apparet, atque satis perspexit, quomodo idea extensionis in anima nascatur (§. 103. *Psychol. ration.*); ex hoc uno absurditatem *Spinosismi* agnoscit.

§. 690

Notionis extensionis resolubilitas.

Extensio in sensu Spinosæ *per se non concipitur.* Ex §. 548. 567 sq. *Ontol.* 176. 223. 221. *Cosmol.* discis, quomodo extensio nascatur. Eam vero non percipimus, nisi quatenus plura extra se invicem existentia tanquam in uno nobis repræsentamus (§. 548. *Ontol.*), adeoque percipimus (§. 24. *empir.*), idea nimirum extensionis corporum in anima nascente, dum ea status elementorum internos in unum confundit (§. 103. *rat.*). Quodsi ergo extensionem, sine qua corpora percipi, aut *Spinosæ* stylo concipi nequeunt (§. 122. *Cosmol.*), distincte percipere aut cognoscere volueris, necesse est, ut cognoscas elementa, quorum aggregata sunt corpora, eorumque status internos, & quomodo per eos multa repræsententur tanquam in uno. Præsupponit adeo cognitio extensionis cognitionem multorum extra se invicem existentium eorumque unionem. Quoniam itaque juxta *Spinosam* per se concipitur, cujus cognitio non supponit cognitionem alterius vi *Schol. prop. 8. part. 1. Ethic.* evidens est, extensionem in sensu *Spinosæ* per se minime concipi.

§. 691.

§. 691.

Extensio in sensu Spinosæ *attributum Dei esse nequit* (*§. 690. 673 sq. 672.*). Extensio Spinosæ attributum Dei esse non potest.

§. 692.

Spinosa *errat, dum extensionem Dei esse attributum sive Deum esse rem extensam contendit* prop. 2. part. 2. Ethic. (*§. 691.*). Errat extensionem Deo tribuens.

Sufficit abunde, quod ostenderimus, ne in sensu quidem *Spinosæ*, hoc est, per ipsius definitiones extensionem attributum Dei esse posse.

§ 693.

Spinosa *non probavit extensionem infinitam esse possibilem*. Etenim ex eo, quod ab extensione vi imaginationis confuse percepta removet pro arbitrio limites, non sequitur extensum absque limitibus esse possibile, sed notionis hujus per arbitrariam determinationem formatæ demonstranda possibilitas est (§. 690. & seqq. *Log.*): id quod nullibi fecit *Spinosa* extensionem perperam pro realitate habens (§. 689.); eamque absque limitibus esse posse sumens. Infinitudo extensionis a Spinosa non probata.

Et quamvis extensionem attributum Dei faciat (§. 671.), attributa autem divina infinita sint (§. 672.); nec tamen hinc intelligitur, extensionem infinitam dari, adeoque possibilem esse (§. 170. *Ontol.*). Eenim extensio ne quidem in sensu *Spinosæ* attributum Dei esse potest (§. 691.).

Possibilitas extensionis infinitæ, siquidem veritati non repugnat; non adeo facile probari potest. Cum enim extensum oriatur ex eo, quod extensum non est (§. 223. *Cosmol.*), nempe dum elementa rerum materialium, substantiæ simplices (§. 182. *Cosmol.*) aggregantur (§. 221. *Cosmol.*); extensionis infinitæ seu illimitatæ possibilitatem demonstraturus, evincere teneretur, possibiles esse substantias simplices, quibus aggregatis oriatur in phænomenis extensio infinita. Ecquis vero non videt, nisi in theoria elementorum prorsus alienus ac ho-

ſpes ſit, hanc probationem eam eſſe, quam non facile quis in ſe recipiet?

§. 694.

Error Spinoſæ de ortu corporum.

Corpora oriri nequeunt per modificationem attributi alicujus divini, infinitæ ſcilicet extenſionis, nec in ſenſu Spinoſæ *dici poſſunt modus, qui Dei eſſentiam, quatenus ut res extenſa conſideratur, certo & determinato modo exprimit.* Si vel maxime orirentur per modificationem extenſionis infinitæ; dici tamen non poſſet, quod oriantur per modificationem alicujus attributi divini (§ 691.). Enimvero extenſio nonniſi phænomenon eſt (§. 226. *Coſmol.*), nec pro realitate haberi poteſt (§. 689.), & omne corpus oritur ex eo, quod non eſt extenſum (§. 223. *Coſmol.*). Quamobrem ſi vel maxime extenſio eſſet attributum Dei, dici tamen non poſſet, corpora oriri per modificationem alicujus attributi divini. E. Patet, *quod erat primum.*

De *ſecundo* vide §. 85. *Theol. natur.* T. 1. 38. 691. h. l.

Extenſio uniformis abſque omnibus limitibus, hoc eſt, figuris ſpectata (§. 621. *Ontol.*), notio imaginaria eſt. Inter abortus itaque imaginationis referri debet ortus corporum per modificationem extenſionis, quatenus nimirum per potentiam Dei extenſioni inducuntur uniformi limites varii, ſive figuræ diverſæ.

§. 695.

Potentia corporum productrix juxta Spinoſam.

Potentia Dei, per quam producuntur corpora juxta Spinoſam; *non eſt niſi potentia modificatrix* (§. 671.).

Cum ſcilicet potentiam creatricem tanquam gratis confictam rejiceret; Deo non reliquit niſi potentiam modificatricem, & hanc ſufficere arbitratus ad explicandum omnia, quæ ſunt atque fiunt in mundo materiali, ſeu univerſo corporeo. Et ſane ea de cauſa extenſionem fecit attributum Dei, ut ortus corporum abſque potentia creatrice per ſolam modificatricem explicari poſſet.

§. 696.

§. 696.

Spinosa *potentiam naturæ facit potentiam Dei (§. 853. Theol. natur. T. 1. 695. h. l.) & naturam omnem propriefic dictam a corporibus, ex quibus mundus constat, removet, seu naturam propriefic dictam non ens facit (§. 507. 505. Cosm.* coll. *§. 671. 695. h.l. 119. Cosm. 137. Ont.).* Spinosæ error circa naturam.

Habet ea in re præeuntem *Cartesium*, qui cum ex notione extensionis non sequi animadverteret vim corporibus insitam, tanquam mutationum principium (§. 136. *Cosmol.*), utpote instar substantiæ a materia sive eo, quod est extensum (§. 141. *Cosmol.*) diversæ concipiendam (§. 301. *Cosmol.*); vim activam omnem corporibus abstulit & eam soli Deo tribuit. Equidem *Spinosa in Schol. prop. 29. part. 1. Ethic.* naturam naturantem a natura naturata distinguit; sed essentiam & naturam cum *Cartesio* pro Synonymis habet. Hinc liquet, differentiam inter naturam naturantem & naturam naturatam non constitui in diversitate vis activæ rerum particularium atque Dei, sed in diversitate essentiæ rerum particularium & Dei.

§. 697.

Spinosa *non probavit in rerum natura non posse dari duas, aut plures substantias ejusdem naturæ, sive attributi*, prop. 5. part. 1. Ethic. Etenim omne robur argumentationis huc redit, quod eadem a se invicem non distinguerentur, adeoque ens unum idemque forent. Quoniam attributum cum determinationibus essentialibus confundit (§. 679.); perinde est ac si affirmaret, duas substantias eandem essentiam communem habentes non posse per essentiam distingui. Enimvero id quidem inde est, quod attributum, per quod ex ipsius mente exprimitur essentia substantiæ, aut, rectius loquendo, entis (§. 673.), supponat tanquam quid illimitatum, aut depositis limitationibus originariis spectet, adeoque quatenus superius aliquod genus, veluti corpus in genere, constituit, consequenter ens quoddam in universali repræsentat (§. 230. *Ontol.*). Quoniam itaque universalia non existunt (§. 235. *Ontol.*), sed tantummodo singularia, quæ omnimode determinata sunt (§. 226. 227. *Ontol.*), limita- Impossibilitas existentiæ duarum substantiarum ejusdem essentiæ a Spinosa non demonstrata.

mitationes vero originariæ, quæ ſunt determinationum eſſentialium & per quas eſſentiæ rerum differunt, ipſi ita inhærent, ut ab iis inſeparabiles ſint (§. 894. 895. *part. 1. Theol. natur.*); evidens omnino eſt, quod diximus.

§. 698.

Contrarium oſtenditur.

In recepto ſignificatu notioni ſubſtantiæ non repugnat, ut dentur plures ejusdem generis vel ſpeciei (§. 770. 233 ſeq. 247. 268 ſeq. Ontol.): immo actu dantur. Vide §. 48. *ration.* 21. *emp.* 66. *rat.* 254. *Ont.* de pluribus animabus; & §. 176. 182. *Coſm.* de elementis, tanquam pluribus ſubſtantiis.

Non eſt, quod excipias, animas & elementa rerum materialium non eſſe ſubſtantias in ſignificatu *ſpinoſiano.* Etenim *Spinoſa* ſubſtantiam non ſumit in ſignificatu recepto & ejus notioni tacite infert aſeitatem (§. 684.). Debebat vero vocabulum ſubſtantiæ ſumere in ſignificatu recepto & demonſtrare, ſi poſſet, in eodem ſubſtantiam omnem eſſe debere ens a ſe: quod nec probavit, nec probare potuit.

§. 699.

Impoſſibilitas creationis a Spinoſa non demonſtrata.

Spinoſa *non demonſtravit, ſubſtantiam unam ab alia ſubſtantia produci non poſſe, immo abſolute ab alio produci non poſſe.* Demonſtraturus enim *prop. 6. part. 1 Ethic.* ſubſtantiam unam non poſſe produci ab alia ſubſtantia ac inde *in ej. Coroll.* illaturus eam abſolute ab alio produci non poſſe, ſupponit tanquam demonſtratum, in rerum natura non poſſe dari duas ſubſtantias ejusdem attributi, ſeu ejusdem eſſentiæ, ſive generis vel ſpeciei. Jam vide §. 697 ſq. h. l. 469 *Log.*

§. 700.

Item aſeitas ſubſtantiæ non demonſtrata.

Spinoſa *non demonſtravit, ſubſtantiam neceſſario exiſtere.* Etenim *prop. 7. part. 1. Ethic.* demonſtraturus ad naturam ſubſtantiæ pertinere, quod exiſtat, ſupponit eam non poſſe produci ab alio. Atqui vid. §. 699.

§. 701.

§. 701.

Non omnis substantia necessario existit, seu essentia substantiæ existentiam necessariam minime involvit (§. 331. h. l. 310. 118. Ontol. 182. Cosmol. 48. ration.). Contrarium demonstratur.

§. 702.

Spinosa *non demonstravit substantiam omnem necessario esse infinitam.* Etenim supponit, nonnisi unicam substantiam ejusdem attributi sive generis existere, eamque necessario existere, ac terminari debere ab alia ejusdem naturæ, sive essentiæ, si fuerit finita. Jam vide §. 697. 700. 698. 701. adde §. 685 sq. Infinitudo substantiæ omnis a Spinosa non demonstrata.

§. 703.

Substantia omnis non necessario infinita seu illimitata est. Vide § 48. 264 sq. *rat.* de animabus; & §. 182. 203. *Cosm.* de elementis. Adde §. 173. *Theol. nat.* T. I. Contrarium evincitur.

§. 704.

Spinosa *non demonstravit præter Deum nullam dari, neque concipi posse substantiam*, seu *non dari substantiam nisi unam, eamque infinitam.* Etenim supponit, duas substantias ejusdem attributi, seu essentiæ, dari non posse, & substantiam omnem esse infinitam, Deumque ex infinitis constare attributis. Atqui lege §. 697. 702. 698. 703. 672. Unicitas substantiæ a Spinosa non demonstrata.

§. 705.

Falsum omnino est, præter Deum nullam dari, neque concipi posse substantiam, seu non dari substantiam nisi unam, eamque infinitam (§. 698. 703. h. l. 476 Log.). Contrarii veritas asserta.

§. 706.

Realitas omnis infinita ac in specie cogitatio infinita non componitur ex realitatibus finitis, quæ numero infinitæ sunt. Intellectus humanus, qui est realitas (§. 5.), limitatus est quoad modum repræsentandi objecta (§ 279. *empir.*). Atque adeo intellectus illimitatus est, qui in quolibet objecto discernibilia distinguere Spuria realitatis infinitæ notio explosa.

guere valet (§. 468. *Ontol.*). Enimvero quotiescunque ſumas intellectum, qui non omnia diſcernibilia diſtinguere valet, non tamen inde prodibit intellectus, qui omnia in quocunque objecto diſcernibilia actu diſtinguit, ſed ſaltem multitudo intellectuum, quorum unusquisque omnia diſcernibilia in objecto diſtinguere minime valet, conſequenter intellectus finitus infinito prorſus heterogeneus eſt (§. 364. *Ontol.*). Patet itaque realitatem omnem infinitam non componi ex realitatibus finitis, quæ numero infinitæ ſunt. Idem valet de cogitatione, tanquam actu mentis (§. 26. 24. *empir.*).

Ad ſimilitudinem extenſionis infinitæ (de qua vero vide §. 689. 688. h. l. 804. *Ontol.*) ſibi quoque imaginatus eſt cogitationem infinitam, quaſi ea continuata in infinitum additione cogitationis finitæ naſcatur. Unde extenſio infinita ex rebus extenſis numero infinitis, & cogitatio infinita ex rebus cogitantibus numero infinitis componi ipſi viſa fuit, contra ea, quæ in præſente propoſitione demonſtravimus. Quodſi vero perpendiſſet, finitam rem concipi per limites eidem neceſſario inhærentes; notionem infinitæ prodire obſervaſſet limitis omnis remotione.

§. 707.

Falſa, quæ Spinoſæ eſt, notio rerum cogitantium deſtructa.

Res cogitantes finitæ non oriuntur modificatione cogitationis infinitæ, tanquam attributi divini, nec dici poſſunt modi attributi divini, infinitæ ſcilicet cogitationis. Quoniam enim ens oritur, dum exiſtere incipit (§. 541. *Ontol.*); cogitans exiſtit, dum cogitatio infinita modificatur, quæ tanquam attributum divinum Dei eſſentiam conſtituens ſpectatur, & res cogitantes finitæ exiſtere debent, quatenus cogitatio iſta infinitis modis modificatur. Res igitur cogitantes numero infinitæ ſimul ſumtæ conſtituunt cogitationem infinitam, quæ Dei eſſentiam abſolvunt, ſeu ea ex illis componitur. Quod abſurdum (§. 706.). E. *Quod erat primum.*

Nunc per ſe patet, quod dici nequeant modus attributi divini, infinitæ ſcilicet cogitationis. *Quod erat alterum.*

Idea

Idea animæ, quatenus sibi conscia sui est, animæ essentialis, quæ cum limitata sit (§. 63. *Psychol. rat.*), ideam cogitationis limitatæ habemus, ut phrasi *Spinosæ* utar, etiamsi nulla de Deo animum subeat cogitatio. Idea autem cogitationis infinitæ oritur, remotis limitationibus, quæ eidem insunt (§. 1095. *part. 1. Theol. natur.*), & ejus realitas demonstratur ex eo, quod realitas omnis in gradu absolute summo possibilis sit (§. 12.).

§. 708.

Corpora & animæ non sunt in Deo tanquam partes in toto, nec dici possunt particulæ Dei. Quoniam enim partes omnes simul sumtæ idem sunt cum toto (§. 341. *Ontol.*); corpora omnia simul sumta & animæ omnes simul sumtæ idem sunt cum Deo, seu saltem cum aliquo, quod Deo necessario inexistit, & sine quo Deus esse ac concipi nequit. Deus adeo corpora omnia animasque omnes actu in se continet tanquam ad essentiam suam pertinentes. Unde aliter id, quod Deo tanquam infinitum tribuitur, concipi nequit, quam quod actu in se contineat omnes modificationes, quæ non consistunt nisi in limitum variatione (§. 830. *Ontol.*), possibiles, consequenter tam corpora, quam animæ oriuntur in ipso Deo per modificationem attributi divini. Jam ex §. 694 707. patet *primum.* Error Spinosæ circa notionem corporum & animarum.

Sua sponte hinc fluit *alterum.*

§. 709.

Spinosa *fatalista universalista est.* Etenim juxta eum in rerum natura nullum datur contingens, sed omnia ex necessitate divinæ naturæ determinata sunt ad certo modo existendum & operandum *per prop. 29. part. 1. Ethic.* & quicquid ex aliquo Dei attributo necessario sequitur, id necessario existit, *per prop. 12. part. 1. Ethic.* nec voluntas vocari potest causa libera, sed tantum necessaria *per prop. 32. part. cit.* adeoque nec Deus operatur, ex libera voluntate, *per Cor. 1. prop. cit.* ut res nullo alio modo neque alio ordine a Deo produci potuerint, quam productæ sunt, *per prop. 32. part. 1 Ethic.* Nec in mente est libera voluntas, sed ea ad hoc vel illud volendum determinatur a causa, quæ etiam Fatalismus universalis Spinosæ.

jam ab alia determinata est, & hæc iterum ab alia, & sic in infinitum, *per prop. 48. part. 2. Ethic.* & homines tantummodo se liberos esse opinantur, quatenus suarum volitionum sibi sunt conscii, & de causis, a quibus disponuntur ad volendum, ne per somnium quidem cogitant, *per Schol. prop. 36. part. 1. Ethic.* Jam vide §. 528.

§. 710.

Fatalismus universalis a Spinosa falso assertus.

Spinosa *Fatalem rerum omnium necessitatem nec demonstravit, nec demonstrare potuit.* Etenim *Spinosa* eam demonstraturus *prop. 16. part. 1. Ethic.* tuetur, ex necessitate divinæ naturæ sequi omnia, quæ sub intellectum infinitum cadere possunt; & hinc *prop. 17.* infert, quod ex sola suæ naturæ necessitate agat, quia præter eum non existit aliquid, a quo ad agendum determinetur. Enimvero omnia ex divinæ naturæ necessitate sequi probat, quod ex data cujuscunque rei definitione intellectus concludat, quæ revera ex eadem, hoc est, ipsa rei essentia, necessario sequuntur. Hinc autem minime sequitur, quod infert. Etenim si cogitationis infinitæ (§. 707.) & extensionis notionem imaginariam non sumsisset, tanquam realem § 689.), & utramque Deo attribuisset tanquam attributum, quod infinitam ejus essentiam exprimit (§. 671.); minime hinc intulisset, quod omnia necessario inde sequantur. Sed si, quæ animæ insunt, realitates limitatas distincte cognovisset, easque Deo in gradu absolute summo tribuisset (§. 70.), Deo competere intellectum infinitum agnovisset (§. 117. 118.), & ex eo tantummodo necessario sequi essentias rerum (§. 94.), seu quicquid possibile perspexisset (§. 327.); vidissetque intellectum & potentiam divinam non esse rationem sufficientem, cur ens quoddam finitum existat (§. 349.), neque adeo posito intellectu divino & posita potentia divina poni res finitas in actu (§. 118. *Ontol.*), sed simul requiri voluntatem Dei (§ 350.), eamque liberrimam (§. 277.). Patet itaque absolutam rerum omnium necessitatem a *Spinosa* non esse demonstratam. Quod vero neque demonstrare potuerit, intelligitur ex §. 338. 354-356. 330-332. 334. h. l. 561. *Cosmol.* 761. *Theol. natur.* T. 1.

§. 711.

§. 711.

Spinosismus falsa hypothesis est (§. 671 sq. coll. §. 704 sq. 691 sq. 694. 707. 710.). Falsitas hypotheseos Spinosæ.

§. 712.

Errat Spinosa, *dum nullos dari in rerum natura fines contendit, seu causas finales nihil esse pronunciat* in Appendice ad part. 1. p. 36. *nisi humana figmenta.* Etenim id infert ex eo, quod omnia naturæ æterna quadam necessitate procedant. Vide vero §. 712. h. l. coll. §. 378. *Log.* Adde §. 608. 645. 648 sqq. *Th. natur.* T. 1. coll. §. 202. 594. *Log.* Fines ex universo a Spinosa per; ✝am relegati.

Cum finibus *Spinosa* sapientiam Dei tollit (§. 678. *rat.*), quam nullam esse agnoscit, sed inter humana figmenta refert: qui quam pietati noxius sit error, suo tempore abunde constabit, quando praxin officiorum erga Deum demonstraturi sumus.

§. 713.

Errat Spinosa, *dum miracula in numerum impossibilium refert.* Quoniam *Spinosa* Fatalista est & quidem universalista, fatalem rerum omnium necessitatem, sublata omni rerum contingentia & libertate agendi, ex ipso Deo deducens (§. 709.); nil quicquam aliter fieri potest, quam quod fit: unde & *prop. 33. part. 1. Ethic.* tuetur, res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuisse, quam productæ sunt, & *in Cor. 1. prop. præced.* negat, Deum operari ex libera voluntate. Impossibile igitur juxta ipsum est, ut in rerum natura existat effectus, cujus causa naturalis sufficiens minime existat. Quamobrem cum miraculum non contingat, nisi quando naturales deficiunt causæ actum ejus, quod possibile est, determinantes (§. 518. *Cosmol.*); juxta *Spinosam* impossibile est, ut unquam miraculum aliquod contingat, adeoque miracula in numerum impossibilium refert. Jam lege §. 363. *Th. nat.* T. 1. Miraculorum impossibilitas falso a Spinosa afferta.

§. 714.

Spinosistæ irreligionarii sunt, seu nulla ipsis est religio (§. 709. 571.). Religionis per Spinosismum sublatio.

Juxta *Spinosam* Deo nulla relinquitur in agendo libertas, cumque nulla concedatur sapientia (*not.* §. 712.), nulli admittantur in rerum

(*Theol. nat. contr. T. II.*). Hhh hhh natura

natura fines (§. *cit.*); nec Deo competit directio eorum, quæ in universo contingunt, ad certos fines. Quamobrem cum ista directio sit gubernatio divina (§. 899. T 1. *Theol. nat.*); Deus universum juxta *Spinosam* minime gubernat, atque adeo *Spinosa* tollit, quod præcipuum in providentia divina (§. 922. T. 1. *Theol. nat.*). Qui hæc perpendit, facile perspiciet, quod in Spinosismo religio non subsistat. Cognitionem quidem Dei *in prop. 28. part. 4. Ethic.* plurimum commendat; in hac vero cognitione non magis cultus quidam consistit, quam in cognitione naturæ, cui sedulam navamus operam, qui eadem delectamur. Et sane constat, *Spinosam* summum hominis bonum in cognitione veritatis theoretica quæsivisse, & ex ejus hypothesi Deum cognoscere idem esse, ac res naturales per causas suas cognoscere.

§. 715.

Obligatio divina ad actiones certas sublata

Spinosista tollit omnem obligationem divinam ad honestas actiones committendas, malas vero omittendas (§. 709. 544.).

§. 716.

Spinosismi cum atheismo comparatio.

Spinosismus ab atheismo parum distat, & æque noxius est, immo certo respectu magis nocet, quam atheismus. Etsi enim *Spinosa* admittat Deum, omnium rerum causam primam & unicam (§. 672.); Deum tamen fingit a vero Deo, qui sapientia summa & voluntate liberrima præditus, qui universum hoc sapientia sua gubernat, & in quo animæ ac corpora, &, si quæ præterea dantur, res cogitantes, non existunt, quemadmodum partes in toto, prorsus diversum (§. 640. 431. 902. *Th. nat.* T. 1. 708. h. l.). Perinde igitur est, ac si Deum verum existere negaret. Jam vide §. 411. & sic prodibit *primum.*

Porro Spinosismus tollit omnem religionem atque obligationem divinam ad certas actiones committendas, alias vero omittendas (§. 714 sq.), perinde ac atheismus (§. 516. 539.). Atqui atheismus noxius est, quatenus per eum religio omnis atque obligatio divina ad certas actiones committendas, alias vero omittendas tollitur. E. Apparet quoque *secundum.*

Cum Spinosismo indivulso nexu cohæret fatalismus universalis (§. 709.). Quamobrem cum per hunc fatalis necessitas ad omnes omnino hominum actiones extendatur (§. 528), cum atheismo

atheismo autem fatalismus universalis non necessario conectatur (§ 531.); praxi morali magis obstat Spinosismus, quam Atheismus in se spectatus, cui quippe nonnisi per accidens fatalismus universalis accedit. E. Intelligitur *tertium.*

§. 717.

Epicureismus est opinio, qua negatur intrinseca actionum honestas & turpitudo atque obligatio divina ad alias actiones committendas, alias vero omittendas. Unde *Epicurei* dicuntur, qui hanc opinionem fovent. Epicureismi definitio.

Nos citra infamiam philosophi nomen retinuimus, tanquam terminum receptum, de ipsa *Epicuri* mente parum solliciti. Neque vero est, quod verearis confundi Epicureismum cum atheismo practico. Etenim atheus practicus non negat obligationem divinam; sed ejus parum memor agit, quæ eidem contrariantur (§. 502.); unde error ejus non in theoria, sed in praxi consistit. Atheus practicus novit, se agere quæ Deo displicent; hoc tamen parum curat: ast Epicureus negat, displicere Deo, quod agat, sed ipsi perinde esse, quomodocunque vivat homo.

§. 718.

Epicurei existimant licere homini actiones suas determinare ex suo arbitratu, nisi quatenus lege civili probibentur (§. 717. h. l. coll. 984 sq. Theol. natur. T. 1.). In se itaque & quoad Deum actiones omnes indifferentes statuunt, easque demum censeri bonas vel malas, prout lege humana, seu civili præcipiuntur aut prohibentur. Quomodo Epicurei actiones suas determinent.

Suprema lex Epicureorum est: Quod lubet, licet. Unde lex civilis, quando libidini propriæ obstat, videtur jugum, quod excutere mallent, si possent.

§. 719.

Epicurei existimantes licere homini actiones suas ex suo arbitratu determinare nisi quatenus lege civili probibentur, errant (§. 974. Th. nat. T. 1. 593. Log.). Error Epicureorum de vivendi licentia notatus.

§. 720.

Epicurei Deum faciunt dominum indulgentissimum, non vero dominium Dei negant. Non jus Dei aliquid præcipiendi, Epicureorum de dominio Dei sententia.

 vel

vel prohibendi in dubium vocant, sed Deum nihil eorum, quæ in se indifferentia sunt, præcipere vel prohibere præter omnem necessitatem jugum impositurum hominibus, asserunt (§. 717.). Nunc vide §. 959. *Th. nat.* T. 1. & sic constabit de eo, quod dominium Dei non in dubium vocent.

Ex tenore §. 699. 698. 700. *Th. nat.* T. 1. 717. h. l. inferunt Deum esse dominum indulgentissimum.

Ex hypothesi actionum indifferentiæ de Deo argumentantur Epicurei humano more, propterea quod vident dominum permittere servo, quem amat, ut faciat, quod vult, ne ipsum privare videatur voluptate, qua frui poterat.

§. 721.

Error Epicureorum circa indulgentiam Dei.

Errat Epicureus, dum sibi persuadet bonitati divinæ non repugnare, ut homines actiones suas pro arbitratu determinare permittat, non vero ad quasdam committendas, ad alias vero omittendas obliget (§§. 992 975. 991. 997. Th. nat. T. 1. 28. Ont.).

Argumentatio, quæ a bonitate divina deducitur, speciem omnem statim amittit, ubi ad moralitatem intrinsecam animum adverteris.

§. 722.

Falsitas Epicureismi.

Epicureismus falsa opinio est (§§. 717. 500. h. l. 987. Theol. natur. T. 1.).

FINIS
PARTIS II. THEOLOGIÆ NATURALIS.



INDEX

INDEX IN OMNES PHILOSOPHIÆ PARTES TOMI I. II.

Ne in evolvendo error committatur, sequentes literæ hic appositæ probe sunt observandæ, quarum D. *Discursum præliminarem*, L. *Logicam*, O. *Ontologiam*, C. *Cosmologiam*, PE. *Psychologiam empiricam*, PR. *Psychologiam rationalem*, TN. T. 1. *Theologiam naturalem Tom. 1.* TN. T. 2. *Theologiam naturalem Tom. 2.* numerus vero paragraphum ejusdem denotat.

Arti-

B.

C.

Compila-

Domi-

E.

Elenchi

F.

Impu-

Ira

Muta-

Natu-

O.

Q.

Rationis

Synt-

Ter-

Timor.

Voli-

SIT LAUS ET GLORIA DEO.



Digitized by Google